

PETRI FRANCISCI
PASSERINI
TRACTATVS
LEGALIS, ET MORALIS
DE
POLLVTIONE
ECCLESIARVM.

Dom. Prof. Rom.

PETRI FRANCISCI PASSERINI

I. V. ET S. T. D. COLLEGIATI,
Protonot. Apostol. Examinatoris, ac Iudicis Synodalis, Consultoris S. Inquisit. atq. in Vniuersit. Placent. Theol. Moralis Publ. Professoris

TRACTATVS LEGALIS, ET MORALIS
DE POLLVTIONE ECCLESIARVM,

In quo tàm Variæ, ac Nouæ Quæstiones, ac Difficultates ad vtrumq. Forum spectantes Disputantur, ac Deciduntur, vt Ecclesiasticis Iudicibus, Ecclesiarum Præfectis, & Confessarijs necessarius æque sit, atque Iurisconsultis, Theologis, & Eruditis omnibus vtilis, ac iucundus.

Cum Summarijs, & Disputationum, Capitum, Rerum, ac Sententiarum Indicibus.

RAYNVTIO II. FARNESIO
SERENISSIMO PLACENTIÆ, PARMÆ, ET C. DVCI VI.







PLACENTIÆ Apud Ioannem Bazachium Impressorem Cameralem. 1654.
SVPERIORVM PERMISSV.

PETRI FRANCISCI PASSERINI

I. V. ET S. T. D. COLLEGIATI

Prot. not. Apostol. Examinatoris, ac Iudicis synodalis, Consultoris S. Inquisit. atq. in Vniuersit. ... Theol. ... Publ. Professoris

TRACTATVS LEGALIS, ET MORALIS DE POLLVTIONE ECCLESIARVM.

In quo tam Variæ, ac Nouæ Quæstiones, ac Difficultates ad vtrumq. Forum spectantes Disputantur, ac Deciduntur, vt Ecclesiasticis Iudicibus, Ecclesiarum Præfectis, & Confessarijs necessarius æque sit, atque Iurisconsultis, Theologis, & Eruditis omnibus vtilis, ac iucundus.

Cum Summarijs, & Dispositionum, Capitum, Rerum, ac Sententiarum Indicibus.

RAYNVTIO II. FARNESIO

SERENISSIMO PLACENTIÆ, PARMÆ, ETC. DVCI VI.





PLACENTIÆ, Apud Ioannem Bazachium Impressorem Cameralem. 1654.

SVPERIORVM PERMISSV.



SERENISSIME DVX.

VIX e vitæ huius Emporio, vt cum Pythagora loquamur, Augustissime Princeps, euolarat ad Empyrium, vt pie credimus, pijssimus ille, & sapientissimus Ecclesiæ Placentinæ Præsul, immo verius Præsulum Decus, & Exemplar, Alexander Scappius, Serenissimæ Celsitudini Tuæ, Tuisque omnibus deuotissimus, cum Theologiæ Moralis Cathedram ab eodem in hac antiquissima Studiorum Vniuersitate ad commune omnium bonum sanctissime, & prouidentissime in perpetuum ære suo constitutam, eiusque Professorem exoptatissima, potentissimaque Protectione Tua tam egregie, & regie comprobasti, constabilisti, condecorasti, vt vel ob id inter cætera non modo summam ingenij, animique Tui Excelsitatem cælitus concessam, & miro scientiarum splendore à Te humanitus exornatam, sed maximam etiam in Litteras omnes, Litterarumque cultores benignitatem Tuam, ac beneficentiam protinus agnouerim, adorauerim, & quicquid vnquam à me, vt potè Cathedræ illius moderatore, in Litterariam Rempublicam deinceps elaboraretur, Tuum id propterea factum, Tibiq. præcipue debitum fore iam tum mihi

non

non immerito persuaserim. Quam ob rem, cum nouum hanc Tractatum ita scripserim, vt non nisi nouo Cathedræ huius Protectori inscribendum crederem, dum Tibi supplex, Clementissime Princeps, illum offero, à Te simul illud obsecro, vt non donum afferri, sed debitum referri; non mea hic à me dari putes, sed Tua Tibi iam nunc reddi patiaris: sic enim serenissimus summæ humanitatis Tuæ splendor efficiet, vt quæ Tua fuerint, Te non indigna fiant, idque à Te ipso consequantur, quo Tibi displicere non debeant; quamuis à me nihil habeant, quo Tibi placere valeant, cui tamen semper vel placuisse, vel certe placere voluisse votorum meorum vere gloriosissimum duxi, sicut eorundem omnium frequentissimum, ac feruentissimum illud est, quo Tibi, Serenissimæque Familiæ Tuæ perennem, ac plenam, pleno corde, & ore felicitatem venerabundus auguror, & adprecor. Placentiæ Idib. Iun. MDCLIV.

Serenissimæ Celsitudini Tuæ

Æternum
Deuotissimus, & Deuinctiss. Ser.
Petrus Franciscus Passerinus.

L E-

LECTVRIS.

PRopositæ Materiæ huius ieiunitatem, ac exilitatem, quasi excolendæ Terræ ariditatem, ac sterilitatem, quæ prima facie facile omnibus occurrere, eosque fere omnes exterrere solet, vt mere apparentem, ita vere vanam esse iam vel ex ipso Voluminis huius aspectu, nedum Quæstionum Indice, tam clare cernitis, opinor, quàm quæ in meridie videtis; Expositæ vero Tractationis huius, non leuitatem, vel inanitatem, prout leuiter, ac inaniter alicui fortasse videri potest, sed vtilitatem, ac necessitatem tum maxime agnoscentis, cum Volumen ipsum euoluetis. Ecclesiarum enim Pollutionem non modo diuinitus institutam, & semper antiquitus obseruatam; sed etiam seuerissime prohibitam, & grauissimorum Effectuum, sanctissimorumque Mysteriorum plenissimam tam sæpe Sacri Canones attestantur, vt mirandum omnibus omnino sit, cur hactenus tam multi de vnaquaque Ecclesiastica Censura, aut alio simili Impedimento tam multis egerint, & integra volumina conscripserint; sed pauci, & paucis *Pollutionem* hanc (quam tamen non infrequentem, nec ita explicatu, vt dictu facilem non raro experimur) hucusque attigerint. Verum, his omissis, ne forte in penetralia progressi in tenebris offendatis, in limine lumen aliquod accipite: Si casus aliquot in Tractatu sæpius, quam in Praxi obuios habebitis, non idcirco tamen impossibiles ij, aut inutiles à vobis erunt appellandi: in dies siquidem ea palam euenire cognoscimus, quæ nunquam olim euentura credidimus, ideoque ad exactam, absolutamque Tractationum huiusmodi discussionem nequaquam talia deesse debuerunt. Si magnam aliquando Auctorum, quos attulimus, vel copiam, vel penuriam demirabimini, tunc rerum ipsarum, de quibus agitur, alias quidem à pluribus, alias autem à paucioribus, aut etiam à nemine, quem viderim, siue tractatas, siue tactas animaduertere debebitis: illico enim vestra omnium corruet admiratio; quibus vero eosdem Auctores, eademque eorundem loca in pluribus, sibique nonnunquam succedentibus Capitibus adducta legere graue adhuc erit, ij, me duce,

Aucto-

Auctoritatibus omnibus prætermissis, quas ob id etiam diuerso charactere impressas exhibebimus, ad alia properent: ego etenim id à me factum aperte profiteor, tum ne sæpius ad superius allatos, vt plerique faciunt, Lectorem mitterem (quod vt mihi facile, sic illi incommodum fuisset, cum integer aliquando liber prius euoluendus sit, quam Auctoris locus superius allatus inueniatur) tum etiam, vt ex multis adductis eos vnusquisque eligere, & in fonte, vt aiunt, legere valeat, quos vel habuerit, vel maluerit. Ceterum qui Tractatum quoque de Reconciliatione Ecclesiarum simul hic editum voluissent, ij gemellos ipsos infantes nunquam simul, sed semper vnum post alium nasci meminerint, multoque minus illud hic à me ipso exigi debuisse, quem infœcundum potius, quam gemelliferum nouit. Vt ergo Ecclesiarum Pollutionem earundem Reconciliatio non nisi subsequi solet, ita Tractatum hunc de Ecclesiarum Pollutione Tractatus alter de Earundem Reconciliatione non nisi subsequi potest, quem tamen breui, Deo dante, dabimus.



IOAN.

IOANNIS CARAMVELIS LOBKOVVITZ

Episcopi Misiensis, Abbatis in Monte Serrato, & Regni Boemiæ Officialis Generalis, &c.

EPISTOLA AD AVCTOREM.

EXIMIE, ET CLARISSIME DOMINE.



QVOD fœlix, faustumque sit, totum hodie Passerinum recepi. Totumne? totum: quia Speciem Corporis exculptam à Ioanne Picino, & Speciem Animi eiusdem Passerini calamo in Epistola humanissima, & doctissima expressam. In Icone conspicio frontem spaciosam, & magnam, quæ statim prodit Scientiarum thesauros, quos complectitur: oculos plenos anima, plenos vita, qui, vel tacente lingua, diuinitus loqui videntur: fractas labore improbo genas, qui enim negligens sit, frustra ingenio, & memoriæ confidit. Transeo ad Epistolam, & eam Charites seu pinxisse video, Musas ornasse. Rarus hodie, qui Doctrinam Eloquentiæ maritat, at Passerinus inter raros Subtilissimus, & Eloquentissimus. Nulla est in illa linea, quæ non ponat ob oculos summam Authoris Probitatem, Sinceritatem, Grauitatem: ingenium, studium, & affectum aduersus Caramuelem summum. Ergo Caramuel auctus tanti Viri amicitia, nulli triumphanti Cæsari, nulli orbem moderanti Monarchæ, nulli Duci inuidiam prosternenti inuidebit: talem enim adquisiuisse Amicum, triumphus est: tantum obtinuisse Patronum, Imperium est: & à tam forti defendi Calamo, excidium æmulorum est. Interim, quia Lex naturalis ab Scoto, ab eiusdem vniuersis discipulis, & etiam à Caramuele asserta Deo, tibi perplacet, quam ego de Deo generose sentiam, paucis verbis subscribo. *Dei nomine intelligo Naturam summam, cui nemo iura, nemo leges indicit: & hanc ob rem, si per impossibile Lex naturalis, quam vocant, non à Deo, sed à Natura alia penderet, quæ Deo, quem hucusque adoraui, iura diceret; ad illam Superiorem Naturam vota Religionis*



diri-

dirigerem, illam vocarem Numen, illam Deum: quamcumque Naturam, etsi immensa, aut infinita diceretur, negarem esse Deum, & voce altiore ad eam conuersus dicerem, Conseruus tuus sum: Deum adora. Apocal. 19. n. 10.

Deus igitur non solum est causa prima Systematis naturalis, sed etiam supernaturalis: non solum realis, sed etiam moralis. Tolle Naturam primam, & omnes naturas secundarias sustuleris: tolle Gratiam primam, & nullas dotes supernaturales reliqueris: tolle Legislatorem summum, & nullam legem moralem in orbe terrarum inuenies: nam, si per impossibile non esset Deus, & tamen essent homines, possent illi lege pœnali, hoc est, violenta coerceri, non vero aliqua, quæ posset à pœna præscindi, & vere nominari moralis.

Nec contra istam doctrinam militat D. Thomas, quem non libenter desero, aut impugno: nam Thomistæ verbis puris à nobis differunt, & tertia nobiscum periodo sentiunt, aut sentire coguntur. Testatur id Franciscus Syluius, Thomista optimus, quem vel inuitum, vt in Theologia Morali videris, ad nostram sententiam perduco.

Hæc est doctrina primo vera, quam tamen pauci capiunt, & multi dissentaneam existimant, & inter multos, nescio quo fato, N. & N. optimi Amici mei, in re tam manifesta cæcutiunt. Ille rogat, *An fornicatio sit intrinsece mala, an tantum mala, quia prohibita?* & Iste, vt omnium animos excitet, hanc Epigraphen ponit, *De morali malitia simplici pollutioni, & fornicationi intrinseca aduersus Ioannem Caramuelem,* & §. 7. immediate sequenti inquirit, *An mollities, seu simplex pollutio, ex sui natura, & iure naturali sit moraliter mala, & peccatum, an vero solum, quia iure Diuino positiuo prohibita?* Illi respondi in Theologia Fundamentali cap. 2. Fundam. 12. num. 321. Huic in Quæstione Theologica addita eidem Theologiæ Fundamentali Epist. 1. pag. 745. Vterque Caramuelem iniurijs onerat, & quia iniuriæ ab amicis receptæ honores sunt, etiam honorant. Vide quæso, Passerine mi, quam pulcre alterutrer hallucinetur! quam ipsi mirabiliter intexant, & distinguant terminos, & has præcipue voces, *Malitia intrinseca, Prohibitio Diuina, Ius naturale, et Ius Diuinum positiuum!* Considera, quam peregrina illi Logica ex vno præiudicio proprio ex aliquorum Thomistarum placitis orto, & vna propositione Caramuelis (& etiam Scoti, Scotistarum, & iam etiam Passerini) inferant positionem erroneam, quam merito damnent, & improbent, quam tamen immerito adfingant Scoto, aut Caramueli. Cur hic plura? Lege quæso Istum, & multa in eius libris bona, me applaudente, & laudante, reperies: at locum illum iniurijs plenum. Sed non turberis; quibus ego non turbor; quia personalibus, quibus me oppetijt, nil repono: & ad locum illum respondi, & respondeo his verbis. *Poterit N. quia doctus est, & debebit, quia pius, & probus est, sumere nouum calamum, & omnes illius loci lineas à prima ad vltimam delere; impugnat enim ea, quæ forte aliquis dixerit, sed nunquam scripsit, dixit, aut somniauit Caramuel: vel, si obniti adhuc placeat, ostendat locum aliquem, qui*

probet

probet Caramuelis esse doctrinam, quam cum tanto strepitu Ille affingit. Spero à Viro Optimo, quod curabit Tomum illum aliquando recudi, & totum locum illum expunget. Vt igitur mentem Caramuelis Iste videat (siquidem eius libri sunt magni, nec possunt à Viris Magnis legi) sic scribo: *Mollities, seu simplex pollutio (idemque dixero de composita: idem de fornicatione, & adulterio: idem de homicidio, furto, &c.) humanitus considerata, est intrinsece mala (hoc est, habet primam malitiam à decretis, & Legibus hominum independentem: sublatis enim omnibus humanis legibus, adhuc maneret peccaminosa, & mala) at diuinitus considerata, est extrinsece mala (hoc est, habet malitiam à Dei voluntate pendentem: sublata enim omni interdictione Diuina, nec esset peccatum, nec Theologicè mala) hodie est mala, quia opponitur Iuri Diuino: Ius enim naturale, & Diuinum est, sumpta denominatione à Legislatore, qui est Deus: & Naturale est, sumpta denominatione iterum à Legislatore, qui est Natura naturans, aut etiam à Natiuitate: est enim Ius æternum, et in terris cum hominibus natum, digito Dei cordibus singulorum inscriptum, vt optime Augustinus, & alij multi Patres, quos sequitur Scotus, edisserunt*. Rem sic intelligo: &, quia à me stas, veritatem hanc magno testimonio confirmo.

Nouam hanc, & curiosam Quæstionem, quæ de Circunstantijs aggrauantibus, & speciem addentibus, & mutantibus est, adiungo, & à te resolui desidero, est enim fundamentalis, & quæ multas Ecthеses parturit, & ideo debet resolui accurate, & perfecte. Libros in Belgio impressos vix habeo: editos in Germania mittam, &, quia concuti debent Æoli, & Neptuni inclementijs (mittuntur enim Praga Francofurtum: & Francofurto iterum Pragam, Amburgum, Amstelodamum, Venetias, Romam, & hærent in via multis mensibus) non illos Castori, & Polluci, sed Maris Stellæ, & Antonio Paduano commendo: oroque Deum, vt Te ad sui maiorem gloriam saluum, & incolumem seruare dignetur multis annis. Sic vouet

Vestræ Eximiæ, & Clarissimæ Dominationis, quæ interim dignetur oro librum suum *De Pollutione Ecclesiarum* mittere ad me per Postam: non enim argenti pondere, sed & auri satisfaciam, si opus,

Humillimus Seruus

Caramuel.

ENCOMIASTICA
GRATVLATIO

Laurentij Longi Parmensis Doctoris, e Sodalitate Somasch. Sacerdotis, Eminentissimi Cardinalis Columnæ Theologi, &c.

AD OPERIS HVIVS AVCTOREM.

Excellentissime, atque Clarissime Vir.



VI huius singularis Operis editio singulari me gaudio compleuit, Sapientissime Passerine. Quanquam enim abs te vniuersæ Encyclopædiæ numeris omnibus absoluto nihil non vndecumq. perfectum expectari debuit, aut optari potuit; nouum tamen tuum hoc Opus de Pollutione Ecclesiarum Authorem suum, dum legitur in silentio, laudat eloquētiùs, quam omnes ij doctissimi Viri, qui iam editis Operibus tuis insignes miris Te, sed meritis Encomijs celebrarunt: Angelicus Aprosius Albintimiliensis in Italicis Athenis; Ferdinandus Vghellus Florentinus in Italia Sacra tomo V. Flauius Ventribus I. C. Neapolitanus in Epistolis suis Legalibus, Genesius Gastorellus Eques Mediolanensis in Cœli Aperti præfatione; Hieronymus Ghilinus Abbas Alexandrinus in Theatro Literatorum parte V. Hippolytus Marraccius in Appendice ad suam Bibliothecam Marianam, Iacobus Philippus Thomasinus Episcopus Æmoniæ in Elogijs suis parte III. Io. Petrus Crescentius in Hermathena Romana, Mauritius Curtius Parmensis in Promptuario Mathematico, Thomas Odericus Genuensis in Aristarcho Catholico, & nouissimè Io. Franciscus Lauredanus Patritius Venetus in Epistolis suis, quibus ego, & alijs pluribus me quoque succentorem addidi in meis Iubileorum tubis, in Tabulis Salutaribus, in Supplemento Geographico, & in Soterijs Venetis. Nemo enim hactenus, quod sciam, de vno hoc argumento librum integrum edidit, quanquam plurimi Doctores obiter, vel perfunctoriè de eodem differuerunt, quorum varias, & plerumque inter se dissidentes sententias, vt sincerè retulisti, ita ad seueram iudicij tui trutinam examinasti, & inter eos, tanquam alter Cassius Longinus, verissimus iudex pro tribunali sedens de singulis controuersijs sententiam tuam liberè protulisti, quippe qui *nullius*

iurasti in verba Magistri. Materiam hanc Tu vnus, quasi reseruatum tibi campũ, tam egregiè percurristi, vt vberrimã hic gloriæ segetem nactus, non aliquas tantum spicas post alienam messem, nõ aliquos racemos post vindemiam, sed integram messem, & singularem vindemiam, de qua nemo quodammodo cogitabat, singulariter collegeris. Tu primus in inaccessam, & annosam syluam, polluto olim ab Ethnicis Salomonis Templo coæuam, securim misisti, & florentes hinc cedros, tanquã ex Libano, ad exornandam Dei domum, semperq. virides gloriæ lauros nullum inuidiæ gelu, vel æstum timentes laureatus ipse retulisti. Tu Theseo felicior nouum labyrinthum innumeris difficultatum ambagibus implexum non Ariadnæ filo cæca regente vestigia, sed perspicacis ingenij tui acie indubitanter, ac sine vllo errore percurrens veritatis gladio falsitatis Minotaurum interemisti. Tu Alexandro Magno Magni Stagyritæ discipulo sapientior plusquam Gordianos, & inextricabiles quæstionum nodos non ense, sed ratione resoluisti. Tu nouus Tiphys studiosos Moralis Theologiæ velleris aurei argonautas ad nouam Colchum, Canonici, ac Theologici Orbis incognitam regionem, vt Placentinus olim Columbus, & Americus Vespucius Florentinus Hispanos ad incognitas Orbis plagas, feliciter perduxisti, & auro, argento, gemmisque pretiosiores Sapientiæ, & Scientiæ merces reportasti. Tibi propterea summopere gratulor, & gratulatio mea eo sincerior est, quod eam non aliqua consuetudo exigat, non cuiusquam authoritas extorqueat, sed liberrimus affectus ratione ductus exprimat. Perge igitur de Sancta Ecclesia benemereri, quam, si tibi plurimum de eius Pollutione agens deuinxisti, multo magis de eiusdem Expiatione, seu Reconciliatione disserens demereberis. Quot modis ea pollui possit, ostendisti: quibus expiari valeat, demonstra. Sic bene medicum æmulaberis, qui, postquam morbi causas detexit, aptis remedijs occurrit. Sic Literatorum impatientibus votis, precibusq. librum alterum de *Reconciliatione Ecclesiarum*, quasi liberum, abs te, tanquam gemellifera parente, exposcentibus satisfacies; Sic omnium animos tibi plenè conciliabis. Sic Nomen tuum ex Nominibus SS. Petri, & Francisci, quibus fundata, ac sustentata Ecclesia multum debet, Omen habens re vera implebis, &, quemadmodum Scipio maior ab Africa victa Africanus, minor vero à Numantia capta Numantinus merito dictus est, ita Tibi ab *Ecclesia* non iam polluta, sed à te polita; non modo lustrata, sed illustrata, *Ecclesiastici* Cognomentum debebitur, vt, qui cum militante Ecclesia tam bene, fortiterq. pugnasti, vicisti, Ecclesiasticæque puritatis, ac sanctitatis assertor, ac vindex fuisti, tandem dierum, ac meritorum plenus cum triumphante Ecclesia in Cælesti Capitolio coroneris. Interim Te valere, ac saluere vult

Tibi deuotissimus

Placentiæ Nonis Quinctilis Anno à Partu Virginis MDCLIV.

Laurentius Longus C. R. S.



AD AVCTOREM

In Vtrumque Illius Tractatum

DE POLLVTIONE,

ET DE

RECONCILIATIONE ECCLESIARVM.



EPIGRAMMA

Petri Francisci Minotij I.V.C.

PASSERINE, *animis* Polluta Ecclesia *nigris*,
Emicat hic niueis candida facta notis.

Nam tu Concilias iratas Numinis Aras;
Vnde COLVMBA *magis, quam mihi* PASSER *eris*,

Quam bene! PAMPHILIA *hoc æuo regnante* COLVMBA,
Puro Columbinos efficit ipsa viros.



AD

AD EVNDEM
IN EOSDEM TRACTATVS

Aliud

Andreæ Peschiulij Corilianensis.

NVmina quotuplici pollantur crimine Templis,
Atque eadem reuocent quæ pia sacra Polo,

Hic Astrea docet, qua non formosius vnquam
Fassa est in gemino se micuisse foro.

Viue Liber, viuasque diu, nec turpis Aracne
Ducere te circum stamina muta queat.

Non vana exopto: metuenda Volumine Pallas
Insidet; immerito non timet Illa Deam.

IN EOSDEM TRACTATVS

Aliud

Dominici Chiesij I. V. D.

QVando sacras sanguis, vel semen polluat Ædes,
Quando sacra impuram diluat vnda luem,
Singula persequitur miro ordine, & omnia promit,
Vnde queat docta surgere molis opus.

Quæ innumeris alij sparsim docuere libellis,
Collegit, atque vagas in freta cogit aquas.

Discere Scriptores iam quosque licebit ab vno,
Nam PASSERINVS grande volumen erit.

Quid plura? Huic debent hoc Templa, vtrique Ministri,
Quod facit hos doctos, munda quod illa facit.

CEN.

CENSVRA

IN EOSDEM TRACTATVS

Ab Adm. R. Patre Magiſtro Michaele Angelo Fariſello Seruita, Prouinciæ ſuæ Patre, & Definitore perpetuo, S. Theologiæ Doctore Collegiato, Sereniſſimi Ducis Placentiæ, Parmæ, &c. Theologo, SS. Inquiſitionis Conſiliario, & Libri huius Cenſore lata.

REuerendiſſimi P. Magiſtri Conſalui Gritij Inquiſitoris Placentiæ iuſſu Tractatum Legalem, & Moralem Excellentiſſimi Doctoris Petri Franciſci Paſſerini De Pollutione Eccleſiarum *auidè ſimul, & attentè legi, in eoque non modo nihil ab orthodoxis mentibus, aut bonis moribus alienum reperi, ſed omnia, & ſingula tam multis, tam ſolidis, & tam reconditis doctrinis innixa demiratus ſum, vt, ſicuti ſuas vbique ſententias firmiſſime, ſubtiliſſime, & eruditiſſimè comprobat, ac perſuadet, ita oppoſitas ferè improbabiles eſſe breuiter, & euidenter oſtendat. Vndè, quicumque vel hoc vnum ingenioſiſſimum, doctiſſimum, & abſolutiſſimum Paſſerini Opus benè perceperit, ac perpenderit, Paſſerinum protinus ob id iure, ac merito, ~~non de vniuerſa Theologia morali tantum, ſed de ſcientiarum quoque omnium~~ Encyclopædia cum primis benemeritum proclamabit. Vnum tamen vnicè, ſi fas eſſet, hic optaſſem, vt ſpectabiliſſimum hoc ſuum Palatium ſpecioſiorem inſcriptionem, tanquam faciem, præſeferret; Sed hoc etiam ſapientiſſimè factum video, ne vnquam in Auctorem iſtum, quod in multos hodie auditur, dicere ex Horatio Momus audeat*

Amphora cœpit
Inſtitui: currente rota cur vrceus exit?

Faxit ergo Deus, vt tantus Vir diutiſſime nobiſcum viuat, ne tanta luce Literarius Orbis orbetur, quem vniuerſum iam huic tum operi, tum toto mirabiliter applauſurum cenſeo.

Dat. Placentiæ in Conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum ad Plateam die ſexta Iulij 1653.

Frater Michael Angelus Fariſellus Ordinis Seruorum B. V. M.

Imprimatur,

Frater Conſaluus Gritius Inquiſitor Placentiæ,

Io. Baptiſta Calx Vic. Gen. Capitularis.

V. Præſes Magiſtratus.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, & CAPITVM TOTIVS OPERIS.

DISPVTATIO PRIMA.

De Pollutionis Ecclesiasticæ natura in genere.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Locis Ecclesiasticæ Pollutionis capacibus.



INDEX

DISPVTATIO TERTIA

De Actionibus Ecclesiæ Pollutiuis in communi.

Cap. 7.

DISPVTATIO QVARTA.

De Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum Publicitate.

DISPVTATIO QVINTA.

De prima Pollutiuarum Actionum specie, seu primo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Homicidium.

I N D E X

Cap. 37.

DISPVTATIO SEXTA.

De secunda Pollutiuarum Actionum specie, vel secundo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, *hoc est*, per Vulnerationem, seu Sanguinis effusionem.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De tertia Pollutiuarum Actionum specie, vel tertio Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Seminis effusionem.

Cap. 6.

DISPVTATIO OCTAVA.

De quarta, & vltima Pollutiuarum Actionum specie, seu quarto, & vltimo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Sepulturam Excommunicati, vel Infidelis in Loco Sacro.

Cap. 20.

DISPVTATIO NONA.

De Pollutionis Ecclesiasticæ Effectibus.

PETRI FRANCISCI PASSERINI

Philoſophiæ, Sac. Theologiæ, & I. V. D.

TRACTATVS

DE POLLVTIONE ECCLESIÆ.

DISPVTATIO PRIMA

De Pollutionis Eccleſiaſticæ Natura in genere.



Breuiter, ac dilucide præmittemus in hac prima diſputatione, quę ad primam, ac generalem quandam Eccleſiaſticæ Pollutionis cognitionem facile conducere videbuntur, vt inde reliqua omnia, quę de re vniuerſa copioſius, ac peculiarius trademus, tum iucundius excipiantur, tum melius intelligantur.

CAPVT PRIMVM.

Quid Pollutionis nomen hic ſignificet.

SVMMARIVM.

Nominum, & vocabulorum origo in primis cognoſcenda, n. 1.
Pollutionis deriuatio, ac etymologia varia, n. 2.
Pollutionis ſignificatio multiplex, n. 3.
Pollutio hic moraliter accipienda, n. 4.
Quomodo ſancta pollui dicantur. ibid. remiſſiue.
Eccleſia etiam materialiter ſumpta habet ſuam ſpiritualitatem, n. 5.
Dicitur moraliter pollui reſpectu ſanctitatis loci. ib.
Actiones in loco ſacro valde deformes videtur eum moraliter polluere. ibid.
Quid ſit materiale, & ſpirituale Templum, n. 6.
Quid ſit materialis, & moralis Pollutio vtriuſque Templi. ibid.
Ad vtrumq. Templum emundãdum ſimiliter aqua adhibetur. ibid.

1 ADuerto 1. cum Nominum cognitio, teſte Socrate apud Lucianum, ſit eruditionis principium, & quoduis Vocabulum, vt aiebat Epictetus, ſi eius vim perſpexeris, proprij operis rationem deſcribat, immo cũ Nomen rerum imago quodammodo ſit, quã in compendio præfert, ab eo mihi quoque exordiẽdum eſſe, vt vel à nomine ipſo lumen aliquod operi noſtro addatur.

2 Aduerto 2. certum quidem eſſe *Pollutionis* nomen à verbo *Polluo* deductum fuiſſe, ac proinde eaſdem ſortitum eſſe ſignificationes, quas verbum illi *Polluo* communicauit; licet incertum ſit, num *Polluo* ex primæua ſui impoſitione ſit verbum ſimplex, vel compoſitum ex *Porro*, & *Lauo*, ſeu ex *Plene*, & *Lauo*, quod alij malunt, & an proprie, vel per Anti-

phrasim, idem fit, ac *contamino*, seu *coinquino*, quasi *non bene lauo*, quod Grammaticorũ esto litigium.

3 Aduerto 3. vt verbum *Polluo*, ita etiam *Pollutionis* nomen dupliciter accipi posse, primo, pro vt ad rerum corporearum sordes, & immunditias significãdas adhibetur, & quãlibet materialem inquinationem, seu contaminationem significat, qua quidpiam fœdatur, & conspurcatur, quo in sensu dixit *Virg. 3. Aeneid.*

Polluit ore dapes, &c.

secundo, pro vt ad rerum incorporearum maculas, & flagitia explicanda vsurpatur, & moralem quandam fœdationem indicat, quo modo, *Cic. pro Rosc. Amer.* dixit, *Nemo enim putabat quemquam esse, qui cum omnia Diuina, atq. humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset. & Virgil. 7. Aeneid.* Pollutam pacem appellauit.

4 Dico *Pollutionis* nomen hic moraliter accipi, & per illud significari *Moralem* quandam *Maculationem* Ecclesiæ, propter quam ibidem Diuinæ laudis organa suspenduntur. Quomodo autem Ecclesia, quæ sancta est, maculari dicatur, dicemus, cap. 7.

5 Dices. Spiritualia spiritualiter pollui dicũtur; materialia autem materialiter, ergo Ecclesia materialiter sumpta pro loco sacro, qualiter hic accipitur, non poterit spiritualiter, aut moraliter pollui.

5 Respõdeo etiã in Ecclesia materialiter sumpta pro tali loco sacro considerari posse tam loci materialitatem, idest, ædificium, & locum, quam eiusdem ædificij, & loci spiritualitatem quandam, idest, illius sanctitatem, cuius respectu etiam materialis Ecclesia spiritualiter, & moraliter pollui dicitur, quando actiones eæ, quæ ex Sacrorum Canonum decretis eam polluunt, ibi fiunt; habent enim illæ specialem deformitatem cum loco sacro, & ab illius loci sanctitate maxime alienæ sũt, vnde Ecclesiam moraliter polluere censentur, quia, si, in Ecclesia fiant, horrorem, & scandalum Fidelium mentibus ingerunt, ita *Thomas Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica part. 1. cap. 2. dubit. 2. sect. 18. nu. 15. & Pax Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. lib. 5. tit. 11. num. 2.*

6 Colligo corporale templum, quod est Ecclesia, de qua hic loquimur, non secus aliquando pollui, ac spirituale templum, quod est homo, non nunquam pollui dicitur, vel materialiter tantum, quando v. g. pollutione inuoluntaria carnis fœdatur, de qua Theologi cum Angelico in *4. sent. dist. 9. art. 3. q. 1. & in 22. q. 154.* vel etiam spiritualiter, vel moraliter, quando v. g. illicita, ac voluntaria seminis effusione per peccatum maculatur, vnde ad vtrumq. hoc templum pollutum emundandum mystice aqua adhiberi consueuit, dicente Propheta de spiritualis templi emundatione, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor;* de materiali autem templo, *Polluerunt sanctum templum tuum*, quod proinde similiter in Reconciliatione aqua lauatur, *ex Cap. proposuisti, Cap. Consuluisti, & Cap. vlt. de de celebrat. Missarum, &c.* quod etiam bene aduertit *Durandus in Rationali Diuinorum Officiorum l. 1. cap. 6. num. 37.*

CAPVT II.

Quid sit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutio Ecclesiæ tria significat, n. 1.

Pollutio Ecclesiæ ab effectu clarius describitur, num. 2.

Pollutionem Ecclesiæ definire difficillimum est, num. 3.

Pollutio Ecclesiæ dilucide describitur, n. 4.

Pollutio Ecclesiæ cur dicatur Moralis macula, num. 5.

Pollutio Ecclesiæ locum sacrum tantum afficit, num. 6.

Pollutio Ecclesiæ quodammodo, non proprie maculam inuris loco sacro, n. 7.

Omnes actus Ecclesiam pollucntes sunt Ecclesiæ sanctitati repugnantes, n. 8.

Non omnes actus indecentes Ecclesiam polluunt, & cur. ibid.

Actus Ecclesiæ pollutiuus, vt polluat, in ea fieri debet, num. 9.

Duplex est Sepultura pollutio, propria, & impropria, & quid vtraq. sit, n. 10.

Pollutio Ecclesiæ semper ipso facto à Iure imponitur, n. 11. & 13.

Pollutionis Ecclesiasticæ transgressores à Iudice Ecclesiastico ad arbitrium puniri possunt, & debent, n. 12.

Eiusmodi transgressores nullam incurrũt pœnam ipso Iure latam. ibid.

Pollutio Ecclesiæ non est aliqua Censura, num. 13.

Nec Irregularitas, aut Cessatio à Diuinis, & quare, ibid.

B Ad-

1 Aduerto 1. per Ecclesiæ Pollutionem tria significari posse, Primo actum illum polluendi Ecclesiam, prout actus ille ab agente proficiscitur, & tunc habet actiuam significationem, quomodo *Seneca lib. 1. Suasor.* dixit, *Ab hominis auditione venientem*. Secundo ipsam actionis susceptionem, vt ab Ecclesia recipitur, & tunc passiuam habet significationem, quomodo *Columella lib. 5.* dixit, *Arbusculæ quinquennio sic excultæ habiles translationi sunt*, nimirum, *vt transferantur*. Tertio effectum ipsum ipsiusmet actionis, & hoc per metonymiam, ea prorsus ratione, qua Excómunicationis, vel Suspensionis nomina significant ex communi auctorum sensu Pœnam illam Ecclesiasticam, quæ infligitur Excommunicato, vel Sospenso ab Excommunicante, vel Suspendente, quæ potius est aliquid subsequens, & quasi factum ab ipsa actione, quam actus, vel operatio ipsa, vt consideranti patebit.

2 Aduerto 2. licet hæ tres significandi formę in verbalibus hisce nominibus latentes se se quodammodo complectantur, & vnaquæque alias connotet, ita vt ex se se mutuo pendeant, nec vna absq. alijs satis explicari posse videatur; attamen, cum Ecclesiæ Pollutio, vt plurimum, tractari soleat non secus, ac si esset Censura, vel Pœna aliqua Interdicto, vel Cessationi à Diuinis aliquatenus similis, eam iuxta tertium significandi modum, ac proinde ab effectu describendam esse, sic enim clarius eiusdem vis, ac potestas cognoscętur, & facile quiuis ex hac vna, quam afferemus, descriptione alias etiam in rem suam sibi satis effingere poterit.

3 Aduerto 3. vt cuilibet obuium est inquirere, quid sit Ecclesiæ Pollutio, ita difficilimum esse definire, quid illa sit, maxime cum illorum, quos viderim, nemo idipsum clare aggressus fuerit, nedum perfecte assecutus.

4 Dico *Pollutionem Ecclesiæ esse Moralem Maculam, qua locus sacer ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis ita quodammodo afficitur, vt ibidem iure ipso Diuinorum celebratio, & Fidelium sepultura ante Reconciliationem, nulla tamen in transgressores pœna eodem iure lata, interdicantur.*

5 Dixi Pollutionem Ecclesiasticam esse *Moralem Maculam*, quia, vt mox superius dictum est, cum Pollutionis nomen hic moraliter accipiatur, moralis etiam esse debet macula, quæ per hãc Pollutionem loco sacro inuritur.

6 Dixi *Locus sacer*, quia locus tantum sacer Pollutionis huius capax est, vt disput. 2. fusius explicabimus.

7 Dixi *quodammodo afficitur*, quia vere, & proprie locus sacer non polluitur; sed tantum in hominum opinione, vt infra patebit ex cap. 7. huius disputationis.

8 Dixi *ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis*, quia licet omnes actiones, quæ Ecclesiam polluunt, sint vetitæ, quia indecentes, & valde alienæ à loci sacri sanctitate; tamen non omnes actiones, quæ locum sacrum dedecent, & illius sanctitati repugnant, Ecclesiam polluunt; sed eę solum, quæ publicæ sunt, vt infra dicetur, & per quas peculiariter locum sacrum pollui Canones expresse sanxerunt, vt disputat. 3. videbimus.

9 Dixi *ibi*, quia, nisi actus Ecclesiæ pollutiuus in ea fiat, Ecclesia nullo modo polluitur.

10 Dixi *ibidem ante reconciliationem*, vt distinguerem hanc propriam, & amouibilem loci sacri pollutionem, de qua hic sermo est, & quæ per Reconciliationem tollitur, ab ea inhabilitate perpetua, quam incurrit sepultura, in qua sepultus fuerit Hæreticus, quæ sepulturæ inhabilitas, seu impropria pollutio, per Reconciliationem non tollitur; sed perpetuo durat, vt videre est apud *Carolum Anton. Thesaurum in Praxi Eccles. p. 2. Verb. Sepultura c. 4.* & alios ibi citatos.

11 Dixi *Iure ipso*, quia Pollutionis effectus statim post actum Ecclesiæ pollutiuum, si publicus sit, consurgunt, nec prærequirunt iuridicam, & criminis Declaratoriam sententiã, vt patebit ex disputat. 9.

12 Dixi, denique *nulla eodem iure pœna in transgressores lata*, quia licet à iure nulla prædictis transgressoribus pœna imposita sit; ad arbitrium tamen Iudicis grauiter ij puniri possunt, & debent, vt cap. vlt. dispur. vltimę statuemus.

13 Colligo Pollutionem Ecclesiasticam non esse Censuram vllam, tum quia nullam imponit transgressoribus irregularitatem, vt Interdictum, tum quia locum sacrum tantum afficit, non personas, in quo ab Excommunicatione, à Suspensione, & ab Irregularitate quoque distinguitur, neq. etiam esse Cessationem à Diuinis particularem, quia hæc nunquam ipso facto à Iure imposita est; sed solum à Iure concessum est, vt imponi possit, vel debeat; Pollutio autem Ecclesiæ semper de facto à Iure imposita inuenitur, nec aliter imponi solet, vt apette constabit ex dicendis.

CAPVT III.

Quomodo Ecclesiæ Pollutio differat ab Ecclesiæ Violatione.

SVMMARIVM.

Pollutio, & Violatio Ecclesiæ aliquando ab Auctoribus confunduntur, nu. 1.

Furtum Sacrilegum cum violenta effractione Ecclesiam violat, nec polluit, n. 2.

Violatur etiam Ecclesia, dum iniuriose incenditur, nec tamen polluitur. ibid.

Violatio Ecclesiæ à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ quomodo differat, n. 3.

Violatio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ. ibid.

Violatio Ecclesiæ quomodo differat à Pollutione Ecclesiæ, nu. 4.

Omnis Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio; sed non contra. ibid.

Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ, nu. 5.

1 ADuerto 1. passim ab Auctoribus Ecclesiæ Pollutionem dici etiam Violationem, vt videre est apud *Alter. de Censura interdicti disp. 3. Suar. in 3. p. disp. 8. sect. 4. Laym. l. 5. tr. 5. cap. 5. num. 6. Azor. tom. 1. l. 10. c. 26.* & alios.

2 Aduerto 2. apud alios Violare Ecclesiam, & Polluere Ecclesiam valde diuersa esse, vnde aliquando Ecclesiam violari docent, nec tamen inde pollui, v. g. cum furtum sacrilegum cum Ecclesiæ violenta effractione fit, vel Ecclesia ipsa incenditur, quo in casu Ecclesia violatur, & huiusmodi violatores Ecclesiarum Excommunicationē incurrūt Summo Pontifici reseruatam, vt habetur ex *Cap. Tua nos, de sent. Excommunicat.* cum *Gloss. ibid. Verb. publicati, Laym. l. 4. tr. 10. cap. 7. num. 19. Tanner. tom. 4. disp. 5. q. 8. num. 18. Farinac. q. 110. num. 15.* nec tamen in prædicto casu Ecclesia polluitur, licet violari dicatur, vt dixit *Richard. in 4. dist. 18. art. 12. q. 2. & Thesaur. in Prax. Ecclesiastica p. 2. Verb. Incendiarij, c. 1. & 2.*

3 Aduerto 3. licet ab aliquibus Violatio Ecclesiæ dicatur differre à Violatione immunitatis Ecclesiasticæ, pro vt dixit, *Richar. l. c.* tamen, cum etiam ad Ecclesiasticam Immunitatem pertineat ius, quod Templum ipsum censetur habere, vt integrum, & illæsum seruetur, pro vt colligitur ex *Cap. Sacrilegium, Cap. quisquis, Cap. qui rapit,* cum alijs, *17. q. 4. & Cap. Conquesti, de sententia Excommunic.* & docet, *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. c. 13. num. 3.* tamen non videri differre, nisi tanquam partem à suo toto, eo quod Immunitas Ecclesiæ comprehendat tam immunitatem Templorum, quam Personarum, & Bonorum Ecclesiasticorum omnium, quam alij vocant Immunitatem Localem, Realem, & Personalem.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Violatione Ecclesiæ eo modo, quo Violatio Ecclesiæ differt à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, idest, tanquam contentum à continente, & tanquam Speciem à Genere: Violatio enim Ecclesiæ latius patet, quam Pollutio Ecclesiæ, & licet omnis Pollutio Ecclesiæ sit Violatio Ecclesiæ; tamen non omnis Violatio Ecclesiæ est Pollutio eiusdem, vt ex dictis patet.

5 Collige Immunitatem Ecclesiasticam continere sub se Violationem Ecclesiæ; Violationem autem Ecclesiæ continere sub se Pollutionem Ecclesiæ, ac proinde etiam per Pollutionem Ecclesiæ violari Immunitatem Ecclesiasticam, pro vt dixit, *Del Bene l. c. c. 2. dubit. 2.*

CAPVT IV.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ ab Execratione Ecclesiæ differat.

SVMMARIVM.

Execratio aliquando significat Imprecationem, seu Maledictionem, n. 1.

Execratio hic est idem, ac Destructio Consecrationis Ecclesiasticæ. ibid.

Execratio appellatur etiam Desecratio, & Exconsecratio ab aliquibus. ibid.

Consecratio Ecclesiæ consistit in parietibus: Benedictio autem Ecclesiæ in Solo, seu Pauimento, num. 2.

Consecratio Ecclesia nunquam amittitur, illæsis parietibus: Benedictio autem permanet, etiam destructis, vel combustis illis. ibid.

Consecratio proprie consistit in crusta interiori parietum Ecclesiæ, n. 3.

Si Ecclesia amittat crustam parietum interiorem, saltem in maiori illius parte, amittit etiam Consecrationem, n. 3.

Pollutio Ecclesiæ dupliciter differt ab Execratione Ecclesiæ, n. 4.

Pollutio non tollit Consecrationem, quam tollit tamen Execratio. ibid.

Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem tollitur per Reconsecrationē. ibid.

Pol-

Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria; Execratio autem Ecclesiæ non execrat Altaria. ibid.

Pollutio Altaris polluit etiam Ecclesiam; sed execratio Altaris non execrat Ecclesiam. ibid.

In Ecclesia Execrata adhuc licite celebrantur Diuina, & Fideles sepeliuntur; in Ecclesia autem Polluta illicite hæc fiunt, nu. 5.

1 ADuerto 1. licet aliquando *Execratio* significet *Imprecationem*, seu, vt vulgus loquitur, *Maledictionem* illam, per quam quis suo, vel alieno capiti mala imprecatur; hic tamen Execrationem accipi pro actione illa, quæ aliquod templum ex consecrato non cōsecratum reddit, quæ etiam *Desecratio*, & *Exconsecratio* ab aliquibus appellatur.

2 Aduerto 2. Consecrationem Ecclesiæ consistere in parietibus; Ecclesiæ vero Benedictionem solo inhærere; ac proinde, illæsis Ecclesiæ consecratæ parietibus, illius consecrationem nunquam amitti; destructis autem, vel combustis parietibus, adhuc illius Benedictionem permanere, ita *Syluest. Verb. Consecratio 2. q. 4. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. cas. 6. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 27. nu. 26. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 15.* & alij communiter.

3 Aduerto 3. Consecrationem Ecclesiæ ita consistere in parietibus, vel potius, vt communiter tradunt DD. cum *Azor. tom. 2. l. 9. c. 7. quæst. 3.* in crusta parietum à parte interiori vbi linitio, & cruces fiunt, vt, si parietes interius decrustentur, saltem in maiori parte, tunc Ecclesia illa execrata, & sine consecratione censenda sit, vt bene docuit nouissime post multos alios *Antonell. de Regimine Ecclesiæ Episcopalis p. 1. l. 1. c. vlt. n. 1.*

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ dupliciter differre ab Execratione Ecclesiæ. Primo in hoc, quod Pollutio Ecclesiæ non tollit Consecrationem Ecclesiæ; sed tantum Ecclesiæ sanctitatem quodammodo maculat; Execratio autem Ecclesiæ Cōsecrationem omnino aufert, vnde Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem per Reconsecrationem, vt dicemus in Tract. de Reconciliatione. Secundo in eo, quod Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria, quæ in ea Ecclesia fixa sunt, & vice versa Altarium Pollutio polluit etiam Ecclesiam ipsam; sed è contrario Execratio Ecclesiæ per se non execrat, nec polluit Altaria, nec vice versa Execratio Altaris execrat Ecclesiam, *ita Abbas in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. vel Altar. prope finem, Sylu. Verb. Altare, q. 11. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 17. Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 15. & Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 11. num. 1. & 2.*

5 Colligo hinc in Ecclesia Execrata licite posse Diuina celebrari, & Fideles sepeliri; licet ista in Ecclesia polluta fieri licite nequeāt ante Reconciliationem illius.

CAPVT V.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ differat à Profanatione Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Loca sacra Christianorum propriè dicuntur Ecclesiæ, vel Basilicæ; Gentilium vero, & Paganorum, Templa, Fana, Delubra. n. 1.

Profanum vnde dicatur. ibid.

Sacrum, & Profanum tam apud Sacros, quam Profanos Scriptores sunt Antitheta. ibid.

Profanare propriè, quid sit, n. 2.

Profanare late acceptum est deturpare, vel contaminare. ibid.

Profanatio Ecclesiæ late accepta aliquando potest esse Pollutio Ecclesiæ ibid.

Profanatio Ecclesiæ propriè quid sit, n. 3.

Pollutio Ecclesiæ in quo differat à Profanatione eiusdem proprie, n. 4.

Pollutio Ecclesiæ non destruit; sed tantum quodammodo maculat iam Consecrationem, quam Benedictionem loci sacri n. ibid.

Ecclesia destructa quando dicatur propriè profanata, num. 5.

Ecclesia Profanata non gaudet immunitate, & Ecclesiæ priuilegijs. ibid.

Ecclesia vero polluta ijs gaudet. ibid.

1 ADuerto 1. cum Alciato *Parerg. Iur. lib. 2. c. 4.* Christianorum loca sacra propriè Ecclesias, vel Basilicas dici; paganorum vero, seu gentilium Templa, Fana, Delubra; licet ista iam vsus confundere soleat. Hincq. factum esse omnes volunt, vt quæ sacra non sunt, profana dicantur, quasi sint porro à Fano, seu procul à Fano, idest à Fani religione secreta, ac proinde non sacra: sacrum enim, & profanum antitheta sunt, vt videre est apud Plautum, qui *Sacrum*, inquit, *an Profanum habeas, parumpenditur*, & apud Exechiel. 22. *Inter sanctum, & profanum non habuerunt distantiam*. *Profanare* autem proinde erit aliquid *profanum facere*, ex quo *Profanatio* deducta est.

2 Aduerto 2. licet propriè Profanare sit aliquid ex sacro humanis actibus, seu omnibus hominum vsibus promiscuum facere, pro vt docuit *Macrob. Saturnal. l. 2. c. 3.* quasi aliquid

ex-

extra Fanum eijcere, & à Fano, seu à Sacris procul arcere; nihilominus aliquando templum late dici profanari, quando videlicet in eo turpe aliquid fit, templiq. religione, & sanctitate valde indignum; quamuis templum adhuc sacrum remaneat; vnde tunc *Profanare* eo modo templum videtur idem esse, ac templum *deturpare*, seu *contaminare*, quod animaduertit *Laurentius in Amalthea, Verbo Profanare*, & ante ipsum *Perottus in Cornucop. Verbo, Profanatum templum*, nec non *Alberic. in Diction. Verb. Profanare*, quo in sensu aliquando Profanatio Ecclesiæ posset etiam esse eiusdem Pollutio, si quid in ea fieret, quod esset propriè Ecclesiæ pollutiuum ex Sacrorum Canonum doctrina.

3 Aduerto 3. propriam Ecclesiæ Profanationem, de qua hic loquimur, eam esse, per quam locus sacer definit esse sacer, & è sacro fit profanus, cum non sit amplius Diuino cultui sacratus; sed communibus hominum vsibus licite concessus, non secus ac si nunquam sacer fuisset, antequam profanaretur.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Profanatione propriè sumpta Ecclesiæ in hoc, quod sicuti Execratio destruit Consecrationem tantum, ita hæc Profanatio destruit non solum Consecrationem; sed etiam ipsam Sacrationem loci, seu Benedictionem loci sacri, & facit locum non solum è consecrato, si erat consecratus, non cosecratum; sed etiam è sacro, non sacrum; Pollutio autem nec Consecrationem, nec Sacrationem, seu Benedictionem destruit; sed vtramq. tantum maculat modo prædicto.

5 Colligo Ecclesiam proprie profanatã (quod intellige, si id auctoritate Superioris factum fuerit, aut etiam, secundum aliquos, si fine spe reædificationis ea destructa sit) non gaudere priuilegijs Ecclesiæ, nec Immunitate loci sacri, eo quod nulla ratione iam possit Ecclesia appellari, vt docent, *Clar. in Pract. Crimin. l. 5. §. final. q. 30. Farinac. quæst. Crimin. 28. num. 70. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 37. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 15.* & alij; Ecclesiam vero Pollutam semper ijs gaudere, quod infra fusè patebit disputat. sequenti.

CAPVT VI.

Vnde originem traxerit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ origo, seu Principium habuit ortum, incrementum, & complementum, n. 1.

Pollutionis huius principia tria statuenda sunt, Inchoantia, Crescentia, & Perficientia. ibid.

Pollutionis principia apparuere in statu Naturæ, Legis antiquæ, & Euangelij, n. 2.

Pollutionis origo posset etiam desumi ab Angelorum casu, n. 3.

Principia eius Inchoantia deduci possunt à Cain exemplo, n. 4.

Cain septem peccata commisit, & primum fuit Sacrorum Pollutio. ibid.

Pollutionis effectus præfigurati fuere in punitione Cain, dum eiectus fuit à facie Domini. ibid.

Principia Crescentia à verbis Domini ad Mosen exod. 3. colligi possunt, n. 5.

Item à multis alijs S. Scripturæ locis, quæ ibi indicantur, n. 6.

Expressissimum Pollutionis Principium in Lege antiqua refertur. ibid.

Principia perficientia in Statu Euangelij ab Apostolorum tempore deriuant, n. 7.

Immo Christi factum Io. 10. *idipsum indicat, num. 8.*

Apostoli verba 1. ad Corinth. 2. idem confirmant cum D. Thomæ expositione, ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ Antiquitatem apertissime probant SS. Canones, n. 9.

Quinam Canones potissimum agant de Pollutione Ecclesiæ. ibid.

Obiectio valida contra prædicta proponitur, num. 10. cui dupliciter respondetur.

Canones loquentes de Pollutione Ecclesiæ eam, vt antiquiorem supponunt; non eam instituunt, num. 11.

Etiamsi præcepta circa Pollutionis obseruantiam tantum imposita essent à SS. Canonibus; tamen obseruantia ipsa Pollutionis fuit ante Canones, & ante præcepta illorum de ea, num. 12.

Ecclesiastica Pollutionis obseruantia non videtur minus antiqua, quam Ecclesiarum ipsarum Institutio, & Religio, seu distinctio inter Sacrum, & Profanum locum, n. 13.

Huiusce rei ratio affertur, n. 7. & 13.

1 ADuerto 1. Pollutionis Ecclesiasticæ statum tam multiplicem, ac varium fuisse, vt ad illius ortum, incrementum, & complementum significandum tria quodammodo Pollutionis Ecclesiasticæ principia statuẽda videantur, nimirum Inchoantia, Crescentia, & Perficientia, quo rei cæteroquin obscurissimæ, & ab omnibus alto silentio pressæ lux aliqua quoquo modo afferatur.

2 Aduerto 2. Pollutionis Ecclesiasticæ Principia inchoantia in Statu Naturę apparuisse, Crescentia in Statu Legis antiquæ, & Perficientia in Statu Euangelij, vt mox planum fiet,

fiet, dum de singulis tractabimus.

3 Aduerto 3. si non ab hominum tantum statu in Ecclesia militante; sed etiam ab Angelorum casu Ecclesiæ Pollutionem quodammodo auspicari vellemus, dici posse, cum cælum ipsum Empyreum Dei templum à malis Angelis, dum inibi peccauerunt, quasi pollutum fuerit, propterea eos inde eiectos fuisse, & etiam nunc tanti sceleris, & cælestis, vt ita dicam, Pollutionis pœnas luere. Sed, cum humanis contenti simus exemplis, ideo

4 Dico 1. prima Pollutionis Ecclesiasticæ Principia, quæ inchoantia dicimus, à Cain exemplo desumi posse. Cum enim Cain, teste Pererio *in Genes. tom. 1 lib. 7. n. 59.* septem peccata commisisset, eorum primum fuit, quod male sacrificauerat, ac proinde polluerat sacrificium, & consequenter etiam locum sacrificio destinatum. *Quemadmodum enim*, inquit idem *Perer. ibid. num. 13. naturalis ratio docet vnum esse Deum omnium rerum conditorē, ac dominum, ita docet, ac præcipit hunc Deum esse ab homine omni cultu tam interiori, quam exteriori colendum, atq. venerandum.* Quamobrem ex *Bellarm. de cultu Sanct. c. 5 locus rerum sanctarum*, quale fuit Abelis sacrificium, cum quo Cain quoq. suum obtulit, *sanctus, quoq. sit necesse est, adest enim Deus ipse ibi per singularem quandam virtutem*, in cuius rei signum *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*, vt Genes. 4. habetur. In Deo autem suspendente signum complacentiæ suæ ad malum sacrificium Cain, quam ostenderat signo aliquo externo (vt placet Hieronymo) ad Sacrificium Abelis, præfigurari visus est aliquis Ecclesiasticæ pollutionis effectus, & reconciliationis ipsius necessitas: vt enim Deus tunc à facie sua Cain eiecit, & in eum solitæ benignitatis effectum postea continuit, ita nunc, postquam Ecclesia polluta est, à Diuinis in ea celebrandis arcemur, & exinde multis alijs, alias solitis, fauoribus priuamur, vt infra suo loco fuse dicemus, cum de Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus agemus.

5 Dico 2. Crescentia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia ab ijs Domini verbis ad Mosen, *exod. 3.* colligenda esse. *Ne appropies huc: solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est*, id enim Mosi, ex *Theodoreti* sententia *in exodum quæst. 7.* imperatum fuit, vt prædoceret eum, qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire: nam Deus locum illum per suam præsentiam iam sanctificauerat, ideoque terram illam sanctam dixerat, quia tunc Dei sedes, domus, ac templum erat, & Deus ob reuerentiam talis loci, vt censuit etiam *Labata in Apparatu suo, Verb. Templum, proposit 2.* soluere calceamenta iussit, ne Moses Templum illud calceamentorum quodammodo pollueret attactu, vnde Pererius in hunc exodi locum exclamat, *Quis non Hæreticorum nostri temporis rideat amentiam, atq. impietatem execretur, qui omnes externas cæremonias Ecclesiasticas à Sanctissimis Patribus traditas, & ab ipsis vsq. Religionis nostræ Cunabulis adhuc conseruatas, & ad eruditionem, & promotionem pietatis Christianæ plurimum conducentes, impudenter rident, impie repudiant, & profligare, atq. è medio tollere conantur?*

6 Ad hæc eadem crescentia Pollutionis principia spectant, quæ clare Dominus ad Moysen, & Aaron loquens edixit *Leuit. 15. D. Docebitis ergo filios Israel, vt caueant immunditiā, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod est inter eos*, itemq. ea, quæ *2. Paralipomen. c. 29. Ezechiel. c. 23. Iudith. 9. psalm. 73. & 70. Daniel. 11.* sed præcipuè primum illud, omniumq. expressissimum Pollutionis Ecclesiasticæ exemplum, quando scilicet Apollonius ab Antiocho Rege Ierosolymam missus, facta ingenti Iudæorum strage, se se cum suis recepit in Sion, olim ciuitatem Dauid, tanquam in arcem bene munitam, & inde iugiter discurrens perimebat omnes ad Templum deuotionis causa accedentes, *Ex tunc enim* (verba sunt ipsissima Tornielli Annal. Sacror. tom. 2. anno mundi 3890. num. 10.) *cœperunt Iudæi à Sacrificijs in templo offerendis præpediri, & ipsum Templum tunc cœptum est multa innoxij sanguinis effusione commaculari*, vt diserte habetur *lib. 1. Machab. c. 1.* quod postea à Iuda Machabæo repurgatum, & rite renouatum est, posita lege, vt in posterū eius rei memoria mense nono per singulos annos celebraretur, & per octo dies duraret, quod Festum dicebatur Encęniorum, cuius mentio habetur, apud Io. c. 7. & huiusmodi Templi Pollutio tres annos permansit, teste *Perer. in Daniel. l. 9.* vnde *Emanuel. Thesaurus in Patriarchis* suis, *de Iuda Machabæo* inquit. *Superstitione, ac sanguine Pollutam Dei Domum nouis natalibus dedicauit.*

7 Dico 3. Perficientia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia in Statu Euangelij deducenda omnino esse à more illo extruendi, consecrandi, conseruandique Templa, qui ab Apostolis, primisque Christianis profluxit, vt optime tradit, *Baron. Annal. Ecclesiast. tom. 1. sub Ann. Christi 57. Hinc ait Canisius de B. V. l. 5. c. 23. vbiq. gentium Templorum extruendorum, & conseruandorum ratio Christianis pulcre constat, eaq. perpetua Ecclesiæ consuetudo durat, & in-*

DISPVTATIO OCTAVA.

De quarta, & vltima Pollutiuarum Actionum specie, seu quarto, & vltimo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Sepulturam Excommunicati, vel Infidelis in Loco Sacro.

Cap. 20.

DISPVTATIO NONA.

De Pollutionis Ecclesiasticæ Effectibus.

 Cap.28.

DISPVTATIO DECIMA.

De Peccatis, & Pœnis violantium Ecclesiasticæ Pollutionis effectus, vel impedimenta.



PETRI

PETRI FRANCISCI PASSERINI

Philosophiæ, Sac. Theologiæ, & I. V. D.

TRACTATVS

DE POLLVTIONE ECCLESIÆ.

DISPVTATIO PRIMA

De Pollutionis Ecclesiasticæ Natura in genere.



Breuiter, ac dilucide præmittemus in hac prima disputatione, quę ad primam, ac generalem quandam Ecclesiasticæ Pollutionis cognitionem facile conducere videbuntur, vt inde reliqua omnia, quę de re vniuersa copiosius, ac peculiarius trademus, tum iucundius excipiantur, tum melius intelligantur.

CAPVT PRIMVM.

Quid Pollutionis nomen hic significet.

SVMMARIVM.

Nominum, & vocabulorum origo in primis cognoscenda, n.1.
Pollutionis deriuatio, ac etymologia varia, n.2.
Pollutionis significatio multiplex, n.3.
Pollutio hic moraliter accipienda, n.4.
Quomodo sancta pollui dicantur. ibid. remissiue.
Ecclesia etiam materialiter sumpta habet suam spiritualitatem, n.5.
Dicitur moraliter pollui respectu sanctitatis loci. ib.
Actiones in loco sacro valde deformes videtur eum moraliter polluere. ibid.
Quid sit materiale, & spirituale Templum, n.6.
Quid sit materialis, & moralis Pollutio vtriusque Templi. ibid.
Ad vtrumq. Templum emundādum similiter aqua adhibetur. ibid.

1 ADuerto 1. cum Nominum cognitio, teste Socrate apud Lucianum, sit eruditionis principium, & quoduis Vocabulum, vt aiebat Epictetus, si eius vim perspexeris, proprij operis rationem describat, immo cū Nomen rerum imago quodammodo sit, quā in compendio præfert, ab eo mihi quoque exordiēdum esse, vt vel à nomine ipso lumen aliquod operi nostro addatur.

2 Aduerto 2. certum quidem esse *Pollutionis* nomen à verbo *Polluo* deductum fuisse, ac proinde easdem sortitum esse significationes, quas verbum illi *Polluo* communicanit; licet incertum sit, num *Polluo* ex primæua sui impositione sit verbum simplex, vel compositum ex *Porro*, & *Lauo*, seu ex *Plene*, & *Lauo*, quod alij malunt, & an proprie, vel per Anti-

 phra-

phrasim, idem sit, ac *contamino*, seu *coinquino*, quasi *non bene lauo*; quod Grammaticorũ esto litigium.

3 Aduerto 3. vt verbum *Polluo*, ita etiam *Pollutionis* nomen dupliciter accipi posse, primo, pro vt ad rerum corporearum sordes, & immunditias significãdas adhibetur,& quãlibet materialem inquinationem, seu contaminationem significat, qua quidpiam fœdatur,& conspurcatur, quo in sensu dixit *Virg. 3. Aeneid.*

Polluit ore dapes, &c.

secundo,pro vt ad rerum incorporearum maculas, & flagitia explicanda vsurpatur, & moralem quandam fœdationem indicat, quo modo, *Cic. pro Rosc. Amer.* dixit, *Nemo enim putabat quemquam esse, qui cum omnia Diuina, atq. humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset.* & *Virgil. 7. Aeneid.* Pollutam pacem appellauit.

4 Dico *Pollutionis* nomen hic moraliter accipi, & per illud significari *Moralem* quandam *Maculationem* Ecclesiæ, propter quam ibidem Diuinæ laudis organa suspenduntur. Quomodo antem Ecclesia, quæ sancta est, macu'ari dicatur,dicemus, cap.7.

5 Dices. Spiritualia spiritualiter pollui dicũtur; materialia autem materialiter, ergo Ecclesia materialiter sumpta pro loco sacro, qualiter hic accipitur, non poterit spiritualiter,aut moraliter pollui.

5 Respõdeo etiã in Ecclesia materialiter sumpta pro tali loco sacro considerari posse tam loci materialitatem, idest, ædificium, & locum,quam eiusdem ædificij,& loci spiritualitatem quandam,idest, illius sanctitatem,cuius respectu etiam materialis Ecclesia spiritualiter, & moraliter pollui dicitur, quando actiones eæ, quæ ex Sacrorum Canonum decretis eam polluunt, ibi fiunt; habent enim illæ specialem deformitatem cum loco sacro, & ab illius loci sanctitate maxime alienæ sũt, vnde Ecclesiam moraliter polluere censentur, quia, si, in Ecclesia fiant, horrorem, & scandalum Fidelium mentibus ingerunt, ita *Thomas Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica part. 1. cap. 2. dubit. 2. sect. 18. nu. 15. & Pax Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. lib. 5. tit. 11. num. 2.*

6 Colligo corporale templum, quod est Ecclesia, de qua hic loquimur, non secus aliquando pollui, ac spirituale templum, quod est homo, non nunquam pollui dicitur, vel materialiter tantum, quando v. g. pollutione inuoluntaria carnis fœdatur, de qua Theologi cum Angelico in *4. sent. dist. 9. art. 3. q. 1. & in 22. q. 154.* vel etiam spiritualiter, vel moraliter, quando v. g. illicita, ac voluntaria seminis effusione per peccatum maculatur, vnde ad vtrumq. hoc templum pollutum emundandum mystice aqua adhiberi consueuit, dicente Propheta de spiritualis templi emundatione, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor;* de materiali autem templo, *Polluerunt sanctum templum tuum*, quod proinde similiter in Reconciliatione aqua lauatur, *ex Cap. proposuisti, Cap. Consuluisti, & Cap. vlt. de de celebrat. Missarum, &c.* quod etiam bene aduertit *Durandus in Rationali Diuinorum Officiorum l. 1. cap. 6. num. 37.*

CAPVT II.

Quid sit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutio Ecclesia tria significat, n. 1.

Pollutio Ecclesia ab effectu clarius describitur, num. 2.

Pollutionem Ecclesia definire difficillimum est, num. 3.

Pollutio Ecclesia dilucide describitur, n. 4.

Pollutio Ecclesia cur dicatur Moralis macula, num. 5.

Pollutio Ecclesia locum sacrum tantum afficit, num. 6.

Pollutio Ecclesia quodammodo, non proprie maculam inurit loco sacro, n. 7.

Omnes actus Ecclesiam polluentes sunt Ecclesia sanctitati repugnantes, n. 8.

Non omnes actus indecentes Ecclesiam polluunt, & cur. ibid.

Actus Ecclesia pollutiuus, vt polluat, in ea fieri debet, num. 9.

Duplex est Sepultura pollutio, propria, & impropria, & quid vtraq. sit, n. 10.

Pollutio Ecclesia semper ipso facto à Iure imponitur, n. 11. & 13.

Pollutionis Ecclesiastica transgressores à Iudice Ecclesiastico ad arbitrium puniri possunt, & debent, n. 12.

Eiusmodi transgressores nullam incurrũt pœnam ipso Iure latam. ibid.

Pollutio Ecclesia non est aliqua Censura, num. 13.

Nec Irregularitas, aut Cessatio à Diuinis, & quare, ibid.

1 ADuerto 1. per Ecclesiæ Pollutionem tria significari posse, Primo actum illum polluendi Ecclesiam, prout actus ille ab agente proficiscitur, & tunc habec actiuam significationem, quomodo *Seneca lib. 1. Suasor.* dixit, *Ab hominis auditione venientem*. Secundo ipsam actionis susceptionem, vt ab Ecclesia recipitur, & tunc passiuam habet significationem, quomodo *Columella lib. 5.* dixit, *Arbusculæ quinquennio sic excultæ habiles translationi sunt*, nimirum, *vt transferantur*. Tertio effectum ipsum ipsiusmet actionis, & hoc per metonymiam, ea prorsus ratione, qua Excõmunicationis, vel Suspensionis nomina significant ex communi auctorum sensu Pœnam illam Ecclesiasticam, quæ infligitur Excommunicato, vel Suspenso ab Excommunicante, vel Suspendente, quæ potius est aliquid subsequens, & quasi factum ab ipsa actione, quam actus, vel operatio ipsa, vt consideranti patebit.

2 Aduerto 2. licet hæ tres significandi formę in verbalibus hisce nominibus latentes se se quodammodo complectantur, & vnaquæque alias connotet, ita vt ex se se mutuo pendeant, nec vna absq. alijs satis explicari posse videatur; attamen, cum Ecclesiæ Pollutio, vt plurimum, tractari soleat non secus, ac si esset Censura, vel Pœna aliqua Interdicto, vel Cessationi à Diuinis aliquatenus similis, eam iuxta tertium significandi modum, ac proinde ab effectu describendam esse, sic enim clarius eiusdem vis, ac potestas cognoscetur, & facile quiuis ex hac vna, quam afferemus, descriptione alias etiam in rem suam sibi satis effingere poterit.

3 Aduerto 3. vt cuilibet obuium est inquirere, quid sit Ecclesiæ Pollutio, ita difficilimum esse definire, quid illa sit, maxime cum illorum, quos viderim, nemo idipsum clare aggressus fuerit, nedum perfecte assecutus.

4 Dico *Pollutionem Ecclesiæ esse Moralem Maculam, qua locus sacer ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis ita quodammodo afficitur, vt ibidem iure ipso Diuinorum celebratio, & Fidelium sepultura ante Reconciliationem, nulla tamen in transgressores pœna eodem iure lata, interdicantur*.

5 Dixi Pollutionem Ecclesiasticam esse *Moralem Maculam*, quia, vt mox superius dictum est, cum Pollutionis nomen hic moraliter accipiatur, moralis etiam esse debet macula, quæ per hãc Pollutionem loco sacro inuritur.

6 Dixi *Locus sacer*, quia locus tantum sacer Pollutionis huius capax est, vt disput. 2. fusius explicabimus.

7 Dixi *quodammodo afficitur*, quia vere, & proprie locus sacer non polluitur; sed tantum in hominum opinione, vt infra patebit ex cap. 7. huius disputationis.

8 Dixi *ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis*, quia licet omnes actiones, quæ Ecclesiam polluunt, sint vetitæ, quia indecentes, & valde alienæ à loci sacri sanctitate; tamen non omnes actiones, quæ locum sacrum dedecent, & illius sanctitati repugnant, Ecclesiam polluunt; sed eę solum, quæ publicæ sunt, vt infra dicetur, & per quas peculiariter locum sacrum pollui Canones expresse sanxerunt, vt disputat. 3. videbimus.

9 Dixi *ibi*, quia, nisi actus Ecclesiæ polluciuus in ea fiat, Ecclesia nullo modo polluitur.

10 Dixi *ibidem ante reconciliationem*, vt distinguerem hanc propriam, & amouibilem loci sacri pollutionem, de qua hic sermo est, & quæ per Reconciliationem tollitur, ab ea inhabilitate perpetua, quam incurrit sepultura, in qua sepultus fuerit Hæreticus, quæ sepulturæ inhabilitas, seu impropria pollutio, per Reconciliationem non tollitur; sed perpetuo durat, vt videre est apud *Carolum Anton. Thesaurum in Praxi Eccles. p. 2. Verb. Sepultura c. 4.* & alios ibi citatos.

11 Dixi *Iure ipso*, quia Pollutionis effectus statim post actum Ecclesiæ pollutiuum, si publicus sit, consurgunt, nec prærequirunt iuridicam, & criminis Declaratoriam sententiã, vt patebit ex disputat. 9.

12 Dixi, denique *nulla eodem iure pœna in transgressores lata*, quia licet à iure nulla prędictis transgressoribus pœna imposita sit; ad arbitrium tamen Iudicis grauiter ij puniri possunt, & debent, vt cap. vlt. dispuc. vltimę statuemus.

13 Colligo Pollutionem Ecclesiasticam non esse Censuram vllam, tum quia nullam imponit transgressoribus irregularitatem, vt Interdictum, tum quia locum sacrum tantum afficit, non personas, in quo ab Excommunicatione, à Suspensione, & ab Irregularitate quoque distinguitur, neq. etiam esse Cessationem à Diuinis particularem, quia hæc nunquam ipso facto à Iure imposita est; sed solum à Iure concessum est, vt imponi possit, vel debeat; Pollutio autem Ecclesiæ semper de facto à Iure imposita inuenitur, nec aliter imponi solet, vt aperte constabit ex dicendis.



CAPVT III.

Quomodo Ecclesiæ Pollutio differat ab Ecclesiæ Violatione.

SVMMARIVM.

Pollutio, & Violatio Ecclesiæ aliquando ab Auctoribus confunduntur, nu. 1.
Furtum Sacrilegum cum violenta effractione Ecclesiam violat, nec polluit, n. 2.
Violatur etiam Ecclesia, dum iniuriose incenditur, nec tamen polluitur. ibid.
Violatio Ecclesiæ à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ quomodo differat, n. 3.
Violatio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ. ibid.
Violatio Ecclesiæ quomodo differat à Pollutione Ecclesiæ, nu. 4.
Omnis Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio; sed non contra. ibid.
Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ, nu. 5.

1 ADuerto 1. passim ab Auctoribus Ecclesiæ Pollutionem dici etiam Violationem, vt videre est apud *Alter. de Censura interdicti disp. 3. Suar. in 3. p. disp. 8. sect. 4. Laym. l. 5. tr. 5. cap. 5. num. 6. Azor. tom. 1. l. 10. c. 26.* & alios.

2 Aduerto 2. apud alios Violare Ecclesiam, & Polluere Ecclesiam valde diuersa esse, vnde aliquando Ecclesiam violari docent, nec tamen inde pollui, v. g. cum furtum sacrilegum cum Ecclesiæ violenta effractione fit, vel Ecclesia ipsa incenditur, quo in casu Ecclesia violatur, & huiusmodi violatores Ecclesiarum Excommunicationẽ incurrũt Summo Pontifici reseruatam, vt habetur ex *Cap. Tua nos, de sent. Excommunicat.* cum *Gloss. ibid. Verb. publicati, Laym. l. 4. tr. 10. cap. 7. num. 19. Tanner. tom. 4. disp. 5. q. 8. num. 18. Farinac. q. 110. num. 15.* nec tamen in prædicto casu Ecclesia polluitur, licet violari dicatur, vt dixit, *Richard. in 4. dist. 18. art. 12. q. 2. & Thesaur. in Prax. Ecclesiastica p. 2. Verb. Incendiarij, c. 1. & 2.*

3 Aduerto 3. licet ab aliquibus Violatio Ecclesiæ dicatur differre à Violatione immunitatis Ecclesiasticæ, pro vt dixit, *Richar. l. c.* tamen, cum etiam ad Ecclesiasticam Immunitatem pertineat ius, quod Templum ipsum censetur habere, vt integrum, & illæsum seruetur, pro vt colligitur ex *Cap. Sacrilegium, Cap. quisquis, Cap. qui rapit,* cum alijs, *17. q. 4. & Cap. Conquesti, de sententia Excommunic.* & docet, *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. c. 13. num. 3.* tamen non videri differre, nisi tanquam partem à suo toto, eo quod Immunitas Ecclesiæ comprehendat tam immunitatem Templorum, quam Personarum, & Bonorum Ecclesiasticorum omnium, quam alij vocant Immunitatem Localem, Realem, & Personalem.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Violatione Ecclesiæ eo modo, quo Violatio Ecclesiæ differt à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, id est, tanquam contentum à continente, & tanquam Speciem à Genere: Violatio enim Ecclesiæ latius patet, quam Pollutio Ecclesiæ, & licet omnis Pollutio Ecclesiæ sit Violatio Ecclesiæ; tamen non omnis Violatio Ecclesiæ est Pollutio eiusdem, vt ex dictis patet.

5 Collige Immunitatem Ecclesiasticam continere sub se Violationem Ecclesiæ; Violationem autem Ecclesiæ continere sub se Pollutionem Ecclesiæ, ac proinde etiam per Pollutionem Ecclesiæ violari Immunitatem Ecclesiasticam, pro vt dixit, *Del Bene l. c. c. 2. dubit. 2.*

CAPVT IV.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ ab Execratione Ecclesiæ differat.

SVMMARIVM.

Execratio aliquando significat Imprecationem, seu Maledictionem, n. 1.
Execratio hic est idem, ac Destructio Consecrationis Ecclesiasticæ. ibid.
Execratio appellatur etiam Desecratio, & Exconsecratio ab aliquibus. ibid.
Consecratio Ecclesiæ consistit in parietibus: Benedictio autem Ecclesiæ in Solo, seu Pauimento, num. 2.
Consecratio Ecclesiæ nunquam amittitur, illæsis parietibus: Benedictio autem permanet, etiam destructis, vel combustis illis. ibid.
Consecratio proprie consistit in crusta interiori parietum Ecclesiæ, n. 3.
Si Ecclesia amittat crustam parietum interiorem, saltem in maiori illius parte, amittit etiam Consecrationem, n. 3.
Pollutio Ecclesiæ dupliciter differt ab Execratione Ecclesiæ, n. 4.
Pollutio non tollit Consecrationem, quam tollit tamen Execratio. ibid.
Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem tollitur per Reconsecrationẽ. ibid.

Pol-

Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria; Execratio autem Ecclesiæ non execrat Altaria. ibid.
Pollutio Altaris polluit etiam Ecclesiam; sed execratio Altaris non execrat Ecclesiam. ibid.
In Ecclesia Execrata adhuc licite celebrantur Diuina, & Fideles sepeliuntur; in Ecclesia autem Polluta illicite hæc fiunt, nu. 5.

1 ADuerto 1. licet aliquando *Execratio* significet *Imprecationem*, seu, vt vulgus loquitur, *Maledictionem* illam, per quam quis suo, vel alieno capiti mala imprecatur; hic tamen Execrationem accipi pro actione illa, quæ aliquod templum ex consecrato non cōsecratum reddit, quæ etiam *Desecratio*, & *Exconsecratio* ab aliquibus appellatur.

2 Aduerto 2. Consecrationem Ecclesiæ consistere in parietibus; Ecclesiæ vero Benedictionem solo inhærere; ac proinde, illæsis Ecclesiæ consecratæ parietibus, illius consecrationem nunquam amitti; destructis autem, vel combustis parietibus, adhuc illius Benedictionem permanere, ita *Sylvest. Verb. Consecratio 2. q. 4. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. cas. 6. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 27. nu. 26. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 15.* & alij communiter.

3 Aduerto 3. Consecrationem Ecclesiæ ita consistere in parietibus, vel potius, vt communiter tradunt DD. cum *Azor. tom. 2. l. 9. c. 7. quæst. 3.* in crusta parietum à parte interiori vbi linitio, & cruces fiunt, vt, si parietes interius decrustentur, saltem in maiori parte, tunc Ecclesia illa execrata, & sine consecratione censenda sit, vt bene docuit nouissime post multos alios *Antonell. de Regimine Ecclesiæ Episcopalis p. 1. l. 1. c. vlt. n. 1.*

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ dupliciter differre ab Execratione Ecclesiæ. Primo in hoc, quod Pollutio Ecclesiæ non tollit Consecrationem Ecclesiæ; sed tantum Ecclesiæ sanctitatem quodammodo maculat; Execratio autem Ecclesiæ Cōsecrationem omnino aufert, vnde Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem per Reconsecrationem, vt dicemus in Tract. de Reconciliatione. Secundo in eo, quod Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria, quæ in ea Ecclesia fixa sunt, & vice versa Altarium Pollutio polluit etiam Ecclesiam ipsam; sed è contrario Execratio Ecclesiæ per se non execrat, nec polluit Altaria, nec vice versa Execratio Altaris execrat Ecclesiam, *ita Abbas in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. vel Altar. prope finem, Silu. Verb. Altare, q. 11. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 17. Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 15. & Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 11. num. 1. & 2.*

5 Colligo hinc in Ecclesia Execrata licite posse Diuina celebrari, & Fideles sepeliri; licet ista in Ecclesia polluta fieri licite nequeāt ante Reconciliationem illius.

CAPVT V.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ differat à Profanatione Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Loca sacra Christianorum propriè dicuntur Ecclesia, vel Basilicæ; Gentilium vero, & Paganorum, Templa, Fana, Delubra. n. 1.
Profanum vnde dicatur. ibid.
Sacrum, & Profanum tam apud Sacros, quam Profanos Scriptores sunt Antitheta. ibid.
Profanare propriè, quid sit, n. 2.
Profanare late acceptum est deturpare, vel contaminare. ibid.
Profanatio Ecclesiæ late accepta aliquando potest esse Pollutio Ecclesiæ ibid.
Profanatio Ecclesiæ propriè quid sit, n. 3.
Pollutio Ecclesiæ in quo differat à Profanatione eiusdem proprie, n. 4.
Pollutio Ecclesiæ non destruit; sed tantum quodammodo maculat iam Consecrationem, quam Benedictionem loci sacri n. ibid.
Ecclesia destructa quando dicatur propriè profanata, num. 5.
Ecclesia Profanata non gaudet immunitate, & Ecclesiæ priuilegijs. ibid.
Ecclesia vero polluta ijs gaudet. ibid.

1 ADuerto 1. cum Alciato *Parerg. Iur. lib. 2. c. 4.* Christianorum loca sacra propriè Ecclesias, vel Basilicas dici; paganorum vero, seu gentilium Templa, Fana, Delubra; licet ista iam vsus confundere soleat. Hincq. factum esse omnes volunt, vt quæ sacra non sunt, profana dicantur, quasi sint porro à Fano, seu procula Fano, idest à Fani religione secreta, ac proinde non sacra: sacrum enim, & profanum antitheta sunt, vt videre est apud Plautum, qui *Sacrum, inquit, an Profanum habeas, parui pendutur*, & apud Exechiel. 22. *Inter sanctum, & profanum non habuerunt distantiam. Profanare* autem proinde erit aliquid *profanum facere*, ex quo *Profanatio* deducta est.

2 Aduerto 2. licet propriè Profanare sit aliquid ex sacro humanis actibus, seu omnibus hominum vsibus promiscuum facere, pro vt docuit *Macrob. Saturnal. l. 2. c. 3.* quasi aliquid

ex-

extra Fanum eijcere, & à Fano, seu à Sacris procul arcere; nihilominus aliquando templum late dici profanari, quando videlicet in eo turpe aliquid fit, templiq. religione, & sanctitate valde indignum; quamuis templum adhuc sacrum remaneat; vnde tunc *Profanare* eo modo templum videtur idem esse, ac templum *deturpare*, seu *contaminare*, quod animaduertit *Laurentius in Amalthea, Verbo Profanare*, & ante ipsum *Perottus in Cornucop. Verbo, Profanatum templum*, nec non *Alberic. in Dictionar. Verb. Profanare*, quo in sensu aliquando Profanatio Ecclesiæ posset etiam esse eiusdem Pollutio, si quid in ea fieret, quod esset propriè Ecclesiæ pollutiuum ex Sacrorum Canonum doctrina.

3 Aduerto 3. propriam Ecclesiæ Profanationem, de qua hic loquimur, eam esse, per quam locus sacer desinit esse sacer, & è sacro fit profanus, cum non sit amplius Diuino cultui sacratus; sed communibus hominum vsibus licite concessus, non secus ac si nunquam sacer fuisset, antequam profanaretur.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Profanatione propriè sumpta Ecclesiæ in hoc, quod sicuti Execratio destruit Consecrationem tantum, ita hæc Profanatio destruit non solum Consecrationem; sed etiam ipsam Sacrationem loci, seu Benedictionem loci sacri, & facit locum non solum è consecrato, si erat consecratus, non cosecratum; sed etiam è sacro, non sacrum; Pollutio autem nec Consecrationem, nec Sacrationem, seu Benedictionem destruit; sed vtramq. tantum maculat modo prædicto.

5 Colligo Ecclesiam proprie profanatā (quod intellige, si id auctoritate Superioris factum fuerit, aut etiam, secundum aliquos, si sine spe reædificationis ea destructa sit) non gaudere priuilegijs Ecclesiæ, nec Immunitate loci sacri, eo quod nulla ratione iam possit Ecclesia appellari, vt docent, *Clar. in Pract. Crimin. l. 5. §. final. q. 30. Fariuac. quæst. Crimin. 28. num. 70. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 37. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 15.* & alij; Ecclesiam vero Pollutam semper ijs gaudere, quod infra fuse patebit disputat. sequenti.

CAPVT VI.

Vnde originem traxerit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ origo, seu Principium habuit ortum, incrementum, & complementum, n. 1.

Pollutionis huius principia tria statuenda sunt, Inchoantia, Crescentia, & Perficientia. ibid.

Pollutionis principia apparuere in statu Naturæ, Legis antiquæ, & Euangelij, n. 2.

Pollutionis origo posset etiam desumi ab Angelorum casu, n. 3.

Principia eius Inchoantia deduci possunt à Cain exemplo, n. 4.

Cain septem peccata commisit, & primum fuit Sacrorum Pollutio. ibid.

Pollutionis effectus præfigurati fuere in punitione Cain, dum eiectus fuit à facie Domini. ibid.

Principia Crescentia à verbis Domini ad Mosen exod. 3. colligi possunt, n. 5.

Item à multis alijs S. Scripturæ locis, quæ ibi indicantur, n. 6.

Expressissimum Pollutionis Principium in Lege antiqua refertur. ibid.

Principia perficientia in Statu Euangelij ab Apostolorum tempore deriuant, n. 7.

Immo Christi factum Io. 10. idipsum indicat, num. 8.

Apostoli verba 1. ad Corinth. 2. idem confirmant cum D. Thoma expositione, ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ Antiquitatem apertissime probant SS. Canones, n. 9.

Quinam Canones potissimum agant de Pollutione Ecclesiæ. ibid.

Obiectio valida contra prædicta proponitur, num. 10. cui dupliciter respondetur.

Canones loquentes de Pollutione Ecclesiæ eam, vt antiquiorem supponunt; non eam instituunt, num. 11.

Etiamsi præcepta circa Pollutionis obseruantiam tantum imposita essent à SS. Canonibus; tamen obseruantia ipsa Pollutionis fuit ante Canones, & ante præcepta illorum de ea, num. 12.

Ecclesiastica Pollutionis obseruantia non videtur minus antiqua, quam Ecclesiarum ipsarum Institutio, & Religio, seu distinctio inter Sacrum, & Profanum locum, n. 13.

Huiusce rei ratio affertur, n. 7. & 13.

1 Aduerto 1. Pollutionis Ecclesiasticæ statum tam multiplicem, ac varium fuisse, vt ad illius ortum, incrementum, & complementum significandum tria quodammodo Pollutionis Ecclesiasticæ principia statuēda videantur, nimirum Inchoantia, Crescentia, & Perficientia, quo rei cæteroquin obscurissimæ, & ab omnibus alto silentio pressæ lux aliqua quoquo modo afferatur.

2 Aduerto 2. Pollutionis Ecclesiasticæ Principia inchoantia in Statu Naturę apparuisse, Crescentia in Statu Legis antiquæ, & Perficientia in Statu Euangelij, vt mox planum fiet,

fiet, dum de singulis tractabimus.

3 Aduerto 3. si non ab hominum tantum statu in Ecclesia militante; sed etiam ab Angelorum casu Ecclesiæ Pollutionem quodammodo auspicari vellemus, dici posse, cum cælum ipsum Empyreum Dei templum à malis Angelis, dum inibi peccauerunt, quasi pollutum fuerit, propterea eos inde eiectos fuisse, & etiam nunc tanti sceleris, & cælestis, vt ita dicam, Pollutionis pœnas luere. Sed, cum humanis contenti simus exemplis, ideo

4 Dico 1. prima Pollutionis Ecclesiasticæ Principia, quæ inchoantia dicimus, à Cain exemplo desumi posse. Cum enim Cain, teste Pererio *in Genes. tom. 1 lib. 7. n. 59.* septem peccata commisisset, eorum primum fuit, quod male sacrificauerat, ac proinde polluerat sacrificium, & consequenter etiam locum sacrificio destinatum. *Quemadmodum enim*, inquit idem *Perer. ibid. num. 13. naturalis ratio docet vnum esse Deum omnium rerum conditorē, ac dominum, ita docet, ac præcipit hunc Deum esse ab homine omni cultu tam interiori, quam exteriori colendum, atq. venerandum*. Quamobrem *ex Bellarm. de cultu Sanct. c. 5. locus rerum sanctarum*, quale fuit Abelis sacrificium, cum quo Cain quoq. suum obtulit, *sanctus, quoq. sit necesse est, adest enim Deus ipse ibi per singularem quandam virtutem*, in cuius rei signum *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*, vt Genes. 4. habetur. In Deo autem suspendente signum complacentiæ suæ ad malum sacrificium Cain, quam ostenderat signo aliquo externo (vt placet Hieronymo) ad Sacrificium Abelis, præfigurari visus est aliquis Ecclesiasticæ pollutionis effectus, & reconciliationis ipsius necessitas: vt enim Deus tunc à facie sua Cain eiecit, & in eum solitæ benignitatis effectum postea continuit, ita nunc, postquam Ecclesia polluta est, à Diuinis in ea celebrandis arcemur, & exinde multis alijs, alias solitis, fauoribus priuamur, vt infra suo loco fuse dicemus, cum de Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus agemus.

5 Dico 2. Crescentia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia ab ijs Domini verbis ad Mosen, *Exod.* 3. colligenda esse. *Ne appropies huc: solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est*, id enim Mosi, ex *Theodoreti* sententia *in exodum quæst.* 7. imperatum fuit, vt prædoceret eum, qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire: nam Deus locum illum per suam præsentiam sanctificauerat, ideoque terram illam sanctam dixerat, quia tunc Dei sedes, domus, ac templum erat, & Deus ob reuerentiam talis loci, vt censuit etiam *Labata in Apparatu suo, Verb. Templum, propos. 2.* soluere calceamenta iussit, ne Moses Templum illud calceamentorum quodammodo pollueret attactu, vnde Pererius in hunc exodi locum exclamat, *Quis non Hæreticorum nostri temporis rideat amentiam, atq. impietatem execretur, qui omnes externas cæremonias Ecclesiasticas à Sanctissimis Patribus traditas, & ab ipsis vsq. Religionis nostræ Cunabulis adhuc conseruatas, & ad eruditionem, & promotionem pietatis Christianæ plurimum conducentes, impudenter rident, impie repudiant, & profligare, atq. è medio tollere conantur?*

6 Ad hæc eadem crescentia Pollutionis principia spectant, quæ clare Dominus ad Moysen, & Aaron loquens edixit *Leuit. 15. D. Docebitis ergo filios Israel, vt caueant immunditiā, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod est inter eos*, itemq. ea, quæ 2. *Paralipomen. c. 29. Ezechiel. c. 23. Iudith. 9. psalm. 73. & 70. Daniel.* 11. sed præcipuè primum illud, omniumq. expressissimum Pollutionis Ecclesiasticæ exemplum, quando scilicet Apollonius ab Antiocho Rege Ierosolymam missus, facta ingenti Iudæorum strage, se se cum suis recepit in Sion, olim ciuitatem Dauid, tanquam in arcem bene munitam, & inde iugiter discurrens perimebat omnes ad Templum deuotionis causa accedentes, *Ex tunc enim* (verba sunt ipsissima Tornielli Annal. Sacror. tom. 2. anno mundi 3890. num. 10.) *cœperunt Iudæi à Sacrificijs in templo offerendis præpediri, & ipsum Templum tunc cœptum est multa innoxij sanguinis effusione commaculari*, vt diserte habetur *lib. 1. Machab. c. 1.* quod postea à Iuda Machabæo repurgatum, & rite renouatum est, posita lege, vt in posterū eius rei memoria mense nono per singulos annos celebraretur, & per octo dies duraret, quod Festum dicebatur Encęniorum, cuius mentio habetur, apud Io. c. 7. & huiusmodi Templi Pollutio tres annos permansit, teste *Perer. in Daniel. l. 9.* vnde *Emanuel. Thesaurus in Patriarchis* suis, *de Iuda Machabæo* inquit. *Superstitione, ac sanguine Pollutam Dei Domum nouis natalibus dedicauit*.

7. Dico 3. Perficientia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia in Statu Euangelij deducenda omnino esse à more illo extruendi, consecrandi, conseruandique Templa, qui ab Apostolis, primisque Christianis profluxit, vt optime tradit, *Baron. Annal. Ecclesiast. tom. 1. sub Ann. Christi 57. Hinc ait Canisius de B. V. l. 5. c. 23. vbiq. gentium Templorum extruendorum, & conseruandorum ratio Christianis pulcre constat, eaq. perpetua Ecclesiæ consuetudo durat, &* in-

Cap. 37.

DISPVTATIO SEXTA.

De secunda Pollutiuarum Actionum specie, vel secundo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Vulnerationem, seu Sanguinis effusionem.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De tertia Pollutiuarum Actionum specie, vel tertio Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Seminis effusionem.

DISPVTATIO OCTAVA.

De quarta, & vltima Pollutiuarum Actionum specie, seu quarto, & vltimo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Sepulturam Excommunicati, vel Infidelis in Loco Sacro.

Cap. 20.

DISPVTATIO NONA.

De Pollutionis Ecclesiasticæ Effectibus.

Cap.28.

PETRI FRANCISCI
PASSERINI
Philoſophiæ, Sac. Theologiæ, & I. V. D.

TRACTATVS
DE POLLVTIONE ECCLESIÆ.

DISPVTATIO PRIMA
De Pollutionis Eccleſiaſticæ Natura in genere.



Breuiter, ac dilucide præmittemus in hac prima diſputatione, quę ad primam, ac generalem quandam Eccleſiaſticæ Pollutionis cognitionem facile conducere videbuntur, vt inde reliqua omnia, quę de re vniuerſa copioſius, ac peculiarius trademus, tum iucundius excipiantur, tum melius intelligantur.

CAPVT PRIMVM.
Quid Pollutionis nomen hic ſignificet.

SVMMARIVM.

Nominum, & vocabulorum origo in primis cognoſcenda, n.1.
Pollutionis deriuatio, ac etymologia varia, n.2.
Pollutionis ſignificatio multiplex, n.3.
Pollutio hic moraliter accipienda, n.4.
Quomodo ſancta pollui dicantur. ibid. remiſſiue.
Eccleſia etiam materialiter ſumpta habet ſuam ſpiritualitatem, n.5.
Dicitur moraliter pollui reſpectu ſanctitatis loci. ib.
Actiones in loco ſacro valde deformes videtur eum moraliter polluere. ibid.
Quid ſit materiale, & ſpirituale Templum, n.6.
Quid ſit materialis, & moralis Pollutio vtriuſque Templi. ibid.
Ad vtrumq. Templum emundãdum ſimiliter aqua adhibetur. ibid.

1 ADuerto 1. cum Nominum cognitio, teſte Socrate apud Lucianum, ſit eruditionis principium, & quoduis Vocabulum, vt aiebat Epictetus, ſi eius vim perſpexeris, proprij operis rationem deſcribat, immo cũ Nomen rerum imago quodammodo ſit, quã in compendio præfert, ab eo mihi quoque exordiẽdum eſſe, vt vel à nomine ipſo lumen aliquod operi noſtro addatur.

2 Aduerto 2. certum quidem eſſe *Pollutionis* nomen à verbo *Polluo* deductum fuiſſe, ac proinde eaſdem ſortitum eſſe ſignificationes, quas verbum illi *Polluo* communicauit; licet incertum ſit, num *Polluo* ex primæua ſui impoſitione ſit verbum ſimplex, vel compoſitum ex *Porro*, & *Lauo*, ſeu ex *Plene*, & *Lauo*, quod alij malunt, & an proprie, vel per Anti-

 phra-

phrasim, idem sit, ac *contamino*, seu *coinquino*, quasi *non bene lauo*, quod Grammaticorũ esto litigium.

3 Aduerto 3. vt verbum *Polluo*, ita etiam *Pollutionis* nomen dupliciter accipi posse, primo, pro vt ad rerum corporearum sordes, & immunditias significãdas adhibetur,& quãlibet materialem inquinationem, seu contaminationem significat, qua quidpiam fœdatur,& conspurcatur, quo in sensu dixit *Virg. 3. Aeneid.*

Polluit ore dapes, &c.

secundo,pro vt ad rerum incorporearum maculas, & flagitia explicanda vsurpatur, & moralem quandam fœdationem indicat, quo modo, *Cic. pro Rosc. Amer.* dixit, *Nemo enim putabat quemquam esse, qui cum omnia Diuina, atq. humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset. & Virgil. 7. Aeneid.* Pollutam pacem appellauit.

4 Dico *Pollutionis* nomen hic moraliter accipi, & per illud significari *Moralem* quandam *Maculationem* Ecclesiæ, propter quam ibidem Diuinæ laudis organa suspenduntur. Quomodo autem Ecclesia, quæ sancta est, maculari dicatur, dicemus, cap. 7.

5 Dices. Spiritualia spiritualiter pollui dicũtur; materialia autem materialiter, ergo Ecclesia materialiter sumpta pro loco sacro, qualiter hic accipitur, non poterit spiritualiter, aut moraliter pollui.

5 Respõdeo etiã in Ecclesia materialiter sumpta pro tali loco sacro considerari posse tam loci materialitatem, idest, ædificium, & locum, quam eiusdem ædificij,& loci spiritualitatem quandam, idest, illius sanctitatem, cuius respectu etiam materialis Ecclesia spiritualiter, & moraliter pollui dicitur, quando actiones eæ, quæ ex Sacrorum Canonum decretis eam polluunt, ibi fiunt; habent enim illæ specialem deformitatem cum loco sacro, & ab illius loci sanctitate maxime alienæ sũt, vnde Ecclesiam moraliter polluere censentur, quia, si, in Ecclesia fiant, horrorem, & scandalum Fidelium mentibus ingerunt, ita *Thomas Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica part. 1. cap. 2. dubit. 2. sect. 18. nu. 15. & Pax Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. lib. 5. tit. 11. num. 2.*

6 Colligo corporale templum, quod est Ecclesia, de qua hic loquimur, non secus aliquando pollui, ac spirituale templum, quod est homo, non nunquam pollui dicitur, vel materialiter tantum, quando v. g. pollutione inuoluntaria carnis fœdatur, de qua Theologi cum Angelico in *4. sent. dist. 9. art. 3. q. 1. & in 22. q. 154.* vel etiam spiritualiter, vel moraliter, quando v. g. illicita, ac voluntaria seminis effusione per peccatum maculatur, vnde ad vtrumq. hoc templum pollutum emundandum mystice aqua adhiberi consueuit, dicente Propheta de spiritualis templi emundatione, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor;* de materiali autem templo, *Polluerunt sanctum templum tuum*, quod proinde similiter in Reconciliatione aqua lauatur, ex *Cap. proposuisti, Cap. Consuluisti, & Cap. vlt. de de celebrat. Missarum, &c.* quod etiam bene aduertit *Durandus in Rationali Diuinorum Officiorum l. 1. cap. 6. num. 37.*

CAPVT II.

Quid sit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutio Ecclesiæ tria significat, n. 1.

Pollutio Ecclesiæ ab effectu clarius describitur, num. 2.

Pollutionem Ecclesiæ definire difficillimum est, num. 3.

Pollutio Ecclesiæ dilucide describitur, n. 4.

Pollutio Ecclesiæ cur dicatur Moralis macula, num. 5.

Pollutio Ecclesiæ locum sacrum tantum afficit, num. 6.

Pollutio Ecclesiæ quodammodo, non proprie maculam inuric loco sacro, n. 7.

Omnes actus Ecclesiam polluentes sunt Ecclesiæ sanctitati repugnantes, n. 8.

Non omnes actus indecentes Ecclesiam polluunt, & cur. ibid.

Actus Ecclesiæ pollutiuus, vt polluat, in ea fieri debet, num. 9.

Duplex est Sepultura pollutio, propria, & impropria, & quid vtraq. sit, n. 10.

Pollutio Ecclesiæ semper ipso facto à Iure imponitur, n. 11. & 13.

Pollutionis Ecclesiasticæ transgressores à Iudice Ecclesiastico ad arbitrium puniri possunt, & debent, n. 12.

Eiusmodi transgressores nullam incurrũt pœnam ipso Iure latam. ibid.

Pollutio Ecclesiæ non est aliqua Censura, num. 13.

Nec Irregularitas, aut Cessatio à Diuinis, & quare, ibid.

1 Aduerto 1. per Ecclesiæ Pollutionem tria significari posse, Primo actum illum polluendi Ecclesiam, prout actus ille ab agente proficiscitur, & tunc habet actiuam significationem, quomodo *Seneca lib. 1. Suasor.* dixit, *Ab hominis auditione venientem*. Secundo ipsam actionis susceptionem, vt ab Ecclesia recipitur, & tunc passiuam habet significationem, quomodo *Columella lib. 5.* dixit, *Arbusculæ quinquennio sic excultæ habiles translationi sunt*, nimirum, *vt transferantur*. Tertio effectum ipsum ipsiusmet actionis, & hoc per metonymiam, ea prorsus ratione, qua Excõmunicationis, vel Suspensionis nomina significant ex communi auctorum sensu Pœnam illam Ecclesiasticam, quæ infligitur Excommunicato, vel Suspenso ab Excommunicante, vel Suspendente, quæ potius est aliquid subsequens, & quasi factum ab ipsa actione, quam actus, vel operatio ipsa, vt consideranti patebit.

2 Aduerto 2. licet hæ tres significandi formę in verbalibus hisce nominibus latentes se se quodammodo complectantur, & vnaquæque alias connotet, ita vt ex se se mutuo pendeant, nec vna absq. alijs satis explicari posse videatur; attamen, cum Ecclesiæ Pollutio, vt plurimum, tractari soleat non secus, ac si esset Censura, vel Pœna aliqua Interdicto, vel Cessationi à Diuinis aliquatenus similis, eam iuxta tertium significandi modum, ac proinde ab effectu describendam esse, sic enim clarius eiusdem vis, ac potestas cognoscetur, & facile quiuis ex hac vna, quam afferemus, descriptione alias etiam in rem suam sibi satis effingere poterit.

3 Aduerto 3. vt cuilibet obuium est inquirere, quid sit Ecclesiæ Pollutio, ita difficilimum esse definire, quid illa sit, maxime cum illorum, quos viderim, nemo idipsum clare aggressus fuerit, nedum perfecte assecutus.

4 Dico *Pollutionem Ecclesiæ esse Moralem Maculam, qua locus sacer ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis ita quodammodo afficitur, vt ibidem iure ipso Diuinorum celebratio, & Fidelium sepultura ante Reconciliationem, nulla tamen in transgressores pœna eodem iure lata, interdicantur.*

5 Dixi Pollutionem Ecclesiasticam esse *Moralem Maculam*, quia, vt mox superius dictum est, cum Pollutionis nomen hic moraliter accipiatur, moralis etiam esse debet macula, quæ per hãc Pollutionem loco sacro inuritur.

6 Dixi *Locus sacer*, quia locus tantum sacer Pollutionis huius capax est, vt disput. 2. fusius explicabimus.

7 Dixi *quodammodo afficitur*, quia vere, & proprie locus sacer non polluitur; sed tantum in hominum opinione, vt infra patebit ex cap. 7. huius disputationis.

8 Dixi *ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico iure peculiariter vetitis*, quia licet omnes actiones, quæ Ecclesiam polluunt, sint vetitæ, quia indecentes, & valde alienæ à loci sacri sanctitate; tamen non omnes actiones, quæ locum sacrum dedecent, & illius sanctitati repugnant, Ecclesiam polluunt; sed eę solum, quæ publicæ sunt, vt infra dicetur, & per quas peculiariter locum sacrum pollui Canones expresse sanxerunt, vt disputat. 3. videbimus.

9 Dixi *ibi*, quia, nisi actus Ecclesiæ pollutiuus in ea fiat, Ecclesia nullo modo polluitur.

10 Dixi *ibidem ante reconciliationem*, vt distinguerem hanc propriam, & amouibilem loci sacri pollutionem, de qua hic sermo est, & quæ per Reconciliationem tollitur, ab ea inhabilitate perpetua, quam incurrit sepultura, in qua sepultus fuerit Hæreticus, quæ sepulturæ inhabilitas, seu impropria pollutio, per Reconciliationem non tollitur; sed perpetuo durat, vt videre est apud *Carolum Anton. Thesaurum in Praxi Eccles. p. 2. Verb. Sepultura c. 4.* & alios ibi citatos.

11 Dixi *Iure ipso*, quia Pollutionis effectus statim post actum Ecclesiæ pollutiuum, si publicus sit, consurgunt, nec prærequirunt iudicam, & criminis Declaratoriam sententiã, vt patebit ex disputat. 9.

12 Dixi, denique *nulla eodem iure pœna in transgressores lata*, quia licet à iure nulla prædictis transgressoribus pœna imposita sit; ad arbitrium tamen Iudicis grauiter ij puniri possunt, & debent, vt cap. vlt. disput. vltimę statuemus.

13 Colligo Pollutionem Ecclesiasticam non esse Censuram vllam, tum quia nullam imponit transgressoribus irregularitatem, vt Interdictum, tum quia locum sacrum tantum afficit, non personas, in quo ab Excommunicatione, à Suspensione, & ab Irregularitate quoque distinguitur, neq. etiam esse Cessationem à Diuinis particularem, quia hæc nunqnam ipso facto à Iure imposita est; sed solum à Iure concessum est, vt imponi possit, vel debeat; Pollutio autem Ecclesiæ semper de facto à Iure imposita inuenitur, nec aliter imponi solet, vt aperte constabit ex dicendis.



CAPVT III.

Quomodo Ecclesiæ Pollutio differat ab Ecclesiæ Violatione.

SVMMARIVM.

Pollutio, & Violatio Ecclesiæ aliquando ab Auctoribus confunduntur, nu. 1.

Furtum Sacrilegum cum violenta effractione Ecclesiam violat, nec polluit, n. 2.

Violatur etiam Ecclesia, dum iniuriose incenditur, nec tamen polluitur. ibid.

Violatio Ecclesiæ à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ quomodo differat, n. 3.

Violatio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ. ibid.

Violatio Ecclesiæ quomodo differat à Pollutione Ecclesiæ, nu. 4.

Omnis Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio; sed non contra. ibid.

Pollutio Ecclesiæ est etiam Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ, nu. 5.

1 Aduerto 1. passim ab Auctoribus Ecclesiæ Pollutionem dici etiam Violationem, vt videre est apud *Alter. de Censura interdicti disp. 3. Suar. in 3. p. disp. 8. sect. 4. Laym. l. 5. tr. 5. cap. 5. num. 6. Azor. tom. 1. l. 10. c. 26.* & alios.

2 Aduerto 2. apud alios Violare Ecclesiam, & Polluere Ecclesiam valde diuersa esse, vnde aliquando Ecclesiam violari docent, nec tamen inde pollui, v. g. cum furtum sacrilegum cum Ecclesiæ violenta effractione fit, vel Ecclesia ipsa incenditur, quo in casu Ecclesia violatur, & huiusmodi violatores Ecclesiarum Excommunicationē incurrūt Summo Pontifici reseruatam, vt habetur ex *Cap. Tua nos, de sent. Excommunicat.* cum *Gloss. ibid. Verb. publicati, Laym. l. 4. tr. 10. cap. 7. num. 19. Tanner. tom. 4. disp. 5. q. 8. num. 18. Farinac. q. 110. num. 15.* nec tamen in prædicto casu Ecclesia polluitur, licet violari dicatur, vt dixit, *Richard. in 4. dist. 18. art. 12. q. 2. & Thesaur. in Prax. Ecclesiastica p. 2. Verb. Incendiarij, c. 1. & 2.*

3 Aduerto 3. licet ab aliquibus Violatio Ecclesiæ dicatur differre à Violatione immunitatis Ecclesiasticæ, pro vt dixit, *Richar. l. c.* tamen, cum etiam ad Ecclesiasticam Immunitatem pertineat ius, quod Templum ipsum censetur habere, vt integrum, & illæsum seruetur, pro vt colligitur ex *Cap. Sacrilegium, Cap. quisquis, Cap. qui rapit,* cum alijs, 17. q. 4. & *Cap. Conquesti, de sententia Excommunic.* & docet, *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. c. 13. num. 3.* tamen non videri differre, nisi tanquam partem à suo toto, eo quod Immunitas Ecclesiæ comprehendat tam immunitatem Templorum, quam Personarum, & Bonorum Ecclesiasticorum omnium, quam alij vocant Immunitatem Localem, Realem, & Personalem.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Violatione Ecclesiæ eo modo, quo Violatio Ecclesiæ differt à Violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, id est, tanquam contentum à continente, & tanquam Speciem à Genere: Violatio enim Ecclesiæ latius patet, quam Pollutio Ecclesiæ, & licet omnis Pollutio Ecclesiæ sit Violatio Ecclesiæ; tamen non omnis Violatio Ecclesiæ est Pollutio eiusdem, vt ex dictis patet.

5 Collige Immunitatem Ecclesiasticam continere sub se Violationem Ecclesiæ; Violationem autem Ecclesiæ continere sub se Pollutionem Ecclesiæ, ac proinde etiam per Pollutionem Ecclesiæ violari Immunitatem Ecclesiasticam, pro vt dixit, *Del Bene l. c. c. 2. dubit. 2.*

CAPVT IV.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ ab Execratione Ecclesiæ differat.

SVMMARIVM.

Execratio aliquando significat Imprecationem, seu Maledictionem, n. 1.

Execratio hic est idem, ac Destructio Consecrationis Ecclesiasticæ. ibid.

Execratio appellatur etiam Desecratio, & Exconsecratio ab aliquibus. ibid.

Consecratio Ecclesiæ consistit in parietibus: Benedictio autem Ecclesiæ in Solo, seu Pauimento, num. 2.

Consecratio Ecclesiæ nunquam amittitur, illæsis parietibus: Benedictio autem permanet, etiam destructis, vel combustis illis. ibid.

Consecratio proprie consistit in crusta interiori parietum Ecclesiæ, n. 3.

Si Ecclesia amittat crustam parietum interiorem, saltem in maiori illius parte, amittit etiam Consecrationem, n. 3.

Pollutio Ecclesiæ dupliciter differt ab Execratione Ecclesiæ, n. 4.

Pollutio non tollit Consecrationem, quam tollit tamen Execratio. ibid.

Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem tollitur per Reconsecrationē. ibid.

Pol-

Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria; Execratio autem Ecclesiæ non execrat Altaria. ibid.
Pollutio Altaris polluit etiam Ecclesiam; sed execratio Altaris non execrat Ecclesiam. ibid.
In Ecclesia Execrata adhuc licite celebrantur Diuina, & Fideles sepeliuntur; in Ecclesia autem Polluta illicite hæc fiunt, nu. 5.

1 ADuerto 1. licet aliquando *Execratio* significet *Imprecationem*, seu, vt vulgus loquitur, *Maledictionem* illam, per quam quis suo, vel alieno capiti mala imprecatur; hic tamen Execrationem accipi pro actione illa, quæ aliquod templum ex consecrato non cōsecratum reddit, quæ etiam *Desecratio*, & *Exconsecratio* ab aliquibus appellatur.

2 Aduerto 2. Consecrationem Ecclesiæ consistere in parietibus; Ecclesiæ vero Benedictionem solo inhærere; ac proinde, illæsis Ecclesiæ consecratæ parietibus, illius consecrationem nunquam amitti; destructis autem, vel combustis parietibus, adhuc illius Benedictionem permanere, ita *Syluest. Verb. Consecratio 2. q. 4. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. cas. 6. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 27. nu. 26. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n.* 15. & alij communiter.

3 Aduerto 3. Consecrationem Ecclesiæ ita consistere in parietibus, vel potius, vt communiter tradunt DD. cum *Azor. tom. 2. l. 9. c. 7. quæst. 3.* in crusta parietum à parte interiori vbi linitio, & cruces fiunt, vt, si parietes interius decrustentur, saltem in maiori parte, tunc Ecclesia illa execrata, & sine consecratione censenda sit, vt bene docuit nouissime post multos alios *Antonell. de Regimine Ecclesiæ Episcopalis p. 1. l. 1. c. vlt. n. 1.*

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ dupliciter differre ab Execratione Ecclesiæ. Primo in hoc, quod Pollutio Ecclesiæ non tollit Consecrationem Ecclesiæ; sed tantum Ecclesiæ sanctitatem quodammodo maculat; Execratio autem Ecclesiæ Cōsecrationem omnino aufert, vnde Pollutio ipsa tollitur per Reconciliationem; Execratio autem per Reconsecrationem, vt dicemus in Tract. de Reconciliatione. Secundo in eo, quod Pollutio Ecclesiæ polluit etiam Altaria, quæ in ea Ecclesia fixa sunt, & vice versa Altarium Pollutio polluit etiam Ecclesiam ipsam; sed è contrario Execratio Ecclesiæ per se non execrat, nec polluit Altaria, nec vice versa Execratio Altaris execrat Ecclesiam, ita *Abbas in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. vel Altar. prope finem, Sylu. Verb. Altare, q. 11. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 17. Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 15. & Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 11. num. 1. & 2.*

5 Colligo hinc in Ecclesia Execrata licite posse Diuina celebrari, & Fideles sepeliri; licet ista in Ecclesia polluta fieri licite nequeat ante Reconciliationem illius.

CAPVT V.

Quomodo Pollutio Ecclesiæ differat à Profanatione Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Loca sacra Christianorum propriè dicuntur Ecclesia, vel Basilicæ; Gentilium vero, & Paganorum, Templa, Fana, Delubra. n. 1.
Profanum vnde dicatur. ibid.
Sacrum, & Profanum tam apud Sacros, quam Profanos Scriptores sunt Antitheta. ibid.
Profanare propriè, quid sit, n. 2.
Profanare late acceptum est deturpare, vel contaminare. ibid.
Profanatio Ecclesiæ late accepta aliquando potest esse Pollutio Ecclesiæ ibid.
Profanatio Ecclesiæ propriè quid sit, n. 3.
Pollutio Ecclesiæ in quo differat à Profanatione eiusdem propriè, n. 4.
Pollutio Ecclesiæ non destruit; sed tantum quodammodo maculat tam Consecrationem, quam Benedictionem loci sacri n. ibid.
Ecclesia destructa quando dicatur propriè profanata, num. 5.
Ecclesia Profanata non gaudet immunitate, & Ecclesiæ priuilegijs. ibid.
Ecclesia vero polluta ijs gaudet. ibid.

1 ADuerto 1. cum Alciato *Parerg. Iur. lib. 2. c. 4.* Christianorum loca sacra propriè Ecclesias, vel Basilicas dici; paganorum vero, seu gentilium Templa, Fana, Delubra; licet ista iam vsus confundere soleat. Hincq. factum esse omnes volunt, vt quæ sacra non sunt, profana dicantur, quasi sint porro à Fano, seu procula Fano, idest à Faui religione secreta, ac proinde non sacra: sacrum enim, & profanum antitheta sunt, vt videre est apud Plautum, qui *Sacrum*, inquit, *an Profanum habeas, paruipenditur*, & apud Exechiel. 22. *Inter sanctum, & profanum non habuerunt distantiam. Profanare* autem proinde erit aliquid *profanum facere*, ex quo *Profanatio* deducta est.

2 Aduerto 2. licet propriè Profanare sit aliquid ex sacro humanis actibus, seu omnibus hominum vsibus promiscuum facere, pro vt docuit *Macrob. Saturnal. l. 2. c. 3.* quasi aliquid

ex-

extra Fanum eijcere, & à Fano, seu à Sacris procul arcere; nihilominus aliquando templum late dici profanari, quando videlicet in eo turpe aliquid fit, templiq. religione, & sanctitate valde indignum; quamuis templum adhuc sacrum remaneat; vnde tunc *Profanare* eo modo templum videtur idem esse, ac templum *deturpare*, seu *contaminare*, quod animaduertit *Laurentius in Amalthea, Verbo Profanare*, & ante ipsum *Perottus in Cornucop. Verbo, Profanatum templum*, nec non *Alberic. in Dictionar. Verb. Profanare*, quo in sensu aliquando Profanatio Ecclesiæ posset etiam esse eiusdem Pollutio, si quid in ea fieret, quod esset propriè Ecclesiæ pollutiuum ex Sacrorum Canonum doctrina.

3 Aduerto 3. propriam Ecclesiæ Profanationem, de qua hic loquimur, eam esse, per quam locus sacer desinit esse sacer, & è sacro fit profanus, cum non sit amplius Diuino cultui sacratus; sed communibus hominum vsibus licite concessus, non secus ac si nunquam sacer fuisset, antequam profanaretur.

4 Dico Pollutionem Ecclesiæ differre à Profanatione propriè sumpta Ecclesiæ in hoc, quod sicuti Execratio destruit Consecrationem tantum, ita hæc Profanatio destruit non solum Consecrationem; sed etiam ipsam Sacrationem loci, seu Benedictionem loci sacri, & facit locum non solum è consecrato, si erat consecratus, non cosecratum; sed etiam è sacro, non sacrum; Pollutio autem nec Consecrationem, nec Sacrationem, seu Benedictionem destruit; sed vtramq. tantum maculat modo prædicto.

5 Colligo Ecclesiam proprie profanatã (quod intellige, si id auctoritate Superioris factum fuerit, aut etiam, secundum aliquos, si sine spe reædificationis ea destructa sit) non gaudere priuilegijs Ecclesiæ, nec Immunitate loci sacri, eo quod nulla ratione iam possit Ecclesia appellari, vt docent, *Clar. in Pract. Crimin. l. 5. §. final. q. 30. Farinac. quæst. Crimin. 28. num. 70. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 37. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 15.* & alij; Ecclesiam vero Pollutam semper ijs gaudere, quod infra fuse patebit disputat. sequenti.

CAPVT VI.

Vnde originem traxerit Ecclesiæ Pollutio.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ origo, seu Principium habuit ortum, incrementum, & complementum, n. 1.

Pollutionis huius principia tria statuenda sunt, Inchoantia, Crescentia, & Perficientia. ibid.

Pollutionis principia apparuere in statu Naturæ, Legis antiquæ, & Euangelij, n. 2.

Pollutionis origo posset etiam desumi ab Angelorum casu, n. 3.

Principia eius Inchoantia deduci possunt à Cain exemplo, n. 4.

Cain septem peccata commisit, & primum fuit Sacrorum Pollutio. ibid.

Pollutionis effectus præfigurati fuere in punitione Cain, dum eiectus fuit à facie Domini. ibid.

Principia Crescentia à verbis Domini ad Mosen exod. 3. colligi possunt, n. 5.

Item à multis alijs S. Scripturæ locis, quæ ibi indicantur, n. 6.

Expressissimum Pollutionis Principium in Lege antiqua refertur. ibid.

Principia perficientia in Statu Euangelij ab Apostolorum tempore deriuant, n. 7.

Immo Christi factum Io. 10. *idipsum indicat, num. 8.*

Apostoli verba 1. ad Corinth. 2. idem confirmant cum D. Thomæ expositione, ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ Antiquitatem apertissime probant SS. Canones, n. 9.

Quinam Canones potissimum agant de Pollutione Ecclesiæ. ibid.

Obiectio valida contra prædicta proponitur, num. 10. cui dupliciter respondetur.

Canones loquentes de Pollutione Ecclesiæ eam, vt antiquiorem supponunt; non eam instituunt, num. 11.

Etiamsi præcepta circa Pollutionis obseruantiam tantum imposita essen. à SS. Canonibus; tamen obseruantia ipsa Pollutionis fuit ante Canones, & ante præcepta illorum de ea, num. 12.

Ecclesiasticæ Pollutionis obseruantia non videtur minus antiqua, quam Ecclesiarum ipsarum Institutio, & Religio, seu distinctio inter Sacrum, & Profanum locum, n. 13.

Huiusce rei ratio affertur, n. 7. & 13.

1 ADuerto 1. Pollutionis Ecclesiasticæ statum tam multiplicem, ac varium fuisse, vt ad illius ortum, incrementum, & complementum significandum tria quodammodo Pollutionis Ecclesiasticæ principia statuẽda videantur, nimirum Inchoantia, Crescentia, & Perficientia, quo rei cæteroquin obscurissimæ, & ab omnibus alto silentio pressæ lux aliqua quoquo modo afferatur.

2 Aduerto 2. Pollutionis Ecclesiasticæ Principia inchoantia in Statu Naturę apparuisse, Crescentia in Statu Legis antiquæ, & Perficientia in Statu Euangelij, vt mox planum fiet,

fiet, dum de singulis tractabimus.

3 Aduerto 3. si non ab hominum tantum statu in Ecclesia militante; sed etiam ab Angelorum casu Ecclesiæ Pollutionem quodammodo auspicari vellemus, dici posse, cum cælum ipsum Empyreum Dei templum à malis Angelis, dum inibi peccauerunt, quasi pollutum fuerit, propterea eos inde eiectos fuisse, & etiam nunc tanti sceleris, & cælestis, vt ita dicam, Pollutionis pœnas luere. Sed, cum humanis contenti simus exemplis, ideo

4 Dico 1. prima Pollutionis Ecclesiasticæ Principia, quæ inchoantia dicimus, à Cain exemplo desumi posse. Cum enim Cain, teste Pererio *in Genes. tom. 1 lib. 7. n. 59.* septem peccata commisisset, eorum primum fuit, quod male sacrificauerat, ac proinde polluerat sacrificium, & consequenter etiam locum sacrificio destinatum. *Quemadmodum enim*, inquit idem *Perer. ibid. num. 13. naturalis ratio docet vnum esse Deum omnium rerum conditorē, ac dominum, ita docet, ac præcipit hunc Deum esse ab homine omni cultu tam interiori, quam exteriori colendum, atq. venerandum.* Quamobrem ex *Bellarm. de cultu Sanct. c. 5. locus rerum sanctarum*, quale fuit Abelis sacrificium, cum quo Cain quoq. suum obtulit, *sanctus, quoq. sit necesse est, adest enim Deus ipse ibi per singularem quandam virtutem*, in cuius rei signum *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*, vt Genes. 4. habetur. In Deo autem suspendente signum complacentiæ suæ ad malum sacrificium Cain, quam ostenderat signo aliquo externo (vt placet Hieronymo) ad Sacrificium Abelis, præfigurari visus est aliquis Ecclesiasticæ pollutionis effectus, & reconciliationis ipsius necessitas: vt enim Deus tunc à facie sua Cain eiecit, & in eum solitæ benignitatis effectum postea continuit, ita nunc, postquam Ecclesia polluta est, à Diuinis in ea celebrandis arcemur, & exinde multis alijs, alias solitis, fauoribus priuamur, vt infra suo loco fuse dicemus, cum de Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus agemus.

5 Dico 2. Crescentia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia ab ijs Domini verbis ad Mosen, *exod. 3.* colligenda esse. *Ne appropies huc: solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est*, id enim Mosi, ex *Theodoreti* sententia *in exodum quæst. 7.* imperatum fuit, vt prædoceret eum, qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire: nam Deus locum illum per suam præsentiam iam sanctificauerat, ideoque terram illam sanctam dixerat, quia tunc Dei sedes, domus, ac templum erat, & Deus ob reuerentiam talis loci, vt censuit etiam *Labata in Apparatu suo, Verb. Templum, proposit 2.* soluere calceamenta iussit, ne Moses Templum illud calceamentorum quodammodo pollueret attactu, vnde Pererius in hunc exodi locum exclamat, *Quis non Hæreticorum nostri temporis rideat amentiam, atq. impietatem execretur, qui omnes externas cæremonias Ecclesiasticas à Sanctissimis Patribus traditas, & ab ipsis vsq. Religionis nostræ Cunabulis adhuc conseruatas, & ad eruditionem, & promotionem pietatis Christianæ plurimum conducentes, impudenter rident, impie repudiant, & profligare, atq. è medio tollere conantur?*

6 Ad hæc eadem crescentia Pollutionis principia spectant, quæ clare Dominus ad Moysen, & Aaron loquens edixit *Leuit. 15. D. Docebitis ergo filios Israel, vt caueant immunditiā, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod est inter eos*, itemq. ea, quæ *2. Paralipomen. c. 29. Ezechiel. c. 23. Iudith. 9. psalm. 73. & 70. Daniel. 11.* sed præcipuè primum illud, omniumq. expressissimum Pollutionis Ecclesiasticæ exemplum, quando scilicet Apollonius ab Antiocho Rege Ierosolymam missus, facta ingenti Iudæorum strage, se se cum suis recepit in Sion, olim ciuitatem Dauid, tanquam in arcem bene munitam, & inde iugiter discurrens perimebat omnes ad Templum deuotionis causa accedentes, *Ex tunc enim* (verba sunt ipsissima Tornielli Annal. Sacror. tom. 2. anno mundi 3890. num. 10.) *cœperunt Iudæi à Sacrificijs in templo offerendis præpediri, & ipsum Templum tunc cœptum est multa innoxij sanguinis effusione commaculari*, vt diserte habetur *lib. 1. Machab. c. 1.* quod postea à Iuda Machabæo repurgatum, & rite renouatum est, posita lege, vt in posterū eius rei memoria mense nono per singulos annos celebraretur, & per octo dies duraret, quod Festum dicebatur Encęniorum, cuius mentio habetur, apud Io. c. 7. & huiusmodi Templi Pollutio tres annos permansit, teste *Perer. in Daniel. l. 9.* vnde *Emanuel. Thesaurus in Patriarchis* suis, *de Iuda Machabæo* inquit. *Superstitione, ac sanguine Pollutam Dei Domum nouis natalibus dedicauit.*

7 Dico 3. Perficientia Pollutionis Ecclesiasticæ Principia in Statu Euangelij deducenda omnino esse à more illo extruendi, consecrandi, conseruandique Templa, qui ab Apostolis, primisque Christianis profluxit, vt optime tradit, *Baron. Annal. Ecclesiast. tom. 1. sub Ann. Christi 57. Hinc ait Canisius de B. V. l. 5. c. 23, vbiq. gentium Templorum extruendorum, & conseruandorum ratio Christianis pulcre constat, eaq. perpetua Ecclesiæ consuetudo durat, & in-*

inde ab ipsis Christi Apostolis, primisq. Christianis originem duxit. Sicuti enim Diuini cultus ratio exposcit, vt quædam loca ad id potissimum seligantur, mundentur, & sanctificentur, ita eadem efflagitat, vt eademmet loca, si contaminentur, & polluantur, iterum perpurgentur, & emundentur, ne rursum è sacris profana fiant, sicuti antea è profanis sancta facta fuerant.

8 Hoc confirmat *Paul. 1. ad Corinth. 11.* Corinthios arguens, tanquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesia comedebant. *Nunquid domos non habetis ad manducandum? non enim (inquit D. Thomas in eadem verba lect. 4.) est licitum Domum Dei, quæ deputata est pro sacris vsibus, communibus vsibus applicare*. Vnde etiam Dominus *Io. 10.* eiecit vendentes, & ementes de templo dicens, *Domus mea Domus orationis vocabitur, & vos fecistis eam speluncam latronum*.

9 Sed omnium apertissime hoc idem confirmant antiquissima Sacrorum Canonum Iura, ex quibus Pollutionis huius casus, & effectus singillatim expressos habemus, & Purificationis etiam, seu Reconciliationis modum; de qua tamen in alio Tractatu nostro de Reconciliatione copiosissime agemus. Canones autem, ex quibus Ecclesiæ Pollutionem clarissime, & euidentissime cognoscimus antiquissimam esse, hi solent inter alios afferri, videlicet, *Cap. si motum, de Consecrat. d. 1. Cap. Ecclesijs*, quod ibidem prædicto adnectitur, *Cap. Proposuisti, Cap. Consuluisti, Cap. Aqua. Cap. Si Ecclesia, de Consecrat. Eccles. vel Altar. & Cap. vnic. in 6. eodem titulo*.

10 Dices. Prædicta Ecclesiasticæ Pollutionis exempla ante Sacrorum Canonum decreta erant tantum Symbola, & Typi veræ, & propriæ Pollutionis Ecclesiasticæ, quæ postea per Sacros Canones inducta fuit, ergo non aliunde habemus verum Ecclesiasticæ Pollutionis impedimentum ex talibus actionibus ortum, quam ex ipsis Sacrorum Canonum verbis, ergo propria, & vera origo, seu Principium huiusmodi Pollutionis ab ipsis solis Canonum decretis institutum fuit, non ante; vnde illius institutio non potest esse antiquior, quam Canonum ipsorum statuta.

11 Respondeo 1. Ecclesiasticæ Pollutionis Impedimentum à prædictis Sacrorum Canonum decretis non institui; sed supponi; & ex illius suppositione aliquid ordinari, vt ea attente consideranti liquido patebit. Quare Canonum verba nihil obstant, quin antea talibus actionibus talis quasi pœna imposita fuerit, vt, si eæ fierent in Ecclesia, hæc polluta maneret, & Ecclesiæ ipsius pollutio talia impedimenta induceret, quæ suo loco explicabuntur, ita *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. c. 2. nu. 9. & Del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica Cap. 2. dubit. 2. sect. 17. num. 7.* qui optime subdit. *Sicut itaque in illis textibus non expresse ponitur effectus Pollutionis; sed supponitur antiquitus esse impositus; ita etiam supponitur prohibitio illarum actionum facta esse*, ac proinde iam instituta Pollutio.

12 Respondeo 2. etiamsi Præceptum abstinendi in Ecclesijs non pollutis à talibus actionibus Pollutionem inducentibus, & in pollutis à Diuinorum celebratione, & Fidelium sepultura, esset à solis Canonibus profectum, & ab ijsdem solis decretum fuisset, vt in talibus casibus tantum ibi expressis Ecclesia pollueretur; adhuc earundem rerum omnium vsum, ac proinde institutionem ante Canones esse potuisse, & illis antiquiorem fuisse, licet talia sub præcepto non essent, & ita in simili casu ad Calnini obiectionem de Aqua lustralis institutione dixit *Bellarmin. de cultu sanctor. l. 3. c. 7.*

13 Colligo Ecclesiasticæ Pollutionis obseruantiam non videri minus antiquam, quam sit ipsarum Ecclesiarum institutio, mundities, & religio apud homines ex discrimine inter sacrum, & profanum. Deputatio enim talis loci ad Dei cultum est quædam illius loci segregatio à communi, & profano hominum vsu ita, vt ad talium locorum sacrorum institutionem, & distinctionem ab alijs locis profanis conseruandam semper necessaria fuerit prohibitio, vel saltem obseruantia, ne in tali loco sacro ea vnquam fierent, quæ prædictam institutionem, & distinctionem destruerent, vel saltem imminuerent, aut perturbarent, aut quodammodo contaminarent, vel polluerent, vt superius etiam innuimus num. 7.

CAPVT VII.

Quomodo Ecclesiæ Pollutio Ecclesiam maculet, seu polluat.

SVMMARIVM.

Ecclesia, cum sancta sit, propriè, & reipsa coinquinari non potest, n. 1.

Ecclesia polluitur tantum in opinione hominum, num. 2.

Ecclesia secundum alios dicitur polluta ad hominum terrorem, seu exemplum, & propter scandalum, seu horrorem, &c. ibid.

Quid sit Ecclesiam pollui in opinione hominum, ve-

varie explicatur, num. 3.
Ecclesia dicitur polluta, quo ad ipsos pollventes, qui, quantum ad se, eam polluunt, num. 4.
Templum Spirituale anima vere per peccatum maculatur, & polluitur, n. 5.
Quid sit rerum pulcritudo, & macula in genere. num. 6.
Pulcritudo, & macula animæ quid sit. ibid.
Macula peccati in quo formaliter consistat. ibid.
Ecclesia, seu templum materiale, est incapax veræ maculæ. ibid.
Non nisi extrinsece, & denominatiue dicitur Ecclesia Polluta, n. 7.

1 ADuerto 1. quæ sancta sunt, coinquinari non posse, vt habetur ex textu ipso in *Cap. fin. 15. q. vlt. Cap. Quod quidam, 1. q. 1. & V estra, de cohabitat. Cleric. & mulier.* ac proinde Altaria, Ecclesias, & Cœmeteria, cum sint sancta, & peccare nequeant, re vera non pollui, pro vt expresse de his dixit *Durand. in Rational. l. 1. c. 6. n. 43. & nouissime Iordan. Variar. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 11. n. 3.* vnde *Mazuchell. de Casibus reseruat. disp. 2. c. 6. Nihil esset*, ait, *sanctum, si incorrupta ipsa sanctitas pollueretur*, quod ante ipsum dixerat *Gloss. in Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.*

2 Aduerto 2. cum Ecclesia re vera non maculetur, nec maculari possit, quia sancta est, recurrendum esse ad alium metaphoricum, seu moralem aliquem Pollutionis sensum, in quo vere tam frequentrr etiam à SS. Canonibus polluta dicatur. vnde communiter dicunt Ecclesiam pollutam dici tantum in opinione hominum; alij autem dicunt pollutam dici ad terrorem, alij ad exemplum hominum, alij propter scandalum publice exhibitum, alij propter iniuriam grauiter illatam loci sanctitati, & alij propter abominationem, ac horrorem ipsum, qui tunc hominum mentibus incutitur ob talem delicti Ecclesiæ pollutiui perpetrationem, vt videre est apud *Graff. Aur. Decis. p. 1. l. 2. c. 48. num. 22. Durand. in Rational. Diuin. Officior. l. 1. c. 6. num. 33. Abbat. in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. nu. 5. Vgolin. de Officio, & Potestate Episcop. c. 29. §. 3. Vers. excipitur Gambarupt. de Casibus Reseruat. cas. 6. nu. 1. Barbos. de offic. & Potest. Episcopi p. 2. Allegat. 28. n. 20. & alios cum Gloss. ipsa in Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. vel Altar. in 6. Verb. pollui.*

3 Aduerto 3. licet facile prædicta dicantur; tamen non facile intelligi, quid sit Ecclesiam pollui quo ad opinionem hominum, & sic de cæteris. Anne ergo Ecclesia pollui dicetur, quia, cum turpe, & indecens quidpiam in templo committitur, pollutum etiam dicimus locum ipsum? Anne, quia, qui reuerentiam templo debitam non exhibent, templum quodammodo nitore, & pulcritudine sua priuant, vt exinde quasi sordere videatur? Anne, quia locus ille, in quo delictorum venia postulatur, in se recipere quodammodo cogitur delictorum perpetrationem, ac sordes? Anne, quia, vbi pura, & salutaris Hostia Deo offerri solet, ibi turpis iniuria eidem infertur? Anne denique, vt ex eo, quod templum ipsum pollutum dicimus, quando in eo talis actio fœda, & turpis fit, licet templum ipsum peccati incapax sit, multo magis peccatorem ipsum ex sua illa actione pollui cognoscamus? vere rem ipsam omnia tangunt; verum.

4 Dico Ecclesiam dici pollutam in opinione hominum ex eo præsertim, quod delinquens, & talem actionem Ecclesiæ pollutiuam perpetrans fecit, quo ad se, quantum potuit, vt Ecclesiam pollueret, si ea Pollutionis vere capax esset. Sic clare habetur ex *tex. in Cap. Quidam, 1. q. 1.* vbi ratio redditur, cur Sacramenta quidam polluere dicantur, cum tamen illa impolluta permaneant, & ait, *Constat enim Sacramentorum sanctitatem in peruersis, & sceleratis hominibus, siue in eis, qui intus sunt, siue in eis, qui foris sunt, impollutam, atq. inuiolabilem permanere, & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est, dicuntur*, & sic hoc idem explicant *Iordan. l. c. Zecch. de Missa Cap. 7. in fin. Mazuchell. de Casib. reseru. disp. 2. cap. 6. initio*, & communis Doctorum sententia apud *Vgolin. de offic. & Potest. Episcopi, c. 29. §. 1. nu. 1. cum Gloss. in Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. vel Alt. in 6.* quæ de Pollutione Ecclesiæ expresse loquitur.

5 Dices. Anima nostra, quæ ex 1. *ad Corinth. 3.* est Spirituale Dei templum, per peccatum vere polluitur; transacto enim peccati actu, manet in homine macula, à qua vere dicitur peccator maculatus, immundus, sordidus, inquinatus, abominabilis, vt patet ex Scripturis, quas in hanc rem afferunt Theologi, & præcipue *Becan. de peccatis, quæst. 1. capitis 7. num. 1.* sicuti post peccati remissionem dicitur ablutus, & mundatus, ergo idem dicendum est de materiali templo, quandoquidem vtrumq. Pollutum dicitur.

6 Respondeo, cum macula sit quid oppositum pulcritudini, & pulcritudo consistat in debita dispositione, & ordine, quem exigit vnumquodq. ex vi suæ idealis mensuræ, consequenter maculam in eo consistere, quod tollat aliquid de hac dispositione, vel ipsam totaliter corrumpat; cum autem anima sit ordinata ad finem, & debeat respectu ipsius

congruo modo se disponere, hine formaliter moralis animæ pulcritudo consistet in illo ordine, ex quo consurgit debita dispositio cum vltimo fine; deformitas vero animæ formaliter consistet in opposito prædictæ pulcritudinis, vt optime tradit *Pasqualig. in Theol. Moral. disp. 26. sect. 7. num. 44. & 45.* Quare, cum peccati macula formaliter consistat in priuatione debitæ dispositionis, & ordinis, quo creatura rationalis debet coordinari cum vltimo fine (peccatum enim auertit à Deo, & dissoluit ordinem cum ipso) eumq. per hanc dissolutionem, seu priuationem ordinis cum fine vltimo, destruatur animæ pulcritudo moralis, vere anima, cum sit capax formalis huius dispositionis, & ordinis, moraliter polluitur, & non extrinsece tantum ralis denominatur; Sed templum materiale, cum non sit capax peccati, nec prædictæ formalis dispositionis, aut ordinis, prædictam maculam formaliter subire vere non potest, quam tamen subeunt templum polluentes, si peccaminose id faciant, hi ergo dicuntur templum polluere, quia, si illud pollui posset, ab his pollueretur, cum in eo ea faciant, quæ sunt contra bene ordinatum illius vsum; sed vsus inordinatus tépli non ipsam templi sanctitatem, sed ipsos templo abutentes maculat, vt per se patet.

7 Colligo templum, seu Ecclesiam materialem non nisi extrinsece, & denominatiue dici pollutam, eo quod eius ordo, & dispositio ad suum finem, vel destructio talis ordinis, non pendeat ab intrinseco illius actu, vt in anima nostra; sed tantum ab extrinseco actu ordinantis, vel deordinantis illam ad ipsius finem, respectu cuius Ecclesia materialis bene, vel male disposita, & ordinata, ac proinde pulcra, vel turpis, munda, vel polluta dicitur.

CAPVT VIII.

An Pollutio Ecclesiæ re vera Ecclesiam offendat.

SVMMARIVM.

Dubitationis huius ratio exponitur, n. 1.
Ecclesia materialiter sumpta proprie non est capax offensionis, aut iniuriæ, n. 2.
Irrationalia possunt adorari, seu coli relatiue, seu respectiue; non absolute, n. 3.
Eadem etiam eodem modo possunt offendi, & iniuria affici. ibid.
Quid sit coli relatiue, vel absolute. ibid.
Templum non est capax Iuris, & Dominij, & illius ius pertinet siue immediate ad Deum, siue ad Clerum, siue ad Fideles, n. 4.
Ecclesia materialiter sumpta relatiue coli, vel offendi potest, ibid.
Templum hic consideratur, vt persona quædam capax sui Iuris, & dominij. ibid.
Actiones Ecclesiæ pollutiuæ sunt illi iniuriosæ; quia eam priuant debito cultu, n. 5.
Abstinentia ab actionibus Ecclesiæ pollutiuis est pars cultus Ecclesijs debiti. ibid.
Vnde illarum actionum indecentia oriatur. ibid.

1 Aduerto 1. rationem dubitandi inde ortam esse, quod, cum dixerimus superiori capite Ecclesiam re vera non Pollui, seu maculari, licet pollui, seu maculari dicatur, idem fortasse dicédum videri possit de offensa, quam per Pollutionem inferri Ecclesiæ diximus. vnde in hoc capite hac de re disputabimus, vt rei veritas elucescat.

2 Aduerto 2. res rationis expertes, vt honoris, ac Iuris incapaces proprie sunt, ita offensionis, ac iniuriæ participes proprie non esse; vnde certum est Ecclesiam materialem proprie non esse capacem offensionis, ac iniuriæ, ac proinde eam proprie offendi non posse ex *Suar. de Religion. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 13. n. 1.* pro vt etiam proprie eam pollui non posse superius affirmauimus.

3 Aduerto 3. cum irrationalia, licet absolute adorari, seu honorari non possint ob rationem prædictam; possint autem adorari, seu honorari relatiue, seu respectiue, cultu videlicet relato ad res rationales, ad quas illa ordinem dicant, & cum quibus quodammodo coniungantur; consequenter posse etiam relatiue, & respectiue offendi, & iniuria affici, iniuria scilicet ad res rationales relata, ad quas ea ordinem dicát, & cum quibus aliquomodo connexa sint. Quare

4 Dico, cum materialis Ecclesiæ ius, & dominium non ad ipsam, quæ iuris, ac dominij capax non est; sed vel ad Deum ipsum immediate, vel ad Clerum, vel ad Fidelem populum pertineat, vt tradit *Suar. l. c. num. 3.* quod alibi disputandum erit, Ecclesiam prædictam materialem, per offensas, & iniurias illi illatas, relatiue tantum, & respectiue offendi, absolute autem, & proprie prædictas offensas, & iniurias pertinere ad eos, ad quos Ecclesiæ materialis Ius, & dominium pertinet: & consequenter Ecclesiam per illius pollutionem vel respectiue tátum offendi, modo prædicto, vel solum per fictionem iuris, cum in hoc consideretur Ecclesia, tanquam persona quædam capax sui iuris, & dominij, quod magis rem explicat.

5 Col-

5 Colligo Ecclesiæ ius per Ecclesiæ pollutionem lædi in hoc, quod per illas actiones, quæ Ecclesiam polluunt, auferuntur ab Ecclesia bona extrinseca cultus, & reuerentiæ, ad quæ Ecclesia ius habet, qui cultus, & reuerentia inter cætera consistit in tali abstinentia à talibus actionibus in tali loco, quæ tum ex natura rei, tum ex positiua prohibitione, ibi indecenter fiunt, vt clarius apparebit ex subsequẽtibus capitibus.

CAPVT IX.

An polluere Ecclesiam sit per se loquendo, & ex genere suo, graue peccatum.

SVMMARIVM.

Polluere Ecclesiam videri potest cuipiam peccatum aliquando leue, aliquando graue, n. 1.

Polluere Ecclesiam potest esse peccatum graue, vel leue ex multiplici capite, n. 2.

Ecclesia aliquando sine cuiusuis culpa pollui potest, & exemplum affertur, n. 3.

Polluere Ecclesiam est per se loquendo, & ex genere suo peccatum graue, n. 4.

Polluere Ecclesiam semper est saltem grauis irreuerentia loci sacri ex cõi sententia DD. ibid.

Id innuunt Sacrarum literarum exempla, & dicta earundem frequẽtissima, & grauissima, n. 5.

Idem indicant Summorum Pontificum Constitutiones hac de re; sed maxime Pij V. ibid.

Illud ipsum confirmant SS. Patrum auctoritates, & Doctissimorum hominum sententiæ. ibid.

Non repugnat, quod Polluere Ecclesiam sit ex se peccatum graue, & quod aliquando Ecclesia polluatur sine vllius peccato. n. 6.

Iura non semper requirunt ad Ecclesiæ pollutionem actum grauiter ex se peccaminosum. ibid.

Omnis actus Ecclesiæ pollutiuus in ordine ad talẽ effectũ sit grauiter peccaminosus, licet præscindendo à tali effectu non esset peccaminosus. ib.

Nescire malitiam actionis Pollutiuæ sẽper impedit peccatũ; non semper Ecclesiæ pollutionẽ. ib.

Iura hic aliquando attendunt tãtum ad materialem actionem, non ad illius malitiã, & cur. ib.

1 ADuerto 1. cum superius dixerimus actiones Ecclesiæ pollutiuas esse indecentes, & proinde in Ecclesia vetitas, iure optimo hic dubitari posse, num agere in Ecclesia id, quo illa polluitur, sit ex genere suo, & per se loquẽdo, peccatum graue; fieri .n. potest, vt id, vel grauiter, vel leuiter peccaminosũ videri cuipiã possit, vt clarius ex dicendis apparebit.

2 Aduerto 2. Polluere Ecclesiam posse esse peccatum, ac subinde graue, vel leue ex multiplici capite; v.g. vel eo quod polluere Ecclesiam inferat ipsi Ecclesiæ graue, seu leue damnum, vel nocumentum; vel eo quod polluere Ecclesiam sit iure positiuo prohibitũ grauiter, seu leuiter; vel etiam eo quod polluere Ecclesiam sit aliquid intrinsece malum graue, vel leue, pro vt in sequentibus capitibus speciatim disputabimus. Vnde hic generatim tantum quærimus, an polluere Ecclesiam per se loquẽdo, ex genere suo, & quasi præscindendo à peculiaribus omnibus capitibus, quæ recensuimus, sit grauiter, vel leuiter peccaminosum.

3 Aduerto 3. cum Ecclesia aliquando etiam sine alicuius culpa vere pollui possit v. g. siquando corpus pagani, vel infidelis in ea sepeliretur, eo quod crederetur corpus alicuius Fidelis baptizati, & publice postea constaret esse vere corpus Pagani, vel Infidelis, prout bene aduertit, & notandum dixit *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. n. 5.* & inferius fusius explicabitur, idcirco me hic dixisse, *ex genere suo, & per se loquendo*; in prædicto enim illo casu ea ignorantia impediret quidẽ hoc peccatum; sed id esset per accidens, & ideo per se non tolleretur vniuersaliter illa malitia, quæ ex genere suo inest actui polluẽdi Ecclesiam, siue ea malitia proueniat ex vno, vel multis illis capitibus, quæ superius innuimus, & inferius explicabimus, siue eadem sit grauis, siue leuis, qua de re in hoc capite disputamus, siue etiam ea sit intrinsece, siue extrinsece, de qua alibi sermo erit.

4 Dico Polluere Ecclesiam esse ex genere suo, etiã per se loquendo, peccatum graue. Ratio autem in vniuersum est, quia id non fit sine graui irreuerentia, iniuria, & quasi nocumento loci sacri. ita expresse *Suar. l. c. Mazuchell. de Casibus Reseruat. disp. 2. c. 6. difficult. 6. Franc. de Lugo de Sacrament. lib. 5. c. 6. quæst. 12. n. 90.* & communis est Doctorum sententia, prout copiosius, & distinctius ex insequentibus capitibus colligi poterit.

5 Hoc ipsum autem mirabiliter innuunt tum grauissima supplicia, quibus Deus templorũ contaminatores punijt, vt passim ex Sacris Literis, & verissimis historijs patet, *Vltio enim Domini est, vltio templi sui*, quod apud *Ieremiam cap. 50. & 51.* habetur, & clare indicitur ab Apostolo *1. Corinth. c. 3.* dum intonat, *Siquis templum violauerit, disperdet illum Deus.* tum Summorum Pontificium Constitutiones, & in primis illa Pij V. Romæ edita Kal. Aprilis 1566. quæ incipit, *Cum primum, &c.* quæ habetur in Bullario, & eam refert *Quaranta*

Verb. Reuerentia. tum denique Sanctorum virorum dicta in hanc rem, *Optatus* enim *Mileuitanus contra Parmenionem c.3.* templorum contaminationem Christi Cruxifixioni comparat. *Illi*, inquit, *iniecerunt manus Christo in cruce; à vobis percussus est in Altari*. videri etiā potest *Tobias Corona de Sacris Templis part. 1. cap. 41.* nam multa affert, quæ mire faciunt ad rem, de qua agimus.

6 Colligo, licet semper verum sit Polluere Ecclesiam esse ex genere suo, & per se loquendo peccatum graue, & aliquādo etiam verum sit, Ecclesiam pollui posse absq. alicuius peccato, vt supra dictum est; tamen alterum alteri nequaquam repugnare: illud enim prouenit ex eo, quod polluere Ecclesiam est inferre grauem iniuriam, & irreuerentiam loco sacro; hoc autem fit ex eo, quod Iura non semper ad Ecclesiæ pollutionem requirunt actum grauiter ex se peccaminosum; sed aliquando alicui actui nullo modo in se peccaminoso talem pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam adiungunt (licet in ordine ad talem effectum, & quasi pœnam ille actus tunc fiat idcirco grauiter peccaminosus, dummodo hæc connexio talis actionis Pollutiuę cum tali suo effectu, & quasi pœna ob operante cognoscatur) nec attendunt, quo casu, aut quo peccato talis actio, v. g. sepeliendi tale Pagani cadauer in Ecclesia, facta fuerit; sed tantum, quod illa facta fuerit, & quod tale cadauer ibi sepultum fuerit, vel ibi sit: nec alia ratio fortior hic occurrit, cur Iura aliquando hanc Pollutionis Ecclesiasticæ quasi censuram adiunxerint actibus quibusdām grauiter tantum peccaminosis, aliquando autem actibus quibusdā ex se nō peccaminosis, vt *disput. 3.* dicemus, nisi quia iura ita disponere voluerunt. *Vid. Suar. de Relig. 1. tr. 2. l. 3. c. 2.*

CAPVT X.

An polluere Ecclesiam sit graue peccatum ex eo, quod id graue damnum inferat Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Polluere Ecclesiam tripliciter considerari potest, idest, vt actus moralis tantum in genere, vt factus in Ecclesia, & vt Ecclesiæ pollutiuus, num. 1.

Polluere Ecclesiam potest esse malum vel intrinsece, vel extrinsece, n. 2.

Polluere Ecclesiam quomodo accipiatur in hoc capite, & etiam alibi ordinarie, num. 1. & 3.

Polluere Ecclesiam videtur graue peccatum, etiā ex hoc capite, quod graue nocumentum affert Ecclesiæ, quam polluit, n. 4.

Quæ notabiliter impediunt Diuina officia, sunt grauiter mala contra Ecclesiæ cultum. ibid.

Polluere Ecclesiam, si non physice, saltem moraliter, impedit in Ecclesia Diuinorum celebrationem vsque ad Ecclesiæ Pollutæ Reconciliationem. ibid.

Inferre sibi maximum impedimentum ad ordines suscipiendos incurrendo sponte irregularitatem per iustum exercitium criminalis iudicij, non est peccatum in laicis, & quare, n. 5.

Secus accidit in impedientibus per pollutionem, & priuantibus Ecclesiam Iure suo ad Diuina celebranda, & quare, n. 6.

Clerici fortasse ratione muneris sui tenentur vitare irregularitatem, quia hæc illorum munus impedit. ibid.

Laici cedere sponte, & licite possunt iuri suo ad ordines Ecclesiasticos, n. 7.

Polluens Ecclesiam contra illius deputationem, ac vsum iniuste facit, cui iuri suo Ecclesia sponte non cedit. ibid.

Impedire Diuina officia non est effectus sequens Pollutionem Ecclesiæ naturaliter; sed ex iure tantum positiuo, n. 8.

Polluere Ecclesiam malum est etiam ob effectum suum impediendi Diuina, licet iste effectus ei accidentaliter à Iure impositus sit, n. 9.

Confirmatur id exemplo actus ex se non mali, qui à lege prohibitus fit extrinsece malus. ibid.

Idem dicendum, quando actui alioquin bono malus effectus adnectitur. ibid.

Polluere Ecclesiam, etiamsi intrinsece non esset grauiter malum, grauiter malum fieret præcise ratione prædicti grauis nocumenti, quod per pollutionem affertur Ecclesiæ, n. 10.

1 Aduerto 1. actum Ecclesiæ pollutiuum tripliciter considerari posse ad rem nostram. Primo, vt est actus moralis, & sic bonus, vel malus, præscindendo ab hoc, quod fiat in Ecclesia. Secundo, vt est bonus, vel malus ex hoc, quod fiat in Ecclesia. Tertio, vt est bonus, vel malus ex hoc, quod Ecclesiam ipsam polluit, & tale illi impedimentum affert: quare, cum polluere Ecclesiam sit actum Ecclesiæ pollutiuum elicere, etiam polluere Ecclesiam sub triplici prædicta consideratione capi potest; licet ordinarie accipiatur sub tertia, vt patet ex superiore capite, hæc enim ex se illius est acceptio magis propria, vel communior.

2 Aduerto 2. polluere Ecclesiam proprie, ac-

acceptum, ideſt, quatenus triplicem prædictam acceptionem complectitur, adhuc poſſe eſſe malum, vel extrinſece, vel intrinſece iuxta prædicta cap. antecedente, de quibus ſingulis in ſequentibus capitibus diſtincte agemus, vt diſtinctior rei cognitio euatur.

3 Aduerto 3. cum iam ſtatuerimus polluere Eccleſiam eſſe ex genere ſuo peccatum graue, hic tantum quæri, num hæc peccati grauitas etiam proueniat ex hoc (quicquid ſit de alijs capitibus) quod Eccleſiæ inde pollutæ graue nocumentum afferatur per eiuſdem pollutionem; an vero leue illud ſit, & leuis etiã ex hoc capite culpa polluentis.

4 Dico Polluere Eccleſiam videri mihi graue peccatum tum ex alijs, tum ſimul etiam ex hoc capite, quod graue damnum, ſeu nocumentum infert Eccleſiæ: cum enim Eccleſia ſit ſolemniter deputata ad Diuinorum celebrationem, ad quam per ipſam pollutionem quodammodo inhabilitatur, & moraliter impeditur, conſequenter Eccleſia tunc priuatur magno iure ſuo, magno honore, & cultu, & quaſi poteſtate, vel exercitio, ac libertate muneris ſui, quod nonniſi graue crimen putatur ob graue Eccleſiæ detrimentum, ac iniuriam a polluente illatã, ita autem ſentire coguntur quotquot cum *Nauar. in Enchir. de Orat. c. 5. num. 42.* docent, quæ notabiliter impediunt Diuina Officia, eſſe grauiter mala contra reuerentiam Eccleſiæ debitam, quod etiam approbatur ab *Alberto de Albertis in Paradox. Moral. diſp. 3. c. 2. num. 20.* Si enim peccatum mortale eſt notabiliter impedire Diuina Officia, quanto magis peccatum graue erit Eccleſiam polluere, quod penitus Diuinorum celebrationem impedit in Eccleſia, vſque ad ipſius Eccleſiæ Reconciliationem?

5 Dices 1. aliquid agere, vnde in ſe ipſis ſequatur irregularitas, non eſt peccatum in laicis, vt conſtat in omnibus actibus criminalis iudicij, per quos incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, i. n. actus non proinde ſunt in laicis peccaminoſi, licet irregularitas ſit etiam in laicis maximum impedimentum ad Eccleſiaſticos ordines: ergo neque aliquid agere, vnde ſequatur Eccleſiæ pollutio, quæ eſt impedimentum Diuinorum Officiorum, erit peccatum, ſaltem graue, niſi actio illa ex alio titulo peccaminoſa ſit, & non ex ſolo effectu polluendi Eccleſiam.

6 Reſpondeo 1. diſparitatem eſſe inter Irregularitatem in laicis, & Pollutionem in Eccleſia, nam illa in laicis eos priuat ſolum facultate ordinum ſuſcipiendorum, quod eſt ius quoddam valde remotum, & non in re; ſed tantum ad rem; Pollutio vero priuat Eccleſiam ipſam iure illo, quod Eccleſia habet in re, nimirum exercitio ipſo, & munere proprio, quod multo magis malum aggrauat. Vnde etiam *Suarez de Religione to. 1. tr. 2. 3. c. 2. num. 8.* actionem, ex qua incurreretur irregularitas, ait in clericis futuram eſſe peccaminoſam fortaſſe etiam ex hoc capite, quod hi ratione ſui muneris videntur teneri ad vitandum irregularitatem, quæ ordinum exercitium, & proprium Clericorum munus impedit, ad quod ſolemniter deſtinati ſunt.

7 Reſpondeo 2. aſſignando aliam diſparitatem: laici enim, qui irregularitatem incurrunt in prædictis caſibus criminalis iudicij, ſponte ipſi cedere poſſunt iuri ſuo ad ordines, quos nondum habent, cum nemo priuilegio vti cogatur; ſed qui non ſe, ſed Eccleſiã, iniuſte per actionem Eccleſiæ pollutiuã priuat tali Diuinorum Officiorum exercitio, contra Eccleſiæ ipſius deputationem, ac vſum facit, & grauem illi in hominum opinione iniuriam infert, vt iam dictum eſt.

8 Dices 2. morale impedimentum Diuinorum Officiorum, quod talem actionem Eccleſiæ pollutiuam conſequitur, non eſt effectus proprius, & naturalis talis actionis; ſed illi actioni extrinſecus aduenit à iure poſitiuo, ergo ille actus, qui Eccleſiam polluit, non poteſt eſſe malus, & peccaminoſus ex hoc effectu polluendi Eccleſiam.

9 Reſpondeo, conceſſo antecedente, negandam eſſe illationem: ſiue enim talis effectus eam actionem ſequatur naturaliter, ſiue poſitiue, illa actio ob talem effectum malum eſt mala; etiamſi, eo remoto, ea deſineret eſſe mala. nam etiam idem actus ex libera voluntate legiſlatoris ſit peccatum, licet antea ille actus talis non eſſet, & deſinit eſſe malus, ea ablata. actus enim alioquin non malus, adueniente noua prohibitione, fieri poteſt malus, quia poſt illius prohibitionem ſit naturæ rationali, vt rationalis eſt, diſconueniens: quod idem proportione dico de nouo effectu malo, ſi actui alioquin bono adnectatur, vt per ſe patet.

10 Colligo actum polluendi Eccleſiam non ſolum poſſe grauiter eſſe malum ex alijs ſimul capitibus, vt poſtea videbimus; ſed de facto, etiamſi ex ſe, & intrinſece non eſſet grauiter malus; ſemper tamen eſſe grauiter malum præciſe ob hoc morale eiuſdem Pollutionis impedimentum, quod Eccleſiæ graue quaſi nocumentum affert, vt ex dictis conſtat.

CA-

CAPVT XI.

An Polluere Ecclesiam sit graue peccatum ex eo, quod id iure positiuo prohibitum sit.

SVMMARIVM.

Statuta per Sacros Canones Reconciliationis necessitate, videtur etiam statuta Pollutionis prohibitio, n. 1.

Prohibita Ecclesiæ pollutione, prohibita censentur omnia, quę talem pollutionem inducunt, & Reconciliationi causam dant. ibid.

Prohibitionem pollutionis Ecclesiasticę leuem aliqui; alij grauem putarunt, n. 2.

Actiones Ecclesiæ Pollutionem secum adducentes non habent id ex natura sua; sed ex Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine, n. 3.

Tam actus Ecclesię pollutiuus, quam eius effectus, i. ipsa pollutionis macula moraliter Ecclesiæ inusta, seu primario, seu secundario, ab Ecclesia prohibita fuit. ibid. & ratio affertur. ibid.

Polluere Ecclesiam est graue peccatum etiam ex eo præcise, quod à Iure Ecclesiastico grauiter prohibetur, n. 4.

Polluere Ecclesiam quomodo in hoc capite accipiatur. ibid.

Vnde probetur prohibitionis huius Ecclesiasticæ grauitas, n. 5.

Etiam Cap. Decet, de Immunit. Eccles. in 6. *prohibitionis huius grauitatem indicat, nu. 6.*

Quot conditiones, & quæ requirantur ad prohibitionis Canonicæ grauitatem. ibid.

Actio Ecclesiæ pollutiua ideo tantum prohibita fuit ab Ecclesia, quia est contra Ecclesiæ reuerentiam; sed non ideo tantum ea est contra Ecclesiæ reuerentiam, quia prohibita fuit ab Ecclesia, n. 7.

1 ADuerto 1. cum contrariorum eadem sit disciplina, statuta à Sacris Canonibus Reconciliatione, tanquam necessaria ad Ecclesiæ pollutionem, ac proinde ad Diuinorum prohibitionem tollendam, vt patet ex *Cap. si motum, de Consecrat. dist. 1. Cap. Proposuisti, Cap. Aqua, Cap. Si Ecclesia de Consecrat. Eccles. vel altar. & Cap. vnic. eodem titulo in 6.* inde censeri prohibitum Ecclesiam polluere, ac subinde prohibita etiam omnia, quæ Reconciliationi causam dant, & Ecclesiam polluunt, vt bene vnum ex alio infert *Del Bene de Immunit. Ecclesiast. p. 1. c. 2. dub. 2. sect. 17. num. 7.*

2 Aduerto 2. Ecclesiasticam hanc prohibitionem, saltem implicitam, & indirectam, per quam prohibitum est Ecclesiam polluere, seu in Ecclesia ea agere, per quæ ipsa polluatur, posse alicui videri leuem, vel grauem, vt videre est apud *Suarez. de Relig. to. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. n. 8.* & supponit *Angel. Verb. Debitum coniugale n. 35.*

3 Aduerto 3. cum actus Ecclesiæ pollutiuus, idest, ea actio, cui semper, & necessario adnectitur, quasi effectus necessarius, Ecclesiæ pollutio, non habeat necessariam connexionem hanc cum prædicto effectu ex natura sua; sed solum ex Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine à primis Ecclesiæ nascentis temporibus deducta, & perpetuo obseruata, quæ vim legis habet, vt patet ex ipsis superius citatorum Canonum verbis, propterea nihil hic referre, siue Ecclesia primario prohibuerit in locis sacris talem actum, qui necessario secum affert loci sacri pollutionem, & secundario hanc ipsam loci sacri Pollutionem; siue primario hunc effectum, & secundario illius causam, videlicet actum, qui secum necessario trahit hunc effectum; semper enim verum est dicere, tam actionem, ex qua sequitur necessaria Ecclesiæ pollutio, quam Ecclesiæ pollutionem, quæ necessario consurgit è tali actione, esse vere ab Ecclesia prohibitam; qui enim prohibet effectum necessarium, prohibet etiam illius causam, immo etiam illius proximum periculum; posita enim tali causa necessaria, ponitur talis effectus, & qui vult talem causam, vult etiam talem effectum, & contra; qui vero periculum amat, peribit in illo.

4 Dico Polluere Ecclesiam esse graue peccatum etiam ex eo tantum, quod id iure Ecclesiastico prohibitum est: loquimur autem hic de actione Ecclesiæ pollutiua, prout talis est, idest, in ordine ad talem effectum polluendi Ecclesiam; nam, vtrum eadem actio Ecclesiæ pollutiua, prout præscindendo à tali effectu considerari potest, sit adhuc graue peccatum, & contra reuerentiam loco sacro debitam, ac proinde, an sit etiam Sacrilegium graue, dicemus infra.

5 Patet autem prædicta conclusio, quia, cum ab Ecclesia prohibita fuerit loci sacri Pollutio, vt iam satis ex dictis constat, non nisi grauiter eam prohibitam fuisse omnino censendum est, agitur enim de re grauiter repugnante deputationi loci sacri, & illius reuerentiæ, vt *cap. 9.* dictum est; immo de re, quæ magnum affert ipsimet Ecclesiæ quasi nocumentum morale, vt præcedenti cap. docuimus, colligiturque hæc eadem conclusio

ex

ex *Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. n. 8. & 9. Fr. de Lugo de Sacrament. lib. 5. c. 6. q. 12. nu. 85. & 86. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 15. punct. 1. Vasquez 1. 2. q. 72. art. 6. disp. 98. num. 4. & sequent. Mazuchel. de Casib. Reseruat. disp. 2. c. 6. num. 87. & Del Bene De Immunitat. p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 18. num. 12.*

6 Confirmatur etiam eadem conclusio ex decreto Greg. X. in Concil. General. Lugdunen. quod refertur in *Cap. Deces, De Immunit. Eccles. in 6.* ex eo enim habetur, quæ grauem irreuerentiam templo inferunt, quale est Ecclesiam polluere, vt supra dictum est, mortalia esse, quia à tali Canone specialiter, & grauiter prohibentur, quod optime eum Suarez explicuit *Albertus de Albertis in Paradox. Moral. disp. 3. c. 2. n. 13. 14. 15. & 16. Lex enim Canonica*, inquit, *quoties triplici hac conditione prædita est, 1. verbis præceptiuis lata est. 2. materia ipsa grauis est, & culpæ lethalis capax, 3. nulla est circunstantia mentem Legislatoris ad solam culpam venialem restringens, toties transgressores ad delictum mortale iuxta materiæ capacitatem obligat*, vt tanquam compertum axioma tradunt *Suarez de Legib. l. 3. c. 26. nu. 5. & sequent.* & passim omnes, quorum multi ab eodem ibid. citantur. & hæ tres conditiones in prædicto *Cap. Decet*, præsto sunt, vt ibidem diligentissime obseruauit idem *Albert. num. 15.*

7 Colligo actiones quidem Ecclesiæ pollutiuas ab Ecclesia prohibitas fuisse, & quidem grauiter, ob solam grauem irreuerentiam, quam exhibent loco sacro; sed eas non esse contra reuerentiam loci sacri ob id tantum, quod sint ab Ecclesia prohibitæ, vt alibi etiam fusius dicetur.

CAPVT XII.

An polluere Ecclesiam sit graue peccatum ex eo, quod id sit intrinsece malum graue.

SVMMARIVM.

Quomodo aliquid dicatur intrinsece, seu extrinsece malum moraliter, num. 1.

Aliqua dicuntur prohibita, quia mala; aliqua vero mala, quia prohibita. ibid.

Dupliciter aliquid dicitur intrinsece malum, vel Absolute, vel Conditionate, n. 2.

Odisse Deum, & mentiri, dicuntur intrinsece mala absolute; abuti vero calice consecrato, & similibus, intrinsece mala conditionate. ibid.

An aliquid sit intrinsece moraliter malum ante omnem legem, etiam Diuinam, id prohibentem, ibid. remiss.

Io. Caramuel ingeniosissimus Doctor laudatur. ibid.

Eorum, quæ intrinsece mala dicuntur, quædam grauiter, quædam leuiter mala esse possunt, num. 3.

Polluere Ecclesiam semper est intrinsece malum conditionate, n. 4.

Polluere Ecclesiam quomodo non semper sit intrinsece malum graue. ibid.

Polluere locum sacrum prohibitum fuit ab Ecclesia, quia id est intrinsece malum, n. 5.

Actiones, per quas polluitur Ecclesia, non semper sunt intrinsece grauiter malæ, n. 6.

Quænam actio Ecclesiæ pollutiua sit intrinsece grauiter, vel leuiter mala. ibid.

Quænam irreuerentia loci sacri sit intrinsece graue, vel leue peccatum. ibid.

Irreuerentiam loci sacri dupliciter velle possumus, directe, & indirecte. ibid.

Irreuerentia loci sacri directe, & formaliter volita semper est graue peccatum. ibid.

Eadem indirecte, & materialiter quodammodo volita ordinarie est leuis culpa. ibid.

Grauis difficultas contra prædicta proponitur, num. 7.

Copula coniugalis intrinseca repugnantia cum loco sacro quomodo aliquando cesset, n. 8.

Legis naturalis obligatio aliquando etiam cessat, nedum positiua. ibid.

Quod de copula coniugali dictum est, de aliis et à actionibus Ecclesiæ pollutiuis, & grauiter intrinsece malis, dicendum est, n. 9.

Iuxta circunstantiarum variationem variatur etiam aliquando moralis, & intrinseca actionum malitia. ibid.

1 ADuerto 1. illud dici intrinsece malum, quod sit contra rectam rationem, & intrinsecam, ac naturalem legem, quam Deus nobis indidit, cum super nos lumen vultus sui signauit; illud autem dici extrinsece malum, quod sit contra positiuam, & extrinsecam legem, quæ nobis indita non sit; sed addita extrinsecus: aliqua enim prohibita sunt, lege nimirum positiua, quia mala sunt; aliqua vero mala sunt, quia positiue prohibita sunt.

2 Aduerto 2. dupliciter aliquid posse dici intrinsece malum, vel Absolute, vel Conditionate. Intrinsece malum absolute id est, quod tale est, nulla supposita institutione humana; Intrinsece autem malum conditionate id est, quod, supposita aliqua institutione humana, tale est. Intrinsece malum absolute dicitur v. g. odium Dei, mendacium, & similia; intrin-

trinsece vero malum cōditionate dicitur v. g. contemptus calicis consecrati: calici enim consecrato ex naturali lege debetur maior reuerentia, quam vasis communibus, non antecedenter ad omnem institutionem humanam; sed supposita consecratione calicis, quę est de iure humano: quod idem dico de templi consecratione, vel benedictione, vt mox apparebit. An vero aliquid vere sit intrinsece moraliter malum, sublata omni lege, etiā Diuina, id moraliter prohibente, videatur summe ingeniosus, & ingenuus Vir *Caramuel Theolog. Moral. l. 2. c. 3. disp. 1. art. 2. num. 1019. & sequentibus*, qui mire mihi placet.

3 Aduerto 3. cum etiam ex intrinsece malis tam absolute, quam conditionate, aliqua esse possint grauiter, aliqua leuiter mala, quod patet tam in mendacio, quam in contemptu calicis consecrati, quorum vtrumq. potest esse vel grauiter, vel leuiter malum, & peccaminosum, vt per se constat, sermonem hic esse de actu polluente Ecclesiam, supposita Ecclesiæ ipsius consecratione, vel benedictione; ac proinde hic quæri, num polluere Ecclesiā sit etiam intrinsece malum conditionate, &, si tale sit, an sit grauiter, vel leuiter tantum malum, ablata omni alia malitia.

4 Dico Polluere Ecclesiam semper esse intrinsece malum conditionate; sed, seclusis positiua, & extrinseca prohibitione, ac pollutionis effectu, id non esse semper ex se grauiter malum, nec subinde graue peccatum.

5 Prima conclusionis pars probatur, quia omnes actus polluentes Ecclesiam, posita Ecclesiæ consecratione, vel benedictione, ex natura rei, & ante omnē Ecclesiastici iuris prohibitionem, habent intrinsecam malitiam deordinationis, & indecentiæ cum tali loco, vt patebit, cum de singulis pollutiuarum actionum generibus infra tractabimus: omnes enim actiones illæ dedecent talem locum ad alia deputatum, & sunt contra finem ipsius consecrationis, vel benedictionis, in cuius rei signum ab Ecclesia etiam prohibitę sunt, & in odium illarum pollutionis impedimentum, quasi in pœnam, impositum est, vt in templo talibus actionibus polluto Diuinæ laudis organa suspendantur.

6 Secunda vero prædictæ conclusionis pars probatur, quia, seclusa omni positiua, & extrinseca prohibitione, & pollutionis effectu, actiones Ecclesiam polluentes non sēper sunt ex se grauiter malæ, nec graue peccatum ex hoc præcise, quod fiant in loco sacro: aliquę enim actiones Ecclesiam polluunt, quæ, seclusa prohibitione illarum, illarumque effectu (propter quę, vt vidimus, sunt semper omnes grauiter malæ) ex se in loco sacro non videntur grauiter malæ, quales sunt saltem actiones sepeliendi in loco sacro excommunicati, vel non baptizati cadauer; licet aliæ actiones Ecclesiam polluentes grauiter ex se in loco sacro malæ videantur, quales sunt illicitæ sanguinis, vel seminis effusiones, &c. de quibus suo loco constabit. Nulla enim irreuerentia loci sacri, nisi sit formaliter volita, vel nisi tam turpis sit, vt ex prudenti iudicio grauem inferat iniuriam loco sacro, est mortale peccatum, seclusa, vt suppono, Ecclesiæ prohibitione, prout indicare videntur *Sylu. Verb. Confessio, 1. q. 10. & in Rosa Aurea q. 63.* quæ est *in tract. 3. inter Impertinentes. Corduba in Sum. q. 190. Medin. Cod. de Confessione, q. de circunstantia loci sacri, Anton. in 3. p. tit. 14. c. 19. §. 7.* & expresse docet *Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 7. n. 6. Less. l. 2. c. 45. dub. 3. n. 14. & Fr. de Lugo, de Sacram. l. 5. c. 6. q. 12. n. 84.* Dixi, nisi sit formaliter volita, quia dupliciter possumus loci sacri irreuerentiam velle, vel directa, & formali intentione, scilicet, in iniuriam, & contemptum loci sacri, quod semper est peccatum mortale, etiam in materia leuissima, & indifferenti; vel indirecta, & quasi materiali voluntate, scilicet, ex sola operis voluntate, quæ consequenter cum ipso opere volita est, licet ea non intendatur, immo licet eam tali operi coniunctam esse nollemus; & hanc diximus cum *Suarez l. c.* & alijs leuem ordinarie esse.

7 Dices. Copula v. g. coniugalis in loco sacro ante omnem Ecclesiæ prohibitionem, vel dicit intrinsecam indecentiam, deformitatē, & repugnantiam cum illo, vel non dicit: si ais, ergo nunquam ea ibi licebit; & tamen ea licet in casu longissimæ commorationis in templo iusta de causa, & absque alterius loci commoditate, prout communiter docent DD. & nos etiam inferius dicemus suo loco; si negas, ergo illius malitia aliquando Ecclesiæ pollutiua pendet à sola prohibitione Ecclesiæ, ac proinde in tali necessitate cessat, cū Ecclesia non obliget cum tanto coniugum incommodo.

8 Respondeo vere in prædicto casu cessare copulæ coniugalis malitiam in loco sacro; sed dico eam cessare non solum ob cessationem obligationis ex lege positiua prouenientis; sed etiam ob cessationem obligationis ex lege naturali deriuantis; nam etiam aliquando legis ipsius naturalis cessat obligatio, quando ex circunstantijs materia ipsa moraliter mutatur, quod accidit in prædicto nostro casu, quia copula illa absq. vrgente necessitate in loco sacro continet virtualem contemptum,

& irre-

& irreuerentiam loci sacri; adueniente vero necessitate, cessat prædictus contemptus, ac loci sacri irreuerentia, vnde cessat naturalis illa deformitas, & malitia illius copulæ, vt optime l.c.animaduertit Suarez.

9 Colligo, quod diximus de Copula coniugali, idem dicendum esse de actionibus alijs Ecclesiæ pollutiuis, simulque grauiter intrinsece malis: nam eadem militat ratio in omnibus; licet enim in loco sacro deformes sint, nō solum ex prohibitione Ecclesiæ; sed etiam ex natura rei in eo loco; tamen in omnibus cessare potest hæc deformitas, & intrinseca malitia, si cesset in ijsdem & prohibitio, & etiam contemptus ille, saltem virtualis, loci sacri, propter quem contemptum tales sunt. nam propter ipsarum circunstantiarum mutationem mutatur etiam aliquando rerum malitia, quando eæ circunstantiæ sunt illius materia, vt diximus de prædicta copula coniugali in loco sacro intrinsece mala, vel non mala, & circunstantijs.

CAPVT XIII.

An polluere Ecclesiam sit proprie Sacrilegium.

SVMMARIVM.

Multa dicuntur sacrilegia, quę proprie talia non sunt, num. 1.

Sacrilegij triplex Etymologia, n. 2.

Sacrilegium quid primo, & principaliter significet. ibid.

Sacrilegij definitio quanam sit. ibid.

Satis est ad Sacrilegium, si violans rem sacram, quantum est in se, eam violet; licet ipsa non violetur. ibid.

Rerum sacrarum aliæ proprie, aliæ improprie tales sunt, n. 3.

Sacrilegia item alia proprie, alia improprie talia sunt. ibid.

Deus proprie distinguitur à re sacra, & irreuerentia immediate in Deum tendens non est proprie sacrilegium; sed potius Irreligiositas. ibid.

Res sacra proprie quid sit. ibid.

Sacrilegium proprie quid sit. ibid. & n. 7.

Res tantum publice Deo dicata dicitur propriè sacra in foro externo. ibid.

Violatio rei etiam priuatę Deo dicatæ videtur in rigore Theologico sacrilegium. ibid.

Polluere Ecclesiam est proprie sacrilegium, n. 4.

Polluere Ecclesiam refertur ad secundum sacrilegij genus, in quo secundum rerum sacrarum genus violatur. ibid.

Tria sunt rerum sacrarum, & inde etiam sacrilegij genera, & quæ. ibid.

Leges dicuntur res sacræ, & legum violatores sacrilegi, n. 5.

Legum transgressio non est proprie, & immediate legum violatio. ibid.

In legum transgressione fit iniuria immediate non legi; sed legislatori potius. ibid.

Leges improprie tantum sacræ dicuntur. ibid.

Legum violatio improprie dicitur sacrilegium. ibid.

Lex Diuina videtur proprie sacra, n. 6.

Verbum Dei, & Sacra Scriptura proprie est res sacra, n. 7.

Verbum Dei adulterare, peruertere, &c. est proprie sacrilegium. ibid.

Verbo Dei non obedire non est proprie illud violare, vel indigne tractare. ibid.

Omne peccatum in Ecclesia commissum est aliquale sacrilegium, n. 8. & 9. remiss.

Polluere Ecclesiam est sacrilegium, etiamsi violatio rei sacræ directè, & formaliter non intendatur, dummodo aduertatur, & liberè fiat, n. 10.

Violatio rei sacræ est sacrilegium, etiamsi ea fiat ob alium finem, & vtilitatem. ibid.

1 Aduerto 1. licet ex supra dictis satis constare videatur, loci sacri pollutionem ex multiplici capite sacrilegam dici posse, cū iam id intrinsece, extrinsece, & quasi effectiue contra loci sacri ius, ac reuerentiam esse dixerimus; nihilominus, cum multa dicantur sacrilegia, quę proprie sacrilegia non sunt, vt infra patebit, ideirco aperte hic discutiendum esse, num actus polluendi Ecclesiam sit proprie sacrilegus. Vnde

2 Aduerto 2. quicquid sit, an *Sacrilegium* primo, & principaliter significet furtum rei sacre, quasi sit *rei sacræ legium*; *sublegere* enim vt auctor est *Seru. in 9. Eclog. Virg.* est *furari*, vnde, & *sacrilegus*, inquit, *qui sacra legit*, idest, *furatur*, & hoc ipsum etiam tradit *Isidor. Etymolog. l. 10. c. 18. Paul. Iurecons. in L. Sacrilegi. ff. ad Legem Iuliam peculatus, D. Th. 2. 2. q. 99. art. 1. Turrecremat. in c. 3. 17. q. 4. Dectan. Tract. Crimin. p. 2. l. 6. c. 14. num. 9.* & alij communiter, quod valde mihi placet, licet postea vocis significatio extensa sit ad eam sacrilegij latitudinem, quam mox dicemus: siue *Sacrilegium* sit, & dicatur, quasi *Sacræ legis læsio* secundum Laurentium, vt videre est apud *Syluest. Verb. Sacrilegium, in princip. Molfes. in Sum. p. 1. tr. 11. c. 7. num. 17.* & *Fran. Ghetium Verb. Sacrilegium, num. 1.* siue etiam *Sacrilegium* dicatur, quasi

 Sa-

Sacrilædium, prout dixit *Innoc.in Cap.Cum pro causa, de sent. Excommunicat. num. t. Bald. in L.si nondum, num.4. C. de Furt. Ant. de Butr. in prædict. Cap.Cum pro causa*, & alij multi, eo quod significare videatur quamcumq. rei sacræ læsionem: certe hic per *Sacrilegium* significari quamcumq. *rei sacræ violationem*, i. omnem iniuriam, & irreuerentiam in rem sacram; sic enim Sacrilegium definit Glossa communiter tam à Canonistis, quam à Theologis recepta in *Cap.Sacrilegium*, 17. q.4. & *D. Th.2.2. q.99. art.1.* etiam si nihil prædicta rei sacræ violatio noceat ei, cui irreuerentiam exhibet; quia, quantum est in se, rem sacram violat, quamuis ipsa non violetur, vt egregie dixit *Vigner.Sacr.Institut.cap.5.§.6. Ver.8.in princip.& Carb.in 2.2. q.99.art.1.in fin.*

3 Aduerto 3. sicuti rerum aliæ proprie, aliæ improprie Sacræ dicuntur, ita consequenter rerum sacrarum violationem aliam proprie, aliam improprie Sacrilegium appellari. Vnde, cum multæ res similitudinarie tantum, & largo modo sacræ vocentur; multa etiam sacrilegia similitudinarie tantum, & largo modo talia nominantur. exempli gratia, quia res sacra stricte, & proprie distinguitur à Deo, & est illa, quæ diuino cultui specialiter dicata est; late vero, & improprie complectitur etiam Deum ipsum, idcirco sacrilegium improprie, & late sumptum complectitur etiam irreuerentiam directe, & immediate Deo exhibitam (quæ tamen potius Irreligiositas est) ita, vt propterea ab auctoribus abusiue, & largo modo omne peccatum contra religionem sacrilegium nonnunquam dicatur; proprie autem, & stricte sacrilegium est vitium à reliquis distinctum, quia per illud immediate violatur res Deo dicata, quæ inde facta est quodammodo Diuina, & quasi peculiaris Dei possessio, non autem immediate ipsi Deo in se iniuria irrogatur; sed tantummodo mediate: irreuerētia enim, seu violatio rei Deo dicatæ ad Deum refertur, & in Deum redundat, quo pacto sacrilegium est speciale peccatum religioni oppositum, de quo hic loquimur. ita *Suar. de relig. tom.1.tr. 3.l.3. ante Cap.1. Filiuc.tr.24. cap.9.num.220. Laym.l.4.tr.10.c.7.Less.l.2. c.45. dub.2. num.7.* Dixi autem rem sacram proprie esse eam, quæ peculiariter Diuino cultui dicata sit, nec distinxi, an res publice tantum, vel etiam priuate Deo dicatæ, sacræ proprie dici queant, quia, licet secundum iura, & pœnas externi fori sacrilegium intelligatur tantum, quando irreuerentia committitur contra res publice Deo dicatas, scilicet, publica Ecclesiæ auctoritate, *L.In tantum,ff.de rerum diuis.Petr. Greg.Tolos.lib.33. Syntagm.c.14. Suar.l.c.c.2. num. 1.* tamen in rigore Theologico etiam violatio rei priuatæ Deo dicatæ videtur verum sacrilegium, vt bene aduertit *Thesaur. in Prax.Ecclesiast.p.2. Verb.Sacrilegium,c.1.* cum alijs apud ipsum.

4 Dico Polluere Ecclesiam esse proprie sacrilegium: cum enim triplicia tantū sint proprie ad Diuinum cultum deputata, Personæ sacræ, Loca sacra, & Res aliæ sacræ, vnde triplex etiam sacrilegij species oritur iuxta triplicem prædictorum sacrorum violationem, vt passim docent *Theologi cum D.Th.l.c. art.3, Summistæ, Verb. Sacrilegium, & Canonistæ in Cap. Sacrilegium, 17. q. 4.* Polluere locum sacrum ad secundam sacrilegij speciem spectat, vnde expressissime id inter sacrilegia recensent *Vigner.l.c. Decian. Tract. Crim. p.2. L.6.c.24.num.7.Suar.de relig.tom.1. tr.2. l.3. c.2. num.1. Filiuc.tr.24.c.9.num.235. Less. l.2. c.45. dub.3.num.13. Laym.l.4.tr.10.c.7.num.8. Mazuchel. de Casib.reseru.disp.2.c.6.num.87. Fr. de Lugo de Sacram. l.5.c.6. num.84. & cum quamplurimis alijs Del Bene de Immunit.p.1.c.2. dub. 2.sect.17.num.1.& seq.*

5 Dices 1. si polluere Ecclesiam esset proprie sacrilegium eo, quoad sit violatio rei sacræ, sequeretur omnem quoque transgressionem legis Diuinæ, immo etiam Ecclesiasticæ, & Humanæ esse proprie sacrilegium, quia leges sunt sacræ, L. *Leges,C.de legibus*. & legem lædentes sacrilegi vocantur, *L.vnic.C. De crimine sacrileg.& Gloss.in cap.3.17.q.4.* vnde sic omne peccatum esset proprie sacrilegium, quod videtur absurdissimum.

5 Respondeo Leges Dei, vel ministrorum eius, non esse obiectum proprium, directum, & immediatum, quod irreuerenter tractetur in legum prædictarum transgressione; sed improprie tantum eas dici violari, quatenus quod illæ imperant, ab illarum transgressoribus non obseruatur. vnde directe, & immediata irreuerentia prædicta, quæ in legum transgressione reperitur, tendit in legislatorem potius, quam in legem ipsam. In sacrilegio autem proprio irreuerentia directe, & immediate tendit in rem Deo dicatam; licet subinde etiam ea redundet in Deum ipsum, cui talis res dicata est; modo iam superius explicato. Dicuntur ergo leges improprie tantum sacræ, earumque læsio improprie tantum sacrilegium appellatur, vt bene dixit *Decian.tract.criminal.p.2.l.6.cap.15.num.9. & sequentibus vsq. ad finem cap.* vbi directe, ac erudite quamplures alios sacrilegij improprie dicti modos recenset omnino dignos, qui videantur.

6 Di-

6 Dices 2. Lex diuina, quatenus singulari modo à Deo dictata est, & reputari potest tanquam aliquid Dei, & quasi Reliquię ipsius, est instrumentum Diuinum ad sanctificandos cultores Dei, ac proinde res sacra, prout inter res sacras recensentur Sacramenta, ergo saltem omnis legis Diuinę transgressio, cum sit rei sacrę violatio, non minus erit sacrilegium, quam ipsa Ecclesię pollutio, quod tamen omnino falsum videtur.

7 Respondeo legem Diuinam, prout est verum Dei Verbum, & Scripturę Canonicę pars, vere rem sacram esse, ac proinde indignam illius tractationem proprie esse sacrilegium, prout docuere *Caiet. in 2. 2. q. 99. dub. 2. Suar. de relig. tom. 1. tract. 3. l. 3. c. 6. num. 9. Laym. l. 4. tr. 10. c. 7. num. 13.* & alij multi; sed nego per inobseruantiam legis Diuinę committi proprie hoc sacrilegium, seu hanc irreuerentiam in Verbum Dei; aliud enim est verbum Dei irreuerenter tractare, v. g. illud adulterando, peruertendo, &c. quod proprie sacrilegium est; aliud est Verbo Dei non obedire, quod proprie contra religionem non est; sed contra alias virtutes, vt per se patet.

8 Dices 3. Polluere Ecclesiam ex dictis est sacrilegium, quia loci sacri reuerentiam lędit; sed omne peccatum in loco sacro commissum illius loci reuerentiam lędit, ergo ibi omne peccatum erit sacrilegium, quod dici non debet.

9 Respondeo concedendo omne peccatum in loco sacro commissum esse sacrilegium graue, vel leue, generale, vel speciale, prout grauem, vel leuem, generalem, vel specialem irreuerentiam continet in Ecclesiam, vt deinceps, ex cap. seq. patebit.

10 Colligo, quamuis Polluere Ecclesiam sit ex dictis proprie sacrilegium, quia rem sacram, hoc est, Ecclesiam violat; necesse tamen non esse, vt qui Ecclesiam violat, directam, & formalem habeat intentionem inhonorandi, seu contemnendi rem sacram, ad hoc vt sit proprie sacrilegus; hoc enim Infidelium, & Hęreticorum proprium est; sed satis esse, vt alibi innuimus, si ipsa actio debito Ecclesię, vel alijs rebus sacris honori, ac reuerentię repugnans libere, & aduertenter fiat, quamuis eadem actio ob alium finem, seu vtilitatem intendatur. ita *Valent. tom. 3. disput. 6. q. 15. pun. 2. Suar. de relig. tom. 1. tr. 3. l. 3. c. 7. n. 1. & Laym. l. 4. tr. 10. c. 7. n. 13.*

CAPVT XIV.

An polluere Ecclesiam sit semper Sacrilegium graue.

SVMMARIVM.

Peccatum aliquod potest esse in genere Sacrilegij leue, licet per se in alio genere sit mortale, num. 1.

Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortiferum, etiamsi absit formalis contemptus rei sacra, nu. 2.

Sacrilegium aliquando fit leue, aliquando graue remanet, & quotupliciter, n. 3.

Polluere Ecclesiam est Sacrilegium mortale, num. 4.

Affertur ratio, cur Polluere Ecclesiam videri possit nullum, vel leue Sacrilegium, n. 5.

Satis fit obiectioni, & fundamenti falsitas aperitur, n. 6.

Actus polluendi Ecclesiam est ex hoc pracise grauiter sacrilegus, etiamsi nullam aliam aliunde deformitatem haberet, n. 7.

1 ADuerto 1. etsi superius dictum fuerit, polluere Ecclesiam esse peccatum graue; tamen adhuc hic quęri posse, num tale peccatum graue sit etiam sacrilegium graue: fieri enim potest, vt peccatum aliquod per se mortiferum sit, & tamen in ordine ad sacrilegij malitiam sit tantum leue sacrilegium, vt admonuit *Less. l. 2. c. 45. dub. 4. num. 20. Filiuc. tr. 24. c. 10. num. 260.* & supponit *Tamburin. de Confess. l. 2. c. 7. §. 5. num. 43.*

2 Aduerto 2. peccatum sacrilegij ex genere suo esse mortale, quia est contra virtutem Religionis, quę est excellentissima inter virtutes morales, & in omnibus suis speciebus habet materiam satis grauem, vt per singulas discurrenti facile patere poterit. ita *Caietan. in Summul. Verb. Sacrilegium. Suar. de Relig. to. 1. tract. 3. l. 3. c. 7. nu. 1. Filiuc. tract. 24. c. 10. num. 257.* & alij, siue fiat ex directa intentione contemnendi res sacras, siue solum ex voluntate libera propter alium finem, modo iam prędicto: non enim, vt circunstantia det specialem malitiam, necessaria est formalis intentio; sed sufficit libera voluntas, vt ex 2. 2. constat, & tradit expressissime *Suarez l. c.*

3 Aduerto 3. licet sacrilegium ex genere suo sit graue, & mortale peccatum; tamen aliquando etiam fieri leue, vel ex leuitate materiæ, vel ex inaduertentia venialiter tantum culpabili, vt docent *Suar. l.c.num.2. Filiuc. l.c. num.258. Valent. tom.3.disp.6.quæst.15.pun.2. Zecch.in summ.p.2.c.93. num.3.* omnes communiter *Summistæ in Verb.Sacrilegium,& Layman.l.4.tr.10.c.7.num.14.*

4 Dico Polluere Ecclesiam esse Sacrilegium graue, ac mortale: constat enim esse sacrilegium, ac exinde ex genere suo esse mortale; sed non constat id leue esse, neq. ex inaduertentia, vt suppono; atq. ita in terminis, vt aiunt, terminantibus statuit *Filiuc. l.c.nu.260.Sanch. de Matrim.l.9. disp.15.nu.22.Suar.de Relig.tom.1.tr.2.l.3.c.2. num.5.in fin. Tamburin. de Confess.l.2.c.7.§.5. num.36. Vasq.tom.1.in 1.2.disp.98.c.3.num.6. Pontius de Matrim.l.10.c.10.num.15. Del Bene De Immunit.Eccles.p.1.c.2.dubit.2.sect.17. & 18. Fr.de Lugo de Sacram.l.5.c.12.num.85.* & alij cum ipsis.

5 Dices ex *Angel.Verb.Debitum coniugale nu.* 35. per copulam maritalem in Ecclesia habitam, etiam in casu necessitatis, puta, quia coniuges in ea violenter sunt reclusi per longum tempus, polluitur Ecclesia, & nihilominus coniuges tunc non peccant mortaliter, ergo signum est polluere Ecclesiam non esse peccatum, & sacrilegium graue, alioqui coniuges tunc polluendo Ecclesiam peccarent, prout satis consequenter dicebat *Petr. de Palud.in 4.dist.32.q.3.apud eundem Angel.l.c.*

6 Respondeo falsum esse, quod Angelus concedit, nimirum, per talem copulam in Ecclesia habitam in tali casu Ecclesiam pollui, vt apertissime dicemus suo loco: vnde corruit totum argumentum; si autem Ecclesia pollueretur, vere grauiter peccaretur, & graue fieret sacrilegium: immo Angelus ibidem concedit etiam per pollutionem nocturnam in somnis habitam vere pollui Ecclesiã, quod expressius prædictæ sententiæ falsitatem ostēdit.

7 Colligo, etiam si actus Ecclesiæ pollutiuus non esset per se peccaminosus, & nullam aliã deformitatem haberet, nisi quod res sacra per illum violaretur, & Ecclesia pollueretur, adhuc talem actum Ecclesiæ pollutiuum futurũ esse grauiter sacrilegum, ac proinde semper polluere Ecclesiam fore ex se graue sacrilegium, vt colligitur ex *D.Th.2.2.q.99. art.2. ex Carbon.ibid.Sylu.Verb.Sacrilegium,§.Quartum. Ghetio,Verb. sacrilegi um,num.11.* & alijs passim.

CAPVT XV.

An polluere Ecclesiam ita dicendum sit Sacrilegium graue, vtcunque diximus esse peccatum graue.

SVMMARIVM.

Polluere Ecclesiam ex multiplici capite est peccatum graue, num.1.

Polluere Ecclesiam hic accipitur, quatenus secum habet Pollutionis effectum, vel saltem indecentiam in tali loco, n.2.

Multi nullam actionem respectu loci sacri dicunt sacrilegam, nisi ea sit Ecclesiastico iure specialiter ob reuerentiam illius loci prohibita, n.3.

Polluere Ecclesiam ex ijs omnibus, & singulis capitibus est sacrilegium graue, ex quibus superius diximus esse peccatum graue, n.4.

Licet polluere Ecclesiam sit aliquando ex triplici capite sacrilegium; tamen semper videtur vnum tantum sacrilegium, n.5.

1 Aduerto 1. cum superius dictum fuerit, polluere Ecclesiam esse peccatum graue, tum aliquando intrinsece, seclusa omni positiua lege id prohibente, & secluso etiam nocumento, quod ob pollutionis ipsius effectus Ecclesia quodammodo patitur; sed posita tamen loci sanctitate, vt Cap. 12. iam probauimus, tum semper extrinsece ob positiuam legem grauiter id prohibentem, tum etiam semper quasi effectiue, ob graue nocumentum scilicet, quod per pollutionis effectus quodammodo infertur Ecclesiæ, vt fusius iam Cap.10. & 11. explicuimus, cumq. mox etiam asseruerimus Polluere Ecclesiam esse item sacrilegium graue, iure hic dubitari posse, num polluere Ecclesiam ex omnibus, & singulis ijs capitibus, ex quibus est peccatum graue, sit etiam sacrilegium graue.

2 Aduerto 2. per illud *Polluere Ecclesiam,* de quo hic loquimur, à nobis intelligi actum Ecclesiæ pollutiuum, quatenus pollutiuus est, seu saltem quatenus semper secum habet malitiam indecentiæ in loco sacro ad alia ordinato, & solemniter deputato, non autem quatenus idem actus, præscindendo à prædicta indecentiæ malitia, esse potest aliunde grauiter peccaminosus: certum enim est tunc talem actum posse esse ex aliquo capite peccatum graue, & ex eo non esse graue sacrilegium.

3 Aduerto 3. facile, & communiter dari ab omnibus, quod polluere Ecclesiam sit graue sacrilegium ex eo capite, quia grauiter ab Ecclesia prohibitæ sint actiones omnes, per quas illa pollnatur, & id in reuerenriam, & loci sacri cultum factum fuerit; sed non tam facile, nec à tam multis dari, primo, quod polluere Ecclesiam, etiam seclusa Ecclesiæ prohibitione, sit aliquando graue sacrilegium ex eo capite, quia aliquæ actiones loci sacri pollutinę in eo factæ grauiter sint indecentes ex natura rei; putant enim multi specialem, & grauem sacrilegij malitiam non nisi ex Ecclesię prohibitione oriri, & ad rationem sacrilegij necessario requiri, vt actio debeat specialiter ob reuerentiam loci sacri esse prohibita: quod in primis, licet subobscure, tenuisse visus est *Caietan. 2.2.q.99.ad 5.dub. item tom. 1.opusc.tract.31.necnon 1.2.q.7.* tum aperte *Sot. de Iust. et Iur. l.2.q.4.art.3.§ sed ais. Vict. in summ. quæst. 4. quær. 196.* & alij multi apud *Suar. de relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 3. num. 3.* & plures etiam apud *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. nu. 5.* qui idipsum sentit, quam opinionem nouissime etiam secutus est *Th. Del Bene de Immunit. Eccles. p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 19. num. 9.* secundo, quod polluere Ecclesiã ex hoc capite solum, quia graue quasi nocumentum afferat Ecclesiæ modo superius explicato, sit etiam sacrilegium graue: ex hoc enim capite non tam grauem aliqui malitiam agnoscunt, vt ob id præcise graue sacrilegium committi concedant.

4 Dico polluere Ecclesiam esse sacrilegium graue ex omnibus, & singulis ijs capitibus, ex quibus supra diximus idipsum esse peccatum graue: patet autem hoc ex eo, quod pollnere Ecclesiam, sicuti ideo est peccatum graue, primo, quia graue nocumentum quodammodo affert Ecclesię, secundo, grauiter est ob Ecclesia prohibitum, & tertio, aliquando etiam, his seclusis, habet ex se grauem indecentiam, & repugnantiam cum Ecclesiæ sanctitate; ita indidem est etiam sacrilegium, quia semper illud peccatum graue grauiter violat rem sacram, nimirum Ecclesiam, dum grauem illi irreuerentiam, iniuriam, & quasi nocumentum infert, vt ex supra dictis constat.

5 Colligo polluere Ecclesiam, licet sit sacrilegium graue, tum quia affert graue nocumẽtum Ecclesię illam priuando Diuinorum celebratione, ac Fidelium sepultura, tum quia grauiter lędit reuerentiam tali loco ex lege positiua, & aliquando etiam ex lege naturali grauiter debitam; tamen videri vnum tantum sacrilegium ex triplici quasi fundamento consurgens; non autem triplex sacrilegium, nec vnum triplici, & graui malitia infectum, vt alibi copiosius explicabimus.

CAPVT XVI.

An polluere Ecclesiam in habitu tantum, & non actu, sit semper etiam Sacrilegium graue.



SVMMARIVM.

Quid sit polluere Ecclesiam in habitu, & polluere illam actu, num. 1.
Difficultatis huius grauitas, & obscuritas, n. 2.
Polluere Ecclesiam in habitu dupliciter contingere potest, n. 3.
Etiam polluere Ecclesiam in habitu semper est sacrilegium graue, n. 4.
Ecclesia prohibet omnes actiones Ecclesiæ pollutiuas siue occultas, siue publicas. ibid.
Actus Ecclesię pollutiui, etiam occulti, sunt in Ecclesia indecentes. ibid. & n. 8.
Ecclesia actibus tantum publicis Ecclesia pollutiuis pollutionis actualis impedimẽtum adiunxit, quasi in pœnam. ibid.
Falsum est actum Ecclesia pollutiuum esse catenus tantum sacrilegum, quatenus polluit Ecclesiam, n. 6.
Actus Ecclesia pollutiuus, etiam seclusa actuali pollutione Ecclesia, est aliunde sacrilegus grauiter. ibid.
Actus Ecclesia pollutiui non sunt ita sacrilegi, quia polluunt Ecclesiam, vt illam polluunt, quia sunt alias sacrilegi. ibid.
Actus occultus sepeliendi Paganum, vel Excommunicatum non est aliunde graue sacrilegium, nisi quia grauiter est ab Ecclesia prohibitus in reuerentiam loci sacri, n. 7.
Ecclesia prohibuit actus Ecclesia pollutiuos non in ordine tantum ad fugiendum effectum pollutionis actualis; sed ad illorum turpitudinem indicandam, & quodammodo puniendam, n. 8.
Effectus pollutionis non inducerentur ab Ecclesia, nisi ob graue sacrilegium. ibid.
Actus occulti participiant naturam actuum interiorum iuxta Caramuel, n. 9.
Ecclesia nequit interdicere actus interiores ex eodem. ibid.
Quare Ecclesia, siue queat, siue nequeat, nolit interdicere actus internos, n. 10.
Quinam dicantur actus per accidens occulti, licet exteriores. ibid.
Ecclesia punire potest, & de facto punit per lata sen-

sententiæ pœnas actus omnes exteriores, licet per accidens occultissimos. ibid.

Actus externus, licet alijs occultissimus, saltem operanti est notus, vt externus. ibid.

Cur aliqua actiones potius, quam aliæ turpiores, Ecclesiam polluant, n.12. remiss.

Disputare, num Ecclesia habitualiter polluta, & non actu, dicenda sit polluta, nec ne, est quæstio de nomine, n.13.

Ob occultam Clerici percussionem excommunicatus quis est; sed non vitandus ante criminis notorietatem. ibid.

Idem proportionaliter dici potest de Ecclesia in habitu tantum polluta. ibid.

1 ADuerto 1. Ecclesiam tunc dici à multis in habitu pollutam, quando in ea data est sufficiens causa Ecclesiasticę pollutionis actualis, licet ista actualis pollutio ob defectum publicitatis (quę est conditio necessaria ad actualem prædictam pollutionem, vt infra videbimus) secuta non sit; tunc autem dici actu pollutam, quando post datam pollutionis causam, & post illius publicitatẽ, Ecclesia ita reipsa, & actualiter habetur pro polluta, vt tunc ibi Diuinę laudis organa suspendantur, & reconciliatione indigeat, qua antea, etiamsi ibi actio ex se Ecclesię pollutiua, sed adhuc occulta, præcessisset, non indigebat. & ita in primis locutus est aperte *Suarez de Relig.tom.1.tr.2.l.3.c.7.num.4.* apertius *Fran.de Lugo de Sacram.p.1.l.5.c.6.q.12.n.86. & 87.in fin.* & apertissime *Th. Del Bene de Immunit. Ecclesiast.p.1.c.2. dub.2. sect.17. num.4. & 5.*

2 Aduerto 2. licet ex prædictis difficultatis huius solutio satis erui potuisset; tamen singillatim eam hic discutiendam esse, tum vt aduersariorum, qui & numero, & auctoritate plurimum valent, obiectionibus diffusius, ac distinctius respondere valeamus, tum etiam ne difficultatem in primis grauem hucusque implicite tantum tactam prętérijsse potius, quam proposuisse, nedum pertractasse, videremur.

3 Aduerto 3. cum Polluere Ecclesiam in habitu dupliciter contingere possit, primo per actiones Ecclesię pollutiuas, & grauiter in se ipsis culpabiles, quales sunt Homicidium, & Sanguinis, ac Seminis effusio in Ecclesia cum peccato mortali; secundo, per actiones Ecclesię pollutiuas; sed leuiter ex se culpabiles, quales sunt Infidelis, & Excommunicati sepultura, dupliciter etiam agitari posse prędictam difficultatem, nimirum respectu primi, & secundi modi, quo habitualis Ecclesię pollutio contingere potest.

4 Dico polluere Ecclesiam in habitu siue per actiones grauiter intrinsece malas, siue etiam per actiones leuiter tantum intrinsece peccaminosas, (dicimus autem rem intrinsece malam modo iam superius explicato) esse sacrilegium graue. Quo ad primum pollutionis habitualis modum conclusio iam patet in primis ex eo, quod tales actiones grauiter intrinsece culpabiles, seclusa positiua prohibitione, & actuali Ecclesię pollutione, ac proinde etiam occulte in Ecclesia factę, continent malitiam sacrilegij grauis contra reuerentiam tali loco debitam iure naturali, vt superius diximus, & ob hanc rationem expresse docent *Suar.de Relig.tom.1.tr.2.l.3.c.7. num.4. Raphael della Torre 2.2.q.99.art.2.disp. 7. Fran.de Lugo de Sacram.p.1.l.5.c.6.q.12.nu. 84. & Candidus tom.2. disquis.24. art.23.dub. 38. num.40.* Quo ad vtrumq. autem modum eadem conclusio constat ex eo, quod omnes actiones Ecclesię pollutiuę (siue grauiter, siue leuiter iure naturali debitam Ecclesię reuerentiam lędant) iure positiuo Ecclesiastico grauiter prohibitę sunt ob eiusdem loci reuerentiam, ac proinde grauiter malę, ac grauiter sacrilegę sunt; neq. enim Ecclesia solum prohibet actus illos in loco sacro fieri publice; sed simpliciter prohibet ibi fieri ob eorum indecentiam in tali loco; quamuis ad euitandos scrupulos, & molestias, vt optime dixit *Fr. de Lugo l.c. num.85.* noluit Ecclesiam actualiter pollui ita, vt reconciliatione indigeat, nisi actus illi Ecclesię pollutiui publicentur, & ex habitu, ac potentia fiant actu, & effectiue pollutiui. & ita docent ob hanc tantum positiuam Ecclesię legem tales actus Ecclesiæ pollutiuos prohibẽtem, etiamsi ij actus, occulti sint, *Sanch.de Matrim.l.9.disp.15.num. 11. cum Paludano, D.Antonino, Adriano, Tabiena, & Nauarro* ab eodem ibidem citatis. *Fagundez pracep. 2.l.4.c.4.num.24. Bonac. de Matrim.q.4.punct.vlt.num.7. Card. de Lugo de Pœnit.disp.16.num.462. Less.l.4.c.3.num.86. Trullench.l.6.Decal.c.1.dub.7.nu.7.in fin. Azor. tom.3.l.3.c.31.q.6. Dian.p.1.tr.7. resol.19. & 26.p.7.tr.11.resol.31.& p.9.tr.9.resol.5. Mazuchel.de Casib.Reser.disp.2.c.6.diffic.5.nu.100. & seq. Machad.de perfecto Confess.tom.1.l.2.par. 3.tr.4.docum.3.num.11. Tamburin. de Confess. l.2.cap.7.§.5.num.36. Th.Del Bene de Immunit. Eccles.p.1.c.2.dub.2.sect.17. per totam, & Serra tom.2.in 1.2.D.Th.q.62.art.2.dub.2.contra Vasquez in 1.2.tom.1.disp.98.c.3.num.6. Basil. Pontium de Matrim.l.10.c.10.num.15. Caramuel.in Reg.D.Benedict.disp.66.num.1017. Tolet.l.5.c.8.Graff.Decision.Aurear.p.1.c.48.num. 26.Coninch. de Sacram.q.83.art.3.dub.nu.230.*

Ca-

Caspensem in Curs. Theolog. tom. 1. tr. De peccatis, disp. 2. sect. 3. num. 20. & aliquot alios.

5 Dices 1. Actus Ecclesię pollutiuus in tantum est sacrilegium, in quantum polluit Ecclesiam; at Ecclesia non polluitur per actum Ecclesię pollutiuum, quando est occultus, ergo talis actus occultus, licet alioquin Ecclesię pollutiuus, id est, sufficiens polluere Ecclesiā, non est sacrilegium.

6 Respondeo tantum, & totum hoc Aduersariorum argumentum, & fundamentum statim corruere, si negetur maior propositio: falsum enim est ex dictis, quod actus Ecclesię pollutiuus ideo tantum sit sacrilegus, quia polluit Ecclesiam, cum semper adhuc extrinsece, i. contra positiuam Ecclesiæ legē, & aliquando etiam intrinsece, i. contra naturalem legem, actus Ecclesię pollutiuus sit grauiter sacrilegus modo superius explicato: immo actus Ecclesiæ pollutiuus non est adeo sacrilegus, quia polluit Ecclesiam, vt polluit Ecclesiam, quia est alias sacrilegus (licet non omnes actus sacrilegi in Ecclesia facti polluant Ecclesiam) vel intrinsece, vel extrinsece, vt antea dictum est.

7 Dices 2. Polluere Ecclesiam in habitu per occultam sepulturam Excommunicati, vel Infidelis non habet malitiam sacrilegij ex eo, quod actu polluat Ecclesiam, quia non polluit actu Ecclesiam, nisi talis actio publicetur; sed neq. sacrilegij malitiam habet ex eo, quod sit alioquin grauiter intrinsece malum contra debitam Ecclesiæ reuerentiam ex naturali iure, ergo solum potest esse sacrilegium ex eo, quod sit grauiter ab Ecclesia prohibitum in reuerentiam, & cultum loci sacri; sed Ecclesia prohibuit tantum illas actiones in ordine ad actualem loci sacri pollutionem, non ad habitualem, ergo non semper polluere Ecclesiam in habitu est sacrilegium graue.

7 Respondeo concedendo primum argumētum cum sua conclusione, & negando subsumptum in secundo: non enim Ecclesia prohibuit tales actiones ex eo, quod illę secum trahant, quasi pœnam, talem effectum pollutionis; sed verius ob turpitudinem, & indecentiam talium actionum in loco sacro eas prohibuit, & illis hanc veluti pœnam, & censuram quandam adiunxit, nimirum, ne ibi diuina celebrarentur, vbi eæ factæ fuissent: cum autem prædicta actionum turpitudo reperiatur in illis ipsis actionibus siue publicis, siue occultis, inde factum est, vt eæ grauiter prohibitæ fuerint ob reuerentiam loci sacri, & inde, si in eo fiant, grauiter sacrilegæ sint; namq. non induceretur talis pollutionis effectus, nisi propter graue sacrilegium contra loci sanctitatem commissum, nec illud committeretur in his actionibus intrinsece leuiter tantum malis, nisi præcessisset grauis prohibitio talium actionum ob reuerentiam loci sacri ab Ecclesiastica potestate dimanans. Quare prædictæ actiones non constituuntur sacrilegæ primario per ordinem ad talem pœnam; sed per prohibitionem Ecclesiæ, vnde illas in Ecclesia perpetrare est Ecclesię reuerentiam violare, quod sacrilegium est, & Ecclesiam manere pollutam huius sacrilegij, quod prius supponitur, effectus est, vt bene docent inter alios pro nobis citatos *Fr. de Lugo, & Th. Del Bene ll. cc.*

9 Dices 3. Polluere Ecclesiam in habitu tantum, & non actu, aliquando non est aliunde sacrilegium graue ex dictis, nisi ex prohibitione graui Ecclesiæ, quæ tales actiones Ecclesiæ pollutiuas, id est, sufficientes ad Ecclesiam polluendam, grauiter prohibuit; sed Ecclesia, vt interdicere nequit interiores actus, ita neq. exteriores occultos, quia eandem rationem participant iuxta *Caramuel in Reg. D. Benedict. disp. 66. n.* 1017. & 1018. ergo polluere in habitu Ecclesiam non est semper sacrilegium graue, quod superius affirmauimus.

10 Respondeo negando minorem: licet enim Ecclesia vel nequeat, vel nolit, eo quod id suaui Ecclesiæ gubernationi minime expedire videatur, interdicere, & punire interiores actus in foro externo, vt communiter docent Theologi, & Canonistæ apud *Sanch. in Decal. l. 2. c. 8.* tamen quando actus exterior est, ac proinde de se aptus peruenire ad aliorum notitiam; licet per accidens non perueniat, ab Ecclesia interdici, & puniri potest, & aliquando de facto punitur, maxime per pœnas latæ sententiæ, quia de facto etiam talis actus saltem operanti est extrinsece notus, vt cum cōmuniore etiam sententia docent *Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 9. §. 12. num. 6. Simanc. de Cathol. Instit. tit. 42. num. 7. Vasq. 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 169. c. 2. num. 23.* & plurimi alij *cum Pucrono in Bull. Cœnæ c. 1. num. 112. & Sanch. l. c. nu. 6.* vnde in nostro casu apud *Caramuel l. c.* non dicunt, quod Ecclesia non potuerit occultam prædictam Ecclesiæ pollutionem, & habitualem interdicere; sed quod noluerit; ipse autem Caramuel ait se nihil definire; sed, cū Ecclesia tales actiones ob illarum indecentiā in loco sacro prohibuerit absolute, eęq. actiones etiam occultæ indecentissime fiant in Ecclesia, ab ea tam occultas, quam publicas prohibitas fuisse dicendum est, licet non omnibus eandem quasi pœnam actualis pollutionis adiunxerit, vt sæpius diximus.

11 Di-

11 Dices 4. Si Ecclesia prohibuisset tales actiones Ecclesiæ pollutiuas ob illarum indecentiam in tali loco, & non potius, quia illæ polluunt Ecclesiam, prohibuisset potius sub eadem quasi pœna, & veluti censura alias actiones in Ecclesia indecentiores, & turpiores, puta, inhonestissimos tactus, Eucharistiæ cõspurcationem, & similia, ergo tales actiones Ecclesiæ pollutiuæ potius prohibitæ sunt ob hunc effectum, videlicet, quia polluunt Ecclesiam, quam ob illarum indecentiam in loco sacro.

12 Respondeo hanc ipsam difficultatem vrgere contra aduersarios; adhuc enim ipse dico, cur eæ potius actiones, & non aliæ turpiores, & indecentiores in loco sacro, illum polluunt? cur illæ, & non aliæ habent hunc polluendi effectum, & quasi censuram secum? Verum, cur in Ecclesia his potius actionibus, quam alijs, Ecclesia hunc effectum polluendi locum sacrũ adiunxerit, dicemus *Disput. 3. c. 3.*

13 Colligo disputationem illam, an Ecclesia per actiones Ecclesiæ pollutiuas; sed occultas, vere dici possit polluta, nec ne, esse de nomine, cum iam constet non esse pollutam in foro externo, & quo ad prohibitionem Diuina celebrandi in ea, nec proinde eam indigere reconciliatione; esse autem pollutam in foro interno quo ad sacrilegium contra reuerentiam Ecclesiæ debitam, & ante Deum ipsum, ita vt, si postmodum accedat delicti publicatio, statim etiam in foro externo, & in opinione hominum habenda sit pro polluta, & reconciliatione opus sit, antequam in ea Diuina licite celebrari possint. Quare, sicuti quis ob occultam Clerici percussionem excommunicationem incurrit, licet non sit vitandus antequam ea percussio notoria sit, ita in casu nostro Ecclesia per occultã actionem Ecclesiæ pollutiuam dici potest polluta; sed non prohibentur ibi Diuinorum celebratio, & sepultura, donec illa actio Ecclesiæ pollutiua publicetur. Dummodo igitur conueniamus in rebus, parum refert, si discordemus in verbis, de quibus hic non disputamus.

CAPVT XVII.

An polluere Ecclesiam in corde tantum sit etiam Sacrilegium graue.

SVMMARIVM.

Quid sit polluere Ecclesiam in corde tantum, num. 1.

Dupliciter quis potest Ecclesiam polluere in corde, videlicet, vel per desiderium, vel per delectationem, num. 2.

Vterq. modus prædictus polluendi Ecclesiam potest esse, vel absolutus, vel conditionatus.

Delectatio duplex est, alia appetitus rationalis, alia appetitus sensitiui. ibid.

Delectatio voluntatis potest esse de obiecto conditionato; Delectatio vero appetitus sensitiui semper versatur circa obiectum omni conditione destitutum, & quare. ibid.

Gaudium de Ecclesiæ pollutione duplex esse potest, vel de re ipsa cogitata, vel de ipsamet rei cogitatione, n. 3.

Gaudium de cogitatione ipsa dupliciter haberi potest, vel directe, vel reflexe. ibid.

Polluere Ecclesiam in corde tantum per absolutum desiderium talis pollutionis est sacrilegiũ graue, n. 4.

Actus efficaces voluntatis sunt eiusdem malitiæ, cuius est illorum obiectum. ibid.

Polluere Ecclesiam in corde tantum per desiderium talis pollutionis, non absolutum; sed conditionatum, pro varietate conditionis appositæ modo eandem, modo diuersam, modo nullam habet malitiam, n. 5.

Desiderium absolutum exponi solet per Indicatiuum, volo; *conditionatum vero per optatiuum, aut subiunctiuum modum*, Vellem. *ibid.*

Qui elicit hunc actum, Vellem polluere Ecclesiam, si v. g. non essem clericus, *adhuc sacrilegium graue committit. ibid.*

Qui elicit hunc alium actum; Vellem fornicari in Ecclesia, si hoc non esset contra Ecclesiæ reuerentiam, *mentalem fornicationem cõmittit; sed non sacrilegium. ibid.*

Qui vero elicit hunc actum, Vellem polluere Ecclesiam, si hoc non esset peccatum, *nullo modo peccat. ibid.*

Gaudere de Ecclesię pollutione, quà mala, est eiusdem malitiæ, cuius est desiderare talem pollutionem, n. 6.

Gaudere de Ecclesiæ pollutione, quà mala, est velle virtualiter prædictæ pollutionis malitiam. ibid.

Gaudere iuxta prædictum modum de Ecclesię pollutione potest esse vel absolute, vel conditionate non secus, ac desiderare prædictam pollutionem. ibid.

Gaudere de obiecto malo, quà malo, in omni materia malum est. ibid.

Gaudere iuxta prædictum modum de aliquo obiecto ab eodem accipit suam malitiam. ibid.

Gaudere de Ecclesiæ pollutione, quatenus est aliquo modo bona, non est sacrilegium, aut peccatum, saltem graue, n. 7.

Dupliciter id contingere potest. ibid.

Quomodo idipsum valeat etiam in materia luxuriæ. ibid.

Gaudere, seu delectari, non de ipsa Ecclesiæ pollutio-

tione; sed de ipsamet talis pollutionis cogitatione, speculatione, vel cognitione, non est ex se sacrilegium, aut peccatum vllum, n.8.

Per accidens potest id esse graue peccatum, & sacrilegium. ibidem.

Delectari morose de actu Ecclesiæ pollutiuo in materia venerea est ex se peccatum graue; sed non sacrilegium, n.9.

Sed de actu Ecclesiæ pollutiuo in materia non venerea non est ex se peccatum. ibid.

Delectatio morosa grauis de re venerea est peccatum graue; leuis vero leue. ibid.

Delectatio morosa venerea quandonam grauis, vel leuis dici possit. ibid. remiss.

Delectatio morosa in rebus venereis est incohatio pollutionis. ibid. & n.34.

Quomodo distinguatur delectatio in materia luxuriæ à delectatione in alijs materijs. ibid.

Delectatio sensitiua, licet morosa, in materia non venerea non est ex se graue peccatum. ibid.

Appetitus sensitiuus sm aliquos DD. potest esse de obiecto sub aliqua conditione, & quare. ibid.

Prædicta doctrina non videtur vera, et quare. ib.

Delectationes omnes morosæ, licet venereæ, sunt ex se eiusdem speciei; nec variantur specie ex circunstantijs obiecti. ibid.

Voluntas consentiendo delectationi de aliquo obiecto id facit per actum ex se independentem ab illo, quo obiectum ipsum intendit. ibid.

Delectatio appetitus sensitiui quandonam dicatur morosa. ibid.

Vnde dicatur morosa, & à quanam mora. ibid.

Polluere Ecclesiam per actus internos desiderij non est prohibitum ab Ecclesia, n.10.

Voluntas fit sacrilega ab obiecto volito sacrilego, siue illud sit sacrilegum ex iure naturali, siue positiuo, n.11.

Sacrilegium mentale bene dicitur sacrilegium extrinsecus, & obiectiue. ibid.

Qui desiderat in Ecclesia fornicari extra illã, nullum committit sacrilegium, saltem graue, n.12

Cur desiderans fornicari in Ecclesia, licet id desideret extra Ecclesiam, sit sacrilegus, n.13.

Circunstantia obiecti in desiderio fit pars obiecti voliti. ibid.

Multa actiones, quæ in se videntur turpiores, & indecentiores in Ecclesia, quam desideria, non sunt sacrilegia grauia, n.14.

Desiderium obiecti sacrilegi obiectiue, non autem entitatiue, est grauiter sacrilegum, n.15.

Negari potest, quod dentur actiones intrinsece malæ ante omnem prohibitionem diuinam, n.17.

Si Deus tolleret suam prohibitionẽ, tolleret secundum aliquos omnem malitiam moralem. ibid.

Aliqua esse mala, quia prohibita, & aliqua prohibita, quia mala, quomodo intelligendũ sit. ib.

Desiderium pure conditionatum, etiamsi conditio apposita impossibilis sit à parte rei; tamen non proinde fit absolutum. ibid.

Propensio inefficacis voluntatis in obiectum grauiter malum nõ est ex se graue peccatum. ibid.

Quandonam conditio apposita, si sit impossibilis, habeatur pro non apposita. ibid.

Velle mentiri, si mendacium liceret, *non est* Velle, quod mentiri sit licitum, *num.19.*

Velle, quod fornicatio, vel mendacium licita fiãt, & naturæ ordo mutetur, quomodo non semper sit peccatum. ibid.

Quomodo quis possit gaudere de Ecclesia pollutione, qua mala, n.21.

Gaudium de opere malo, non quà malo, aliqualiter tantum amplecti videtur operis malitiam, et ad summum leue tãtum est ex se peccatũ. ib.

Gaudere de opere malo; sed non quà malo, ex se leuiter tñ allicit ad operis ipsius intentionẽ. ib.

Voluntas per merum gaudium de opere malo; sed sub aliqua ratione non mala, nec explicite, nec implicite fertur in operis malitiam, n.25.

Gaudere de opere malo non est per se causa operis, nec prohibetur per prohibitionem operis, n.27.

Cur desiderans opus malũ, eo ipso contrahat omnẽ operis malitiã; non autẽ de eod. opere gaudens, nisi gaudeat de eo, quà taliter malo, n.28. et 29

Quid sit proprie gaudium, & quomodo differat à desiderio. ibid.

Quomodo possit quis, quæ sunt illicita, facere licita. ibid.

Delectatio de Homicidio Ecclesiæ pollutiuo, non quà alteri noxio; sed ex alio motiuo non malo, ex se non est peccatum graue, n.34.

Per accidens ratione periculi fortasse illa potest esse graue peccatum. ibid.

Quare delectatio morosa de fornicatione Ecclesiæ pollutiua sit ex se peccatum graue. ibid.

Quomodo accidat ex natura rei venereæ delectatio, & pollutio, simulq. coniungantur. ibid.

Quid dicendum sit de desiderijs, gaudijs, & delectationibus circa habitualem tantum Ecclesiæ pollutionem, n.35.

Quid etiam de desiderio, gaudio, & de delectatione circa desideria, gaudia, & delectationes omnes prædictas. ibid.

1 ADuerto 1. sicuti *Matth.5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*, ita non incongrue dici posse, quod, qui Ecclesiam polluere voluerit, iam in corde suo illam polluerit; ac proinde, cum superius de externa tum actuali, tum habituali Ecclesiæ pollutione actum fuerit, nunc etiam de interna, ac mentali Ecclesiæ pollutione agendum esse, vt rei, quam tractamus, cognitio vndiq. perfectius eruatur.

2 Aduerto 2. cum peccata cordis pertineant aut ad delectationes, aut ad desideria, & inde dupliciter Ecclesia in voluntate, seu in cor-

corde pollui queat, videlicet aut per delectationem de tali actu Ecclesiam polluente, aut per desiderium perpetrandi talem actum Ecclesiæ pollutiuum, vtrumq. hunc modum vel absolutum, vel conditionatum esse posse; versari enim potest vterq. circa obiectum vel absolutum, vel conditionatum, cumque delectatio vel in appetitu rationali, qui dicitur voluntas, vel in appetitu sensitiuo consistere possit, in hoc vnam ab alia differre, quod delectatio voluntatis proprie dicitur gaudium, & est passio, qua quispiam agnoscens se possidere bonum, quod optauerat, ea de re gaudet, vnde gaudium esse potest de obiecto cōditionali; delectatio vero appetitus sensitiui semper absolute fertur in obiectum, vt est in se, omni conditione destitutum, quia sic tantum appetitui sensitiuo obiectum proponitur à phantasia, quam ille sequitur; sed intellectus, quem voluntas sequitur tam in suis actibus desiderij, quam delectationis, potest apprehendere, & proponere voluntati obiectum conditione vestitum, & à malitia præcisum, quas præcisiones facere non potest imaginatiua, seu phantasia, quæ brutis etiam cōmunis est, vt bene explicat *Sanchez in Decal. l.1.c.2.num.32. & seq. Filiuc. tom.2.tr.21.c.8. num.299.& seq. & optime Caramuel in Reg. D. Bened.disp.65.num.1028.et seq.vsq.ad n.1033. & Bossius de scrupul.n.149.*

3 Aduerto 3. Delectationem ipsam voluntatis de actu Ecclesiæ pollutiuo posse esse vel de tali re illicita, & cogitata, seu apprehensa, vt præsenti, vel de cogitatione, & speculatione ipsa circa talem rem illicitam, quod aut reflexe fit, vt ait *Arriaga in 1.2.tom.1. disp.47. sect.1. num.1.* aut directe etiam, vt ait *Sanch. in sum.l.1.c.2.num.7.* quando scilicet delectatio est de re cogitata, tanquam mira, & non tanquam mala. sicuti in imagine aliqua delectari quis potest vel de rebus ibi per imaginem expressis, v. g. de venatione, bello, & similibus, vel de imagine ipsa pulcre descripta, quod fuse. & clare docuit *Azor.p.1.l.4. cap.5. q.5.* & alij post illum, sed præcipue *Lanfranchi Opuscul.Moral.p.2.Opusculo 19.*quod totum est de Delectatione morosa. *c.1.& 4.*

4 Dico 1. polluere Ecclesiam in corde tantum per absolutum talis pollutionis desiderium, hoc est, habendo affectum voluntatis ex se efficacem in ordine ad illius pollutionis executionem, quam absolute operans intendit, esse sacrilegium graue. Ratio autem in genere est, quia, vt vniuersi fatentur, voluntatis actus efficaces sūt eiusdem omnino malitiæ, cuius est opus, in quod feruntur, vt videre est apud *Sanchez in summ.l.1.c.2.num.1.* at obiectum huius desiderij,de quo loquimur, est sacrilegium graue, vt iam dictum est *c.14.* ergo etiam talis obiecti desiderium tale erit: hinc in specie velle absolute polluere Ecclesiam, i. habere desiderium absolutum polluēdi Ecclesiam, esse sacrilegium graue docent *Megal.Institut.p.1.l.5.c.13.num.13.* qui subdit rationem eam esse, quod inter peccata cordis, & operis nulla sit differentia, *Mazuchel. de Casib.reseru.disp.2.c.6.diffic.4.num.99. Nauar.Cap.Consideret,in princip. num.21. De Pœnit.dist.5.& in sum.c.6.num.12. Viuald. Candelab.Sacram.p.1.de Confess.num.6. Sanch.de Matrim.l.9.disp.15.num.21.& 22. Suar. tom.1. de Relig.tr.2.l.3.c.7.num.7.*

5 Dico 2. polluere Ecclesiam in corde tantum per desiderium talis pollutionis, non absolutum; sed conditionatum, aliquando non esse ex se peccatum, si conditio præcidat ab obiecto peccatum; aliquando esse peccatum; sed non sacrilegium, si conditio præcidat ab obiecto, non peccatum; sed sacrilegij malitiam tantum; aliquando etiam esse adhuc peccatum, & sacrilegium, si conditio neutrū præcidat ab obiecto. rem exemplis illustremus. Si v.g. Titij voluntas affectu efficaci absolute feratur in Ecclesiæ pollutionem, quod consistit in hoc actu: *Volo polluere Ecclesiam absolute*, Titius peccatum, & sacrilegium graue committit, vt ex superiore conclusione patet: Si vero Titij voluntas affectu item efficaci feratur in Ecclesiæ pollutionem, nō absolute tamen; sed per actum conditionatum, qui semper est optatiuus, aut subiunctiuus, vt ait *Caramuel l.c.num.1024.*tunc si conditio nō tollit ab obiecto nec sacrilegij, nec peccati malitiam, prædictum obiectum remanebit adhuc sua pristina sacrilegij grauis, & inde peccati mortalis malitia infectum, & totam etiam eam malitiam refundet in actū efficacis voluntatis,cuius est obiectum; vnde Titius per hunc actum: *Vellem polluere Ecclesiam, si non essem Clericus*, adhuc peccatum, & sacrilegium graue committit, prædicta enim conditio neutrum tollit, nec præcidit ab obiecto, quod efficaci voluntate intendit. Si vero conditio tollit sacrilegij malitiam ab obiecto,tūc etiam velle tale obiectum carebit sacrilegij malitia: hinc Titius per hunc actum: *Vellem fornicari in Ecclesia, si hoc non esset cōtra Ecclesiæ reuerentiam*, peccatum quidem; sed non sacrilegium committit, quia prædicta conditio non fornicationis; sed sacrilegij tantū malitiam eliminat ab obiecto, & consequenter ab actu desiderij in illud tendentis. Si deniq. conditio aufert ab obiecto omnem peccati malitiam, tunc etiam omnis peccati malitia aufertur ab actu, per quem tale obiectum desideratur. Quare Titius per hunc actum:

Vel-

Vellem polluere Ecclesiam, si non esset peccatum, nullo modo peccat, quia per prædictam conditionem præciditur tota malitia tum ab obiecto volito, tum ab actu volente, vt constat ex dictis, & inferri potest ex *Gerson p. 2. in Regul. Moral. Alphabet. 24. lit. G. Caiet. in Summ. Verb. Cogitatio, Armilla ibid. num. 1. Sã Verb. Peccatum, num. 2. Alcozer in sum. c. 6. doctrin. 2. Manuel in summa tom. 2. c. 212. num. 2. apud Sanch. in sum. l. 1. c. 2. num. 22.* & expresse colligitur ex *Vasquez tom. 1. in 1. 2. q. 74. art. 8. disput. 116. c. 2. num. 4. Sayr. in Clau. reg. l. 8. c. 7. num. 28. & 29. Caramuel in Reg. disp. 65. nu. 1026. Filiuc. tr. 21. c. 7. num. 296. 297. & 298. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. 8. nu. 20. Castro Palao tom. 1. tr. 2. disp. 2. §. 3. num. 4. Bossio de Scrupul. num. 110. vers. Tertio, &c.*

6 Dico 3. Polluere Ecclesiam non per desiderium, sed per gaudium, hoc est, per delectationem voluntatis de tali pollutione, quã tali, idest, quã mala est, vel quã sacrilega, iuxta ea, quæ superius de talis pollutionis malitia asseruimus, esse ex se eiusdem malitiæ, cuius est prædictæ pollutionis desiderium, de quo hactenus diximus in præcedentibus duabus conclusionibus; & ratio est, quia, vt optime dixit *Ariaga tom. 1. in 1. 2. disp. 47. nu. 21.* qui sic gaudet de tali obiecto, quã tali, iam tunc formalissime complacet sibi in malitia illius obiecti, cum illud sit malum, & habet ibi, quasi virtute, vnam voluntatem efficacẽ, qua vult illam malitiam talis obiecti, vnde illa malitia sic volita sit pars obiecti eiusdem voluntatis: & de hac voluntate siue absoluta, siue conditionata idem dicendum est, quod iam diximus de desiderio ob prædictam rationem, prout communiter ab omnibus asseritur; omnes enim delectationes, quæ cadunt supra obiectum, quã malum, in omni materia malæ sunt, & haud dubie suam malitiam ab obiectis accipiunt, vt disertissime tradidit *Ariaga l. c. num. 9. Vers. In quo puncto*, quia tales delectationes sic habitæ, vt diximus, non distinguuntur à desiderijs ipsis actualibus, nisi modo iam dicto.

7 Dico 4. Polluere Ecclesiam per gaudium de tali pollutione, non quã tali, & proinde quã mala; sed præscindendo ab eius malitia; ac proinde quatenus est aliquo modo bona, v. g. quia ex illa magnum aliquod bonum enatum, aut enasciturum est, non esse aut sacrilegium, aut peccatum, saltem graue. Ratio est primò, quia, cum aliud sit gaudere de effectu secuto, vel etiam secuturo, aliud gaudere de ipsa causa secundum se, potest quis gaudere de vno non tangendo aliud, quo modo Dauid amabat filium ortum ex adulterio, & optabat illum viuere, etiam quando maxime dolebat se illud adulterium commisisse; & sic potest quis gaudere de pace Reipublicæ secutura ex homicidio etiam iniusto, & non attingere per tale gaudium illud homicidiũ; sunt enim ea duo obiecta realiter distincta, & habent diuersas bonitates, licet vna ab alia de facto oriatur. & idipsum etiam in materia venerea contingere posse asserit *Ariaga l. c. num. 20.* sine vllo peccato, etiam veniali, vt si quis gauderet de re aliqua bona in se, licet orta ex copula illicita. Secundo, quia etiam si is, qui gauderet de tali Ecclesiæ pollutione eo, quod illa fuerit, vel etiam futura sit v. g. causa alicuius boni, vere tangeret per tale gaudium illam etiam pollutionem Ecclesiæ, tanquam obiectum formale quod, in quo hoc gaudium differt à paulo ante explicato; cum tamen motiuum esset illud bonum, quod ex ea pollutione secutum, vel secuturum erat, idcirco etiam sic gaudens de prædicta pollutione ob illud bonum ab illa ortum, vel oriturum, non peccaret, saltem mortaliter; etiã si talis Ecclesiæ pollutio tunc esset ex actione venerea, v. g. ex fornicatione ibi perpetrata: licet enim etiam delectatio voluntatis in materia carnis siue per se, siue per accidens videatur excitare motus carnis, & aliquando delectationem ipsam appetitus sensitiui in tali materia, & consequenter sit res valde lubrica; tamen, quando motiuum, propter quod quis gaudet v. g. de fornicatione prædicta, non est ob voluptatem illam carnalem, quæ moueat ad delectationem appetitus sensitiui, sed est ob aliam causam, ac proinde illud motiuum non est magis attractiuum ad delectationem veneream, quam motiua aliarum materiarum, tunc cessat ratio periculi, & peccati ex delectatione venerea, de qua inferius agemus, ita ex *Ariaga l. c. num. 20. & 21.*

8 Dico 5. Gaudere, seu delectari, non de ipsa Ecclesiæ pollutione; sed de ipsamet pollutionis cogitatione, speculatione, vel cognitione non esse ex se sacrilegium, aut peccatum vllum; licet per accidens, ratione periculi alicuius, attenta speculantis fragilitate, & procliuitate ad delectationes, maxime venereas, & morosas, quando actio Ecclesiæ pollutiua esset in tali materia carnis, esse possit in aliquo casu etiam graue peccatum, & sacrilegium. Ratio conclusionis huius iam patet ex præcedentibus quo ad priorem partem; quo ad alteram vero patet ex se, eamq. tradit *Caramuel l. c. nu. 1033.* tota autem conclusio est *Sanchez in Decal. l. 1. c. 2. nu. 4. Azor. 1. p. l. 4. cap. 6. q. 1. Lessi l. 4. cap. 3. num. 108. Fagund.*

gund. in Decal.l.9.c.1.num.19.& Boss. de scrup. num.135.

9 Dico 6. Polluere Ecclesiam, non per gaudium; sed per delectationem morosam de actu Ecclesiæ pollutiuo in ea perpetrato, si is fuerit in re Venerea, semper esse ex se peccatũ graue, nisi delectatio prædicta in appetitu sensitiuo, & sensu exteriori parua fuerit; sed nunquam ex se esse sacrilegium; si vero actus Ecclesiæ pollutiuus fuerit in alia materia, non esse ex se peccatum graue. vnde, si delectatio morosa fuerit v. g. de fornicatione Ecclesiæ pollutiua, semper erit ex se peccatum graue; non autem si de Homicidio Ecclesiæ pollutiuo. Quod prædicta delectatio de tali fornicatione semper sit peccatum, patet ex eo, quod ex natura sua est inceptio incontinentiæ, & inchoatio pollutionis ex *Galeno lib.14. de vsu part.c.9.&* 10. quem citat *Diana p.3.tr.5.resol.1.* qua in re hæc delectatio morosa in venereis distinguitur ab eadem in alijs materijs, in quibus diximus illam non esse ex se peccatum graue, quia tunc talis delectatio non est pollutionis inchoatio, vt est delectatio in hac materia carnis, quod infra etiã clarius explicabimus. vnde, qui sensualiter, libere, & grauiter delectatur v. g. de fornicatione in Ecclesia perpetrata, graue peccatum committit; qui vero de eadem delectatur; sed leuiter, leue etiam peccatum admittit, iuxta doctrinã *Caramuelis in Reg.D.Bened.disp.65.num.1034.et* 1047. vbi etiam docet quandonam illa sit grauis, vel leuis. Quod vero prędicta delectatio venerea, etiam grauissima, non sit sacrilegium, licet fornicatio illa, de qua quis morose delectatur, perpetrata sit in Ecclesia, & consequenter fuerit ex se sacrilega, constat ex eo, quod delectatio appetitus sensitiui morosa, si sit mere speculatiua, non est peccatum ex se graue in alijs materijs, pręterquam in venerea, vt suppono ex *Vasquez, Ariaga, Caramuel,* & alijs infra citandis, ergo, etiamsi appetitus sensitiuus, sicut voluntas facit, delectari posset de obiecto sub aliqua cõditione, eo quod etiam imaginatiua repręsentare posset obiectum vestitum aliqua cõditione, quod tamen non videri verum supra diximus, quicquid in contrarium dixerint *Castropalao tom.1.tr.2.disp.2.§.2. num.6.* & ante illum *Salas 1.2.tr.13.disp.6. sect.28.num.189. & sect.30. num.200.* nihilominus etiam qua parte appetitus sensitiui delectatio tangeret obiectum aliunde malum, quam ex eo, quod talis delectatio sit pollutionis inchoatio, non haberet vnquam malitiam aliam mortalem, ac exinde non esset grauiter sacrilega; sed verius nullam omnino sacrilegij malitiam contrahit prædicta delectatio appetitus mere sensitiui de prędicta fornicatione, quia phantasia, & delectatio inde consurgens, fertur tantum in obiectum, vt in se est, & omni conditione denudatum, & non in circunstantiam loci sacri, quæ tamen tunc expresse deberet tangi à voluntate, vt suam malitiam in voluntatem refunderet, modo iam superius explicato. ita *Vasquez in 1.2.tom.2. disp.112.c.2. Sayr. in Claui reg.l.9.c.7.num.10. Reginald. to.2.l.12.c.2.num.13. Diana p.1. de Circunstant. aggrau.resol.48. Caramuel in Regul. D. Benedict. disp.65.num.1047. Tamburin.de Confess. c.7.§.8.num.2. Castropal.tom.1.tr.2. disp.2. punct.10. §.4.* alijq, non pauci, ex quibus patet delectationes omnes appetitus sensitiui, quas aliqui extrinsecas vocant, vt ab intellectualibus, quas intrinsecas dicunt, distinguant, non variari specie ex circunstantijs obiecti, de quo sit delectatio venerea sensibilis; sed omnes esse in genere pollutionis incœptæ, & non completæ: voluntas enim, quando deliberate consentit in delectationem appetitus sensitiui (in quo puncto ea delectatio fit morosa, quia tunc voluntas est in mora culpabili) id facit per vnum actum, qui ex se independens est ab alio actu, quo fertur per intentionem in bonum ipsum delectabile, de quo nunc appetitus delectatur: vnde potest voluntas prębere assensum suum, in prædictam appetitus delectationem per vnum actum, & non elicere illum alium actum, quo, independenter ab omni delectatione, feratur per intentionem in obiectum aliquod, à quo obiecto etiam actus ipse circa illud versans habet, vt sit bonus, vel malus, quod breuiter docuit *Caramuel l.c. &c.*

10 Dices 1. contra primam conclusionem nostram. Polluere Ecclesiam per actum internum desiderij non est prohibitum ab Ecclesia, quæ non iudicat de occultis, sed tantum per actus externos Ecclesiæ pollutiuos, ergo polluere Ecclesiam per actum desiderij non est sacrilegium.

11 Respondeo malitiam obiecti voliti refundi in voluntatem illud volentem, vt superius dictum est cum communi DD. sententia; ac proinde, posito, quod opus aliquod sit sacrilegium vel ex iure naturali, vel positiuo, statim etiam velle efficaciter illud opus erit ex natura rei sacrilegium mentale, vt passim DD. docent, sed egregie *Caramuel in Reg. nu. 984.* qui intentionem sacrilegij ideireo vocat sacrilegium extrinsecus, & obiectiue.

12 Dices 2. contra eandem nostram conclusionem. Qui in Ecclesia stans desiderat fornicari extra Ecclesiam, non committit sacrilegium,

legium graue, ergò nec sacrilegium erit, si quis extra Ecclesiā desideret fornicari in Ecclesia.

13 Respondeo negando consequentiam. in primo enim casu circunstantia loci sacri respectu personæ desiderantis fornicari extra Ecclesiam, vel saltem nihil de circunstantia illa loci considerantis, nullam specialem, & grauem malitiam dat actui prædicto, quia talis actus desiderij nec obiectiue est sacrilegium, nec in se: cum enim non sit sensibilis, nullam infert specialem, & grauem iniuriam per se Ecclesiæ, neq. est specialiter ab Ecclesia prohibitus; vnde, cum nullo modo contineat irreuerētiam grauem contra Ecclesiam, nullo modo est sacrilegium; in secundo verò casu, cum actus desiderij sumat malitiam à suo obiecto, & consequenter etiam à circunstantia cum obiecto, saltem implicite concupita, ab ea etiam proportionatam accipit malitiam, quia tunc illa circunstantia fit pars obiecti voliti; quare desiderare opus sacrilegum est mentale sacrilegium. ita *syluest. Nauar.* & alij apud *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 7. num. 7.* sed præcipue *Canus Relection. de Pœnit. par. 5. §. Multa hic, &c. Lopez 1. par. Instruct. c. 33. & Megal. Instit. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. num. 13. in fin.*

14 Dices 3. contra eandem conclusionem. Detractiones, Blasphemiæ, sermones, actus, & tactus, saltem leuiter turpes, etiam si fiant actu in Ecclesia, non sunt grauia sacrilegia, quia non videntur continere grauem irreuerentiam loci sacri *ex Azor. tom. 1. l. 4. c. 6. q. 10. Salas in 1. 2. tom. 2. tr. 13. disp. 6. sect. 22. nu. 150. in fin. Ortiz in sum. notab. 5. in fin. circa 6. præceptum. Pitigian. in 4. sent. tom. 2. dist. 17. q. vn. art. 5.* & alijs. ergo multo minus graue sacrilegium erit desiderium solum polluendi Ecclesiam, cum desideria sint extrinsece insensibilia, vt per se patet.

15 Respondeo argumentum valere tantum, si consideremus solam actuum ipsorum v. g. Desiderij, Turpiloquij, Detractionis, Blasphemiæ, & similium entitatiuam, & extrinsecam indecentiam in loco sacro, vere enim actus exteriores leuiter turpes, quo ad hanc solam materialem, & sensibilem irreuerentiam loci sacri, sunt magis contra reuerentiā illius loci, quàm actus interiores summe turpes; non valere antem, si comparemus obiectiuam, & affectiuam malitiam prædicti desiderij cum prædicta malitia, seu turpitudine materiali, & exteriori actuum Detractionis, Blasphemiæ, &c. illa enim obiectiua, & affectiua malitia desiderij prædicti est in omnium sententia grauis, & grauiter sacrilega; actuum verò exteriorum prædictorum turpitudo, & indecentia in loco sacro effectiue, & sensibiliter leuis est; obiectiue autem, seu affectiue nulla, vt suppono, & patet ex dictis iuxta doctrinam *Suar. l. c. num. 6.*

16 Dices 4. contra secundam nostram conclusionem. Fornicatio est ita intrinsece mala, vt nulla ratione ab ea separari possit malitia grauis, quam ex se habet independenter ab omni prohibitione extrinseca, ergo, si quis desideret polluere Ecclesiam per fornicationem in Ecclesia sub hac conditione, si non esset sacrilegium, nec peccatum, cum hęc conditio sit omnino impossibilis, nec auferat malitiam, saltem peccati ab obiecto, ac proinde remaneat obiectum vestitum sua malitia, sic desiderans in Ecclesia fornicari committet semper, si non sacrilegium, saltem peccatum graue, quia tale obiectum semper refundet suam malitiam in tale desiderium, & conditio apposita habebitur pro non apposita, quia impossibilis. & ita tenent *Sanch. in Decal. l. 1. c. 2. num. 23. Azor. p. 1. l. 4. c. 6. q. 10. Pontius de Matrim. l. 10. c. 16. num. 20. Granad. 1. 2. controuers. 6. tr. 4. disp. 5. num. 3. Bresser. de Conscient. l. 6. c. 17. num. 218. &c.*

17 Respondeo primo negari posse, quod dentur actiones moraliter intrinsece malę, & bonæ ante omnem prohibitionem Diuinam, vt nouissime negauit *Caramuel in Theolog. Morali lib. 2. c. 3. disp. 1. art. 2. num. 1019. et sequent.* nec non *Sfortia Pallauicin. assertionum Theologic. l. 1. c. 13. & 14.* vnde *num. 166.* distinctionem illam inter mala, quia prohibita, & inter prohibita, quia mala, dicit habere locum in ordine tantum ad prohibitionem legis positiuæ; non autem legis naturalis, & æternæ. ac proinde saltem per potentiam Dei posse separari malitiam moralem ab omnibus rebus, si v. g. Deus tolleret suam prohibitionē, secundo, dato etiam, quod à parte rei malitia tolli non posset à tali obiecto per talem conditionem impossibilem, dico tolli posse per intellectum; ac proinde, cum desideriū nō feratur in tale obiectum, nisi prout illud obiectum tale est in intellectu, inde fieri, vt tale desiderium licitum sit cum tali conditione, quia fertur in obiectum licitum, licitum enim concipitur in intellectu. neq. ex eo, quod talis conditio possibilis non sit, fit, vt desideriū feratur in obiectum illud sine tali conditione, ac proinde malum; nam desiderium nullo modo in tale obiectum fertur, nisi sub illa conditione, qua ablata, cessat etiam desiderium. Quod si dicas tale desiderium vanum, & frustra esse, quando, qui habet tale desiderium, scit conditionis impossibilitatem; respondeo tunc tale desiderium resolui in simpli-

plicem ostensionem propensionis suæ voluntatis in tale obiectum, quam ostensionem propensionis *Sanchez* ipse, qui in hac conclusione contra nos est ex iam dictis in obiectione, *l.c.num.*25. malam non esse concedit. sic nobiscum expresse tenent inter alios *Caiet. & Armill.Verb.Cogitatio,num.*1. *Sà Verb. Peccatum,num.*2. *Vasq. in* 1.2.*disp.*116.*c.*2. *Sayr.in Clau.reg.l.*8.*c.*7. *num.*28. *&* 29. *Aldrius in Canon.Consc.l.*7.*Verb.peccatum,num.*3. *Valent.to.*2.*disp.*6.*q.*4.*punct.*4. *Diana p.*3.*tract.*6.*resol.*47. *Bonac.de Matrim.q.*4.*punct.*8.*nu.*20. *Castro Palao tom.*1.*tr.*2.*disp.*2.§.3.*num.*4.*et Boss.de scrupul.num.*110. qui subdit rationem, cur verumsit in Matrimonio tantum conditionẽ impossibilem haberi pro non apposita; sed in alijs nõ ita,& idipsum dixerat *De Matrim.contract. p.*1.*c.*10.*& Fr.de Lug.in Decur.p.*2.*c.*1.*q.*3.*n.*38.

18 Dices 5. contra eandem nostram conclusionem. Velle polluere Ecclesiam, v. g. per fornicationem in Ecclesia, si id esset licitum, est velle, vt iniquitas sit æquitas, ordinis peruersio sit honestas, & naturæ lex immutetur; sed hoc peius peccatum est, quam fornicari velle, vt dixit etiam *Laym. l.*1.*tr.*3.*c. num.*11. *Azor.p.*1.*l.*4. *c.*6. *q.*10. *& Lanfranchi Opusc. Moral.p.*1.*opusc.*19.*c.*5.*num.*5.ergo etiam velle polluere Ecclesiam per fornicationem in illa graue peccatum erit, licet id volitum sit sub illa conditione, si non esset peccatum, vel si esset licitum.

19 Respondeo primo negando maiorem propositionem; falsum enim est, quod qui *vult mentiri, si mendaciam liceret*, etiamsi habeat vere hoc desiderium cõditionatum in voluntate, falsum, inquam, est, quod is *velit mentiri esse licitum*, circa hoc enim talis desiderans negatiue se habet, nec fertur illius voluntas in bonitatem, vel malitiam mendacij, sed ita se habet; ac si Religiosus habens desiderium ducendi vxorem, si non haberet castitatis votum, diceret, *Si essem solutus à voto, ducerem vxorem*, quo in casu ille Religiosus non inferret se habere voluntatem liberandi se à voto; sed tantum diceret, quid facturus esset, si à voto liber esset. Secundo, dato etiam,quod sic desiderans vellet fornicationem, aut mendacium, &c. esse licita, & naturæ legem immutari; adhuc dico eum non videri damnandum peccati mortalis, quia tale desiderium, seu volitio talis deordinationis esset inefficax, & per simplicem affectum, & potius propensio in illam, quam desiderium, *vt cum Salas, & Castropalao* docuit *Bossius l. c.* & Tertio, dato insuper, quod sic desiderans vellet id nõ esse malum, quod est intrinsece malum, adhuc assero tale desiderium non semper esse malum; si enim ob bonum finem talis mutatio desideretur, v. g. eo, quod eam optans idcirco eam velit, quia sæpius ob suam fragilitatem in peccatum incidere videatur, quod non committeret, si id, quod nunc est illicitum, fieret licitum. & ita sensit *Vasquez in* 1.2.*disp.*116.*c.*2.*in fin.*& ex hac mutatione,dum à Deo esset, nulli fieret iniuria; vnde non apparet,quo modo peccatum esset eam optare.

20 Dices 6. contra tertiam nostram conclusionem. Gaudere de Ecclesiæ pollutione, quà mala, est gaudere de illius malitia; sed malitia non potest esse obiectum delectationis, ergo male supponitur à nobis, quod possit quis delectari de Ecclesiæ pollutione, quà mala est.

21 Respondeo concedendo malitiam,quà talem, non posse esse rationem formalem, sub qua Ecclesiæ pollutio ametur à nobis, & de ea gaudeamus, vt bene asseritur in argumento aduersariorum; sed negando, quod amor, & gaudium nostrum non possit ferri expresse in prædictam malitiam, tãquam in obiectum formale quod, seu in malitiam, quà talem, non sistendo quidem ibi vltimo; sed rursus in ea malitia apprehẽdendo aliquam rationem boni; quo in casu gaudium ferretur expresse in malitiam, quà talem; & tamen ea, quà talis, adhuc esset obiectum nostri gaudij, licet non vltimato, vt explicatum est.

22 Dices 7. contra quartam nostram conclusionem. Gaudere deliberate de Ecclesiæ pollutione semper in se continet inclinationem, & motum quendam in rem ipsam malam, & rectæ rationi aduersantem, ergo erit etiam semper eiusdem malitiæ cum illa re mala, in quam per delectationem fertur; qui enim gaudet de opere prauo, necessario habere videtur affectum propensum ad opus ipsum, & consequenter peccat iuxta malitiam operis, de quo gaudet.

23 Respondeo primo, cum gaudium sumatur de obiecto, vt applicato per cognitionem intellectus, & intellectus possit ob obiecto præscindere rationem malitiæ,consequenter posse dari gaudium de obiecto malo sub aliqua ratione boni, absq. eo quod voluntas tangat per suum gaudium vllam rationem mali in obiecto, quo in casu tale gaudium voluntatis nullam ex obiecto illo malo malitiam desumeret. Secundo, etiamsi gaudendo de re mala videatur quis ipsiusmet rei malitiam, à qua tamen gaudens præscindit, aliqualiter amplecti; tamen talem amplexum ad summum leuiter ex se culpabilem esse, & leuiter tãtum allicere ad consensum absolutum operis.

24 De

24 Dices 8. contra eandem conclusionem. Ecclesiæ pollutio, cum sit grauiter mala, debet rectæ rationi grauiter displicere, ergo, si voluntas deliberate gaudeat de illa, grauiter semper peccabit.

25 Respondeo, cum certum omnino sit obiecti malitiam non refundi in voluntatem, nisi voluntas in illam vel explicite, vel implicite feratur; per gaudium vero merum de Ecclesiæ pollutione, non quà mala; sed sub aliqua tantum ratione boni, voluntas nullo modo, vt diximus, in illius malitiam feratur, propterea ad argumentum satis fieri per distinctionem illam, quam supra innuimus, de obiecto vel quà malo, vel quà bono: illud non potest esse obiectum gaudij, quin voluntas feratur in illius malitiam, eamq. contrahat; hoc autem secus ob rationem superius allatam.

26 Dices 9. contra eandem conclusionem. Opus malum, & gaudium de illo, non sunt moraliter duo; sed vnum, vnde prohibentur eodem precepto, ergo semper gaudere de Ecclesiæ pollutione erit graue peccatum, quale est opus ipsum, saltem quia grauiter prohibitum.

27 Respondeo per prohibitionem operis neq. prohiberi gaudium de eo explicite, vt ex se patet, neq. implicite, quia gaudium de opere non est per se causa operis, adeo vt ex prohibitione operis censeatur prohibitum etiam gaudium de eo, tanquam illius causa.

28 Dices 10. contra eandem ipsam conclusionem. Desiderans Ecclesiæ pollutionem, etiamsi eam non desideret, quà malam, dummodo eam malam esse cognoscat, ab obiecto illo omnem contrahit malitiam, quia eam omnem in eo implicite vult eo ipso, quod vult tale obiectum, ergo etiam gaudens de Ecclesiæ pollutione, quam nouit esse malam, etiamsi non gaudeat de ea, quà mala, omnem ab ea contrahet malitiam.

29 Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia desiderium, cum sit actus voluntatis efficax, & ex se efficaciter tendat ad opus ipsum exequendum, vel consequendum, ac proinde, cum ponat opus à parte rei, necessario vult virtualiter omnes cognitas circumstantias eius, & malitiam omnem, quam hic, & nunc obiectum habet; etiamsi explicite voluntas non feratur in illud obiectum, quà malum; Sed gaudium, cum sit actus inefficax, & consumetur in sola voluntate absq. eo, quod efficaciter tendat ad ponendum opus à parte rei, ac proinde sit simplex complacentia, & quasi quies consurgens ex præsentia boni conuenientis possessi aut secundum rem, aut saltem secundum cognitionem, siue apprehensionem, ex *D.Th.1.2.q.32. art.3.* & sumatur tantum de obiecto, vt applicato per cognitionẽ intellectus, qui ab obiecto præscindere potest rationem malitiæ, & non de obiecto, vt hic, & nunc est à parte rei, propterea gaudium neq. explicite, neq. implicite fertur in malitiam obiecti, ideoque illam non contrahit, nisi gaudium sit de tali obiecto, quà malo, vt superius dictum fuit, quia tunc obiecti malitia esset virtualiter, si non directe, volita à voluntate in tali gaudio. ita egregie *Ariaga in 1.2.tom.1.disp.47.n.9.*

30 Dices 11. contra prædictam conclusionẽ. Malitia Ecclesiasticæ pollutionis re ipsa hic, & nunc est coniuncta cum tali obiecto, ergo si voluntas hic, & nunc gaudeat de tali obiecto, gaudebit etiam de obiecti malitia; sicuti enim volitio efficax talis obiecti contrahit ab eo malitiam, etiamsi intellectus velit illam præscindere, ita etiam volitio inefficax illam contrahet; non enim est in potestate hominis efficere, vt quæ sibi hic, & nunc sunt illicita, maxime si sint iure naturali mala, fiant licita, v.g. cogitando ea esse licita.

31 Respondeo negando consequentiam, malitia enim, etiamsi à parte rei esset inseparabilis à tali obiecto, per intellectum præscindi potest; vnde gaudium, quod ex dictis, versatur circa obiectum, non quà tale est à parte rei; sed quatenus per intellectum applicatur voluntati sub hac, vel sub illa ratione boni, non contrahit vllam obiecti malitiam, nisi de ea formaliter gaudeat, vt modo explicuimus.

32 Illud vero, quod in argumento dicitur, nimirum, volitionem efficacem contrahere malitiam ab obiecto, etiamsi intellectus velit illam ab eo præscindere, si intelligatur de volitione efficaci, & absoluta, verum est; si vero intelligatur de volitione efficaci, sed conditionata, tunc si conditio apposita tolleret ab obiecto aliquam malitiam, & voluntas efficax non ferretur in tale obiectum, nisi sub illa conditione, tunc, inquam, voluntas non contraheret illam malitiam, quam ab obiecto intellectus præscidit, quia voluntas tunc in tale obiectum non ferretur, vt ex supradictis abunde patet. vnde simul clarum est, quid tanto argumento respondendum sit, & quomodo possit quis, quæ sunt illicita, efficere sibi licita in voluntate tam efficaci, quam inefficaci, si nolit scilicet obiectum malum efficaciter, nisi sub conditione boni, & nunquam gaudeat de illo, quà malo; sed solum quà bono, iuxta ea, quæ præmisimus, & supponimus.

33 Dices vltimo contra vltimam conclusionem. Etiam in materia non venerea, puta, iræ,

iræ, &c. delectatio morosa de obiecto malo, v. g. de nece inimici, maxime in hominibus valde cholericis, solet excitare in corpore spirituum commotionem, & motus aliquos valde efficaces ad eliciendum consensum absolutum in ipsam ininstam necem, ergo etiam delectatio de homicidio Ecclesiæ pollutiuo ob prædictam causam ita erit peccatum graue (etiamsi delectatio non sit de illo, quà malo, ac proinde sit de tali homicidio non quà alteri noxio, &c. sed ex alio motiuo non malo) vt delectatio ipsa morosa in re venerea, v. g. de fornicatione Ecclesiæ pollutiua.

34 Respondeo, quicquid sit de antecedente, negando consequentiam. verum quidem est, quod semper, omnis delectatio ob periculum graue grauis peccati sit grauiter mala; sed verum non est, quod delectatio morosa in materia iræ ex se habeat annexum tale periculum: vnde dato etiam, quod aliquando illud habeat annexum, prout illud concedit etiam *Ariaga in* 1.2. *tom.*1. *disp.*47. *num.*19, tamen id erit per accidens. idcirco autem negatur consequentia in prædicto argumento, quia delectatio morosa in re venerea non ideo, iuxta nostra sententiam, est semper ex se peccatum graue, quod habeat annexum periculum consensus absoluti in opus ipsum; sed quia (quod non facit delectario morosa in alijs materijs) semper excitat ex se motus in corpore venereos, vel commotionem spirituum vitalium subseruientium generationi, ac proinde est ex se, & ex natura sua ipsius pollutionis causa, & inchoatio, vt supra dictum fuit: Delectatio enim venerea incipit semen mouere, vnde si ea perseueret, & crescat, tandem semen decidet, vt ait *Caramuel in Reg. num.*1049. qui autem vult causam per se talis effectus, moraliter vult etiam talem effectum. immo ipsa delectatio venerea fit ex motu seminis descendentis ad partes obscœnas ex commotione spirituum genitiuorũ incalescentis, vt dixit *Rebell.p.*2.*l.*3.*q.*19.*sect.*3.quod nihil aliud est, quam dicere pollutionem cum delectatione,& delectationem cum pollutione coniungi, & confundi.

35 Colligo, ex his, quæ diximus de desiderio, gaudio, & delectatione versantibus circa Ecclesiæ pollutionem actualem, proportionaliter, & iuxta doctrinam traditam, colligi posse, quid sentiendum sit de desiderio, gaudio, & delectatione circa Ecclesiæ pollutionem habitualem; immo etiam, quid dici possit de desiderij, gaudij, & delectationis desiderio, gaudio, & delectatione circa vtramque Ecclesiæ pollutionem, & omnes alias tam venereas, quam non venereas materias, quod doctissimis, & perspicacissimis viris semper difficillimum sapientissime visum est.

CAPVT XIIX.

An polluere Ecclesiam, quà locum communem, & non quà sacrum, sit etiam formale Sacrilegium.

SVMMARIVM.

*Difficultatis ratio in proposita quæstione aperitur, num.*1.

*Prædictæ quæstionis decisio iam superius tacta; sed non tractata fuit, n.*2.

*Datur triplex Malitia, Obiectiua, Materialis, & Formalis, n.*3.

Triplex etiam Sacrilegium dari potest, Obiectiuum, Materiale, & Formale. ibid.

Quid sit vnumquodq. illorum, & cur sic appellatum sit. ibid.

Polluere Ecclesiam, quà locum communem, & non quà sacrum, est etiam Formale Sacrilegium. ibid.

Qui vult opus efficaciter, vult simul omnem malitiam reipsa cum opere coniunctam, dummodo ab operante talis malitia cognoscatur. ibid.

Confirmatur idipsum exemplo mire ad rem faciente. ibid.

Adhoc formale sacrilegium non est necesse, vt explicita intentio operantis feratur in pollutionem loci sacri, quà sacri. ibid.

Quaenam sit materia, & forma prædicti Sacrilegij, vnde dicitur formale. ibid.

Quid sit intendere sacrilegium voluntate operis, & non operantis. ibid.

*Quomodo differant inter se Conditio, & Præscisio per intellectum, n.*5.

Item Voluntas absoluta, & Conditionata. ibid.

Vellem polluere locum sacrum, si nescirem esse sacrum, *cur non sit actus sacrilegus. ibid.*

Volo polluere locum sacrum, non quà sacrũ, sed quà communem locum tantum, *cur sit actus proprie, & formaliter sacrilegus. ibid.*

Nolle obiecti efficaciter voliti malitiam est nolitio inefficax. ibid.

Si quis efficaciter nollet prædictam malitiam, tũc inefficaciter tantum vellet opus, cui illa est coniuncta, vnde ab opere abstineret. ibid.

Non potest efficaciter quis pro eodem tempore, & in ijsdem circunstantijs reipsa velle, & nolle ea,

ea, quæ simul sunt, & quorum vnum sine alio appeti nequit. ibid.

Non obstante intellectus præscissione facta in obiecto, voluntas efficax, & absoluta fertur in illud totum, quà cognitum. ibidem.

Sola præscissio intellectus nihil aufert ab obiecto, quin sit idem, quod erat ante illam. ibid.

Locus Sacer adhuc remanet locus habens generalem rationem loci, num. 6.

In loco Sacro sacrilege fiunt ea omnia, quæ positiue profana sunt; non autem, quæ negatiue tantum talia sunt, num. 7. & 11.

Rex, si tractetur vt quilibet alius homo, iniuria afficitur, quia cum cæteris confunditur, & proprio honore priuatur. ibid.

Rex, si desineret esse Rex, & locus Sacer, si desineret esse Sacer, possent forte tractari, quà homo, & quà locus tantum, absque eorum iniuria, num. 9.

Quænam sint negatiue tantum profana, num. 11.

Exonerare ventrem in Ecclesia sine necessitate censetur graue Sacrilegium, & cur. num. 13.

Tale autem est in se, etiam si non præsumatur agens id agere ex formali contemptu loci, num. 15.

Quomodo exonerare ventrem in Ecclesia sine necessitate sit actio essentialiter sacrilega, & sacrilega non sit, si fiat in necessitate. ibidem.

Multipliciter aliquid dicitur intrinsece, & essentialiter tale, num. 17.

Actio aliquando dicitur mala intrinsece, quia excludit solam prohibitionem Humanam, aliquando etiam Diuinam positiuam, & aliquando omnem omnino prohibitionem, seu positiuam, seu æternam. ibid.

Lex naturalis est lex increata Dei à nobis per lumen rationis diuinitus instructum cognita. ibid.

Quo in sensu verissimum sit, si Deus mollitiem non interdixisset, eam non futuram fuisse malam, *quod à Caramuele dictum fuit. ibidem.*

Bossius acriter Caramuelem impugnant, suauiter impugnatur. ibid.

Nihil est contra legem naturalem, quod non sit simul contra æternam Dei legem. ibid.

Quo pacto increata lex Dei per naturale lumen cognoscatur. ibid.

Velle polluere locum Sacrum, si pollui posset quà non Sacer, & non quà Sacer, non est vllum sacrilegium, & cur. num. 18.

1 ADuerto 1. difficultatem inde ortam videri, quod sicuti conditio apposita, quæ tollat sacrilegij malitiam, excusat voluntatem polluendi Ecclesiam à Sacrilegij malitia, vt *cap. anteced.* dictum est *num.* 5. ità etiam polluere Ecclesiam, non quà locum Sacrum; sed quà locum communem tantum, excusati posse videtur à Sacrilegio ob prædictam præscissionem, quæ Sacrilegij malitiam quodammodo tollit.

2 Aduerto 2. licet ex iam dictis *c.* 12. *num.* 6. *c.* 13. *num.* 10. & *c.* 17. *num.* 28. & 29. satis innui videatur, quid in hac quæstione dicendum sit; tamen eam hic fusius tractandam esse, vt non solum ex ijs, quid à nobis dicendum; sed quid etiam aduersarijs respondendum sit, euidenter ex dicendis appareat, & veritatis cognitio splendidius, ac gloriosius elucescat.

3 Aduerto 3. dari posse triplicem Sacrilegij (idemque dico de cæteris peccatis) malitiam, Obiectiuam, Materialem, & Formalem; & exindè triplex etiam esse Sacrilegium, Obiectiuum, Materiale, & Formale, vt egregie dixit *Caramuel. in Theol. Moral. l. 2. nu.* 1318. & 1319. rem breuiter explico per exempla. Velle polluere Ecclesiam est actus voluntatis malus malitia obiectiua, & exinde Sacrilegiũ obiectiuum: Polluere Ecclesiam, quæ non cognoscatur, vel non aduertatur tanquam Ecclesia, est Sacrilegium materiale, quia adest materia Sacrilegij; sed non forma, i. cognitio talis actionis, vt Sacrilegæ, quæ cognitio ad Sacrilegium formale requiritur: Polluere autem Ecclesiam cum prædicta cognitione, ac proinde sub prædicta forma, sub qua actio fit formaliter sacrilega, est formale Sacrilegiũ.

4 Dico Polluere Ecclesiam, quà locum communem; & non quà sacrum, esse etiam formale sacrilegium. Probatur autem hoc apertissime, quia, cum polluere Ecclesiam sit ex cap. 13. vere sacrilegium, præscissio prædicta per intellectum facta nõ tollit re ipsa ab opere ex se sacrilego sacrilegij malitiam; vnde ad eam contrahendam satis est eam esse cognitam ab operante, & reipsa coniunctam cum opere; quando enim quis vult opus efficaciter, vult etiam, saltem implicite, omnem malitiam ipsius operis, quia intrinseca operis malitia ab opere separari nequit; sicuti non potest Caius abuti vxore Titij absq. iniuria mariti, licet Caius ea abutens hoc non intendat, & ea abutatur quà muliere tantum, & non quà vxore Titij, vt per se clarum est. Quare, cum in prædicto casu nostro adsit materia sacrilegij, nimirum materialis actio Ec-

clesiæ pollutiua, nec desit, vt suppono, cognitio talis actionis sacrilegæ, quæ est ipsa sacrilegij forma, consequenter Polluere in casu nostro Ecclesiam erit formale sacrilegium, licet operantis voluntas explicite nō intendat polluere Ecclesiam, quà locum sacrum; quia hæc explicita operantis intentio ad formale sacrilegium non est necessaria. Hinc aliqui dicunt in nostro casu sacrilegium intendi voluntate operis, si non voluntate operantis.

5 Ad difficultatem ergo n. 1. propositam dico disparitatem esse maximam tam inter Cōditionem, & Præscissionem, quam inter voluntatem absolutam, & conditionatam. Exēplis res patefiet. Si Titius eliciat hunc actū, *Vellem polluere locum sacrum, si nescirem esse sacrum*, quia Titij voluntas in tali casu fertur in obiectum vestitum conditione auferente ab illo sacrilegij malitiam, & faciente illud ex obiecto sacrilego non sacrilegum, idcirco voluntas Titij, dum elicit actum prædictum conditionatum, non est sacrilega, quia non fertur in obiectum sacrilegum, nec proinde ab eo sacrilegij malitiam contrahit; sed si Titius actu polluat locum sacrum, quà non sacrum, vel si eliciat hunc actum, *Volo polluere locum sacrum, non quà sacrum; sed quà communem locum tantum*, illius voluntas absolute fertur in obiectum sacrilegum, & prædicta intellectus præscissio à Titio facta non impedit, quin Titij voluntas in illud obiectum sacrilegum feratur, ac proinde non impedit formale Titij sacrilegium, quia, vt dixi, voluntas absoluta, & efficax contrahit omnem obiecti, in quod fertur, malitiam cognitam, quia eam implicite vult volendo efficaciter opus illud malum. quare nolle obiecti efficaciter voliti malitiam est nolitio inefficax, non enim potest quis simul efficaciter & velle, & nolle duo, quæ simul sint, & vnum tantum faciant reipsa obiectum, ita vt illorum vnum sine alio appeti nequeat. vnde, si efficaciter quis malitiam prædictam nollet, inefficaciter inde vellet illud obiectum, & consequenter abstineret ab efficaci volitione talis obiecti, à quo præscindi nequit sacrilegij malitia, nisi per intellectum; volitio autem absoluta, & efficax talis obiecti fertur in illud, vt cognitum re ipsa tale in se; non autem, vt illud tale est per solam intellectus præscissionem, quia hæc nihil ponit, nec aufert reipsa ab obiecto in se, vt supra etiam *cap.* 17. *num.* 32. innuimus.

6 Dices 1. Locus sacer adhuc est locus, & retinet generalem rationem loci, ergo possumus loco sacro vti non quà sacro, sed quà loco simpliciter; adhuc enim habet generales commoditates loci, & consequenter, etiamsi locus sacer promiscuo cuilibet vsui applicetur, semper locus erit inoffensus, & nulla illi fiet iniuria.

7 Respondeo, concesso antecedente, distinguendo consequens, idest, ergo semper, & quomodolibet possumus vti, &c. physice concedo, moraliter nego: quia physice quidem remanet adhuc locus communis; moraliter autem non est tantum locus communis; sed ex communi, & profano factus est sacer, & sacris tantum vsibus destinatus, vnde negatur vltima illatio: si enim applicetur vsibus loci sanctitati repugnantibus, fiet iniuria prædicto loco; licet ibidem fieri ea possint, quæ nō repugnant modo iam explicato, qualia sunt ea omnia, quæ negatiue tantum sunt profana, idest non sacra, de quibus inferius dicemus; & confirmatur idipsum ab aliquibus exemplo Regis, statim enim, inquiunt, ac Rex tractatur, vt quilibet alius homo priuatus, & non prout Rex est, iniuria afficitur, quia cum cæteris confunditur, & honore Regis proprio, ac peculiari priuatur, quod in Regis iniuriam cedere quis neget?

8 Dices 2. nonquam Regi iniuria fit vlla, si, cum sit homo, tractetur vt homo: non enim desinit esse homo, licet sit Rex: ergo nunquā Ecclesiæ fiet vlla iniuria, si tractetur, prout est locus tantum.

9 Respondeo negādo antecedens; licet enim per se homini, vt homini, non fiat iniuria, si tractetur, vt homo; tamen homini Regi fit iniuria, si (in ijs, quæ Regi debentur) non vt Rex; sed tractetur, vt homo tantum. quare, cum in homine rege, dum Rex est, simul sint regia dignitas, & hominis conditio, nec vnum ab alio separetur, nisi per intellectum, proinde homini Regi iniuria fit, si tractetur vt quidam alius homo tantum. Quod si forte in aliquo casu separaretur talis dignitas à tali persona, & Rex ex Rege fieret vt quilibet alius homo, forte illi homini in tali casu nulla fieret iniuria, si tractaretur vt homo quilibet alius, idemq. dico de loco sacro.

10 Dices 3. locus sacer semper debet, ex dictis, vt sacer, & non vt locus cōmunis tractari, ergo in loco sacro debebunt fieri tantum actiones sacræ, & nullæ communes, vel indifferentes, per istas enim actiones locus sacer male tractabitur, & illi fiet iniuria, vnde in Ecclesia peccatum erit spuere, tussire, respirare, & similia, quia hæc locum sacrum tractant, vt cōmunem, non vt sacrum, cum actiones sacræ non sint; sed hoc videtur absurdum, & falsum, ergo etiam id, vnde hoc sequitur.

11 Respondeo locum sacrum sufficienter tractari, vt sacrum, si in eo abstineamus ab omnibus

nibus actibus aliquo modo positiue, & proprie profanis, qui contrariè sanctitati loci opponuntur, & absq. necessitate in loco sacro facti sunt intrinsece mali; etiamsi non abstineamus in eo ab actibus negatiue tantum profanis, idest, ab actibus ijs, qui licet ad religionem, & Dei cultum non spectent, ac proinde non sint sacri; tamen proprie loci sanctitati non repugnant, quales sunt prædicti actus tussiendi, spuendi, respirandi in Ecclesia.

12 Dices 4. etiam actus tussiendi, spuendi, etc. sunt ex se, saltem leuiter, indecentes in loco sacro, quia fœditatem continent; licet sint actus naturales, ergo etiam ij, saltem leue, sacrilegium erunt; nam etiam exonerare ventrem in loco sacro est sacrilegium graue ob grauem indecentiam, quam secum habet talis actus, licet sit naturalis, dummodo necessitas non excuset.

13 Respondeo prædictos actus tussiendi, spuendi, &c. non esse, nisi leuiter, & physice, ac materialiter quodammodo impuros; non autem moraliter indecentes, cum ex communi, & prudenti hominum iudicio eæ actiones, nisi fiant in contemptum loci sacri, non censeantur, maxime attenta illorum necessitate, continere vllam irreuerentiam loci sacri, nec illius sanctitati vllo modo repugnare, quod nō accidit in actu exonerandi ventrem sine necessitate in loco sacro, cum iste actus non solum sit physice, & materialiter fœdissimus; sed etiam moraliter censeatur grauiter vilipendere locum sacrum, vnde eum actum sine necessitate factum in Ecclesia esse graue sacrilegium docuit *Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 6. num. 3.* & fatetur *Th. Del Bene de Immunit. Eccles. c. 2. dub. 2. sect. 19. num. 10.* quia per eum actum homo contemnit locum sacrum, & sic pertractat, ac si esset vile cubiculum, & bestiarum stabulum.

14 Dices 5. Ex dictis, exonerare ventrem in loco sacro non est semper sacrilegium, quia aliquando necessitas id faciendi excusat, ergo prædicta actio non est in se, & intrinsece sacrilega, quod supra diximus; sed solum talis est in foro externo præsumitur, si sine necessitate fiat, quia talis agens in foro externo præsumitur id facere formaliter ex cōtemptu Ecclesiæ, quod asseruit *Th. Del Bene l. c. n. 5. & seq.*

15 Respondeo concedendo quidem actum exonerandi ventrem in Ecclesia sine necessitate factum posse aliquando præsumi formaliter sacrilegum ob formalem contemptum prædictum loci sacri; sed negando eum actū ob id tantum sacrilegum dici, cum vere ex se, supposita loci sanctitate, sit sacrilegum, & prædictæ sanctitati, ac reuerentiæ loci repugnet; etiamsi agens formaliter loci contemptum intendere nō præsumeretur. licet enim cesset aliquando ista irreuerentia ob necessitatem talis actus, ac proinde talis actus tunc non sit sacrilegus; tamen id non arguit talem actum extra necessitatem non esse ex se, & intrinsece sacrilegum; non enim est amplius idem actus moraliter, si fiat sine necessitate, qui est, si fiat cum illa: vt supra etiam diximus de actu Matrimoniali in Ecclesia facto sine necessitate, vel cum necessitate. vnde mirum non est, si exonerare ventrem sine necessitate in loco sacro sit intrinsece actio sacrilega, & tamen, si cum necessitate fiat, non sit amplius sacrilega, vt explicatum fuit.

16 Dices 6. si exonerare ventrem in Ecclesia esset intrinsece, & essentialiter, seu substantialiter actio sacrilega, semper talis esset, quia intrinseca, & substantialis rerum essentia semper eadem manet, sed ex dictis exonerare vētrem in Ecclesia non semper est actio sacrilega, ergo ista actio nunquam est intrinsece, & essentialiter sacrilega.

17 Respondeo aliquid dici intrinsece, & essentialiter tale multipliciter; primo vel physice, vel moraliter; aliqua enim ingrediuntur, & constituunt intrinsece essentiam, seu substantiam vnius actus, quà moralis, quæ non ingrediuntur, nec constituunt intrinsece essentiam, seu substantiam eiusdem actus, quà physici: Secundo, stando in sola malitia, vel bonitate morali, aliquando actiones aliquæ dicuntur malæ intrinsece, quatenus hanc malitiam habent aliunde, quam ab extrinseca prohibitione humana, quomodo nos hic diximus exonerare ventrem in Ecclesia esse actionem intrinsece malam, & sacrilegam; aliquando vero, quatenus sunt aliunde malæ, quam à prohibitione Diuina positiua; & aliquando etiam, quatenus concipiuntur aliunde malę, quam ab omni Diuina prohibitione, quam per lumen rationis cognoscimus, & quam vulgo Legem naturalem prohibentem appellamus, lex enim, quę naturalis passim dicitur, nihil aliud est, quam lex increata Dei, vt cognita à nobis per lumen rationis diuinitus instructum, vt ingeniosissime inter alios plures docuit *Caramuel in Theol. Moral. l. 1.* fere toto, maxime vero *num. 1059. & sequentibus.* cuius doctrinæ probabilitatē, & subtilitatem si melius perspexisset, vel perpēdisset *Io. Ang. Bossius*, Vir alioqui doctissimus, & modestissimus, fortasse non tam facile, & libere sententiam illam probabilem Caramuelis, videlicet, *Si Deus Mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala in Theol. Moral. n. 1603.* & alibi sæpius repetitam, grauissimum errorem appellasset

tom.3.Moral.Var.tit.12. nu.4. cum nihil aliud Caramuel voluisse videatur, quam id, quod apud *Salas de leg.d.1.sec.6.num.4.* ab alijs doctissimis Theologis traditum fuisse compererat, videlicet nihil esse intrinsece moraliter malum; sed omnia ante æternam moralem Dei prohibitionem esse ambigua, & indifferētia moraliter, ac proinde malitiam moralē, seu culpā ab interdictione morali dependere, qua sublata, etiam homicidium, & ea omnia, quæ dicuntur esse mala moraliter, mala moraliter non essent: vnde, cum Caramuel legem, quam passim alij naturalem vocant, & humanam, seu saltem à Diuina diuersam putant, Diuinam vere esse docuerit, consequenter nullum peccatum iuxta Caramuelem erit contra legem naturalem, quod non sit item contra æternam legem, quia ex sententia Caramuelis Lex naturalis est Lex ipsa Increata Dei à nobis per lumen rationis, non nudum; sed diuinitus instructum cognita, siue hæc cognitio habeatur per species congenitas, aut ideas infusas, aut notitias diuinitus communicatas, qua de re videri potest idē *Caramuel l.c.* maxime *num.*1060. Ad rem igitur redeundo, ad argumentum respondeo negando antecedens, patet enim ex dictis, quomodo in moralibus mutetur malitia ex mutatione aliquarum circumstantiarum, quæ actui, quà physico, non sunt substantiales; sed illi substantiales sunt, quà morali, & proinde negatur consequentia modo superius explicato.

18 Colligo, licet sit sacrilegium formale, vt diximus, Polluere actualiter locum sacrum, non quà sacrum; sed quà locum communem, & sacrilegium obiectiuum sit velle absolute illum prædicto modo polluere; tamen sacrilegium nullum esse velle illum polluere, quà non sacrum, sub hac conditione, si ille posset pollui, quà non sacer tantum, & non pollui simul, quà sacer: nam hæc conditio æquipolleret illi, de qua superius egimus, nimirum, Vellem polluere Ecclesiam, si non esset sacrilegium, vel, si id liceret, quia vtraq; conditio allata aufert ab obiecto sacrilegij malitiam.

CAPVT XIX.

An Lex Ecclesiasticę Pollutionis inductoria sit fauorabilis, vel odiosa.

SVMMARIVM.

*Quid intelligatur per legem Pollutionis Ecclesiasticæ inductorsam, num.*1.

Regula illa Odia, &c. de Regul. Iur. in *6. de legibus præsertim intelligenda est, n.*2.

*Quam mira, & monstrosa ab auctoribus dicta fuerint de lege fauorabili, & odiosa, n.*3.

*Lex, qua pollutionem Ecclesiasticam induxit, est odiosa, seu onerosa, n.*4.

*Lex Ecclesiastica pollutionis Ecclesiasticum Cultum, ac reuerentiam intendere, ac proinde in fauorem Ecclesiarum facta videtur, n.*5.

*Legislatorum omnium finis, si veram legem ferant, esse debet bonum aliquod ex lege, n.*6.

Lex non dicitur fauorabilis, aut odiosa ex fine legislatoris. ibid.

*Omnis lex est quoddam vinculum subditorum, num.*7.

*Denominatio legis fauorabilis, vel odiosa non est desumenda ab ijs, quæ sunt communia omnibus legibus, nec ex earum effectibus, n.*8.

Periculum reatus, vel pœna ex lege consurgens hominum imperfectionem, non legis grauamen, nec onus arguit. ibid.

Lex denominatur odiosa, vel onerosa à materia legis odiosa, vel onerosa per legem præcepta. ibidem.

*Dantur leges merè fauorabiles, seu pura Priuilegia, & leges merè odiosæ, seu onerosa, n.*10.

*Lex eadem aliquando est in fauorem vnius, & in odium, seu damnum, vel malum alterius, num.*11.

An prædicta lex dicenda sit fauorabilis, vel odiosa, est quæstio de nomine. ibid.

Non est vnquam eadem lex dicenda per se fauorabilis simul, & odiosa. ibid.

Per accidens tamen potest eadem lex dici fauorabilis, quæ per se alioquin sit odiosa, vel contra. ibid.

Votum habet vim priuatæ quodammodo legis.

Quandonam fauor, vel odium in lege dici debeant esse per se, vel per accidens. ibid.

Facilius est carere nouo beneficio, quam spoliari proprio bono, & quare. ibid.

*Impossibile videtur, quod in eadem lege fauor, & odium sint æqualia, n.*12.

Etiamsi in eadem lege fauor, & odium essent paria, adhuc ea lex odiosa dicenda esset. ibid.

*Lex leuiter onerosa adhuc denominanda est onerosa, & odiosa, ac proinde restringenda, n.*14.

Idipsum dico, etiamsi inde maximus fauor consurgat. ibid.

Immo etiamsi illa sit in bonum, & in fauorem animæ, & exempla dantur. ibid.

*Odia restringenda, & fauores amplianda, quando id non est in præiudicium tertij, n.*16.

*Lex quo ad diuersa illius puncta, seu partes potest esse, & denominari modo fauorabilis, modo odiosa; sed tunc ea lex pluribus legibus æquiualet, n.*17.

1 ADuerto 1. per legem Ecclesiasticæ pollutionis inductoriam hic intelligi legē illam Ecclesiasticam, quæ certis actionibus seu naturali, seu positiuo iure sacrilegis, prout superius explanauimus, nouum quasi effectum, & quodammodo interdictum, seu impedimentum illud connexum esse voluit, ex quo prohibita maneret Diuinorum celebratio in ijs Ecclesijs, in quibus eæ actiones fierent; licet enim eędem actiones vel ex se malæ, vel prohibitæ etiam Ecclesiastico iure essent, nunquam tamen secum traherent effectum hunc moraliter impediendi Diuina in loco sacro, in quo eæ fierent, nisi per hanc ipsam legem, de qua hic loquimur, id haberent, vt optime aduertit *Suarez de Relig. tom. 1.tr.2.l.3.c.2.n.11.*

2 Aduerto 2. cum ex *Cap. Odia, de regul. Iur. in 6.* odia sint restrinda, & fauores ampliandi, quod ex *Suar. de Legib.l.5.c.2. num.1.* præsertim intelligitur de fauoribus, vel odijs in iure contentis, ac subinde de legibus fauorabilibus, & odiosis, idcirco quæstionis huius decisionem valde vtilem esse ad multa in hoc tractatu inferius discutienda, ne, si Pollutionis prædictæ lex odiosa sit, extendatur, vel si fauorabilis sit, restringatur.

3 Aduerto 3. in assignanda ratione denominationis huius, ac differentiæ inter legem fauorabilem, ac odiosam, seu onerosam tam multa ab auctoribus congeri, vt, quò magis rem explicare conantur, eò magis eam obscurare videantur; vnde *Sarmient. select. Interpret.l.1. c.12. In Iure,* inquit, *Hermaphroditorum monstra, & Hypocentauros passim occurrere videas, si recentiorum interpretationes obserues.* ijs ergo omissis breuiter, & clare

4 Dico legem, quæ pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum induxit, esse odiosam, seu onerosam. clare colligitur ex *Suar.in 3.p.tom. 3.disput.81.sect.4. Alphons. de Castro de potest. leg.pœnal.l.2.c.7. docum.3.& coroll.2. Carbon. de Legib.l.8.c.10. vers. secunda regula.* & expresse affirmatur à *Fagund. in 1.præcept. l. 3. c.14.num.13.Th.Del Bene de Immunit.Eccles.p. 1.c.2.dubit.2.sect.8. num.4. Pace Iordano Elucubrat.Variar.tom.1. lib.5.tit.12. num.72.&c.* Ratio autem est, quia prohibet, & quodammodo aufert ab Ecclesia fauorabilem Diuinorum officiorum celebrationem, ac sepulturæ vsum, priuat Christifideles multis spiritualibus commodis, quæ inde percipiebantur, derogat Sacerdotum libertati, qui alioquin ibi Diuina celebrare possent, & alia huiusmodi onera imponit, quæ legem illam Pollutionis onerosam reddunt.

5 Dices 1. Lex Ecclesiæ pollutionem inducens videtur intendere fauorem Ecclesiarum, facta enim est ad locorum sacrorum reuerentiam, ac cultum conseruandum, vt sic reuerentiæ Ecclesijs debitæ contemptores absterreantur, & imposterum abstineant, ergo prędicta lex potius fauorabilis, quam odiosa appellanda est.

6 Respondeo legislatorum omnium, dummodo legem ferant, quæ legum nomen mereatur, finem seu extrinsecum, & remotum, seu etiam intrinsecum, & proximum, debere esse bonum aliquod, quod ex lege sequatur, vt egregie docuit *Suar. de Legib.l.5.c.2.& Arriaga in 1.2.tom.2.disp.21.sect.1.nu.3.* ac proinde denominationem legis fauorabilis, vel odiosæ non esse à fine Legislatoris desumendam, ne leges omnes fauorabiles esse concedere velimus *ex ijsdem ibid.* vnde ad argumentum dico, etiamsi daretur antecedens, negandam adhuc esse consequentiam, & rationem patere ex dictis.

7 Dices 2. omnis lex aliquomodo obligat, & est quoddam vinculum subditorum, immo occasio aliqua, & periculum reatus, vel pœnæ à transgressoribus incurrendæ, ergo frustrà quæritur de hac lege Pollutionis inductiua, vtrum sit fauorabilis, vel odiosa, & onerosa, cum omnes onerosæ sint modo iam explicato, ac proinde odiosæ.

8 Respondeo hos legis effectus communes esse omnibus legibus, ac proinde inde desumendam non esse denominationem legis fauorabilis, vel odiosæ; immo periculum mali ob transgressionem legis non arguit legem esse odiosam; sed transgressorum imperfectionem euincit: dicitur autem lex odiosa, vel onerosa ab onere, & grauamine, quod ipsa lex immediate ratione materiæ, & obiecti sui præcipit; non ab effectibus legis.

9 Dices 3. id, quod à lege præcipitur, semper vni est fauorabile, alteri odiosum, ergò omnis lex, si à materia præcepta denominationem odiosæ, vel fauorabilis desumere debet, erit & odiosa, & fauorabilis, quod videtur absurdum.

10 Respondeo primo falsum esse, quod non dentur leges purè odiosæ, & purè fauorabiles; potest enim concedi fauor, aut beneficium alicui absq. eo, quod alteri fiat grauamen, aut præiudicium, vt bene tenuit *Suar. l. c. num.6.* vnde negabitur etiam consequentia generaliter loquens in argumento Aduersariorum.

11 Respondeo secundo, licet absurdum non sit, quod detur lex aliqua, quæ re ipsa sit in fauorem vnius, & in damnum, seu malum alterius, qualis est v.g. lex imponens tributum, aut

aut prohibens venationem in sylua aliena: prima enim est odiosa subditis, & Principi fauorabilis; secunda vero est in fauorem domini, & in odium aliorum, vt bene dixit *Arriaga in 1.2.tom.1.disp.21.sect.1.num.10.* vnde tunc videtur quæstio de nomine, scilicet de denominatione desumêda à fauore, vel odio; nihilominus adhuc in tali casu talem legem non esse dicêdam fauorabilem simul, & odiosam; sed per se vel fauorabilem tantum, vel odiosam tantum; licet per accidens simul eū fauore esse possit odium, & contra, remq. explico cum *Arriaga l.c. num.7. & 8.* & probo simul ex *Cap.ex parte, de censibus*, exemplo ibi allato, & ab Innocentio III. sic deciso, vt votum soluendi mensuram quandam frumenti in aliquibus prouincijs Hispaniæ in honorem, & consequenter in vtilitatem, Ecclesiæ Sancti Iacobi præsumi deberet de mensura non maiori; sed minori, vt benignior fieret interpretatio, & lex odiosa, seu onerosa (quale est votum, cum habeat vim priuatæ quodammodo legis à vouente sibi ipsi impositæ) restringeretur; licet per accidens votum illud posset dici lex fauorabilis alteri parti, scilicet Ecclesiæ Sancti Iacobi, cui talis mensura frumenti danda erat. Quod si quæras, vndenam sciatur, quod odium sit per se in prædicto casu, & fauor per accidens, dicam cum eodem *Arriaga l. c.* id colligi ex eo, quod maius sit damnum illius, qui rem, cuius antea erat dominus, cogitur à se alienare, quam damnum illius, qui inde magis ditari potuisset, nisi prædicta lex onerosa, & odiosa restricta fuisset: facilius enim est carere nouo beneficio, quam spoliari proprio bono, nam istud est ius in re, & illud ad rem, quod multo minoris æstimatur.

12 Respondeo tertio, dato etiam, quod damnum vtrinq. esset æquale, ac proinde esset odium par fauori, nec proinde magis odium, quam fauor, esse per se in aliqua lege viderentur, quod tamen ob allatam rationem iuris in re, & ad rem, ac consequenter maioris, vel minoris damni fortasse impossibile est, adhuc legem illam fore odiosam: quia, cum immediate imperet aliquid onerosum, immediate sit lex onerosa, & odiosa: immo *Arriaga l.c. num.5.* leges omnes, quà tales, onerosas vocat; fauores enim à priuilegijs (quæ, vt talia per ipsum non sunt lex) odia autem à legibus oriri dicit.

13 Dices 4. aliquando id, quod in lege præcipitur, est valde facile, licet habeat aliquod onus secum; contra vero fauor, qui inde resultat alteri, est maximus, ergo saltem tunc lex illa dicenda est fauorabilis, maxime si sit in fauorem animæ, cui semper fauendum est: & ita censuit tales leges habendas esse fauorabiles *Suarez l.c. num.6.* qualis videri potest alicui lex de audiendo sacro.

14 Respondeo onera, & odia, licet non grauia, semper esse onera, & odia, ac proinde ab ijs semper legem denominari, & vere esse odiosam, & onerosam, licet inde maximus alioquin fauor, & bonum resultet, etiam in fauorem animæ, & in illius bonum: quis enim, vt optime insurgit *Arriaga l.c.num.4.* legem ieiunij, vel confessionis dixit fauorabilem, licet sit in bonum animæ?

15 Dices 5. quando lex fauet vni, & est odiosa alteri, vt diximus de lege imponente subditis tributum Principi dandum, non potest restringi, vt subditis odiosa, quin præiudicium fiat Principi, cui tributum datur per eam legem; nam etiam tunc Princeps posset dicere, hæc lex est mihi fauorabilis, ergo iste meus fauor ampliari debet, & non restringi, ergo falsum est, quod prædicta lex sit odiosa, licet ex vna parte, idest subditorum, onerosa, & odiosa sit.

16 Respondeo, quamuis satis huic argumento à nobis iam factum fuerit *num.11.* dum maius damnum hic attendendum esse diximus, & maius damnum esse ex parte subditorum, qui per eam legem iure suo in re, & certa sua possessione spoliantur; vlterius tamen dici etiam posse, quod odia sint restringenda, vel fauores ampliandi, quando id non est in præiudicium tertij, quale est in lege prædicta tributorum, ac proinde quod illa regula valeat tantum in alijs odijs, vel fauoribus, vbi abest tertij præiudicium.

17 Colligo posse quidem eandem legem, quo ad diuersa puncta, seu partes, modo esse fauorabilem, modo odiosam, & proinde quo ad partem, seu punctum odiosum, restringi; quo ad partem autem, seu punctum fauorabile, ampliari debere; sed tunc vna lex est, pluribus tamen æquiualens, vt per se patet.

CAPVT XX.

An Ecclesiæ pollutio in dubijs seruanda sit, nec ne.

SVMMARIVM.

Dubium presse, & proprie acceptum caret omni assensu, & dissensu intellectus, num.1.

Dubium quomodo definiatur, ibid.

Ad dubium non est necessarius actus intellectus reflectentis, & cognoscentis se esse suspensum, & in æquilibrio positum. ibid.

Dubium dupliciter contingere potest, vel ex carentia, vel ex æqualitate motiuorum. n.2.

Dubium negatiuum, & positiuum quid sint. ibid.

Suspendere actum iudicij quo ad exercitium tantum, et non quo ad specificationem, non est proprie dubitare. ibid.

Quid sit intellectum esse probabiliter dubium. ibid.

Opinio ab aliquibus, improprie tamen, dicitur dubium positiuum. ibid.

Opinio potius ad sententiam certam, quam ad dubium accedit. ibid.

Quando vtrimque sunt grauia motiua, iudicium proprie non est dubium; sed probabile, quia ratio grauis excludit dubium. ibid.

Quomodo dubium distinguatur à sententia certa, & ab opinione probabili. ibid.

Suspicio reuocatur ad dubium, & quid sit proprie. ibid.

Scrupulus quid sit, & quomodo ad dubium spectet. ibid.

Scrupulus quomodo differat ab opinione ex leuibus fundamentis, seu non probabili, & temeraria. ibid.

Dantur ergo Dubia Negatiua, Positiua, Temeraria, Improbabilia, Suspiciosa, Scrupulosa, &c. ibid.

Opinionem probabilem sequi possumus, relicta probabiliore, quando quæritur, num Ecclesia pollutio seruanda sit, nec ne, n.3.

In dubio de Ecclesia pollutione affirmanda, vel neganda standum est pro ea parte, quæ erat in possessione ante dubium. n.4.

In omni materia melior est conditio possidentis, siue possideat libertas, siue obligatio. ibid.

Cur standum sit in dubio pro possessione præcedente dubium. ibid.

Dubitans, an homicidium commiserit, cur censendus sit irregularis, n.5. & 6.

Cur vero non censenda sit Ecclesia polluta in dubio. ibid.

In dubio tutius fortasse est Ecclesiæ pollutionem seruare, quam non seruare. n.7.

Tutior pars in dubijs de consilio, non de necessitate, est eligenda, n.8.

Cur Pontifex tutiorem partem quo ad Irregularitatem in dubio homicidij seruari peculiariter iusserit. ibid.

Periculum, de quo loquitur Cap. Significasti, 2. De Homicidio, *quomodo intelligendum sit, num.9. & 10.*

Determinatio à Pontifice facta in casu dubij homicidij, cum sit odiosa, non est extendenda ad alios casus. ibidem.

Episcopus, de quo loquitur Cap. Illud, de clerico Excommunicato, *cur punitus fuerit ob celebrationem in dubio suæ excommunicationis, n.11. & 12.*

Ante adhibitam debitam diligentiam ad dubium deponendum, semper tutior pars de necessitate est eligenda, & cur. ibid.

Cap. Iuuenis, de sponsalibus, *nihil infert contra nostram doctrinam, n.13. & 14.*

Possessio addit ius nouum, & idcirco facit maius ius pro possessore, vnde illius conditio est melior, quia est potioris iuris, n.16.

Possessionis ius, cum certum sit, non tollitur per dubium ius ex subsequente dubio exortum. num.17.

Cur in probabilibus non teneamur sequi partem magis probabilem, & in dubijs teneamur sequi maius ius, idest possessionem, n.19.

In dubijs, quando etiam possessio dubia est, quid sequendum sit, n.21.

Cur in dubijs standum sit pro parte possidente, & in probabilibus pro qualibet, etiam minus probabili, n.18. & 19.

Prudenter operatur, qui probabiliter operatur, nec tenetur prudentissime operari, n.19.

In dubijs, quando neutra pars possidet, nec possedit, tutior pars, & minus mala eligi debet, num. 21.

In contradictorijs, si vtrumque æque malum putetur, & alterutrum necessario eligendum sit, neutrum est malum moraliter, & eorum quodlibet eligi potest. ibid.

Quomodo in dubio de Ecclesiæ pollutione etiam possessio ipsa dubia videri possit, n.22.

In puncto, seu in instanti actualis dubitationis vel vtraq. pars dici potest incomplete possidens, vel neutra complete, & proprie, n.23.

In prædicto puncto, seu instanti neutra pars alteri præualet in possessione, & tunc standum pro certa possessione, quæ tale punctum dubitationis præcessit, & cur. ibid.

Dubia actoris probatio probantem non releuat, nec dubia exceptio excipientem. ibid.

Possessio certa, quæ præcessit dubiũ, in ipso actuali dubio cessat esse certa speculatiue, non practice, & quomodo hoc intelligendum sit, num. 24. & 25.

Peccatum dubium quo ad facti substantiam, & quo ad peccati quantitatem, vel qualitatem, quid sit, n.26.

Peccata dubia quo ad facti substantiam ex sententia speculatiue probabili non videntur necessario clauibus subijcienda, num. 27.

Idipsum alij dicunt de peccatis negatiue dubijs.

bijs. ibidem.

De peccatis omnibus absolute dubijs idem alij absolute probabile censent, & Caramnel expresse, ac fuse tenet, ac defendit. ibid.

Sententia peccata dubia clauibus necessario subijcienda docens approbatur, & probatur. ibid.

Ea pars possidere præsumenda est, pro qua stat præsumptio iuris, num. 29.

Præsumptio iuris quid sit. ibid.

Possessio contra legem non est vera possessio; sed tantum materialis, & potius abusus, seu iniusta vsurpatio, num. 31.

Ius possessionis in re, & in rem quomodo differant. ibid.

Possessio legis, quæ habet pro se præsumptionem iuris, prævalet libertati materialiter tantum possidenti, num. 33.

Præsumptio iuris valet in vtroque foro, i. in interno, & externo, quando non constat de veritate ipsa. ibid.

Quomodo non liceat accedere ad mulierem, de qua dubitetur, an sit sua; & liceat celebrare in Ecclesia, de qua dubitetur, an sit polluta. num. 35.

Cur coniugi dubitanti de valore matrimonij bona fide contracti non liceat debitum petere, n. 37.

In casu dubio de Ecclesia pollutione non licet facere contra pollutionis Ecclesiasticæ legem ante adhibitam veritatis inuestigationem. ibid.

Dubium post adhibitam debitam diligentiam pro veritate inquirenda adhuc permanens dicitur inuincibile, & æquiparatur ignorantiæ inculpabili. ibid.

Possessio, quæ stante dubio ante debitam diligentiam erat sopita, & impedita, nec suffragari poterat possidenti, post debitam diligentiam fit, vt ante dubium erat, expedita, & sufficiens ad faciendam meliorem possidentis conditionem. ibid.

In Cap. Inquisitioni *prædicto, Pontifex nouum condidit ius obligans ad non sequendam opinionem probabilem, & multo minus dubium, in ordine ad petendum debitum, vnde nihil facit contra nostram doctrinam, num. 38.*

Libertatis humanæ physice, & moraliter acceptæ distinctio, num. 39.

Dubium speculatiuum, practicum, & practicè practicum, quid sint, num. 40.

Speculatiue dubitans etiam practice ex se dubitare debet. ibid.

Cum dubio proxime practico, seu practice practico non licet operari, & cur. num. 40.

Dubium, etiam practice practicum, post adhibitam debitam diligentiam potest ob rationabilem causam deponi, & quomodo. ibid.

Quando iudicium practicum discordat à speculatiuo, verè sunt de obiectis diuersis, si bene res perpendantur. ibid.

Quomodo nostra libertas possit recuperare suam possessionem post dubium practice practicum, quam in eo amiserat. ibid.

Possessio libertatis humanæ in dubio practice practico dormit, non mortua est, num. 42.

Index in probationibus æqualibus facti tenetur æqualiter vtrique parti rem adiudicare, & quare, num. 44.

Si possessio staret pro vna parte, iudicandum esset pro parte possidente, & cur. ibid.

Iudex in dubio iuris sequi potest quamlibet partem probabilem, relicta etiam probabiliori, & secura, & quare. ibid.

Quomodo sic iudicans non sit acceptator personarum. ibid.

Quænam dicantur quæstiones pro amico, *seu etiam* pro Diabolo. *ibid.*

Cur non liceat in administratione Sacramentorum amplecti opinionem probabilem, relicta certa, num. 46.

Ad Charitatis obligationi satisfaciendum sufficit ea securitas, quæ habetur ex opinione probabili. ibid.

Prædicta sufficiunt ad alias similes obiectiones soluendas, num. 47.

1 ADuerto 1. dubium propriè, & pressè acceptum carere omni assensu, & dissensu, & esse suspensionem quandam intellectus manentis in æquilibrio inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis, ita communiter DD. apud *Bardi de Constientia descept. 5. cap. 1. num. 1.* vnde ad dubium requiritur ex *Pasqualig. in Theolog. Moral. disp. 63. sect. 7. num. 57.* quod intellectus aduertat, & non se determinet: licet autem intellectus possit per actum reflexum cognoscere, se remanere suspensum; tamen iudicium illud reflexum supra suspensionem non est necessarium ad rationem, & essentiam dubij; siue enim adsit tale iudicium reflexum, siue non adsit, semper intellectus in ordine ad operationem remanet suspensus, & in æquilibrio prædicto, ac proinde caret iudicio assentiente operationem fore bonam, vel malam, et c. ita *Vasq. 1. 2. disp. 65. c. 1. num. 5. Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. num. 2. & alij* contra *Salas 1. 2. tr. 8. disp. 1. sect. 16. nu. 139.*

2 Aduerto 2. prædictum dubium, seu suspensionem intellectus dupliciter contingere posse, Primo ex defectu medij, seu motiui moraliter sufficientis ad determinandum intellectum pro vnã parte, vel pro alia, idest,

ad

ad assentiendum, vel dissentiendum, & tunc intellectus dicitur negatiuè dubius, & tale dubium vocatur saltè moraliter, negatiuum, quia oritur ex carentia medij, seu motiui prædicti. Secundo ex æqualitate, seu paritate prædicti medij, seu motiui pro vtraque parte: tunc enim intellectus, cum æque trahatur in vnam, ac in aliam partem, adhuc remanet suspensus, & in æquilibrio, & hoc dubium appellatur positiuum, quia tunc intellectus remanet adhuc positiuè dubius, i. dubius non ex carentia, & negatione motiui; sed ex positione motiui æqualis pro vtraque parte. Non erit tamen intellectus dubie suspensus, si suspendat actum iudicij solum quo ad exercitiū (quod propriè non est dubitare; sed tantum suspendere actum, quod fieri potest ex imperio voluntatis) sed requiritur, vt intellectus sit suspensus etiam quo ad specificationem, vt bene dixit *Suar. in 1. 2. disp. 12. sect. 5. initio*, & hoc ob carentiam, vel insufficientiam medij ad determinandum intellectum in vnam partem, & non in aliam, ex *Bardi l. c. num. 5.* licet intellectus suspensus ob æqualitatem vtriusque partis verè posset vtramque partem putare probabilem; sed tunc intellectus id putans non esset amplius propriè dubius, vt bene docuit *Pasqual. l. c.* & clarius infra patebit, vel certè tunc dici posset dubius probabiliter, vt videre est apud *Caramuelem in Theol. Moral. l. 3. in proœm. num. 1323.* opinionem enim, seu probabile iudicium intellectus aliqui; sed impropriè (cum opinio, seu probabile iudicium ob rationum grauitatem, potius ad sententiam, quam ad dubium, quod cum grauibus rationibus non stat, accedat; vnde etiam opinio probabilis dici potest aliquomodo moraliter certa) dubium positiuum vocant apud *Fr. de Lugo in Decursu præuio ad Theolog. Moral. p. 1. c. 2. num. 1.* eo quod aliquid dubij participare censeatur; cum tamen re vera dubium distinguatur ab opinione, seu sententia probabili, quæ propriè est assensus vnius partis, non omnino quidem certus (sic enim ille assensus esset sententia certa, & ex scientia, non autem probabilis tantum opinio) sed admixtus formidini, saltem virtuali, partis oppositæ, graui auctoritate, vel non modici momenti ratione nitens, vt rectè docuit *Laym. l. 1. tract. 1. c. 5. num. 1. & 6.* licet ad dubium reuocari possit tum Suspicio, quæ nihil aliud est, nisi quædam simplex inclinatio intellectus in vnam potius partem, quàm in aliam, sine vllo tamen assensu, seu actuali iudicio, vel adhæsione vlli parti; non videtur enim suspicio differre à dubio præsè sumpto, nisi secundum magis, & minus, quatenus illud propriè nullam, ista aliquam propensionem animi habet in alterutram partem; vtrumque autem caret assensu, vel dissensu in vtramlibet partem modo iam explicato: tum etiam Scrupulus, quem multi quoq; dubium positiuum nominant apud *Caramuel. in Theol. Moral. l. 3. nu. 1323.* eo quod scrupulus item nitatur ratione leui, cum sit apprehensio, vel iudicium, & existimatio ex leuibus fundamentis orta, quæ iudicium certum, vel opinatiuum oppositæ partis non excludit, ex *Franc. de Lugo l. c.* immo scrupulus ex *Bardi l. c. discept. 7. c. 1. num. 3.* non videtur differre ab opinione ex leuibus fundamentis orta, quæ dictet obligando nos ad aliquid; si enim opinio prædicta non dictaret obligando, sed eximendo, licet inaniter, ab obligatione, tunc illa esset opinio non probabilis, seu temeraria, & non scrupulus, vt etiam egregiè dixit *Caramuel in Theol. Moral. l. c. num. 1324.* & omnium fusissime *Bossius de Scrupulis §. 1. num. 5. & seq.* vnde, si ex dictis ad dubium laro modo acceptum reducantur omnia, quæ aliquid dubij continent: dabitur primo dubium negatiuum, i. carens vel omnino positiua ratione, ex qua illud exurgat, vel certè carens omni positiua ratione alicuius momenti, adeo vt si qua sit ratio, moraliter nullius momenti habeatur: Secundo dabitur dubium positiuum, i. trahens originem ab aliqua ratione positiua alicuius quidem momenti; sed moraliter insufficiente ad opinionem probabilem, & multo minus ad certam, seu indubitabilem sententiam, ac iudicium ferendum, & illud erit dubium, vel Temerarium, vel Improbabile, vel Suspiciosum, vel Scrupulosum, & c. iuxtà superius explicata.

3 Aduerto 3. pro certa hic à me supponi cum *Caramuele in Reg. D. Bened. disp. 6. art. 2. num. 57.* & quamplurimis alijs apud ipsum, & alios passim, doctrinam illam asserentium, posse nos sequi quamcumq; opinionem probabilem in omnibus materijs, nisi aliter ex lege præscriptum ibi sit (vt infra *num. 46.*) relicta probabiliore, ac (vt alij dicunt) tutiore, & proinde in hoc capite propriè non agi de seruanda, vel non seruanda Ecclesiæ pollutione, quando vtrinque adsunt opiniones probabiles, licet forrasse ex vna parte essent probabiliores, quam ex alia, vel tutiores, tunc enim probabiliter, ac proinde sine peccato ex se, vel seruari, vel non seruari potest Ecclesiæ pollutio; sed hic propriè sermonem esse de veris dubijs, quæ scilicet exurgunt ex carentia, vel leuitate motiuorum

rum vtriusque partis, i. ex insufficientia illorum ad probabilem opinionem, nedum ad certam sententiam inferendam, vt ex dicendis melius apparebit.

4 Dico in dubijs, num Ecclesia censenda sit polluta, nec ne, standum esse pro ea parte, quæ erat in possessione ante dubium, ac proinde, si ante dubium lex pollutionis possidebat, pro illa standum esse; si verò Ecclesiæ libertas possidebat, pro ista. Ratio autem omnium firmissima est, quia iuxta regulam illam *In pari causa, de regul. Iuris, in 6.* non solum in materia iustitiæ; sed etiam in omnibus materijs (nec enim sufficiens datur disparitas) melior est conditio possidentis: cum enim dubium dictamen moraliter sit nullum, quia, cum incertum sit, non sufficienter dictat, quid agendum, vel non agendum sit, idcircò ita se habet, ac si verè in rerum natura illud non esset; si abstrahatur ergo illud dubium, & reliquis, vt antea, manentibus, iudicetur, tunc semper bene iudicabitur; sed nemo poterit non fauere possessioni, quæ dubium præcesserat, siue materia sit iustitiæ, siue aliarum omnium virtutum, siue possideat libertas, sine obligatio; titulus enim possessionis est vniuersalissimus, & communissimus omnibus materijs, vt fusè, & communiter tradunt recentiores, quos videre abunde potes apud *Dianam p. 4. tract. 3. resol. 2. Franc. de Lugo in Decursu ad Moral. Theol. p. 1. c. 2. q. 11. nu. 66. Bardi de Conscient. discept. 5. c. 3. nu. 3. & c. 4. num. 3. Lanfranchi Opusc. 1. Moral. c. 2. num. 4. & alios.*

5 Dices 1. ex *Cap. ad Audientiam, Cap. Significasti 2., & Cap. penult. de Homicidio,* deducitur dubitantem, an homicidium commiserit, censendum esse Irregularem, ergo etiam in casu, in quo dubitetur, num Ecclesia polluta fuerit, illa censenda erit polluta; quamquam ante hoc dubium Ecclesia erat in possessione suæ libertatis, & non polluta habebatur.

6 Respondeo concedendo in casu, de quo prædicti textus loquuntur, standum esse pro Irregularitate, quia tunc possessio est pro ipsa Irregularitate, non pro immunitate, & libertate occisoris; lata enim est lex, vt in tali dubio Irregularitas possideat; sed lata non est lex, vt in dubio de Pollutione Ecclesiæ pollutio possideat; vnde negatur in argumento consequentia ob allatam disparitatem, ità *Fr. de Lugo in Decurs. p. 1. c. 2. qu. 26. nu. 152.*

7 Dices 2. Pontifex in prædictis textibus loquentibus de Irregularitate nō condit nouum ius; sed tantum declarat, quid ibi sentiendum sit, & rationem illam affert, quæ etiam in pollutione Ecclesiæ valere debet, videlicet, quia in dubijs tutior pars est eligenda, ergo, cum tutius sit seruare Ecclesiæ pollutionem in dubio, quam illam non seruare, etiam in casu dubio illa erit seruanda, sicuti seruari debet Irregularitas.

8 Respondeo, omissis alijs responsionibus, quas DD. passim afferunt, cum *Castropalao de Censur. disp. 6. punct. 3. num. 10.* negando in dictis textibus non condi nouum ius, nec enim Pontifex in illis nititur illi principio; In dubijs tutior pars est eligenda, tanquam principio, quod necessario sit obseruandam; sed tanquā principio, quod obseruari maximè decet. Licet autem illud cōmune sit etiam alijs dubijs, & materijs, quia in omnibus prudentissimum consilium est tutiorem partem sequi; tamen Pontifex disposuit illud necessario obseruandum in prædicto dubio Irregularitatis ob Homicidium, & non in alijs dubijs, & materijs peculiariter in iure non expressis, quia videbat illud principium efficacius procedere in prædicta Irregularitate homicidij propter specialem indecentiam, quam secum affert homicidium in Clericis, seu ob reuerentiam Sacrificio Altaris debitam, vt dixit *Abbas in d. Cap. ad Audientiam,* quam dispositionem suam Pontifex non extendit ad alias materias, nec proinde cum odiosa sit, à nobis extendi debet.

9 Dices 3. Innocentius 3. in *Cap. Significasti, 2. de Homicidio,* ait in casu dubij homicidij tutius esse cessare, quam temere celebrare, eo quod in altero nullum; in reliquo verò magnum periculum timeatur; sed hæc ratio militat etiam in nostro casu, ergo etiam ob periculum hoc peccandi, non obseruando pollutionem Ecclesiæ, ea erit in dubio seruanda.

10 Respondeo ibi à Pontifice per illud periculum, propter quod in tali casu statuit Irregularitatem seruandam esse, non intelligi periculum peccandi (cum enim alteram partem tutiorem dixerit, videtur etiam alteram tutam fateri) sed periculum, ne, qui reipsa esset homicida, celebraret, quod periculum àdeo Pontifici metuendum visum est, vt ad illud in tali casu tollendum Irregularitatis obseruantiam ibi statuerit. vnde, cum in alijs dubijs cesset tale periculum tantæ indecentiæ, cessat etiam talis determinatio: immo, cum ea odiosa sit, neque etiam ob paritatem rationis ad alios casus extendenda erit. Quare in argumento negatur minor, & consequentia.

11 Dices

11 Dices 4. ex *Cap. Illud, de Clerico excommunicato*, Pontifex declarauit, vt Episcopus, qui celebrarat cum dubio suæ Excommunicationis, depositionis pœna puniretur, quia in dubijs via tutior eligenda fuerat, ergo etiam in dubio de Ecclesiæ pollutione via tutior eligi, ac proinde pollutio Ecclesiæ seruari debet.

12 Respondeo Episcopum illum punitum fuisse eo, quod diligentiam ad excommunicationis veritatem indagandam non adhibuerit, antequam celebraret; conueniunt enim omnes in hoc, quod, quando non est adhibita moralis diligentia ad deponendum dubium, semper est eligenda pars magis tuta, alioquin periculum peccari esset voluntarium, vt inter alios apertissime docuit *Pasqualigus in Theol. Moral. disp. 63. sect. 8. num. 62.* sed nos dicimus, post adhibitam debitam diligentiam, semper meliorem esse conditionem possidentis, quando adhuc remanet dubium, ac proinde in tali dubio post talem diligentiam non pro Ecclesiæ pollutione; sed pro illius puritate, quæ tale dubium præcesserat, standum esse; Episcopū autem ante talem diligentiam temerariè celebrasse, & inde pœnam meruisse. Addo autem cum *Arriaga 1. 2. disp. 25 nu. 21.* Episcopum illum non dubitasse de Excommunicatione in ipsum lata; sed de illius valore, in quo casu standum erat pro excommunicatione, hæc enim erat in possessione, quia præsumptio stabat pro excommunicatione, quæ certa erat, nisi illius irritus valor itidem certus erat.

13 Dices 5. ex *Cap. Iuuenis, de Sponsalibus*, is, qui puellam nondum septennem duxerat in matrimonium, quod forte cum ea consummare nequiuerat, licet tentasset, & postea puellæ consobrinam matrimonio sibi copulauit, ab hoc secundo matrimonio, tanquam irrito, separatus est Pontificis iussu, & tamen impedimentum publicæ honestatis ex primo matrimonio erat solum dubium, tum quia forte non consummauerat, tum quia puella erat ante septennium, quo tempore non solent puellæ rationis vsum habere: ergo etiam in casu pollutionis Ecclesiasticæ dubio, pro pollutione standum erit, præcipuè quia, vt subdit ibidem Pontifex, in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.

14 Respondeo, vt colligitur ex *Gloss. in d. Cap. Iuuenis*, & clare tradit *Præposit. ibid. in fine*, nec non *Sanch. loco inferius citando*, puellam illam præsumi doli capacem adeo, vt in illa ætatem suppleuerit malitia, ac proinde ad valida sponsalia contrahenda habilem fuisse; vnde, quicquid sit de conatu, vel effectu consummationis matrimonij, cum saltem sponsalia valide ab illis contracta fuissent, consequenter secundum matrimonium verè fuit irritum ob dirimens honestatis publicæ impedimentum. debuit ergo possessio stare pro impedimento antecedente matrimonium secundum; non autem pro matrimonio ipso secundo impedimentū prædictum subsequente. Quare dubium Pontificis non fuit de validitate Sponsalium, vt putauit *Sanchez in summ. l. 1. c. 10. num. 15.* sed de copula cum puella habita, quod fuisset aliud secundi matrimonij impedimentum, vnde in argumento aduersariorum negatur impedimentum publicæ honestatis ex primo matrimonio fuisse dubium, & negatur simul consequentia.

15 Dices 6. Non potest assignari ratio, cur in dubio potior sit conditio possidentis, & non potius potior sit pars, quæ tutior sit, ergo potius pro parte tutiore, quam pro possidente standum erit.

16 Respondeo 1. ideo meliorem esse conditionem possidentis, quia possessio facit maius ius pro possidente, nam possidens præter alia iura, & rationes, in quibus par est, vt suppono, & æqualis alteri parti, habet etiam hoc ius, quod illi possessio tribuit, ac proinde habet maius, & quodammodo duplex ius, quod facit possidentem esse propterea potioris iuris, vt non immerito potior dicatur possidentis conditio, & beatus appelletur in iure, qui possidet.

17 Respondeo 2. meliorem esse conditionem possidentis, quia possessionis ius, cum certum sit, non tollitur per quodcumque aliud ius incertum, seu dubium. vnde, licet subsequatur aliquod dubium, semper standum pro iure possessionis, vt iam dictum est.

18 Dices 7. Opinio quoque probabilior habet maius ius pro se, quam opinio minus probabilis; & tamen dictum est nos posse sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore; ergo vel maius ius nihil iuuare debet in dubijs possidentem, vel semper sequi debemus probabiliora.

19 Respondeo in dubijs recurrendum esse ad maius ius, ac proinde ad ius possessionis certum, quia in dubijs non possumus formare iudicium, quod prudenter excludat peccandi periculum, ac consequenter malitiam obiecti; in probabilibus autem semper ob opinionis probabilitatem prudenter excludere possumus ab obiecto rationem malitiæ, cum prudenter operetur, qui probabiliter operatur, nec teneamur prudentissime operari; vndè patet, quid argumento respondendum sit. Vel dicam in dubijs recurrendam esse ad possessionem præcedentem dubium, quia

dictamen dubium, vt iam dictum est, non est regula sufficiens ad bene operandum; dictamen autem probabile, licet non probabilissimum, ad prudenter operandum sufficiens regula est.

20 Dices 8. fieri potest, vt etiam dubium sit de possessione ipsa, i. num pro vna, vel alia parte ipsum ius possessionis stet, & possessio nulla præcesserit, ergo non semper in dubijs melior est conditio possidentis, ergo saltem tunc recurrendum est ad partem tutiorem, quam tunc sequamur.

21 Respondeo concedendo omnia; nos enim loquimur in casu, in quo altera pars possideat, vel possessio aliqua dubium præcesserit, pro qua standum esse iam diximus; quod si neutra possideat, nec sit vlla possessio dubium præcedens, tunc sequi debemus partem tutiorem, & consequenter eam, quæ minus mala videtur. Si autem vtraque pars contradictoria æque mala videatur, & necesse sit alterutram eligere, neutra vere mala erit; licet operans vtramque malam putet; vnde nec peccabit; licet se peccare putet. ita *Sanch. in Decal. l. 1. c. 11. num. 14. Io. Sanch. in select. disp. 41. nu. 27. Meroll. in Theol. Moral. tom. 1. disp. 3. c. 2. dub. 3. nu. 11. Castropalaus tom. 1. de conscientia disp. 1. punct. 5. Bresserus, Baldelli, & vterq; Lugus apud Bardi de Conscientia discept. 3. c. 6. num. 3. & 5.*

22 Dices 9. quando dubitatur, num Ecclesia sit polluta, nec ne, possessio in eo dubio tam stare videtur pro vna parte, quam pro alia, si enim Ecclesia polluta sit, possessio stat pro pollutionis lege; si verò polluta non sit, possessio stat pro Ecclesiæ libertate, ergo, cum in tali dubio etiam possessio sit dubia, standum erit pro parte tutiore, ac proinde pro pollutionis obseruantia, quod tutius est.

23 Respondeo concedendo, quod in puncto actualis dubitationis, vel vtrumq; ius vtriusq; partis pro vtraq; parte incomplete possidere videatur, vel neutrum complete pro neutra; vnde, cum tale ius in tali puncto sit par in vtraque parte dubij; neutrum ius alteri præualere, immo neutra pars propriè possidere dicetur. Si tamen ante prædictum dubium Ecclesia possidebat suam libertatem, pro ea standum erit; sin autem Ecclesiæ pollutio possidebat, pro ea item standum erit: neq; enim certa Ecclesiæ libertas tolli per dubium subsequens de illius pollutione; nec certa Ecclesiæ pollutio per subsequens dubium de illius reconciliatione auferri debet, cum certa non tollantur per incerta; sicuti enim dubia actoris probatio probantem non releuat, *Cap. in præsentia, de probat. Cap. Inter dilectos, de fide instrument.* ita nec dubia exceptio excipientem releuat, vt colligitur *ex L. Titia textores, ff. de legat. 1. & ex notatis per Bald. in L. Non solum, §. sed vt probari, ff. de operis noui nunciat.*

24 Dices 10. Libertas Ecclesiæ ante dubium de Ecclesiæ pollutione vere erat in possessione; sed post prædictum dubium facta est etiã ipsa dubia, nam post exortum dubium vere etiam dubitatur, num Ecclesiæ libertas, vel pollutio possideat; ergo nulla amplius certa remanet possessio; non illa, quæ dubium præcessit, quia per subsequens dubium euanuit illius certitudo, non ista, quæ videtur stare in dubio pro vtraque parte, quia ista incerta est, & dubia, ac vtriq; parti par; ergo denique in his dubijs ad possessionem certam recurri non potest, quia tunc nulla certa possessio datur.

25 Respondeo Ecclesiæ libertatem post dubium de Ecclesiæ pollutione factam esse dubiam in ipso actualis dubitationis puncto speculatiue; non esse autem factam ita dubiam, & incertam practice, vt nequeat adhuc eadem considerari, quatenus ante prædictum dubium certa erat, ac proinde digna, quæ, præciso dubio illo, quod subsequutum fuit, faciat ex se melioris esse conditionis partem antea possidentem. Vnde propterea diximus recurrendum esse in dubijs ad possessionem certam, quæ dubium præcessit, non quæ adhuc in dubio dubia permaneret; in actu enim dubitandi de Ecclesiæ pollutione, vel libertate videtur, vt dictum est, consequenter dubitari de vtriusque possessione.

26 Dices 11. Si verum esset, quod in dubijs melior sit conditio possidentis, & standum sit pro parte possidente, seu pro possessione præcedente dubium, modo iam superius explicato, sequeretur peccata dubia, i. num mortalia sint, vel venialia, seu num commissa sint, nec ne (quæ ab alijs dicuntur peccata dubia quo ad substantiam facti, seu quo ad facti quantitatem, seu qualitatem) non esse sub obligatione graui in Sacramento Pœnitentiæ explicanda, nam possessio, quæ præcedit hoc dubium, videtur stare pro libertate pœnitentis, & in dubijs nemo debet præsumi obligatus, quia nemo debet priuari sua libertatis possessione certa propter obligationem dubiam, & incertam, qualem secum afferunt peccata dubia, vel incerta. Sed hoc videtur absurdum, ergo etiam id, vnde hoc sequitur.

27 Respondeo, licet sciam sequelam prædictam respectu peccatorum dubiorum quo ad facti substantiam censeri à *Io. Præposito in 3. p. de Sacram. Pœnit. q. 5. dub. 3. num. 117.* speculatiue probabilem, à *Coninch. de Pœnit. disp. 7. dub. 8.*

dub. 8. veram quo ad peccata negatiue dubia; ab alijs absolute, & vniuersaliter probabilem appellari apud *Cardin. de Lugo de Pœnit. Sacram. disp. 16. sect. 2. §. 3. num. 61.* & apud *Amicum tom. 8. disput. 13. sect. 3. num. 55.* vbi de integritate Confessionis agit, immo eandem sequelam fusissime, & expressissime tradi, ac defendi à *Caramuele in Theol. Moral. l. 3. c. 1. disp. 4. integra à num. 1478. vsque ad 1539. inclusiue;* tamen negando sequelam: sicuti enim supra vidimus in casu dubij Homicidij à Pontifice peculiari, & nouo iure Irregularitatis obseruantiam decretam esse; sic in hoc casu ex vsu, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium non agnoscitur, & ab ipsis Apostolis promanasse creditur, ortam esse obligationem peccata dubia confitendi, ac proinde in tali dubio obligationem esse in possessione; non autem pœnitentis libertatem: vnde etiam in hac materia, & in hoc ipsissimo casu optime verificatur, quod iam sæpius dictum est, in dubijs standum esse pro parte possidente.

28 Dices 12. licet lex pollutionis Ecclesiasticæ inductiua lata sit, & licet casus illius contigerit, si tamen lex illa non adhuc obseruetur, non apparet, quomodo lex illa possidere dicatur; ergo in tali casu standum est pro possessione libertatis, quam adhuc Ecclesia habet, & non pro legis possessione.

29 Respondeo eam partem dicendam esse possidere, pro qua possessionis præsumptio stat, dum non constat de veritate in contrarium. Cum ergo constet legem Ecclesiasticæ pollutionis inductiuam latam esse, & illius casum contigisse, lex illa præsumenda est certo possidere, ac proinde illius obligationem iam præualere libertati Ecclesiæ, nisi de legis inualiditate, vel de exemptione à legis obligatione certo item constaret. in dubio enim standum est pro præsumptione iuris, eaque alterius possessionem vincet, vt cum multis tradit *Sanch. in Summ. l. 1. c. 10. num. 13. & Bardi de Conscient. discept. 5. cap. 5. num. 3.* est autem præsumptio iuris ex *Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 4. num. 3. 4. & 5. & q. 8. nu. 1.* Verisimilitudo quædam, seu probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur, donec pars aduersa contrarium probet, in quam id probandi onus transfertur.

30 Dices 13. licet lex pollutionis in prædicto casu possideat, possidet etiam Ecclesiæ libertas, quæ nondum pollutionis Ecclesiasticæ legem seruauit, ergo potius in tali casu fauendum erit libertati Ecclesiæ, quam legis obligationi, cum odia, ex dictis, restringi debeant, & lex Ecclesiasticæ pollutionis odiosa sit.

31 Respondeo in prædicto casu veram, certam, & legitimam possessionem stare solum pro lege obligante, & pollutionem statuente; non autem pro Ecclesiæ libertate, quam legis obligatio iam vicit. Vnde nego libertatem Ecclesiæ tunc esse in vera possessione; possessio enim contra legem non est legitima possessio; sed materialis tantum, cui ius resistit, & nisi ex legitima consuetudine nascatur, talis possessio non proprie possessio; sed potius abusus, & vsurpatio dici debet: quare nihil operari potest ad eximendam Ecclesiæ libertatem ab obligatione legis.

32 Dices 14. Pollutionis Ecclesiasticæ lex in prædicto casu habet solum possessionem iuris ad rem; i. ad impediendam Ecclesiæ libertatem, qua tamen nondum priuatam Ecclesiam fuisse suppono in dato casu; Ecclesiæ verò libertas habet possessionem iuris in re, quia, vt dixi, de facto possidet suam libertatem, ergo in dubio magis fauendum erit possessioni iuris in re, quam possessioni iuris ad rem, quæ minoris æstimatur, vt superius innuimus.

33 Respondeo possessionem legis in dicto casu habere pro se præsumptionem iuris, ac proinde eam præualere possessioni materiali, quam habet Ecclesiæ libertas, cum huic materiali Ecclesiæ possessioni cōtradicat ius, nec proinde sit vera possessio, vt dictum est. Vnde in argumento, quicquid sit de toto antecedente, neganda est consequentia: possessio enim iuris in re pluris æstimatur, quam iuris ad rem, quando illa est legitima possessio; non quando est solum materialis, & illi ius resistit: cum possessio ergo sit pro vna parte, & iuris præsumptio pro alia, secundum iuris præsumptionem iudicandum erit, vt bene aduertit *Bardi l. c. num. 9.* præsumptio enim valet in vtroque foro tàm interno, quàm externo, quando non constat de veritate ipsa, ac proinde præsumptionem esse falsam, & *Sà, V. Lex, num. 1. & Couarr. cap. Cum esses, num. 7. de Testam.*

34 Dices 15. Non licet ei, qui quomodocumq; dubitat, an Sempronia sit sua, ad illam accedere; ergo quomodocumque dubitetur de Ecclesiæ pollutione, illa seruanda erit.

35 Respondeo negando consequentiam: lex enim possidet in casu Semproniæ, ne quis accedat ad Semproniam, nisi sit sua: quare certa est prohibitio accedendi; quod autem sit sua non est certum, ac proinde iam lex possidens seruanda est, cum sit certa, nec certum tollatur, vt dixi, per incertum. In casu autem pollutionis Ecclesiæ, i. quando dubitatur, num sit polluta, nec ne, tunc lex Ecclesiasticæ pollutionis non possidet: sed possidet

possidet Ecclesiæ libertas, quæ tale dubium de pollutione illius præcessit, & certa est, ac consequenter per subsequens dubium tolli non debet.

36 Dices 16. ex *Cap. Dominus, de secundis nuptijs*, & *Cap. Inquisitioni, de sententia Excommunicat.* patet dubitantem de valore matrimonij bona fide contracti; licet possit, ac debeat reddere debitum; non posse tamen petere: ergo etiam quando dubitatur de Ecclesiæ pollutione, non poterit Ecclesia vti sua libertate; sed debebit Ecclesiasticæ pollutionis legem seruare.

37 Respondeo primo posse hæc iura intelligi de casu dubij ante adhibitam debitam diligentiam pro inquirenda veritate de valore matrimonij; licet enim ea iura indistinctè loquantur; attamen ratio distinguere cogit, & ità in hoc sensu eos textus Canonicos explicandos esse asserit nouissimè *Bardi de Conscientia discept. 6. c. 11. part. 7. §. 2. num. 13.* post *Sanch. de Matrim. tom. 1. l. 2. disp. 46.* Sotum, & alios Doctores passim: quo in sensu nihil inde infertur contra nos, nam nos etiam concedimus, & diximus supra *num. 25.* in ipso actualis dubitationis puncto speculatiue reddi dubiam etiam possessionem ipsam, quæ ante illud dubitationis actualis punctum erat certa; ac proinde etiam in casu dubij de Ecclesię pollutione ante adhibitâ veritatis inuestigationem non licere facere contra pollutionis legem, quia tunc possessio libertatis Ecclesiæ, quæ ante tale dubium erat certa, expedita, ac bonæ fidei; post tale dubium, & ante prædictam veritatis inuestigationem, fit malæ fidei, vt ex communi affirmat *Less. l. 2. de Iustit. c. 6. dub. 3.* & nequaquam facere potest possidentis conditionem meliorem, vnde mirum non est, si etiam in coniuge ipso sic dubitante ità perturbetur possessio iam dicta, vt illi in eo dubio suffragari nequeat; post adhibitam tamen prædictam diligentiam, vel dubium fugiet apparente veritate, vel illud reddetur inuincibile, & æquiparabitur ignorantiæ inculpabili, ita vt possessio, quæ in tali dubio ante diligentiam prædictam erat malæ fidei, & sopita, vel perturbata, post illam diligentiam fiat, vt prius, expedita, & incipiat iterum possidenti suffragari. Vnde regula illa, *In dubijs melior est conditio possidentis*, intelligi debet de possessione expedita, & legitima, & consequenter post debitam diligentiam ad dubium euincendum, vt egregiè aduertit *Bardi l. c. §. 3. num. 3. & 5.*

38 Respondeo secundo cum *Arriaga 1. 2. disp. 25. num. 30. 31. & 32.* Lucium 3. in *Cap. Dominus* agere expresse de his, qui ab initio mala fide contraxerunt, quod nihil facit contra nos, qui damus libenter possessionem non suffragari possidenti mala fide. Ad alterum verò Innocentij *Cap. Inquisitioni*, quod vniuersalius loquitur, dico Pontificem loqui non solum de dubio; sed etiam de opinione, vt ex verbis illius *Cap.* facile, & expresè habetur, ac proinde à Pontifice ibi nouum conditum ius, & nouum impositum præceptum fuisse de re, ad quam alioqui non teneremur, i. ne quis sequatur, in ordine ad petendum debitum, opinionem probabilem; sed solum certam, & multò minus dubium, quod haud dubie Pontifex imperare potuit; vt iam ab eo factum diximus etiam in *Cap. ad Audientiam, de Homicidio*, loquendo de Irregularitate. Quare hę peculiares Pontificis decisiones non obstant; sed fauent dictis nostris de meliori conditione possidentis; in ijs enim casibus standum pro Pontificis lege, quia ea est in possessione in tali dubio; non autem ea possessio, quæ ante talem decisionis legem fuit.

39 Dices 17. ex *Candido Philaletho de opinionum praxi q. 7. conclus. 5.* in dubio licitæ actionis in materia cuiuscumque virtutis humana libertas, solum vt physice accepta, possidet; non autem, vt moraliter accepta; in prædicto enim dubio libertas humana, vt moraliter accepta, est obligata per certum ius in generali, vnde ea non est in possessione; sed est in possessione obligatio libertatis: est autem humana libertas in tali dubio obligata, quia, si est obligata in dubio proximo, & practico, vt ab omnibus conceditur (cum in dubio proximo, & practico non liceat operari) erit etiam obligata in dubio speculatiuo, quia illud dubium practicum semper durat, cum sequatur necessario motionem obiecti, quod semper idem est, nec enim adsunt sufficientes rationes, quæ mutent iudicium ob mutationem nouam obiecti ab illis factam, ac proinde semper idem obiectum, idem motiuum, & idem iudicium perseuerat, quod erat in dubio practico. Libertas autem humana, vt physice accepta, licet sit verè in possesione suæ libertatis; tamen illa libertas non facit hic ad rem, quia hæc semper agere potest vtrumque, etiam in dubio practico; ergo falsum est, quod in dubijs aliquando standum sit pro possessione libertatis, cum hæc in dubijs nunquam sit in possessione; sed semper obligata, vt dictum est.

40 Respondeo, & libenter admissa ea doctrina, quæ omninò videtur per se nota, & à nemine, nedum à Candido ipso, negatur; videlicet, in dubio iuris practico, non generali, vel abstracto; sed in particulari, & propriè,

ac

ac proximè practico, quod ab alijs dicitur dubium practicè practicum, & quod per se ex dubio speculatiuo aptum est sequi, cum dubitans speculatiuè per se loquendo etiam practicè dubitare debeat, ex *Bressero de Conscientia l. 4. c. 2. num. 17.* & alijs mox citandis, v. g. num mihi hic, & nunc liceat in festo pingere, vel piscari, &c. num in Ecclesia, de qua dubito, an sit polluta, mihi hic, & nunc liceat celebrare, &c. libertatem operantis moraliter acceptam (de ea enim hic sermo est) esse obligatam ad non operandum, alioqui operando peccaret, & ità cum communi DD. sententia docent absq; vlla controuersia *Fran. de Lugo in sua Theol. Moral. p. 1. praeuij decurs. c. 2. q. 1. num. 5. cum Syluest. Cordub. Sanchez, Villalob. Laym. Bonac. Castropalao*, & alijs ibi citatis. *Bardi l. c. discept. discept. 5. cap. 2. num. 1. cum Suarez, Merolla, Baldelli, Lanfranchi, & alijs apud ipsum*, tunc enim operans in tali dubio libere se exponeret euidenti peccandi periculo, & amaret, ac vellet, saltem virtualiter tale periculum, & idcircò periret in illo, vt dicitur in *Eccles. cap. 3.* dico libertatem moralem operantis non esse obligatam extra illud dubium licitæ actionis practicè practicum superius dictum; & posse post adhibitam debitam diligentiam, ob aliquam rationabilem causam deponere dubium practicè practicum, licet adhuc fortasse maneat dubium ipsum speculatiuum, & inde formare iudicium certum de honestate eiusdem actionis fortasse contrarium dubio speculatiuo adhuc permanenti in operante; tale autem iudicium poterit esse proxima operationis regula, cum in nostris operationibus non teneamur operari iuxta iudicium, quod dicitur speculatiuum; sed iuxta practicum: nisi velimus dicere semper etiam iudicium speculatiuum concordare cum practico, quando habent illud ipsum obiectum cum iisdem circunstantijs, &c. quod mihi verius est, cum semper, quando iudicium practicum discordat à speculatiuo, vnumquodque illorum verè habeat obiecta diuersa, vt acutè rem consideranti patebit, & alibi fusius dicemus. Deponet autem nostra libertas dubium practicum reflectendo ad certum ius possessionis, quod ante tale dubium habebat, quando complete possidebat, eamque possessionem reassumendo, non quidem in ipso actualis, & practicæ dubitationis instanti, seu puncto, in eo enim iam est obligata, quod ad summum tantum probant argumenta Candidi; sed in instanti, & tempore subsequenti: quis enim credat, me non posse ex illa dubitatione exire expediendo ab ea meam libertatem per reassumptionem illius considerationis, & reflexionem ad possessionem certam meæ libertatis, in qua eram, antequam dubitarem, in qua permansissem, si nunquam dubitassem, & ad quam redibo, si dubitare cessabo; cessare autem potero, si cum viderim dubium esse inuincibile, illud spreuero, seu nihil esse curandum iudicauero ob eam rationabilem causam, quod certa præualere debent incertis, & certa possessio ob dubium tolli non debuit, nec debet: nec enim adhuc Candidus, cur id fieri nequeat, satis ostendit in argumento ergo negatur, quod dubium practicum semper duret, & quod sit semper idem obiectum, & motiuum: nam extra illud punctum, seu instans actualis dubij practici, motiuum nostræ possessionis, ac proinde libertatis, in qua eramus ante illud punctum, est nouum motiuum iudicij certi.

41 Dices 18. illa possessio libertatis humanæ, quæ præcessit dubium licitæ actionis, & ad quam operari volens reflectit, iam est nulla, quia per dubium practicum subsequens ablata est, ergo non potest ad illam reflectenti, & quasi illam inuocanti suffragari, ergo in dubijs, cum cesset possessionis ratio, recurrendum erit ad partem tutiorem.

42 Respondeo prædictam possessionem verè esse impeditam, vt dictum est, in actu ipso actualis, & practicæ dubitationis, & dormire; non tamen mortuam esse, vnde nego illam impeditam esse extra illū dubitationis actum; in alio enim actu illa possessio certa, quæ dubium præcessit, poterit esse nouum motiuum mouens me ad formandum hoc nouum iudicium certum, i. quod, relicto dubio actuali, & practico, mihi liceat libertatem illam possidentem sequi, eo quod dubium post veritatis inquisitionem factum sit inuincibile, & ignorantiæ inculpabili simile, quod proinde impedire moraliter non debet, quin ego operer æque, ac si illud dubium nihil amplius esset, & nondum aduenisset; sed tunc licitè possem sequi possessionem meæ libertatis, ergo etiam eam, post tale dubium, & talem diligentiam, sequi licite potero.

43 Dices 19. Iudex, quando sunt æquales probationes, non potest adiudicare litem vni parti; sed tenetur rem, vel fructus, seu valorem æqualiter diuidere, vel certè partes, vt alij docent, componere, ne sit personarum acceptator, & cum æquali iure inæqualis fiat distributio, ergo neque in alijs materijs dubijs poterit quis vni tantum parti victoriam concedere; sed pro ratione dubij haberi debebit obligationis, vel libertatis ratio; vnde generaliter in dubijs, vel vtrique, vel neutri;

non

non alteri tantum parti fauendum erit.

44 Respondeo Iudicem, quando sunt probationes æquales circa factum, verè teneri æqualiter rem diuidere, quia probationes circa factum sunt merita, fundamenta causæ, & media, secundum quæ Iudex iudicare debet, &, si æqualia sint, æqualiter iudicare, ità *Sayr. in Clau. l. 1. c. 11. nu. 12., & 13. Castropalaus p. 1. tr. 1. dispnt. 2. punct. 10. Sanch. in Summ. l. 1. c. 9. num. 45. Coninch. de Matrim. disp. 34. num. 94. Bassaus in Flor. Theolog. V. Consci ntia, num. 17.* & alij communiter contra *Io. Sanch. disp. 44. num. 51.* qui etiam in æqualibus probationibus facti ait Iudicem posse rem, cui voluerit, adiudicare. Si tamen possessio staret pro vna parte, indicandum esset pro parte possidente, quia *Cap. ex literis, de probationibus*, legem exhibet præcipientem, quod in paritate possessor præferendus sit. Cæterum in dubio iuris Index ipse seqni potest quamlibet partem probabilem, relicta etiam probabiliori, vel probabilissima, & secura, quia, licet Iudex sit, non tenetur per se ex officio suo præcisè ad amplius, quam ad prudenter operandum, prudenter autem agit, qui probabilem opinionem, etiam in negotio æternæ salutis, sequitur; nō obstante enim securitate, quæ reperitur in aliqua opinione, adhuc datur probabilitas pro alia opinione, vt patet in accedente ad confessionem cum contritione, quod est securissimum, & in accedente cum attritione tantum, qui nihilominus probabiliter agit, immo secure, & non tenetur accedere cum contritione, licet illud sit securissimum, quia qui prudenter agit, satisfacit suæ obligationi. Non est autem Iudex idcircò acceptator personarum, quia sicuti Ecclesia dat arbitrium distributori, vt ex duobus æquè dignis eligat, quem maluerit, ad beneficium; ità etiam Respublica censetur dare arbitrium Iudici, vt ex opinionibus æque probabilibus seqnatur quamcumque maluerit. vnde argumentum prædictum ex dictis nihil facit contra nos, & ità tenent nunc communiter DD. cnm *Diana p. 2. tract. 13. resolut. 3. Io. Sanch. dispnt. 44. num. 50. Hurtad. de actibus humanis disp. 3. diff. 21. Castropal. p. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 11. Alar. de Casibus Conscient. num. 38. Vidal de Opinione probabili inquisit. 2. num. 54. Gloss. in Cap. Venerabilem, V. fauore, de elect. Iason. in L. Post Dotem, nu. 105. ff. Soluto Matrimonio, Decius lect. 2. Cap. Canonum, de Constitutionibus num. 43.* & alij Iuristæ passim iuxtà regulam iuris in 6. in fine, vbi dicitur, *In iudicijs non est acceptio personarum habenda*; sed Glossa subdit, *tamen vtile est in arbitrarijs Iudicem gratiosum habere*. vnde *Caual. in Præfat. num. 101.* vocat tales quæstiones, seu casus *pro Amico*, vbi plures idipsum nobiscum docent; licet alij easdem quæstiones, seu casus *pro Diabolo* appellent.

45 Dices 20. ex *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 20. num. 4. & in Sum. l. 1. c. 9. num. 33. Basil. de Leon. l. 4. de Matrim. c. 35. num. 9. Amico tom. 3. disp. 15. sect. 4. num. 62. Io. Præposit. in 1. 2. qu. 19. artic. 6. dub. 5. §. 1. Versic. Idem dicendum, & seq.* alijsque apud ipsos non licet amplecti probabilem opinionē circa formas, & materias sacramentorum relictis certis, & præscriptis ab Ecclesia, nam id exposcit Charitatis obligatio, ne pro remedio certo dubiū offeramus, ergo falsum est, quod *num. 3.* asserimus, & pro certo supposuimus; sed potius semper tutior pars est eligenda, & nunquam opinioni certæ præferri licitè potest opinio tantum probabilis, quæ potius tunc dubia censeri debet, quam secura.

46 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, antecedens enim verum est, quia potuit Ecclesia vel per speciale decretum, vt supra vidimus *num. 6. & 38.* eam alibi fecisse, vel per consuetudinem receptam (vt hic fecit) præscribere, vt, relicta quacumq; alia opinione alias probabili, certam tantummodo sequeremur; vnde cum hic præscripserit Ecclesiæ consuetudo vim legis habens, vt hoc modo, & non aliter Sacramenta administrentur, obedire tenemur, nec possumus probabilem, v. g. materiam, aut formam adhibere sine peccato sacrilegij cōtra religionem, quam illud Ecclesiæ præceptum attendit, & intendit, vt benè dixit *Fr. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 1. c. 1. q. 4. num. 54. cum Sot. distin. 1. q. 1. art. 8. circa finem, Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 16. sect. 2. Vasq. 1. 2. disput. 63. cap. 2. Io. Sanch. disp. 44. nu. 26. Villalob. tom. 1. tr. 1. diff. 13. n. 1. & Montesin. 1. 2. disp. 29. q. 5. n. 232.* Quod ergo tunc non liceat sequi opinionem probabilem prouenit ex prædicta Ecclesiæ præscriptione, vel consuetudine, quæ possidet, & pro qua standum est; non ex defectu opinionis probabilis, nec ratione periculi, aut irreuerentiæ in Sacramentū, hæc enim omnia satis per opinionem probabilem possent euitari, vt benè docuit *Medina 1. 2. q. 19. art. 5. & 6. Salon. 2. 2. q. 63. art. 4. controuers. 2. ad 3. Basil. Legion. de Matrim. l. 4. c. 25. num. 9. Castropalaus tom. 1. tr. 1. disp. 2. punct. 5. nu. 5.* & alij apud ipsos, qui omnes docent ministrātem Sacramēta iuxtà probabilem opinionem, etiam relicta certa sententia, prudenter operari, sicut & alij in alijs materijs, quia tenent viam moraliter certam, quam probabilitas opinionum constituit. Ad Charitatis autem

obliga-

obligationem in argumento tactam dico nos nō teneri idcircò ad maximam securitatem, nec quam commode possumus, adhibendam, alioqui v. g. teneremur centies, & millies rebaptizari, quia commode fieri potest, & tutius est, quam semel baptizari, & teneremur sanctissimos confessarios quærere, quia tutius est eos habere intentionem absoluendi, quam alios, quæ sunt absurda. Sufficit ergo ad Charitatis obligationi satisfaciendum ea diligentia, vel securitas, quæ humano modo, & iuxta humanam conditionem satis sit ad excludendum morale dubium, & periculum errandi, quod sufficienter excluditur, quando sequimur opinionem probabilem; licet adsit alia tutior.

47 Colligo satis ex dictis, si diligenter animaduertantur, erui posse, quid ad alia huiusmodi argumenta nostræ conclusioni opposita dici possit; semper enim, siue lex, siue libertas possideat, pro possessione standum erit, quæ dubium præcessit, nisi etiam de ipso dubio lex ipsa, quid faciendum sit, decreuerit: tunc enim, etiam hac ipsa lege stante, verum erit dicere, in dubijs standum pro possessione, quia possessio stat pro prædicta lege etiam in dubijs aliquid statuente, vt per se clarum est.



DISPVTATIO SECVNDA
De Locis Ecclesiasticæ Pollutionis capacibus.

Cum Ecclesiastica Pollutio ratione Loci maximè proueniat, atque Locum ipsum proximè afficiat, & inficiat, vt in præcedenti Disputatione satis innuimus, opportune nobis in hac secunda de Locis ijs agendum erit, quæ quomodolibet prædictæ pollutionis efficientia, vel capacia videri possint.

CAPVT PRIMVM.

An omnis Locus Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Locus propriè sumitur pro solo; licet extendatur etiam ad ædificium, num. 1.

Locus quomodo hic à nobis accipiatur, & quam late sumi possit. ibid.

Locus etiam profanus dupliciter intelligi potest Ecclesiasticæ Pollutionis capax, numero 2.

Irregularitas non modo priuat ordinum vsu ordinibus initiatum; sed etiam ordinibus carentem ad eosdem suscipiendos inhabilem reddit, num. 3.

Locus, non omnis; sed Sacer tantum Ecclesiasticæ Pollutionis capax est, num. 4.

Sacri Canones prædictam Pollutionem statuentes, vel declarantes semper loquuntur de Locis tantum Sacris. ibid.

Eandem Pollutionem statuere potuissent, & possent aliquomodo etiam in Locis profanis. ibidem.

Carentia Gratiæ in peccatore turpior est, quam in homine existente in pura natura, nu. 5.

Vnde oriatur prædicta maior turpitudo, numero 6.

Locis profanis per actiones Ecclesiasticæ Pollutionis allatiuas nulla maior macula inuritur, saltem moralis, quam antea illi non habuerint. ibidem.

Etiamsi maior aliqua turpitudo per illas actiones Loco profano inferretur, adhuc illa non esset Pollutio prædicta. num. 7.

Nec illa infert prædicto loco maius impedimentum, quin ille æque, ac alia Loca, eodem modo fieri possit Locus Sacer. ibid.

Episcopus aliquando potest deputare ad Missæ Sacrificium Locum profanum, num. 8.

Locum sacrum pollutum deputare ad id nequit, aut certè ob grauiorem tantum causam. ibid.

Pollutio Ecclesiastica in Loco Sacro est maius impedimentum ad Missæ Sacrificium, quam mera negatio Loci Sacri, seu nuda Loci profani Irreligiositas, & quare, num. 9.

Locus profanus nullam habet sanctitatem, quæ per pollutionem prædictam pollui dicatur, num. 10.

Nec etiam propriè dici potest ea sanctitate priuari, quam nunquam habuit. ibid.

1 ADuerto 1. licet Loci nomen magis propriè de Solo intelligi videatur, vt docuit *Asin. in Commentar. in tit. ff. de Religios. & sumpt. funer. L. ossa, §. In hac autem actione, nu. 1.* tamen aliquando ad ædificium quoque extendi posse ex *Vlpian. ibid. & ex L. 2. eod. tit.* ac propterea in vtroque sensu, & latissimè hic à nobis sumi, prout *in L. Aut facta, ff. de pœnis,* pro sua cuiusque rei, quam obtinet, sede accipitur; immo, vbi quid locatum esse potest, vt dixit *Varr. lib. 4. de ling. Lat.*

2 Aduerto 2. quemlibet locum, etiam profanum, duplici modo intelligi posse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem quo ad eiusdem Pollutionis effectus: Primo, si talis locus, in quo aliqua actio Ecclesiæ Pollutiua perpetrata fuisset, ita per talem Pollutionem ad Diui-

na

na inhabilis fieret, vt in eo nunquam vel Ecclesia, vel Cœmeterium, vel Diuina fieri possent: Secundò, si ad prædictam pollutionem tollendam, dato quod in eo loco, vel Ecclesia, vel Cœmeterium, vel Diuina facienda essent, saltem aliqua peculiaris quasi reconciliatio adhiberi deberet.

3 Aduerto 3. simillimum huiusce rei exemplum haberi in Irregularitate, quæ non solum priuat ordinum vsu eum, qui ordinibus initiatus sit; sed eum etiam, qui iis careat, ad eos suscipiendos inhabilem facit, prout verba illa Canonum, quibus Irregularitas fertur, aut declaratur, communiter explicantur, videlicet, *Non aspiret ad Ordines*, quæ sunt in *Cap. Curandum, distin.* 34. & illa, *Ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest, in Cap. Si cuius vxorem, dist.* 34.

4 Dico non omnem Locum; sed Sacrum tantum, Pollutionis Ecclesiasticæ capacem esse de facto. Dixi, de facto; de possibili enim non repugnat, nec in hoc vlla est difficultas. Patet autem conclusio, quia Canones omnes Pollutionem prædictam inducentes, vel declarantes de Locis tantum Sacris loquuntur; vnde, cum simus in lege, vt superius *disput.* 1. *cap.* 19. diximus, odiosa, talis effectus ad casus non expressos extendi non debet. Exemplum verò ab Irregularitate desumptum, quod *num.* 3. iam allatum est, ad summum hoc tantum indicat, quod, sicuti Canones id statuerunt in Irregularitate, idipsum statuere potuissent, vel possent in Pollutione prædicta, quod nos vltro concedimus; sed de facto id factum fuisse omnino negamus, vt ex Canonũ omnium sensu omnes communiter sentiunt.

5 Dices 1. Actiones Pollutionem Ecclesiasticam causantes afferunt Locis omnibus nõ meram negationem Loci Sacri, quam iam Loca omnia profana antea etiam habebant; sed priuationem quoque, & quasi pœnam, ratione cuius illa prior negatio fit magis radicata: sicuti carentia Gratiæ in peccatore turpior est, quam in homine existente in pura natura, vt dixit *Cardin. de Lugo de Eucharist. disputation.* 20. *section.* 12. *num.* 63. ergo omnia Loca, etiam profana, sunt capacia modo prædicto Pollutionis Ecclesiasticæ.

6 Respondeo 1. negando Locis profanis per actiones alioqui Ecclesiæ Pollutiuas inuri aliquam nouam, aut turpiorem maculam, quã antea non habuerint, cum semper fuerint ęq. profana, atque post tales actiones, saltem moraliter, vt hic loquimur: nec similitudo cum carentia prædicta Gratiæ nobis obstat: illa enim talis carentiæ maior turpitudo in peccatore asserta oritur ex noua oppositione contra noua beneficia accepta, quam antea talis carentia existens in pura natura non habuit.

7 Respondeo 2. dato etiam, quod Loca omnia profana per tales actiones Ecclesiæ Pollutiuas fierent magis profana, vel maiorẽ contraherent turpitudinem, adhuc istam turpitudinem maiorem non esse pollutionẽ, de qua loquimur, quia nullum maius impedimentum affert prædictis Locis profanis, quin æque, ac alia Loca minus profana, fieri possint eodem modo Sacra, cum de tali maiori, vel minori Locorum profanorum turpitudine, etiamsi verè aliquid moraliter esset, nihil omnino Sacri Canones hucusque sanxerint. vnde in argumento negatur consequentia.

8 Dices 2. Episcopus potest aliquando deputare ad Missæ celebrationem Locum etiam profanum, vt videre est apud *Suar. tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 81. *sect.* 3. *Fagund. præcep.* 1. *lib.* 3. *c.* 13. *Coninch. q.* 83. *nu.* 225. *Laym. l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *num.* 4. *Vasq.* 3. *p. disp.* 233. *cap.* 1. *Reginald. l.* 29. *nu.* 176. *Io. de Lugo de Euchar. disp.* 20. *nu.* 49. *Auersam qu.* 11. *de Miss. sect.* 4. *§. multo minus, & nouissimè Fr. de Lugo de Sacram. l.* 5. *c.* 6. *q.* 3. *num.* 27., *&* 29. Sed non potest deputare Locum Sacrum pollutum, qua de re fusè agemus suo loco inferius, vel saltem ad hoc requiritur grauior causa, vt dixit *Auila par.* 5. *disp.* 7. *dub.* 3. & bene perpendit *Cardin. de Lugo l. cit. num.* 63. *& alter Lugus loc. item cit. q.* 6. *num.* 42. ergo Pollutio est grauius impedimentum, quam prima, & pura Loci profani Irreligiositas, seu negatio mera Loci Sacri: ergo prædicta Pollutio cadet etiam in omnia Loca profana.

9 Respondeo Pollutionem prædictam de facto esse grauius impedimentum, quam sola, & mera Loci profani Irreligiositas, quando illa Pollutio cadit in Locum antea Sacrũ; non autem cum cadit in Locum etiam antea profanum: quare sic distinguendo primum consequens, negatur vltima consequentia in argumento opposito; licet de possibili, vt dictum est, maius illud impedimentum item in Loco profano, si per Sacros Canones statueretur, non repugnaret.

10 Colligo, cum Pollutio Ecclesiastica Loci sanctitatem polluere dicatur, Locum Profanum nullo modo per eam pollui posse, quia nullam habet sanctitatem, quæ pollui putetur. vnde nec propriè talis Locus dici poterit ea sanctitate priuatus, quam nunquam habuit, vt per se liquet.

CAPVT SECVNDVM.

An omnis Locus Sacer Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Differentia inter Sacrum, Sanctum, & Religiosum quæ sit, num. 1. remissiue.
Locus Sacer, seu Religiosus in Iure Ciuili quis dicatur, ibidem.
Locum Sacrum, seu Religiosum facere olim ex Iure Ciuili cuilibet licebat. ibid.
Loca Sacra ab hostibus capta ex Iure Ciuili, secundum falsam aliquorum sententiam, desinunt esse Sacra, seu Religiosa, num. 2.
Eadem ab hostibus recuperata, secundum eosdem, pristino statui restituuntur. ibid.
Sacerdos per captiuitatem, etiamsi ab Ecclesia recederet, non desineret esse Sacerdos. ibid.
Antiqua Locorum Sacrorum differentia referuntur ex Brisson. num. 3.
Locus Sacer propriè quis dicatur. ibid.
Locus Sacer ad profanos vsus deputari amplius non potest. ibidem.
Locus Sacer antiquitus quomodo fieret. ibid.
Ad Locum Sacrum constituendum nunc Pontificis, vel Episcopi auctoritas publica desideratur. ibid.
Non omnis Locus Sacer; sed Ecclesia tantum, & Cœmeteria Pollutionis huius capacia sunt, & cur. num. 4.
Omnia Loca propriè Sacra gaudent Immunitate Ecclesiastica; nec tamen ideo sunt Pollutionis huius capacia, num. 5. & 6.
Immunitatis Priuilegium est gratiosum, & fauorabile, & ideò extenditur, num. 6.
Pollutionis huius materia est pœnalis, & odiosa, & ideò restringitur. ibid.
Basilica secundum aliquos non veniunt nomine Ecclesiarum, num. 7.
Delictum commissum in Basilica non dicitur commissum in Ecclesia secundum aliquos. ibid.
Basilica quomodo secundum aliquos differat ab Ecclesia. ibid.
Electus in Episcopum ante Consecrationem non dicitur Episcopus. ibid.
Ecclesia nomine ex communi loquendi vsu veniunt etiam Basilica, num. 8.
Communis vsus loquendi etiam in Statutis pœnalibus semper attendi debet. ibid.
Basilica propriè non significat Ecclesiam non consecratam, vt aliqui dixerunt, num. 9.
Basilica quid propriè significet. ibid.
Ecclesia cur Basilica dicantur, plures afferuntur sententia, & causa, num. 10.
Templa Maiora potissimum Basilica dicuntur; minora verò Ecclesiæ. ibid.
Cathedralis Ecclesia Basilica, & aliarum Ecclesiarum Fundamentum appellatur, ibidem.
Canones de Basilicarum consecratione loquentes quomodo intelligi possint. ibidem.

1 Aduerto 1. nomine Loci Sacri, seu Religiosi (quicquid sit de differentia inter Sacra, Sancta, & Religiosa, de qua *Macrob. Saturnal. l. 2. c. 3.*) in Iure Ciuili venire etiam eum, in quo quisquam, consentiente eiusdem Loci domino, sepultus sit, vt habetur ex *L. 2. C. de Relig. & sumpt. funer.* quod vnicuique olim pro arbitratu suo facere licebat, vt colligitur ex *L. In tantum, §. Religiosum, ff. de rer. diuis. & L. Fundus, ff. Familia ercisc.* sed hoc, attento Iure Canonico, iam apud nos verum non esse, vt ex dicendis patebit.

2 Aduerto 2. e contrario Loca Sacra in Iure Ciuili, si ab hostibus capta sint, videri non amplius Sacra; nam ex textu *L. Cum loca, ff. de Relig. & sumpt. funer.* colligi potest, quod, cum Loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt esse Sacra, vel Religiosa; sed, si fuerint recuperata, quasi e postliminio pristino statui restituuntur: idipsum etiam in *L. Sepulcra, ff. de sepulc. violat.* & à *Glossa* varijs in locis tradi videtur, vt benè animaduertit *Seb. Medic. de Sepult. q. 19. & Decian. Criminal. tract. lib. 6. c. 24. num. 25.* Sed hoc etiam falsum est, vt fusè docet *Gloss. vlt. in Cap. Pastoralis, 7. q. 1. & in Clem. In plerisq. Verb. Christiano, de elect.* vbi respondet ad textus contrarios, eamque sequuntur ibi *Imol. num. 8. Bonifac. num. 19.* & alij communiter, nam neque Sacerdos per captiuitatem desineret esse talis, etiamsi ab Ecclesia recederet.

3 Aduerto 3. Locorum Sacrorum multas olim fuisse differentias, vnde *Brisson. de form. & solemn. Pop. Rom. verb. lib. 1. pag. mihi 119. Vers. Alia quoque plurima*, has ex Varrone, Agellio, Festo, Macrob, Front, & alijs obseruauit, *Dicebant enim*, inquit, *Aedes, Templa, Delubra, Fana, Sacella, Cellas, Sacraria, Tescа, Fauissas.* Sed propriè Locum Sacrum eum dici, qui ad vsum pium, ac Religiosum, ac veluti Deo dicatus sit, ideoque ad vsus profanos deputari amplius non possit, si quis tamen priuatim sibi sacrum constituerit, Sacrum illud non est; sed profanum, etiam in Iure Ciuili, vt patet ex *L. In tantum, §. Sacra, ff. de rer. diuis.* Vnde, sicuti Locus olim tunc Sacer fiebat, cum Princeps eum publicè dedicabat, vel dedicandi dabat potestatem, vt docet *Decian. l. c. num. 21.* ità publica hodie

vel

vel Summi Pontificis, vel Episcopi ad Locum Sacrum constituendum auctoritas desideratur ex *Cap. Ad haec, de Relig. dom.* cum iam neque Laici, neque Clerici ipsi sine prædicta facultate Locum Sacrũ facere queant, vt fusè ex communi sententia tradunt *Suar. de Relig. tom. 1. l. 3. de Immunit. c. 9. num. 3. Fagund. in 2. Eccles. praecept. l. 4. c. 4. num. 60. & 63. & Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 15. num. 43.*

4 Dico non omnem Locum verè, & propriè Sacrum; sed Ecclesias, ac Cœmeteria tantum Pollutionis huius capacia esse. Ratio autem adhuc ea ipsa est, quam superius adduximus, nimirum quia Iura Pollutionem hanc statuentia, vel exprimentia, semper de Ecclesijs, vel de Cœmeterijs agunt, nec lex ista odiosa ad id, quod expressum in ea non est, extendi debet, quod certo certius est.

5 Dices 1. omnia Loca Sacra, etiam si nec Ecclesiæ, nec Cœmeteria sint, v.g. Monasteria, Xenodochia Episcopi auctoritate fundata, seu erecta, & similia gaudent Immunitate Ecclesiarum, vt communiter docent *Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 15. nu. 42. Farinac. in Append. de Immunit. c. 17. num. 268. Castropalaus tom. 2. tr. 11. disp. vn. punct. 6. num. 18 Peregr. de Immunit. c. 4. num. 58. Nauar. cap. 25. nu. 17. in Man. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 6.* & alij passim. ergo etiam Ecclesiasticæ Pollutionis capacia erunt.

6 Respondeo Immunitatis Priuilegium, cum sit gratiosum, & fauorabile, idcircò à Iure, & Consuetudine optima Iuris interprete, extendi etiam ad illa Loca, argum. *L. omnia Priuilegia, C. de Episc. & Cler. Cap. Ad haec, de Relig. Dom.* & docet *Abb. in Cap. Accedentibus, nu. 3. de Priuileg.* Pollutionis autem Ecclesiasticæ materiam, cum pœnalis, & odiosa sit, extendendam non esse, nec extra expressa in Iure Loca asserendam, vt benè dixit *Fagund. l. c. num. 63. Perficus de Offic. Sacerd. l. 1. c. 7. dub. 9. num. 86.* cum quam plurimis, *Castropalaus par. 2. tr. 11. disp. 1. punct. 6. nu. 8.* & nouissimè *Th. Del bene de Immunit. cap. 16. dub. 9. sect. 6. num. 4.*

7 Dices 2. Basilicæ non veniunt nomine Ecclesiæ, ex *Abbate in Rubr. de Consecr. Eccl. vel Alt. num. 3. in princip.* quod etiam tradit *Gloss. in Capit. Vnic. de Consecrat. Eccles. vel Altar. in 6. Sylu. V. Ecclesia 2. num. 1.* & alij non pauci. Vnde ex eodem *Abb. & sequac.* delictum commissum in Basilica non dicitur (in Statutis illud punientibus) commissum in Ecclesia; propriè enim loquendo secundum prædictos Ecclesia dicitur, quæ sit consecrata; Basilica autem, quæ nondum consecrata sit, & in materia pœnali verba propriè, & strictè intelligi debent. Sicuti electus in Episcopum, ex eodem *Abb. ibid. num. 2.* post Consecrationem dicitur Episcopus; non antea. Sed etiã Basilicæ Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sunt, vt constat ex *Cap. Si Ecclesia, de Consecrat. Eccles. vel Alt.* ergo non solum Ecclesiæ, & Cœmeteria; sed etiam alia Loca Sacra prædictæ Pollutionis capacia sunt.

8 Respondeo 1. falsum esse, quod nomine Ecclesiæ non veniat Basilica ex communi loquendi vsu: immo *Marius Italia de Immunit. Eccles. l. 1. c. 5. §. 3. num. 26.* putat, quod in toto Terrarum Orbe, dum de Ecclesia tractatur, indifferenter pro vtraque sumatur tàm pro consecrata, quàm non. vnde, cum in Statutis interpretandis semper attendi debeat communis vsus loquendi, vt habetur in *L. In vulgari, ff. de verb. signif.* & tradit *Gail. in Tract. de Arrestis, c. 1. num. 6. Couar. de Matrim. c. 4. §. 1. num. 2. & 3. & var. Resol. l. 3. c. 5. num. 1. Guid. Pap. q. 548.* & plenè *Addit. ad Bart. ff. de oper. nou. nunc. num. 6.* in quibusuis Statutis, quamuis pœnalibus, contra Abbatis, & sequacium opinionem standum erit cũ eodem *Italia l. c. num. 25.* qui idipsum fusè probat multis rationibus, & auctoritatibus *Calderin. in Cap. Inter alia, de sent. excommun. in 6. Gemin. in Cap. Is, cui, versic. fin. ead.* & aliorum, *ibid. num. 30.*

9 Respondeo 2. falsum item esse, quod Basilica propriè significet Ecclesiam non Consecratam: Basilica enim propriè significat Locum publicum causarum cognitioni destinatum, quò Principes ad Ius dicendum conueniebant, & in quo proinde iudicia exercebantur, venaliaque simul proponebantur; ità tamen, vt in superiori parte iudicia, in inferiori negotia peragi possent, vt docuit *Vitruu. l. 5. c. 3. Alciat. l. 1. praetermissorum, lit. C. verbi Basilica, Ital. l. c. num. 31. Tob. Corona de Templis, par. 1. c. 3.* & colligi potest ex *Senec. de Ira, c. 33. Tull. ad Attic. l. 4. Plin. l. 3. Varron. de ling. Lat. c. 37.* & alijs ibidẽ ab *Ital.* relatis.

10 Colligo, cum Ecclesiæ ideò Basilicæ appellari cœperint, vel quia in eis Deus, qui Rex Regum est, habitat (dicuntur enim Basilicæ, i. Regis, vel Imperatoris habitaculum, de quibus plura *Barbos. de Iure Ecclesiast. p. 2. c. 1. num. 10. & seq.*) & ità *Isidor. in suis Etymolog. Amalar. in tract. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 2. & Vualfrid. cap. 6.* docuere: vel quia quædam ex antiquis, & propriè dictis Basilicis, maximè post Cõstantinum Imperatorem, in Templa nostra conuersæ, & Christo dicatæ fuere, vt prædictus *Corona ibid.* tradidit: vel quia Christianorum Templa multa Basilicarum ad instar extructa sunt, vt putauit *Baron.*

Annot.

Annot. in Martyrolog. 5. Augusti: vel quia Ecclesiarum multæ Regie, & Auguste ab Imperatoribus, & Summis Pontificibus ædificatæ fuerunt, vt alij censuerunt: vel etiam, quia in profanis ipsis Basilicis aliquando apud primores aliquos Romanos Christianorũ exercitia peragebantur, vnde Eccles[...] ipsis postea Basilicarum nomen adiectur, est, vt ex *Ammian. hist. l. 27.* colligi videtur: idcircò factũ fuisse, vt Templa maiora potissimum Basilicæ dicantur; reliquæ verò Ecclesiæ minores simplici Ecclesiarum nomine appellentur, vt colligitur ex *Breuiar. Rom.* pluribus in locis, & referunt *Decian. Tract. Crimin. l. 6. c. 24. n. 29. & Præposit. Mediolan. in Cap. Non oportet, 2. nu. 2. distin. 42.*, vbi dicit Cathedrales Ecclesias nuncupatas fuisse Basilicas, quia eas Reges extruere, vel dotare consueuerunt, & Basilicam aliarum Ecclesiarum fundamentum vocat. Nec enim his obstat, quod aliquæ Ecclesiæ non Consecratæ dicantur Basilicæ à Sacris Canonibus de Consecratione tractantibus; nam intelligi possunt cum eodem *Italia ibid. num. 35.* de Ecclesijs Maioribus, quæ adhuc, postquam Consecratæ fuerant, Basilicarum nomine vocabantur, vt apertissimum est ex textu *Cap. 1. Extrau. Comm. tit. de Pœnis, & Remiss.* vbi Ecclesia S. Petri pluries Basilica appellatur.

CAPVT TERTIVM.

An omnis Ecclesia Ecclesiasticæ Pollutionis capax sit.

SVMMARIVM.

Ecclesia materialiter sumpta quomodo describatur, num. 1.

Locus tripliciter fit Sacer, ità vt Ecclesia dici possit, num. 2.

Locus factus Ecclesia sine Consecratione, & Benedictione Episcopi; sed ex sola eiusdem deputatione, absque dubio gaudet Ecclesiæ fauoribus, nu. 3.

Sed non est capax Pollutionis Ecclesiasticæ, nu. 4.

Canones loquentes de Pollutione Ecclesiæ semper intelligendi sunt de Ecclesia propriè dicta. ibidem.

Ecclesia non Consecrata, nec Benedicta ab Episcopo non est propriè Ecclesia, nu. 6. & 10.

In odiosis nomine Ecclesiæ non venit ea, quæ impropriè tantum dicitur Ecclesia. ibidem.

Cap. fin. de Consecrat. Eccles. vel Alt. & Cap. Ad hæc, de Relig. domib. *nihil faciunt contra nos, num. 6. & 8.*

Auctoritatiua Episcopi deputatio non supplet Benedictionis effectus in Ecclesijs, nisi quo ad effectum gaudendi Ecclesiæ fauoribus, nu. 12.

Capit. Is, cui, de sent. Excommun. in 6. *non obstat conclusioni nostræ, num. 13. & 14.*

Punitio delicti in Ecclesia facti est Ecclesiæ fauorabilis, & ideo extenditur; non autem Ecclesiæ Pollutio, quæ est odiosa ipsi Ecclesiæ, num. 16.

Benedictio primarij lapidis, & fundamentorum ad Ecclesiam ædificandam non sufficit pro Benedictione Ecclesiæ, vt hæc sit Pollutionis capax, & quare, nu. 17. & 18.

Nec Benedictio sola, nec Deputatio sola sufficiunt ad Ecclesiam propriè cõstituendam; sed vtraque necessario requiritur, & quomodo, n. 20.

Tria aliqui requirunt ad Ecclesiæ propriè dictæ constitutionem necessaria, & quæ sint. ibid.

Ecclesia non Consecrata, nec Benedicta ex communi praxi nunquam reconciliatur, num. 21.

Ecclesiam Reconciliandam debere esse saltem Benedictam colligitur ex verbis ipsis, & forma Reconciliationis in Pontificali. ibidem.

Si alicubi aliud praxis constanter seruare soleret, ea ibi seruari licitè posset, & fortasse deberet. ibidem.

1 ADuerto 1. cum hic loquamur de Ecclesia materialiter sumpta pro Loco Sacro, qui Templum etiam dicitur, vt ex *disput. 1. c. 1. num. 5.* iam constat, idcircò Ecclesiam hic describi posse ex *Iordan. Var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 8. num. 6.* quod sit Locus Publicus Episcopi auctoritate fundatus, in quem Christiani conueniunt ad rem Diuinã audiendam, & Sacramenta suscipienda: vel ex alijs, quod sit Locus Sacer ritè ab Episcopo ad publicum Diuinorum Officiorum, & Sacramentorum vsum perpetuò deputatus, vt patet ex *Cap. vlt. de Consecrat. Eccles. iuxta Gloss. verb. Consecrata, & ex Cap. penult. de Immunit. Eccles.* & docet *Couar. 2. Resol. c. 20. num. 4. Suar. de Religion. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 1. n. 1. Th. Del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dub. 2. sect. 7. num. 25.*

2 Aduerto 2. Locum aliquem secundum aliquos fieri posse Sacrum, & latè dici Ecclesiam, hoc est, ad Diuinorum Officiorum, ac Sacramentorum vsum deputari tripliciter, 1. per solemnem Consecrationem, 2. per simplicem Benedictionem, & 3. per nudam talis loci ad eum vsum deputationem ab Episcopo factam sine Consecratione, & Benedictione. ità expresse *Megal. p. 1. l. 5. c. 13. n. 3.* & clarius *num. 11. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 35. num. 89. Azor. tom. 3. l. 3. c. 31. q. 4. Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. num. 5. Cardin. de Lugo de Euchar.*

Euchar. disp. 20. sect. 13. num. 20. Castropal. p. 2. tr. 11. disp. 1. punct. 1. num. 2. Th. Del bene de Immunit. c. 2. dub. 2. sect. 7. num. 8. & sequent. & colligi potest ex ijs omnibus, qui apud eundem *c. 16. dub. 9. sect. 1. nu. 11.* numerantur.

3 Aduerto 3, licet verum sit, quod Locus nõ Consecratus, nec Benedictus ab Episcopo, sed solum ab eo deputatus ad Diuina peragenda, censeatur Sacer, & veniat nomine Ecclesiæ quo ad fauores, vt mox allati Doctores, & alij plures docent; tamen hic dubitari, num prædictus Locus Sacer, seu prædicta Ecclesia Pollutionis huius capax sit, cum ex dictis Pollutionis lex sit Ecclesiæ odiosa, ac proinde restringenda.

4 Dico Ecclesiam non Consecratam, nec Benedictam ab Episcopo; sed tantum ab eodem ad Diuina ibi celebranda quomodocũq. deputatam non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem, quia non est propriè Ecclesia, & Iura loquentia de huiusmodi pollutione de Ecclesia propriè dicta intelligi debent, cum simus, vt sæpius dictum est, in materia odiosa, & restringenda. valde fauent huic sententiæ *Sotus in 4. dist. 32. q. 1. art. 3. Nauarr. in Manual. c. 16. num. 32. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4.* (licet contrarium sensisse videatur *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. cap. 9. num. 3.*) *Graff. decis. aur. p. 1. l. 1. c. 20. num. 28. & l. 2. cap. 83. num. 10.* eamque expresè tradunt *Sã V. Ecclesia, num. 13, Henriq. l. 9. de Missa, c. 27. nu. 5. & l. 5. de Pœnit. cap. 6. num. 9. in Comment. lit. H. Coninch. qu. 8. num. 236. Manuel. in Sum. tom. 1. cap. 154. nu. 13. Mazuchell. de Cas. Reser. disp. 2. c. 6. diff. 1. num. 82. Auila p. 5. disp. 7. dub. 2. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 22. Pax Iordanus Var. elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 11. num. 2.* & alij apud ipsos contra *Sanchez. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 39. Megal. Instit. Peregr. p. 1. lib. 5. c. 13. num. 5. Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 60. Fagund. in 2. Precept. l. 4. c. 4. num. 38. Th. del bene de Immunit. Eccles. cap. 2. dub. 2. sect. 7. num. 11. & c. 16. dub. 9. sect. 1. num. 11. Castropal. p. 2. tr. 11. disp. 1. pun. 1. num. 2.* & alios ab his citatos.

5 Dices 1. *Gregorius 8. Cap. fin. de Consecrat. Eccles. vel Altar.* generaliter asserit Ecclesiam non Consectatam Pollutionis hujus esse capacem, &, si polluatur, reconciliatione idcircò indigere; ergo etiam Ecclesia non Benedicta ab Episcopo; sed ab eo tamen ad publica Diuina Officia deputata pollutionis eiusdem capax erit.

6 Respondeo prædictum textum loqui de Ecclesia non Consectata quidem; sed tamen saltem Benedicta; non autem de Ecclesia ab Episcopo solum ad Diuinorum vsum destinata, quæ propriè non est Ecclesia, nec illius nomine venire debet in odiosis, nisi id specialiter exprimatur.

7 Dices 2. *Tex. Cap. Ad hæc, de Relig. Dom.* probat loca auctoritate Pontificis (i. Episcopi) ad Sacrum vsum destinata rursus ad profanos vsus conuerti non posse, ergo signum est talia loca iam facta esse Religiosa, cum profanari nequeant, ergo etiam Pollutionis huius capacia erunt.

8 Respondeo Textum illum loqui de Loci Religiositate, seu sanctitate quo ad priuilegium Immunitatis; non autem quo ad Pollutionis impedimentum, & quasi pœnam, quæ ad expressa tantum, & non ad alia extendi debet: vnde prædictus textus nihil facit contra nos, & in argumento præfato negatur vltima consequentia.

9 Dices 3. Locus Sacer ab Episcopo ad Diuina perpetuo deputatus ab omnibus communiter appellatur Ecclesia, & re vera venit nomine Ecclesiæ, ergo etiam Ecclesiasticæ Pollutionis capax est.

10 Respondeo dici, & re vera esse Locum Sacrum, siue etiam; sed impropriè, Ecclesiam in ordine ad Ecclesiæ fauores, qui ampliari debent; non autem in ordine ad odiosa, quæ restringenda sunt, qualis est Ecclesiæ pollutio, cujus proinde capax non est dicenda Ecclesia impropriè dicta, nisi idipsum melius probetur.

11 Dices 4. Auctoritatiua Episcopi deputatio æquiualet Benedictioni, vel saltem Benedictionis effectum supplet, ergo illa sufficit ad Ecclesiam Pollutionis capacem efficiendam.

12 Respondeo eam æquiualere, vel supplere Benedictionis effectum quo ad immunitatis Priuilegium, & alios Ecclesiæ fauores; non autem quo ad ea, quæ Ecclesiæ odiosa sunt, qualis est Pollutionis Ecclesiasticæ lex; vnde adhuc negatur consequentia.

13 Dices 5. ex *Cap. Is, cui, de sent. Excommunicat. in 6.* Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si in Ecclesia, quæ sit Episcopi auctoritate fundata, vel ab ipso ad Diuinorum vsum deputata, celebret, fit Irregularis secundum *Syluest. V. Interdictum, 6. q. 5. Calderin. de Ecclesiast. Interdict. membr. 2. vers. Sed quid si is. Domin. d. Cap. Is, cui, §. fin. num. 6.* & alios, ergo signum est Ecclesiæ nomine venire Locum, non solum verè Consecratum, vel Benedictum; sed etiam Episcopi auctoritate tantum fundatum, vel ad Diuinos vsus perpetuo deputatum, ergo etiam talis Locus Pollutionis prædictæ capax dicendus erit.

14 Respondeo, quicquid sit de antecedente, adhuc negando consequentiam in ordine ad

Pollu-

Pollutionem: in casu enim de Interdicto non agitur de pœna, vel Impedimento ipsi Ecclesiæ inferendo; sed alteri, nimirum celebranti in ea, ac proinde ibi non sumus in odiosis respectu Ecclesiæ; sed in casu Pollutionis agitur de re ipsi Ecclesiæ odiosa; vnde restringenda ad Ecclesiam propriè dictam, vt superius explicauimus.

15 Dices 6. Verior opinio ex dictis *Cap. superiore*, & ex *Fagund. l. c.* docet Statutum puniens delictum in Ecclesia comprehendere etiam illum, qui delinquit in Basilica auctoritate Episcopi erecta, etiamsi nondum ea sit consecrata, ergo etiam talis Ecclesia Pollutionis capax dicenda est.

16 Respondeo, licet nomine Ecclesiæ in dato casu veniat etiam illa, quæ nondum Consecrata, nec Benedicta; sed tantum Episcopi auctoritate erecta fuit; tamen id esse tantum in ordine ad effectum puniendi delictum in illa perpetratum, qui videtur esse Ecclesiæ fauorabilis; non verò in ordine ad effectum Pollutionis, qui ipsimet Ecclesiæ odiosus est, & nisi exprimatur in iure, ad Ecclesias impropriè dictas extendi non debet.

17 Dices 7. Per solemnem depositionem primarij lapidis benedicti in principio ædificationis Ecclesiæ factam, & per ipsam fundamentorum, vel saltem loci, in quo ea ponenda erant, benedictionem, sufficienter Ecclesia ipsa benedicta fuit, ergo saltē omnis Ecclesia tali modo cōstructa diceda est Pollutionis Ecclesiasticę capax, etiāsi postea nulla alia benedictio ex Episcopi auctoritate eidē accesserit.

18 Respondeo sufficienter eam sic esse benedictam in ordine ad gaudendum priuilegijs Ecclesię; non autem in ordine ad subeundum Pollutionis impedimentum; diuersæ enim sunt Benedictiones, & absque Benedictione illa, quam Ecclesia instituit, & adhibere solet, dum Ecclesiam iam constructam benedicit, & quæ proinde in dubio adhibita præsumitur, vt Cap. sequenti patebit, locus ille; licet Sacer; non tamen propriè Ecclesia dici potest; alia est enim Benedictio lapidis primarij, & fundamentorum Ecclesiæ; alia verò Benedictio ipsiusmet Ecclesiæ iam cōstructæ, vt videre est in Pontificali, & Rituali Romano: vnde, si prior illa sufficeret, superuacanea esset hæc secunda, quæ tamen propria est Ecclesiæ Benedictio, vt videbimus.

19 Dices 8. Multa loca Sacra benedicta sunt, quæ tamen propriè Ecclesiæ non sunt, nec pollutionis capacia, qualia sunt Dormitoria Monachorum, Campanilia, & similia multa, ergo Benedictio propriè non conuertit Locum Sacrum in Ecclesiam, nec consequenter facit eum esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem; sed potius id præstat perpetua Episcopi deputatio ad Diuina.

20 Respondeo, dato antecedente (de ijs enim fuse, & singillatim agemus inferius) negando consequentiam: Benedictio, de qua nos hic loquimur, non est illa, qua benedici solent alia loca præter Ecclesias, sed Ecclesiarum propria, & ad effectum proprium, quæ vt dixi, publica Episcopi auctoritate fieri debet, & supponit deputationem item Episcopalem, ad perpetuum, & publicum Diuinorum vsum, & hæc sola facit Locum esse propriè Ecclesiam, vel Oratorium publicum, & Pollutionis capacem; vnde ad talem Locum Pollutionis capacem, & deputatio, & Benedictio prædicta simul requiruntur, nec illarum altera tantum sufficeret, si per se esset: Immo *Pax Iordanus Elucubrat. var. tom. 1. l. 5. tit. 8. nu. 6.* ad Ecclesiam constituendam tria requirit, quæ tamen in solo tertio aliquando comprehendi possunt, nam Episcopus (vt præsumi potest) in Benedictione talis Loci ad publicum Diuinum cultum, & Missæ Sacrificium ibi offerendum videtur tum consentire in talis Ecclesiæ constructionem, tum Locum illum etiam ad prædicta deputare, nam Benedictio hæc vtrumque ex prædictis præsupponit ex natura rei: Primo auctoritatem Episcopi: Secundo destinationem ad publicum Diuinum cultum; & Tertio Consecrationem, vel saltem Benedictionem, quam necessario etiam requirit *tit. 9. num. 82.*

21 Colligo cum *Layman. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 1. & Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dub. 2. sect. 7. nu. 13.* nostram sententiam nunc in praxi obseruari, cum nunquam reconcilientur Ecclesiæ, quæ consecratæ, vel saltem Benedictæ non fuerint. Immo ex verbis ipsis Precum, quæ in Reconciliatione Ecclesiæ Benedictæ adhibentur, satis infertur Ecclesias Benedictas saltem; non autem solum deputatas ad Diuina, Pollutioni subijci, vel pollutas Reconciliatione indigere: non enim dicitur in prædicta Reconciliatione, *Vt Ecclesiam istam purgare, & Benedicere digneris, te rogamus audi nos*, prout in Benedictione eiusdem dici consueuit; sed, cum iam Ecclesia reconcilianda præsupponatur certo Benedicta, dicitur tantum sic, *Vt Ecclesiam istam purgare, & Reconciliare digneris, &c.* Si alicubi tamen esset praxis constanter recepta, vt etiā Ecclesia illa impropriè dicta Pollui cēseretur, & Reconciliari soleret, ea seruari posset, & fortasse deberet, vt seruandam censuit *Auersa de Eucharist. q. 11. sect. 14. §. Decimo tandem, & Fr. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. cap. 6. num. 106.*

CAPVT

CAPVT IV.

An Ecclesia in dubio censenda sit Pollutionis capax, nec ne.

SVMMARIVM.

Dubium, num Ecclesia sit Pollutionis Ecclesiasticæ capax, pendet ex eo, num Ecclesia sit Consecrata, vel Benedicta, num. 1.

In dubio, num Ecclesia sit Consecrata, videndum est, num sit Ecclesia Cathedralis, vel alia ex inferioribus, num. 2.

In dubio, num Ecclesia sit Benedicta, videndum est, num sit Ecclesia propriè, vel Oratoriam, & hoc Priuatum, vel Publicum. ibid.

Quæ sunt facti, non præsumuntur; sed probanda sunt ab assertoribus, num. 3.

Consecratio, & Benedictio ex se non præsumuntur. ibidem.

Facta præsumi debent in iis, quæ ordinariè fieri consueuerunt. ibid.

Ecclesiæ Cathedrales iam diu ædificatæ in dubio præsumũtur consecratæ, & multo magis Pollutionis huius capaces, & quare, n. 4.

Aliæ Ecclesiæ Inferiores non præsumuntur Consecratæ, & quare. ibid.

Loca publico Diuino cultui dicata præsumi debent Benedicta, & Pollutionis huius capacia, & quare, num. 5.

Munus benedicendi nouam Ecclesiam, vel Oratorium Publicum ab Episcopo Sacerdoti cuilibet delegari potest. ibid.

Loca, quæ non sunt prædicto Diuino cultui publico dicata, non præsumenda sunt Ecclesiæ, nec Oratoria Publica, nec proinde Pollutionis capacia. ibid.

Cæsar Speciauus Episcopus Cremonensis in dubio Cathedralem suam consecrauit, n. 6.

Canones, qui asserunt Ecclesiam ambiguam de Consecratione esse consecrandam, loquuntur non de Cathedralibus; sed de Inferioribus Ecclesijs, num. 7.

Exemplum, & sententia vnius Episcopi Cremonensis nec cogit, nec vrget in contrarium, num. 8.

Episcopi Licentia, vel Consensus requiritur, vt Ecclesia ædificari possit, & sit locus sacer, num. 10.

Sufficit eiusdem Licentia post factam, immo etiam tacita, & præsumpta. ibid.

Vndenam prædicta Licentia præsumi possit. ibid.

Antiqua Iura ad celebrandum Missæ sacrificium Ecclesiam Consecratam requirebant. ibid.

Iure communi, & ordinario iam diu sufficit simplex Ecclesiæ Benedictio. ibid.

Celebrare in Ecclesia nona ante præfatam Benedictionem est delictum punibile, num. 11.

Ecclesia in dubio cur præsumatur Benedicta, sed non Consecrata. ibid.

Ecclesiæ Consecratio sine delicto omitti potest, quia non est necessaria. ibid.

1 ADuerto 1. cum ex prædictis solum Ecclesia Consecrata, vel saltem Benedicta Pollutionis capax sit, idcirco dubium hoc tunc vIuuenire tantum, quando de Consecratione, vel de Benedictione Ecclesiæ dubitatur; ex dubio enim, num Consecrata, vel num saltem Benedicta sit Ecclesia, nascitur dubium hoc, num ea Pollutionis capax sit, nec ne.

2 Aduerto 2. in dubio de Consecratione considerandum esse, num Ecclesia, de cuius Consecratione dubitatur, sit Cathedralis, vel non, & iam diu, vel nuper fuerit ædificata, vt ea Consecrata, vel non Consecrata post adhibitas debitas diligentias præsumi possit; in dubio autem de Benedictione, num sit Ecclesia, vel Oratorium, & hoc publicum, vel priuatum, de quibus *cap. seq.* agemus.

3 Aduerto 3. licet, quæ sunt facti, non præsumantur, sed probanda sint ab assertoribus, *L. in bello, §. facta, ff. De capt. & postl. & redempt.* & Ecclesiæ Consecratio, ac Benedictio sint quid facti, ideoq; hæc, quà talia, ex se nõ præsumãtur, vt habetur ex *Cap. Solemnitates 1. De consecr. dist. 1. Innocent. in Rubr. De consecrat. Eccles. Alciat. De præsumpt. reg 2. n. 2. Mascard. De probat. V. Consecratio Ecclesiarum, concl.* 415. *& V. Ecclesia, an præsumatur consecrata, concl.* 583. *Mar. Italia De Immunit. Eccl. l. 1. c. 4. §. 4. n.* 31. immo ex se præsumatur cõttatiũ ex *Fusc. de Visit. l. 1. c. 22. n. 8. & Vgol. De offic. & potest. Episc. c. 28. n. 4.* & alijs; nihilominus, cum facta præsumi debeant in ijs, quæ ordinariè fieri consueuerunt, *L. fin.* vbi *Gloss. C. De fideiuss. Peregrin. in Patauin. Decis.* 219. *num. 2. Iordan. Variar. elecubrat. tom. 1. l. 5. tit. 9. num.* 47. idcirco aliquando etiam Ecclesiæ consecrationem, vel benedictionem præsumi debere, vt mox patebit.

4 Dico 1. Ecclesias Cathedrales iam diu ædificatas præsumendas in dubio esse consecratas, & multo magis Pollutionis huius capaces; licet contrarium (quo ad Consecrationem) præsumendum sit de alijs Ecclesijs inferioribus. De Cathedralibus id patet, quia, cum soleant Cathedrales, vt plurimum, vbi primum perfectæ sunt, dedicari, tum ob illarum specialem prærogatiuam, tum ob

Episcoporum commoditatem, quoniam in propinquo degunt, tum etiam ob honorificentiam, quia Sponsæ illorum sunt, & consequenter, quantum fieri potest, ornandæ, præsertim tam præclaro, & spirituali Consecrationis ornamento, idcirco in dubio eæ Consecratæ præsumendæ sunt, ita *Lambertin. De Iurepatron.p.7.art.2.q.prin.1.l.1.num. 15.vers. An autem quelibet. Mascard. De probat. concl. 583.num.2. Vgolin.De offic. Episc.c.28.num.4. vers. 1.in fine. Antonell. De Regim. Eccles.Episcop.p.1.l.1.c.16.§.2.num. 17.Iordan.l.c. num. Riccius in prax.p.1.resol.479.* De alijs vero Inferioribus Ecclesijs contrarium (quo ad Consecrationem ipsam) idcirco asserimus, quia in ijs, cum ordinarie non soleant consecrari, præsumptio stat contra Consecrationem, vt supra *nu.3.*iam dictum est; & non pro illa. ita *Barbos.De offic.Episc.alleg.27.num.4.*

5 Dico 2. quo ad Ecclesiarum Benedictionem, omnem Locum Sacrum absolute, hoc est, publico Diuino cultui dicatum (siue dicatur Ecclesia, siue Oratorium publicum, de quibus plura cap. sequenti dicemus) præsumendum esse in dubio Benedictũ,ac proinde Pollutionis capacem; secus vero dicendũ esse de alijs. Ratio autem est, quia talis Locus regulariter est vel Consecratus, vel Benedictus, & propterea præsumi etiam debet Pollutionis Ecclesiasticæ capax. Cum enim, antequam in talibus Locis celebrandi facultas ab Episcopo detur, illarum Benedictio præmitti soleat, & debeat iuxta formulam præscriptam *in Rom.Rit.reform.pag. mihi 232.* & simplici quoq. Sacerdoti munus hoc eadem Benedicendi delegari queat, vt ab eodem *Rit. ibid.* exprimitur, idcirco,nisi contrarium constet, vel probetur, standum est in dubijs pro prædicta præsumptione, & talis Locus ideo, vt dixi, benedictus, & pollutionis huius capax habendus est. Ita *Castropal.p. 2.tr. 11.disp.1.punct.1.num.2.*& insertur ex *Iordan. l.c.tit.8.n.43.& tit.9. num.82.* De alijs autem Locis, quæ iuxta prędictum modum non sunt publico Diuino cultui dicata, contrarium præsumendum est; quia proprie illa nec Ecclesiæ,nec Oratoria publica;sed priuata sunt. Vndenam autem præsumi debeat, quod sint publico, vel priuato Diuino cultui dicata, ex insequentibus constabit, cum de Oratoriorum differentijs agemus.

6 Dices 1. ex *Cap.Solemnitates 1.* vbi *Gloss.& Archidiac.Cap. Ecclesia, vel Altaria, De Consecrat. dist.1. Cap.placuit, & Cap. Cum itaque eod.tract.dist.4.Canonist.in Cap. Proposuisti, hoc tit. Azor.p.1.l.10. c.26 q. 12.& p.2.l.9.c.4.q. 5. Barbos.De offic.Episc. allegat. 27. num.9.* & alijs passim, si dubitetur, an Ecclesia sit consecrata, est consecranda, paria enim sunt nõ esse, vel non apparere *L.In lege, ff. De contrah.empt.& Gloss.in d.Cap. Solemnitates*, ergo in dubio etiam Cathedralis Ecclesia præsumi debebit non Consecrata, & consecranda erit: pro vt in tali casu Cæsar Specianus Cathedralem suam Ecclesiam Cremononsem consecrauit, quod narrat, & approbat *Franciscus Ferrarius De Myster.Consecrat.c.36.*

7 Respondeo 1. tum textus, tum Doctores prædictos intelligi posse de Ecclesijs inferioribus, non de Cathedralibus ob rationes superius allatas, & ita intelligendos esse docet *Pax Iordan.l.c.tom.1. l.5.tit.9.num.47. in fine.*

8 Respondeo 2. in casu Cremonensi allato doctissimum, & sanctissimum Episcopum illum fortasse motum fuisse ad id à tot coniecturis, & argumentis, tantiq. apud ipsum roboris, vt pro certo quodammodo habuerit, Ecclesiam illam absq. dubio nunquam fuisse consecratam. cæterum illius sententia, & exemplum alios alibi ad idem nec cogit, nec vrget.

9 Dices 2. ex *Abbat. in Cap. fin.num. 1. De celebrat. Miss.* habetur, quod, ex quo Ecclesia fundata fuit ab initio auctoritate, & de licentia Episcopi, pro vt requiritur de iure, sine alia eiusdem Licentia ibi Diuina celebrari posse videntur, quod etiam nouissime dixit *Vidal.in Arca Vital.de Iurisd. Inquis.5. nu.13.* ergo non bene præsumitur ex prædicta Diuinorum celebratione, quod talis Ecclesia fuerit ab Episcopo Benedicta.

10 Respondeo aliud esse, quod non requiratur alia Licentia; aliud autem, quod non requiratur post Ecclesiæ constructionem prædicta Benedictio: illa requiritur, quia ex dictis sine Episcopi consensu Ecclesia ædificari non potest, alioquin talis locus non erit sacer, cum desit auctoritas publica, de qua supra actum est, vt fuse probat, *Barbos. de offic. & Potest. Episc. Allegat. 26.num.1.* licet satis sit, si accedat talis Licentia, vel Consensus Episcopi etiam post factum ex eodem *ibid. n. 2. & alijs apud ipsum*; immo etiam sufficiat tacita Episcopi licentia, & præsumpta; quando scilicet Episcopus Ecclesiam construi sciebat, nec prohibuit, aut contradicere curauit, cum tamen commode posset, vt *ibidem* etiam tradidit *Barbos.* & post ipsum *Iordan.l. c.tit.8. num. 52.iuxta Selua, Azor. & aliorum opinionem apud eosdem*, vnde bene dici potest,quod, si hæc licentia, seu Consensus Episcopi interuenit ante Ecclesiæ ædificationem, non requiretur ad eundem effectum alia post ædificationem, cum prima sufficiat. Ista vero, idest

ideft, Benedictio, non eft illa Epifcopi licentia, de qua iam diximus; fed eft quid diuerfum: cum enim antiqua Iura ad celebrandū Missæ facrificium requirerent olim Ecclefiam Confecratam, vt patet ex *Cap. Nullus, de Confecr. dift. 1. & Cap. Sicut, eod. tit. & diftin.* & optimè notauit *Suar. in 3. p. tom. 3. difput. 81. fect. 3. §. eft autem. Fagund. in 1. prac. l. 3. c. 13. num. 5. & Fr. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 6. q. 2, num. 20.* poftea ob difficultatem, & raritatem Confecrationis, vt in illis quodammodo Locum, i. donec Confecratio fieri poffet, ex communi, & approbato rotius Ecclefiæ vfu iam diu fimplex Benedictio adhiberi confueuit, ita vt hæc poftmodum fufficeret; & fufficiat iure communi, & ordinario, vt bene notant *Gloff. in Cap. vltim. de Confecrat. Ecclef. diftin. 1. & DD. ibi. Azor. & Suar. ll. cc. Enriq. l. 9. de Miffa c. 27. initio, & nu. 2. Zerol. p. 1. prax. Epifc. V. Miffa, num. 1.* & clare traditur *in d. Ritual. Roman. de Ritu Benedicendi nouam Ecclefiam, feu Oratorium publicum, & c. pag. mihi 232. & alijs 218.* quare in argumento negatur confequentia.

11. Colligo cum *Iordano l. c. tit. 9. num. vlt.* fi celebraretur in Ecclefia noua abfque præfata Benedictione, fore delictum punibile, cum Rituale Reformatum ita ftatuat fimpliciter, & indefinite, nec ab eo recedendum fit. Vnde, cum delicta non præfumantur, *L. Merito, ff. pro focio, & vnufquifq. L. 11. C. de offic. Ciuil. Iud.* ibi, *Quod non arbitremur, & c.* præfumatur bonus, præfumptio enim femper fit in meliorem partem, vt latè videre eft apud *Alciat. reg. 3. præfumpt.* iure, ac merito hinc etiam colligere poffumus, quod fupra diximus, nimirum in dubio noftro Ecclefiam præfumendam effe Benedictam, & inde Pollutionis ipfius Ecclefiafticæ capacem; nō tamen Confecratam, quia Confecratio fine delicto omitti poteft, cum iam diu ifta neceffaria non fit; fed fufficiat fimplex Benedictio, vt dictum eft.

CAPVT V.

An Oratoria Pollutionis Ecclefiafticæ capacia fint.

SVMMARIVM.

Oratorium vnde dicatur, & quid fit, num. 1.

Ecclefia omnes quomodo Oratoria dici poffint, num. 2.

Primi Chriftiani Ecclefias cur Oratoria appellarent, ibid.

Oratorium aliud Publicum, aliud Priuatum, & quid vtrumque fit, num. 3.

Oratorium Publicum Locus Sacer eft, & gaudet Ecclefiæ nomine, ac Priuilegijs. ibid.

Talis Locus cur Oratorium iam dicatur. ibid.

Illud Ecclefiæ Parochiali quodammodo fubeft. ibidem.

Oratorium Priuatum re ipfa profanus Locus eft, licet in eo aliquando celebretur. ibidem.

Oratoria Publica præfumuntur Pollutionis Ecclefiafticæ capacia, num. 4.

Oratoria Priuata non funt Pollutionis prædictæ capacia. ibidem.

Oratorium Priuatum quandonam vifitetur ab Epifcopo, num. 5.

Oratoria Priuata poft primam approbationem non amplius vifitantur ab Epifcopo. ibid.

Diuinus cultus Publicus, & Priuatus in quo differant. ibid.

Deputata ad cultum Diuinum priuatum non fiunt Sacra; contra verò ad Publicum. ibid.

Cultus Diuinus ex natura fua eft Publicus, & omnes habent ius ad illum. ibidem.

Miffæ celebratio in aliquo Loco non facit ex fe Locum illum Sacrum. ibid.

1 ADuerto 1. Oratorium dici ab orando, vt conftat *ex Reg. D. Bened. c. 52. dicentis, Oratorium hoc fit, quod dicitur* (quem in locum plura *Caramuel nu. 1063.* de Templorum forma, & antiquitate refert fcitu digniffima) & *ex Cap. penult. & vlt. dift. 42.* vt operi nomen conueniat: Locus enim ad orandum, & ad preces Deo effundendas conftitutus cōmuniter Oratorium appellatur, fi loquamur in genere.

2 Aduerto 2. licet ob prædictam rationem Ecclefiæ dici poffint Oratoria, vt ex præcitatis locis liquet, & ex *Cap. Cum Ecclefia, de Immunit. Ecclef.* vbi Ecclefia *Orationis domus* vocatur, quod antea etiam à Chrifto Domino *Io. 2.* dictum fuerat: vnde maximè à primis Chriftianis Oratoriorū nomine dicebantur Ecclefiæ, quia tunc eas tùm ob Fidelium paucitatem, tùm ob Tyrannorum prohibitionem paruas, ac priuatas ædificabant, vt animaduerterunt *Eufeb. l. 8. c. 1. & Nicephor. l. 7. c. 2.* nihilominus non omnia Oratoria effe propriè Ecclefias, quia non omnia gaudent priuilegijs Ecclefiarum, nec fubiacent ijs impedimentis, v. g. Pollutionis Ecclefiafticæ, quibus fubiacere Ecclefias propriè dictas fuperius diximus, vnde

3 Aduerto 3. Oratorium aliud effe Publicum, aliud Priuatum. Publicum Oratorium illud eft, quod publica Epifcopi auctoritate Diuino cultui in perpetuum deputatum eft. Vnde

verè Locus Sacer est, nec amplius priuata auctoritate ad profanos vsus conuerti potest: Quamuis autem talis Locus iam dicatur Oratorium, vt ab Ecclesijs Parochialibus contradistinguatur, quibus illud de Iure communi quodammodo subest, vt benè dixit *Carat. de Iur. Parochial. tit. 2. c. 1. & seq.* tamen venit Ecclesiæ nomine, & Immunitate, omnibusq; Ecclesiæ fauoribus, & Priuilegijs gaudet, non secus ac Ecclesiæ ipsæ, de quibus superius egimus, vt colligitur ex *Cap. Ligna, de Consecr. dist. 1. Cap. Requisisti, de testam.* & tradit *Barbos. de Iure Eccles. p. 2. l. 2. c. 8. num. 11. Tusc. lit. O. Verb. Oratorium, concl. 177. & 178. in fin. Farinac. in Appendice de Immunit. cap. 17. num. 267. Graff. decis. p. 2. l. 2. c. 27. num. 49. & 54. Sanch. de Matrim. l. 9. disput. 15. num. 39. Vidal in Arc. Vital. de Iurisdict. inquisit. 5. n. 13. Riccius in prax. p. 1. resol. 428. Mar. Ital. de Immunit. Eccles. l. 1. cap. 4. §. 4. num. 3.* & alij DD. vno ore. Priuatum verò Oratorium illud est, quod absque prædicta publica Episcopi auctoritate erectum est, Diuinoque cultui proinde non est in perpetuum dedicatum, vnde ad nutum dominorum priuata auctoritate destrui potest; quamuis in eo aliquando ex priuata Episcopi, vel Pontificis facultate celebretur, & tale Oratorium verè Locus Sacer non est, nec Ecclesiastica Immunitate gaudet ex se, quia re ipsa profanus Locus est, ità cū ijsdem mox allegatis auctoribus *Card. de Lugo de Eucharist. disput. 20. sect. 2. num. 58. Diana p. 9. tr. 1. resolut. 1. Th. del bene de Immunit. Eccles. p. 2. c. 16. dub. 9. sect. 12. num. 1. Iordan. l. c. Suar. tom. 3. disp. 81. sect. 4. Henriq. l. 9. c. 27. num. 5. Fagund. in 1. præcep. l. 3. c. 14. num. 45. Coninch. q. 83. num. 236. Fr. Lug. de Sacr. l. 5. c. 6. q. 13. num. 103.* & alij passim.

4 Dico Oratoria Publica præsumenda esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, quia præsumuntur Benedicta, pro vt supra diximus de Ecclesijs. Dixi, præsumenda esse, quia, si constaret illa non fuisse Benedicta, idipsum de Oratorijs Publicis dicendum esset, quod iam statuimus de Ecclesijs non Consecratis, nec Benedictis. Oratoria autem priuata dico non esse Pollutionis prædictæ capacia, quia ista non Benedicuntur, ac proinde nunquam veniunt nomine Ecclesiæ, neque etiam in fauorabilibus, nedum in odiosis, vt ex superius allatis clare patet. ità *Zabarel. in Cap. fin. de Consecrat. Eccles. vel Altar. Graff. decis. p. 2. l. 2. c. 15. nu. 24. Innocent. Cap. Inter dilectos, de Donat. num. 2. Fagund. l. c. Th. del bene l. c. c. 2. dub. 2. sect. 7. num. 16. Diana p. 9. tr. 1. resol. 24. in fin. Iordan. l. c. tit. 11. num. 22.* & clarius *num. 26. Ganaut. in Manual. V. Ecclesiæ reconciliatio, nu. 16.* & plures cum ipsis.

5 Colligo, licet Oratorium priuatum visitetur ab Ordinario loci, quando Pontifex aliquibus concedit tale Priuilegium, i. tale Oratorium habendi in priuata domo, vt videat, an illud decenti loco, ac ornatu sit, & locum illum approbet, antequam executioni mandetur ibidem celebrandi facultas iuxtà Priuilegij Pontificij tenorem; tamen non proinde tale Oratorium ob talem Episcopi visitationem, & approbationem fieri Sacrum, quia verè non proinde locus ille ab Episcopo tunc deputatur absolutè ad cultum Diuinum; sed Episcopus potius tunc tantum deputatur à Pontifice ad talem Locum visitandum, idest, tantummodo ad Loci illius aptitudinem, rerumque ad ritè celebrandum necessariarum decentiam cognoscendam. Vnde, sicuti visitatio illa, & Loci, rerumque prædictarum approbatio tunc temporis tantum fit, quando primò talis Locus in priuatum Oratorium approbatur, nec Episcopi Iurisdictio ad talia Oratoria visitanda postea continuat, cum ea nunquam de facto visitentur amplius ab Episcopo, quia eiusdem visitationi deinceps non subsunt, ità verè talia Loca non fiunt perpetuò, & absolutè ad Diuinum cultum (qui ex natura sua est publicus, & cum ad eum omnes habeant ius, communis est omnibus) deputata, nec proinde Sacra; sed adhuc profana, vt antea, remanent; quamuis in eis post talem Pontificis facultatem, & Episcopi visitationem Missæ sacrificium celebretur, quia ex hoc habent tantum, quod dici possint cultui Diuino priuato dicata, quod non sufficit ad Locum Sacrum faciendum, prout nec Missæ sacrificium ex se Locum Sacrum facit, vt per se patet, ità *Pasqualig. decis. 165. num. 6. & 7.* quicquid contra dicat in aliquibus *Vidal in Arca vitali de Iurisdict. Inquisit. 5. num. 17. & seq.*

CAPVT VI.

Ex quibusnam requisitis conditionibus Oratoria in dubio præsumantur Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, vel incapacia.

SVMMARIVM.

Vnde oriatur prædictum dubium, n. 1.
Quando incerti sumus de Publicitate Oratorij, recurrendum ad indicia, & præsumptiones, num. 2.

Epi-

Episcopus ante Concilium Tridentinum poterat dare licentiam celebrandi in priuatis domibus etiam permanenter, & extra necessitatem vllam, n. 3.

Poterat etiam subditis Sacerdotibus dare licentiam, vt sibi celebrandi locum eligerent. ibid.

Quinam post Concilium prædictum adhuc putarint Episcopum posse concedere prædictam licentiam ex parte Loci; non autem ex parte personæ. ibid.

Vere post Concilium Tridentinum Episcopus nequit extra casum aliquem necessitatis, de quo supra dictum est, concedere licentiam celebrandi in Locis priuatis, etiamsi sint permanenter Diuino cultui dicata. ibid.

Potest Episcopus etiam post Concilium Tridentinum dare licentiam celebrandi in Oratorijs publicis, dummodo ea habeant conditiones necessarias. ibid.

Quænam conditiones requirantur in Oratorijs priuatis à Pontifice. ibid. remiss.

Conditiones requisitæ in Oratorijs publicis enumerantur. ibid.

Aliqui putant non obstare, quin sit Oratorium publicum, si habeat, præter ianuam publicam, aliam ad priuatum ingressum. ibid.

Alij credunt non obstare, si sit priuatis sæcularium ædibus adiunctum. ibid.

Quidam aiunt non obstare, si adsint in Oratorio publico fenestræ, per quas Missa audiri possit ab extra stantibus. ibid.

Multi dicunt sufficere, si Oratorium habeat ingressum omnibus expositum. ibidem.

Oratoria habentia conditiones requisitas, si in eis celebretur, vel celebratum fuerit, præsumenda sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia. nu. 4.

Si in eis nunquam celebratum fuisset, quid præsumendum esset. ibid.

Oratoria non habentia conditiones necessarias ad hoc, vt Episcopus valide ea possit erigere in Oratoria Publica, non debent præsumi Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 5.

Idem præsumendum est, etiamsi de facto in ijs celebraretur, vel celebratum fuisset. ibid.

Omnes conditiones ad Oratoria Publica requisitæ fortasse non sunt necessariæ ad validitatem licentiæ Episcopalis; sed ad honestatem tantum. ibid.

Quænam conditiones sint omnino necessariæ in Oratorijs Publicis ad hoc, vt valide dari possit Licentia ab Episcopo in eis celebrandi. ibid.

Vndenam habeatur, quod vna, & non alia Conditio necessaria sit in Oratorijs ad valide obtinendam Licentiam ibi celebrandi ab Episcopo. ibid.

Oratorium habens ingressum omnibus expositum videtur posse ab Episcopo valide approbari, vt de illius licentia ibi celebretur. ibid.

Tale Oratorium post prædictam Episcopi licentiam, & consequenter post Benedictionem illius ad Missæ sacrificium ibidem celebrandũ videtur esse Oratorium Publicum, & Pollutionis Ecclesiasticæ capax. ibid.

Quamuis in prædicto Oratorio non publice celebretur, adhuc est Oratorium Publicum, num. 6.

Ibidem satisfieret Præcepto audiendi Missam diebus Festis; licet ea prædicto modo celebrata fuisset. ibid.

Prædictum Oratorium esset Publicum, & proinde Pollutionis Ecclesiasticæ capax præsumendum esset; tametsi ad commoditatem certæ Familiæ erectum esset. ibid.

Satis est in prædictis, & similibus casibus, quod Oratorium sit de se Publicum, quia semper tale est, donec auctoritate publica profanetur. ibidem.

1 ADuerto 1. dubium hoc oriri ex eo, quod aliquando nesciatur, an Oratorium aliquod sit Publicum, vel Priuatum: si enim alterutrum certum esset, iam ex præcedenti capite res omnis decidenda esset, vt per se patet.

2 Aduerto 2. quando incertum est, an Oratorium sit Publicum, vel Priuatum, recurrendum esse ad ea indicia, & coniecturas, ex quibus probabiliter alterutrum præsumi possit. Cum autem superius dictum sit *Cap. V. num. 3.* illud esse Oratorium Publicum, quod publica Episcopi auctoritate Diuino cultui in perpetuum dicatum sit, hinc ante omnia videndum est, num Oratorium (de quo dubitatur, Publicum ne sit, an Priuatum) prædicto modo ad Diuinum cultum fuerit deputatum, nec ne: Si enim illud publica Episcopi auctoritate Diuino cultui in perpetuum dicatum fuisse ex indicijs, & coniecturis sufficienter apparebit, Publicum præsumendum erit; secus autem Priuatum.

3 Aduerto 3. indicia, & coniecturas ad præsumendam prędictam Episcopi auctoritatem iam desumi in primis debere ex requisitis ad Oratoriũ Publicũ conditionibus. Licet enim Episcopi ante Concilium Tridentinum antiquo iure potuerint ex *Cap. Clericos, Cap. Missarum, Cap. Hic ergo, de Consecrat. dist. 1.* & ex alijs similibus, dare licentiam celebrandi in domibus priuatis pro mera sua gratia, & liberalitate, absque vlla necessitate, siue ex parte loci, designando videlicet locum, vel Oratorium in domo priuata, in quo sacrificium fieri posset, non tantum pro vna vice; sed etiam permanenter: siue ex parte personæ,

næ, dando nempe Sacerdoti sibi subdito licentiam, vt sibi posset locum ad sacrificandum eligere, vt optime notauit *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 3. §. secundo obseruandum, Nauarr. c. 25. num. 82. Azor. tom. 1. Instit. moral. l. 10. c. 26. q. 3. Sylu. V. Missa. 5. §. 5. Fagund. Precept. 1. l. 3. c. 13. num. 6. Fr. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 6. q. 3. num. 26. Pasqualig. decis. 164. num. 1. & 2.* & alijs; stante tamen Tridentini Concilij decreto *sess. 22. de obseru. & vitan. in celebr. Miss.* non solum restricta fuit Episcoporum facultas ita, vt post tale decretum nequirent amplius dare prædictam licentiam ex parte personæ; possent autem adhuc eam concedere ex parte loci, dummodo talis locus esset Diuino tantum cultui dicatus, & ab ipsis Episcopis visitandus, ac proinde adhuc possent designare Oratoria in domo priuata Diuino cultui permanenter dicata, prout censuere *Suar. l. c. Fagund. ibid. num. 9. Zerol. in prax. Episc. p. 1. V. Missa, num. c. §. Quarta conclusio, Henriq. l. 19. de Missa, c. 27. nu. 1. Beia p. 4. Cas. Conscient. cas. 33. Vers. Tertio dico. Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 43. art. 6. Coninch. de Sacram. q. 83. art. 2. dub. 1. num. 226. Gutier. l. 1. Can. quæst. c. 30. num. 28. Quaranta V. Missa. Sà ibid. num. 20. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 4.* & nouissimè *Vidal in Arca vit. de Iurisdict. Inquisit. 5. num. 16. & sequent.* nec non *Fr. de Lugo l. c. num. 28.* Sed verè contra prædictorum DD. sententiam per prædictum Concilij decretum ità Episcoporum facultas, quo ad hoc, imminuta fuit, vt deinceps nec in Locis ipsis, seu Oratorijs priuatis, licet Diuino tantum cultui dicatis, prædictam celebrandi licentiam impartiri possent, nec talia loca ad celebrationem Missæ designare (nisi fortè in casu particularis necessitatis, pro vt superius diximus cum communi DD. sententia apud *Fr. de Lugo l. c. num. 29.*) & ità Sacra Congreg. Cardin. Concil. Trident. Interpretum anno 1615. die 10. Martij decreuit, & iussu Pauli V. Pontif. per Epistolam ad Archiep. Bononiensem à Cardin. Lancelloto scriptam Episcopis vniuersis intimauit, cuius tenorem refert *Fagund. vbi supra, Nouarius in summ. Bull. tit. de Missarum celebrat. probibita in Oratorijs Priuatis absque Summi Pontificis licentia, Pasqual. decis. 165. num. 3.* & *Naldus V. Missa, num. 31.* Vnde sicuti iam certum est Episcopos non posse concedere vlla Oratoria priuata ad sacrificandum, siue id nequeant post Concilij Tridentini prohibitionem, quod absolutè verum puto, siue saltem post prædictum Congreg. decretum, vt alij volunt, & ità siue ex alterutro, siue ex vtroque Concilij, & Congregationis decreto id Episcopis esse prohibitum tradunt *Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 9. num. 11. Miranda tom. 1. Manual. Prel. q. 40. art. 9. concl. 3. in fin. Scortia l. 2. de Sacrif. Miss. c. 13. nu. 3. Ricc. in Prax. for. Eccles. decis. 538. Homob. de Exem. Eccles. tr. 8. c. 5. par. 2. q. 14. Fusc. l. 1. de Visit. c. 21. num. 8. Fagund. precept. 1. l. 3. c. 13. num. 3. Nald. 5. Missa num. 3. Gauant. in Rubr. Miss. p. 1. tit. 20. lit. M. Marchin. de Sacram. Ord. tr. 3. par. 3. c. 9. nu. 7. Lugo de Euch. disp. 20. sect. 2. num. 50. Faust. de Sacram. Euchar. l. 2. de Sacrif. Miss. q. 170. & Pasqualig. d. decis. 165. num. 2. cum Azor. Nauar.* & alijs, ità æque certum est Episcopos adhuc posse dare licentiam constituendi, & celebrandi in Oratorijs Publicis, quo ad hæc enim nihil est innouatum, vel immutatum, aut imminutum de Episcoporum antiquo iure, dummodo Oratoria cõstructa, vel construenda habeant eas conditiones, & qualitates, quæ ad Oratorium Publicum constituendum necessario requiruntur. Quemadmodum enim Pontifices, quibus solis id reseruatum est, concedentes licentiam celebrandi in Priuatis Oratorijs apponunt quasdam conditiones ad vnguem obseruandas, vt notauit *Molfes. in sum. tom. 1. tract. 3. c. 17. num. 70.* & patet ex Breuibus, quas refert *Dian. p. 9. tr. 1. resol. 1. Pax Iordan. variar. Elucubr. tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 164. & Gauant. in Thesaur. Sacr. Rit. p. 1. tit. 20. lit. F. & in Manual. V. Missa. num. 19.* sic etiam aliquæ conditiones, & qualitates ad Oratoria Publica constituenda requirũtur, sine quibus Episcopi nequeunt talia loca erigere in Oratoria Publica, nec licentiam dare in eis celebrandi absque speciali Sedis Apostolicæ facultate; eę verò sunt 1. vt eorum Oratoriorũ ianua exeat in viam publicam, 2. vt per eam communis omnibus pateat ingressus, 3. vt præter ianuam publicã nulla alia existat ad priuatum ingressum, atque adeo ea sint penitus seiuncta à priuatorum domibus, 4. vt nullæ sint fenestræ in ijs Oratorijs, per quas prospectus in ea haberi valeat, 5. vt adsint cætera necessaria, & requisita, & 6. vt absit præiudicium Iurium Parochialium, quas requiri ad hoc, vt Oratorij Publici erectionem Episcopus concedere possit, resolutum fuisse à *S. Congreg. in Florens. 1. Septembr. 1615. & in Colimbrien. 1. Iulij 1616.* refert *Sell. in Select. Canon. c. 18. num. 26. Barbos. in Concil. Trident. sess. 22. ad decret. de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ, nu. 21. & 22. Gauant. in Thesaur. Sacr. rit. p. 1. tit. 20. lit. F. vers. In ijs, & Pax Iordan. l. c. num. 161.* & ego ipse vidi Literas

ras

ras à S. Congregat. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum ad Episcopum Placent. 20. Decemb. an. 1619. à Cardin. Gallo subscriptas, quæ prædictas conditiones omnes exigebant in Oratorio quodam, vt in eo celebrandi licentiam Episcopus dare posset; licet tum *Iordan. l. c.* crediderit non obstare, quin sit Oratorium Publicum illud, quod præter Ianuam publicam habet etiam aliam ad priuatum ingressum; tum *Auersa de Eucharist. q. 11. de Missa sect. 14. §. Quinto poterant*, dixerit non obstare, quin sit Oratorium Publicũ, quamuis priuatis sæcularium ædibus adiunctum sit; tum etiam *Pasqualig. decis. 173. n. 4.* putarit non obstare, si Oratoria prædicta habeant fenestras, per quas Sacrum audiri possit. immo alij etiam mox citandi absolute docuerint Oratorium de se tunc verè non Priuatum, sed Publicum fieri posse, quando habet ingressum omnibus expositum, ac proinde tunc posse Episcopum licentiam dare in eo celebrandi, vt videre est apud ipsum *Pasqualig. per totam decis. 173.* & tradit etiam *Quintanaduenas in Th. Mor. tom. 1. tr. 7. singul. 33. num. 9.* quibus fauere videntur aliqui alij apud *Dianam p. 9 tr. 1. resol. 21.*

4 Dico 1. Oratoria in dubio præsumenda esse Pollutionis capacia, si habeant conditiones prædictas ad Oratoria Publica cõstituenda requisitas, & ibi cum ijs celebretur, vel celebratum sit. Ratio autem est, quia, si Oratoria prædictas cõditiones habeant, possunt ex iam dictis ab Episcopo approbari tanquam Oratoria Publica, ergo, si in ijs celebretur, vel celebratum fuerit cum prædictis conditionibus, illa præsumenda erunt talia esse, qualia ex prædictis conditionibus apparent. Dixi, si ibi celebretur, vel celebratum fuerit in ijs conditionibus, quia, si nunquam celebratum in ijs fuisset, vel tantum in casu alicuius vrgentis necessitatis, & id semel, aut iterum tantum (quo in casu iam diximus posse Episcopum dare licentiam celebrandi extra locum Sacrum) tunc non præsumerentur in dubio iam actu esse vera Oratoria Publica, ac proinde Benedicta, & Pollutionis capacia; sed esse Loca tantum habilia ad hoc, vt fierent Oratoria, & ab Episcopo ad Missæ sacrificium ibi celebrandum benedici possent: nam, cum Benedictio prædicta sit quid facti, nec soleat fieri, nisi ad hoc vt ibi Missæ Sacrificium prædicto modo celebretur, vt superius dictum est, si nunquam modo prædicto ibi celebratum fuisset, nec alias constaret de prædicta Benedictione ad id ibi facta, tunc iure standum esset in tali dubio contra Benedictionem, & consequenter etiam contra Pollutionis Ecclesiasticę capacitatem.

5 Dico 2. Si Oratoria non habent conditiones necessarias ad hoc, vt possint valide ab Episcopo habilitari ad Missæ Sacrificium ibi prædicto modo celebrandum, cum in tali casu Episcopi auctoritatem non interuenisse præsumendum sit, vel inualide interuenisse, tunc iure, ac merito præsumi non debent Oratoria Publica, ac proinde nec ritè Benedicta, nec Pollutionis Ecclesiasticæ capacia præsumenda erunt. Dixi, si non habent *conditiones necessarias* ad hoc, vt possint *validè* ab Episcopo fieri Oratoria Publica, & non dixi, *conditiones requisitas* ad hoc, vt *licitè* ea fieri possint ab Episcopo Oratoria Publica, quia fortasse non omnes prædictæ conditiones, quas *num. 3.* recensuimus, & à S. Congregat. præscriptas esse vidimus, necessariæ sunt ad hoc, vt Episcopus valide talia loca erigat in Oratoria Publica; sed tantum sunt requisitæ ad hoc, vt Episcopus licitè id faciat, & sic prædicti Auctores, qui sibi inuicem contrarij videntur, conciliari fortè possent, ita vt Episcopus verè validè erigere possit in Oratorium Publicum quemcumque Locum Diuino cultui permanenter dicatum; dummodo saltem habeat ingressum ità expositum, vt quilibet ingredi possit; alioquin, hac conditione sola deficiente, inualidè omnino, & irritè id faceret, & nullius esset valoris Episcopi licentia ibidem celebrandi: *Tridentinũ* enim *Concilium l. c. & Decretum S. Congregat. iussu Pauli V. anno 1615. editum*, dum prohibent, & inualidas, irritas, ac nullas volunt esse licentias Episcoporum contra illorum tenorem datas, loquuntur tantum de licentijs datis, vel dandis celebrandi in Oratorijs Priuatis, qualia sunt, quæ in Priuatis domitis vere inseruiunt tantum vsui Priuato, & qualia non sunt ea, quæ habent ingressum, vt dictum est, omnibus patentem, & expositum. Decreta autem Sacræ Congregat. requirentia prædictas conditiones alias præter ingressum omnibus expositum videntur tantum præscribere ea, quæ seruare debeant Episcopi ad licitè concedendam licentiam celebrandi in Oratorijs Publicis; non autem ad validè eam dandam; nam eam, si aliter daretur, nondum inualidam decreuerunt, quod sciam, pro vt Decretũ illud *anno 1615.* iussu Paul. V. emanatum, de quo supra, expresse decreuit; immo Oratorium ex eo solum, quod habeat ingressum publicum, seu omnibus patentem, ab Episcopo approbari posse, & erigi in Oratorium Publicum, ità vt Missa ibi celebrari possit, ac subinde post prædictam

prædictam Episcopi Approbationem, & Benedictionem sit verè, & actu Oratorium Publicum, auctoritate Episcopi erectum, eiusdem visitationi subiacens, & consequenter Pollutionis Ecclesiasticæ capax, tradiderunt apertissimè *Pasqualigus, Quintanaduenas*, & alij præallegati *ll. cc.*

6 Colligo cum eodem *Pasqualigo decis.* 173. *& Diana p.* 9. *tr.* 1. *resol.* 21. etiamsi in Oratorio sic ab Episcopo approbato, ac proinde, vt iam dictum à nobis est, Publico celebraretur ianuis clausis, & ijs tantum admissis, quos Domini voluerint, adhuc illud esse Publicum, licet non celebraretur publicè, & sicuti adhuc ibi audiendo Missam satisfieret Præcepto eam audiendi diebus Festis, ita adhuc talis Locus esset Pollutionis Ecclesiasticæ capax, & verè Ecclesia; immo, quamuis ex intentione priuatæ commoditatis, seu ad commoditatem certæ familiæ, talis Locus ab Episcopo in Oratorium Publicum erectus fuerit, adhuc de se, donec auctoritate publica profanetur, semper Oratorium Publicum erit. ità *Pasqualig. Iordan. & Gauant. ll. cc.*

CAPVT VII.

Ex quibusnam indicijs alijs Oratoria in dubio præsumantur Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, vel incapacia.

SVMMARIVM.

In quo differat hoc dubium ab eo, quod in superiori capite explicatum est, num. 1.

Indicia Oratorij Publici quomodo distinguantur à conditionibus necessarijs illius. ibid.

Dubium de Pollutionis capacitate in Oratorio pendet ab illo, num sit Episcopi auctoritate erectum, num. 2.

Quænam sint Oratorij Publici, seu Ecclesiæ ab Auctoribus allata, & potissima indicia, num. 3.

Quando conditiones necessariæ ad Oratorium Publicum sunt dubiæ, tale Oratorium ex probabilibus alijs Oratorij Publici, vel Ecclesiæ indicijs præsumendum erit Pollutionis huius capax, si ista adsint, num. 4.

Indicia Oratorij Publici, seu Ecclesiæ num. 3. *enumerata probabilia censentur ad Oratorij Publicitatem, & Pollutionis capacitatem præsumendam. ibid.*

Prædicta indicia communiter non adsunt, nisi in Ecclesijs, vel Oratorijs Publicis, ideoq. iuris præsumptio stat pro illis. ibid.

Si Indicia prædicta etiam ipsa sint dubia, vel pro vtraque parte paria, vel improbabilia, secus erit, num. 5.

1 ADuerto 1. tametsi Oratoria in dubio satis ex conditionibus ijs, quas Cap. præcedenti ad Oratorium actu, & reipsa Publicũ constituendum necessario requiri diximus, præsumi possint, & debeant Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, vel incapacia, si prædictę conditiones requisitæ certę sint; nihilominus non solum quia aliquando eæ conditiones esse possunt incertæ, ac dubiæ, cum nonnunquam in aliquo casu dubitari queat, an v. g. Oratorij ianua exeat in viam certo, vel dubie tantum publicam; an in eo certo, vel dubie solum omnibus indifferenter admissis celebretur, & sic de similibus; sed etiam quia præter conditiones prædictas non desunt aliquoties alia indicia, quæ licet non requirantur necessario, vt conditiones prædictæ, ad Oratorium Publicum, & Pollutionis huius capax efficiendum; tamen, si in eo adsint, vel euidenter, vel probabiliter significant tale Oratorium esse Publicum, & inde Ecclesiasticæ Pollutionis capax præsumendum, idcirco hic de prædictis etiam indicijs agendum esse; vt huiusce rei veritas vndecumque patere possit.

2 Aduerto 2. Indicia illa, quæ, vt varie à varijs, sic à pluribus plura, & ab aliquibus pauca tantum recenseri solent, dum agunt de indicijs, ex quibus Ecclesia, vel Oratorium, vel Capella, vel Hospitale, vel quid simile præsumi debeat publica Episcopi auctoritate erectum, ad hanc rem nostram hic aliquomodo facere, cum difficultas, ac dubium hoc, num Oratorium sit capax Pollutionis prædictæ, nec ne, potissimum pendeat à difficultate, & dubio illo, num Episcopi auctoritate illud erectum sit, ac proinde sit Publicũ, nec ne, vt ex supradictis consideranti facile patere potest.

3 Aduerto 3. ex indicijs, quæ ab auctoribus afferri solent, hæc potissima videri. Si Oratorium habeat Cãpanam Publicam, i. supra tectum, vel in loco eminenti positam, vt populus (& non incolæ tantum domus, qui etiã ad Oratorium priuatum per campanulam priuatam euocari possunt) ad Diuina per eam ibi conuocetur, quod colligitur ex *Cap. Patentibus, de Priuilegijs*. Si habeat Altare lapideum, stabile, & non portatile: Si habeat Cœmeterium, vel Sepulturam: Si recipiat decimas, vel sit immune à solutione collectarum:

rum: Si in eo administretur solemniter Baptismus, vel similibus Ecclesiæ fauoribus gaudeat, vt videre est apud *Abbatem, & Felin. in d. Cap. Parentibus, de priuil. Mascard. de Probat. concl. 869. nu. 3. & 4. Decian. tract. crim. l. 6. c. 25. num. 19. Farinac. de carcer. qu. 28. num. 71. & in Append. de Immunit. c. 18. nu. 267. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 39. Bonac. de alienat. Bonor. Eccl. q. vnic. pun. 2. n. 11. Barbos. de Iure Eccl. p. 2. l. 2. c. 8. n. 10.* & alios.

4 Dico, si conditiones absolute necessariæ ad Oratorij Publici erectionem, de quibus Cap. superiori actum est, dubiæ, & ambiguæ sint, tunc Oratoria præsumenda esse Publica, & Ecclesiasticæ Pollutionis capacia ex indicijs, si quæ sunt, Ecclesiarum proprijs, quæ saltem probabiliter, iudicis arbitrio, Oratorij Publicitatem, ac proinde Pollutionis huius capacitatem demonstrent, qualia superius enumerata videri possunt. Ratio autem est, quia, cum in dubijs standum sit pro parte ante dubium possidente, vt sæpius superius asseruimus, cumque conditiones ad Oratorium Publicum necessario requisitæ dubiæ sint, vt supponimus, recurrendum est ad partem ante hoc dubium possidentem; pars autem ante dubium prædictum possidens, si adsint indicia prædicta, ea est, quæ habet pro se prædicta indicia; quamuis enim facta non præsumantur, ac proinde in dubio prædicto, si non adessent prædicta indicia, standum esset contra Oratorij Publicitatem, ac Pollutionis capacitatem, vt superius dicebamus de Ecclesiæ Consecratione; tamen ea, quæ communiter fieri solent, facta præsumuntur; communiter autem non adsunt prædicta, & si quæ sunt similia, Ecclesiarum indicia, nisi in Ecclesijs ipsis: ergo bene possessio præsumitur stare pro talium indiciorum indicatione, ac veraci significatione, vt bene dixit *Pax Iordan. var. Elucub. tom. 1. l. 5. tit. 8. nu. 43. cum Archidiac. in Cap. Nemo, de Consecr. dist. 1. Rom. sing. 320. Seln. de Benef. p. 1. q. 6. nu. 16. Azor. p. 2. l. 9. c. 3. q. 9.* & consequenter ob talia indicia iure Oratoria in prędicto dubio pręsumenda erunt Pollutionis huius capacia, quia pręsumi debebunt Ecclesię, seu Oratoria Publica, quę omnia, ex dictis, Pollui possunt, ita *Th. del bene de Immunit. Eccles. p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 7. d num. 38. Fr. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. num. 106. in fin. Iordan. l. c. tit. 11. num. 28.* qui expresse loquuntur de prę sumenda Episcopi auctoritate in Oratorij cō stitutione ad hunc ipsum Pollutionis Ecclesiasticę effectum, de quo hic loquimur.

5 Colligo, si non solum requisitę conditiones ad Oratorium Publicum; sed etiam iudicia ipsa, de quibus hic sermo est, in incerto, ac in ambiguo essent, vel pro vtraque parte par esse ratio, & ad probabilitatis fundamentum non sufficere videretur, tunc standum esse contra Oratorij Publicitatem, & præsumendum esse Pollutionis huius incapax, quia loca ex se non præsumuntur sacra.

CAPVT VIII.

An Oratoria, seu Capellæ in Palatijs Principum, seu Magistratuum, vel Communitatum Pollutionis huius capacia sint, nec ne.

SVMMARIVM.

Cur de Oratorijs aliquibus singillatim, & seorsim deinceps agendum sit, num. 1.

Palatia Principum, Magistratuum, & Communitatum non videntur venire nomine domuum priuatarum, num. 2.

Concilium Tridentinum, & Decretum Paull V. super Oratorijs videntur tantum loqui de domibus priuatis. ibid.

Non solum Palatia Vrbana, sed domus quæcumque habitationis eorundem, etiam extra Ciuitatem, cur videantur esse domus Publicæ, & non priuatæ, num. 3.

Sacella, seu Capellæ in quorumcunque Principū, Magistratuum, vel Communitatum domibus, vel Palatijs posita non sunt verè Oratoria Publica, nec Pollutionis capacia, num. 4.

Palatia prædicta quo ad hoc censentur priuatæ domus. ibid.

Oratoria nō præsumuntur Publica, si non habeant conditiones ad id necessarias, etiamsi in ijs ex immemorabili consuetudine celebretur, nu. 6.

Neque etiamsi ea ab Episcopo, vel ante dictum Concilium valide, vel post illud inualide concessa fuissent. ibidem.

Concilium abstulit quo ad Oratoria Priuata licentiam Episcoporum, & Consuetudinem etiam immemorabilem. ibid.

Idipsum dicendum de Oratorijs, seu Sacellis intra Publica Prætoria, num. 7.

Dux, Proconsules, Rectores, arcium Præfecti, & similes in Dominio Venetorum dicuntur habere Priuilegium faciendi celebrare in Publicis Prætorijs, si ibi ij degant. ibid.

1 ADuerto 1. quamuis ex superius dictis in communi de Oratoriorum Publicorū, ac proinde Pollutionis Ecclesiasticæ capaciū conditionibus, & indicijs satis erui posse videatur, quid in his, & similibus dubijs respon-

dendum sit, tamen, quia quædam Oratoria, seu Capellæ singulares, & proprias habent dubitandi rationes, ac difficultates, ideo, singillatim de ijs inferius agemus, vt, quam maximè fieri possit, nodi omnes omnino enodentur.

2 Aduerto 2. dubium hoc de Oratorijs, seu Capellis intra Principū, Magistratuū, seu Cōmunitatū Palatia positis duplici ex fonte natū videri, Primo, quia Tridentinū Cōciliū *cit. sess. 22. in decret. de obseruan. & vitan. in celebrat. Miss.* nec non Sacra Congregatio in decreto suo *anno 1615. iussu Paul. V. edito*, de quibus supra actum est, videntur loqui solum de priuatis domibus, vt obseruauit *Lezan. p. 1. c. 21. num. 15. Portel in Resp. Regul. tom. 1. p. 3. cas. 20. num. 4. Marchin. de Sacram. Ordin. tr. 3. par. 3. c. 9. num. 11. Beia p. 4. cas. 33. & alij apud Dian. p. 9. tr. 1. resol. 35.* Palatia autem Principum, vel Communitatum ipsarum non videtur domus priuatæ, cum Palatia Publica nuncupentur, & verè sint Domus publicæ Communitatum, vt dixit *Iordan. variar. Elucubr. tom. 1. l. 4. tit. 1. num. 157. & Diana l. cit.* secundo, quia finis Concilij Tridentini, & Pauli V. in decretis suis prædictis, vt ex eorū verbis patet, & animaduertere *Pasqualigus decis. 171. num. 3. Cespedes de exempt. Regul. c. 5. dub. 91. num. 9.* & alij, fuit tollere abusus; sed in prædictis Palatijs non facile ij euenire solent, cum in ijs celebretur cum magna pompa, ornatu, ac decentia, ergo inde Oratoria in prædictis Palatijs videri possunt in ijs Decretis non contenta, ac subinde non Priuata; sed Publica Oratoria, per Episcopi auctoritatem constructa, atque adeo etiam Pollutionis Ecclesiasticæ capacia.

3 Aduerto 3. quod dictum est de Principum, vel Communitatum Palatijs, dicendum quoque videri de quacumque Domo habitationis eorundem, etiam extra Ciuitatem: cum enim talia loca dicantur, & sint Publica ratione, seu respectu, ac intuitu personarum prædictarum ibi habitantium, qui personas sequitur, vbicumque eæ habitent, idcirco idipsum eadem ratione hic affirmandum videtur, quod de Priuilegijs, seu concessionibus personalibus communiter asseritur.

4 Dico Capellas, seu Oratoria in Palatijs, seu Domibus quorumcumque Principum, Magistratuū, Cōmunitatum non esse Publica, nec proinde Pollutionis Ecclesiasticæ capacia. Ratio est, quia prædicta Palatia, seu Domus, quo ad hoc, censentur priuatæ domus, vt expresè docuit *Iordan. l. c. num. 157.* vnde nec Oratoria in illis esse poterunt publica, & consequenter cōprehenduntur sub prohibitione prædicta Concilij Trid. & Pauli V. super Oratorijs priuatis, pro vt sub ea comprehēdi his rescripsit Sacra Congregatio apud *Io. Valer. de differentijs vtriusque fori, verb. Missa, differ. 2. vers. Secundo*, & nouissimè etiam ad Archiepiscop. Calaritan. die 14. Nouembr. 1648. qui hoc idem petierat ab illa quo ad Capellam existentem in Aula Publica Palatij Ciuitatis, apud *Diana p. 9. tr. 1. resol. 35.* ex quibus patet, quid ad rationes dubitandi superius dictas respondendum sit.

5 Dices in aliquibus Oratorijs Palatiorum, prædictorum ex consuetudine immemorabili celebratur, atque etiam ante Concilium ipsum Tridentinum, ergo saltem talia Oratoria præsumenda erunt Publica, & proinde Pollutionis huius capacia.

6 Respondeo negando cōsequentiam, quia, etiamsi constaret talia Oratoria ante Concilium Tridentinum ab Episcopis concessa fuisse; nihilominus illa non essent præsumenda Oratoria Publica, sed priuata, nisi haberent conditiones ad Oratorium Publicum necessarias. Quare nec ex eo, quod essent tunc per Episcoporum auctoritatem erecta, & quod in eis diu celebratum fuisset, præsumi deberent Publica, nam ante Concilium Tridentinum, vt diximus, etiam Episcopi Oratoria Priuata concedere poterant, in quibus absque alia licentia celebraretur, vnde, nisi aliunde satis constaret ea esse Publica, satis ex his allatis rationibus ea argui, vel præsumi non possent Publica, ac per consequens neq; Pollutionis Ecclesiasticæ capacia. Immo, etiamsi Oratoria in prædictis locis posita olim crederentur ob prædictam celebrandi consuetudinem, vel Episcopi auctoritatem Publica; tamen, cū Concilium & Episcoporū licentiam, & omnem cōsuetudinem abstulerit, quod bene menti tenendū dixit *Valer. & Diana ll. cc.* iam nonnisi Priuata esse possunt.

7 Colligo de Sacellis, seu Oratorijs, quę publicis in Prætorijs alicubi haberi solent, cum nō sine Pontificis priuilegio iam in ijs celebrari possit (quale sane in toto Venetorum Dominio, non solum supremus Princeps in suo Ducali Palatio; sed Proconsules Prouinciarum, Rectores Ciuitatum, & Terrarum, Arcium Præfecti, & similes, qui sunt de corpore Nobilium, habere dicuntur, vt possint facere in publicis Prætorijs celebrari, si in ijs, ij degant, vt refert *Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 4. tit. 1. num. 158.*) hoc idem dicendum esse, videlicet ea non esse Oratoria Publica, sed priuata, & Pollutionis huius subinde incapacia; an vero idipsum dicendum sit de Sacello Carcerum Publicorum, mox patebit.

CAPVT

CAPVT IX.

An Oratoria, ſeu Sacella Carcerum Publicorum Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia ſint, nec ne.

SVMMARIVM.

Capella, ſeu Sacellum Carcerum Publicorum non comprehenditur ſub nomine Oratorij Priuati à Pontifice concedendi, num. 1.

Capella Carcerum Publicorum cur nec etiam videantur eſſe Oratoria publica, num. 2.

In ijs celebratur, prout etiam aliquando alibi, ex conceſſione, ſeu diſpenſatione Epiſcopi ob neceſſitatem, ſeu rationabilem cauſam, licet ea verè ſint loca profana, num. 3.

Vnde cauſa prædicta iudicanda ſit iuſta, & ſufficiens. ibidem.

Donec cauſa prædicta durat, durare etiam poteſt prædicta celebrandi permiſſio. ibid.

Exempla prædictæ rationabilis cauſæ indicantur. ibid.

Ob rationabilem cauſam poteſt etiam indulgere Epiſcopus, vt ante lucem, vel poſt meridiem celebretur. ibid.

Sacella, ſeu Capella Carcerum Publicorum non ſunt Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia, nu. 4.

Non ſolum extra loca perpetuo ad Diuinum cultum deputata; ſed etiam in ipſiſmet Oratorijs priuatis, & priuatis domibus celebrari poteſt per Epiſcopi facultatem, ſeu diſpenſationem, ſtantibus prædictis cauſis, num. 5.

1 ADuerto 1. peculiarem hanc dubitationem de prædictis Sacellis, ſeu Capellis Publicorum Carcerum hic examinatione dignam videri ob ea, quæ à *Diana* de ijs *p. 9. tr. 1. reſol. 35.* dicuntur: refert enim, cum Archiepiſcopus Calaritanus à S. Congregatione Concilij petijſſet, An ſub prohibitione Decreti Pauli V. ſuper Oratorijs priuatis cõprehendatur Capella Carcerum publicorum, & impetranda ſit à Sancta Sede Apoſtolica licentia ibidem celebrandi, vel ſufficiat licentia Ordinarij, ſi huiuſmodi Capella ſit in loco decenti, ornata, & c. Sacram Congregationẽ prædictam *die 14. Nouembris 1648.* reſpondiſſe: *Non comprehendi Capellam Carcerum publicorum.* vnde fortaſſe ab aliquibus inferri poſſe videtur, quod prædicta Capella Carcerum publicorum non ſit Oratorium Priuatũ, ſed potius Publicum, ac proinde Pollutionis huius capax.

2 Aduerto 2. Si hæc res bene perſpiciatur, ex deciſione prædicta Sacræ Congregationis verè non colligi, quod Capellæ Carcerum Publicorum ſint re ipſa Oratoria Publica: aliud enim eſt, poſſe ibi celebrari ex ſola Epiſcopi facultate, quod prædictum Sacræ Cõgregationis Decretum ſtatuit; aliud verò ea loca eſſe Oratoria publica, quod prædicta Sacrę Cõgregationis Deciſio nõ dixit. immo tales Capellas non eſſe Oratoria Publica ſatis conſtare videtur ex eo, quod nõ habeant, vt ſuppono, conditiones ad ea ex prædictis neceſſarias: ſunt enim prædictæ Capellæ, vt plurimũ, intra Palatia Principũ, Magiſtratuũ, vel Cõmunitatũ, (quę priuata quo ad hoc cẽſeri iã ſuperius vidimus) nõ habent ingreſsũ omnibus expoſitum, nec perpetuo ad Diuinum cultum deputatæ ſunt; ſed ad tempus tantum, i. donec ijs ad publicorum Carcerum, ſeu verius ad Carceratorum ipſorum piam opem opus fuerit, vt per ſe patere puto.

3 Aduerto 3. cum prædictæ Capellæ ex iam adnotatis non videantur Oratoria publica; ſed loca Profana, nec etiam ſint Oratoria Priuata ſub decreto Pauli V. comprehenſa, vt conſtat ex prædicto Sacrę Congregarionis Decreto; ac proinde cum poſſit Epiſcopus ibidem celebrandi facultatem concedere, neceſſario recurrendum eſſe ad aliam rationem, propter quã id facere Epiſcopus queat. eandem autem in hoc caſu adeſſe rationem puto, quam communiter DD. afferunt in alijs ſimilibus, videlicet neceſſitaten, ſeu iuſtam cauſam, quæ mature penſatis locorum, perſonarum, & ſimilium circunſtantiarum qualitatibus id expoſcere videatur ad ipſius Epiſcopi arbitrium, prout ſuperius innuimus *c. 1. num. 8.* & clarius *c. 6. num. 3.* his enim concurrentibus adhuc Epiſcopus poteſt huiuſmodi facultatem, ſeu diſpenſationem dare, & talis facultatis, ſeu diſpenſationis durationem permittere, donec permiſſionis ipſius cauſa durauerit, cuius neceſſitatis, ſeu rationabilis cauſæ exempla vide apud *Paſqualig. Iordan. & Dianam ll. citandis*; Sicuti iiſdem cauſis concurrentibus poteſt etiã indulgere, vt ante lucem, vel poſt meridiem celebretur, ex *Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 80. ſect. 4. Regin. l. 29. nu. 174. Chamerot. de Sacrif. Miſſæ dub. 13. ad fin. Bonac. de Euchar. diſp. 5. qu. vlt. punct. 9. num. 6. in fin. Polac. Aphoriſ. 1. num. 12. Iordan. Elucubrat. variar. tom. 1. l. 4. tit. 1. num. 105. & 119.* immo diſpenſare quoque in multis alijs caſibus ſibi alias prohibitis à iure, quod multo magis concedendum eſt in terminis noſtris, in quibus Epiſcopi habent aſſiſtentiam iuris antiqui, vnde ab Epiſcopis

posse in aliquo casu necessitatis, seu iustæ causæ concedi licentiam celebrandi (iuxtà tamen talis concessionis, seu dispensationis conditiones in similibus apponendas, quas videre potes apud *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 23. num. 8. & Iordan. l. c. eod. num. 119.*) in priuatis ipsis domibus, aut in alio loco non deputato in perpetuū cultui Diuino docent præter relatos supra *ll. cc. Nauar. in Manual. c. 25. num. 82. Soto in 4. dist. 13. qu. 2. artic. 3. verf. Colligit ergo. Duran. de ritib. Eccles. l. 2. c. 6. nu. 8. Sylu. vrrb. Missa 1. num. 5. Chamerota de Sacrif. Missa dub. 11. Graff. decis. p. 3. l. 2. cap. 32. Castropalaus tom. 4. tr. 22. disput. vnic. punct. 8. num. 6. Hurtad. disput. 4. de Sacrif. Miss. diffic. 6. Filiuc. tr. 5. c. 4. num. 115. Persic. de offic. Sacerd. l. 1. c. 6. dub. 3. nu. 26. Cenedo quæst. 44. Canonic. Guttier. l. 1. quæst. Canon. c. 30. num. 26. Lopez p. 2. Instructor. tit. de Euchar. c. 79. vers. Infert deinde. Rodriquez, Arragon, Ledesma, Villalob.* & alij cum *Pasqualig. decis. 166. nu. 2. Barbos. de Potest. & Offic. Episcop. alleg. 23. num. 8. & 9. Iordano l. c. num. 121. & Dian. p. 9. resolut. 43.* immo ità decisum fuisse refert *Armend. in Addit. ad recopil. leg. Nau. l. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis num. 72.* apud *Barbos. l. c.* sicque à S. Congregat. Concil. declaratum testantur *Declarationes eiusdem ad prædictum Decret. sess. 22. c. 9. versic. Literis Archiepiscopi, & versic. Infans nobilissima, correcta per Petrum de Marzylla, & Obseruationes doctrinæ ex Biblioth. Card. Bellarmini ad d. Decret. lit. 1.*

4 Dico Sacella, seu Capellas Carcerum publicorum non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, licet enim ibi per licentiam rationabili de causa, immo etiam ex necessitate quadam morali (absoluta enim necessitas celebrandi extra loca in perpetuum Diuino cultui deputata nunquam interuenire potest, vt bene probat *Pasqualig. decis. 167. num. 1.*) ab Episcopo datam celebretur, non idcircò tamen talis locus factus est Ecclesia, nec Oratorium publicum, vt ex dictis constat, vnde nec Pollutionis huius capax enasit.

5 Colligo non placere mihi distinctionem illam, quæ placuisse videtur *Bonacina l. c. nu. 10. & Iordano l. c. num. 122.* quod scilicet Episcopus concedere non possit prædictam facultatem celebrandi in priuatis domibus, & Oratorijs, sed tantum extra Ecclesiam, concurrente iusta causa, vel necessitate. Quasi verò, quando extra Ecclesiam, & Oratoria Publica celebrandum est, aptior ex se, & cæteris paribus, non sit locus ad id factus, & concinnatus, qualia esse solent Oratoria priuata, quam alia loca extra Oratoria ipsa priuata.

CAPVT X.

An Oratoria, seu Capellæ Hospitalium, Seminariorum, & similium Piorum Locorum Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Hospitalia, Domus Clericorum in communi viuentium, Puellarum, Orphanorum, & similium, si Episcopi auctoritate erecta sint, Immunitate Ecclesiastica gaudent, num. 1.

Oratoria, seu Sacella in prædictis locis eadem Immunitate gaudent, num. 2.

Non autem Sacella, seu Capella Carcerum publicorum. ibid.

Sacella Hospitalium, & c. alia etiam de causa propius accedere videntur ad Oratoria Publica, quam Sacella Carcerum publicorum, num. 3.

Oratoria, seu Sacella Hospitalium, Seminarij, Orphanorum, & similium Piorum Locorum non sunt Pollutionis huius capacia, num. 4.

Fornicatio in Oratorijs prædictis priuatis commissa non est sacrilega, nec proinde est circunstantia in confessione necessario aperienda. ibidem.

In prædictis Oratorijs celebrandi licentiam dare potest Episcopus ex duplici capite, num. 5.

Sacella prædicta Hospitalium, & c. non sunt Oratoria publica; sed neque sunt in Domibus priuatis, & quomodo vtramque verum sit. ibidem.

1 Aduerto 1. sermonem hic esse de Hospitalibus, alijsuè Pijs Locis publica Episcopi auctoritate erectis, quales suppono esse Domus Clericorum in communi viuentium, v. g. Patrum Oratorij S. Philippi Nerij, Patrū Doctrinæ Christianæ, & c. nec non Domus Seminarij Clericorum, Puellarum, vel Orphanorum, & similium, quæ tunc censentur Loca Sacta, pia, seu religiosa, & Immunitate Ecclesiastica gaudent, vt dixi c. 2. num. 5. & 6. & dicunt communiter DD. apud *Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. p. 2. c. 16. dub. 9. sect. 10. & 13. Farinac. q. 28. nu. 36. & 37. & in Append. de Immunit. num. 265. & 266. Mar. Ital. l. 1. c. 4. §. 8. Genuens. in Praxi c. 17. num. 10. Dian. p. 6. tr. 1. resolut. 1. Peregr. de Immunit. c. 4. nu. 67. Sanch. in Opusc. tom. 2. l. 6. c. 1. dub. 7. num. 2. Barbos. de Iure Eccles. l. 2. c. 3. nu. 68.*

num.68.Lezan.verb.Immunitas nu.4.Trulleneh in Decal.tom.1.l.1.c.11.num.9. quorum aliqui tradunt sic etiam declaratum fuisse *à S. Congregat. Episcop. & Regular.die 17. Iunij 1617.*

2 Aduerto 2. licet idipsum hic dicendum videatur, quod de Sacellis, seu Capellis Carcerum publicorum diximus *Capit. praeceden.* tamen dubitari adhuc hic posse ex eo, quod illa loca nullis Ecclesiarum fauoribus; ista verò multis gaudent; immo omnia priuilegia, quæ conceduntur Ecclesijs, conceduntur etiã huiusmodi Hospitalibus *ex L. omnia, Cod. de Sacrosan. Eccles.* vt ex communi DD. sententia docet *Innocent. & Abb. in Cap. penult. de Immunit. Eccles.* nec non fusè *Sperell. decis. 55.num.19.Ciarlinus discept. forens. cap. 116.num.7.& Persic. de Offic. Sacerd. l.1.c.9. dub.11.num.97.*

3 Aduerto 3. Sacella, seu Capellas, de quibus in hoc Capite agitur, differre etiam à prędictis capite superiori quo ad hoc, quod in ijs dispensat Episcopus, vt celebretur tantum ob necessitatem, vel rationabilem causam, vt ibi diximus; in aliquibus verò ex illis concedere videtur, vt celebretur etiam ob meram commoditatem ibi degentium: ex quo fit, vt ab aliquibus non immerito de illis Oratorijs, cum propius accedant ad Publicorum Oratoriorum qualitates, fortius dubitetur, num Pollutionis etiam Ecclesiasticæ capacia sint.

4 Dico Oratoria, seu Sacella, Xenodochiorum, Nosocomiorum, & quorumuis Sacrorum Hospitalium, nec non Piarum Domuum Seminarij, Puellarum, vel Orphanorum, & similium Religiosorum Locorum (nisi sint verè, & propriè Oratoria publica, de quibus supra egimus) non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, quia talia in odiosa hac materia non veniunt nomine Ecclesiarum, vel Cœmeteriorum Pollutionis huius capacium; licet Ecclesiasticæ Immunitatis fauore gaudeant, si sint intra prædictas Hospitalium, vel Piorum Locorum præfatorum Domos, vt suppono, & supra innuimus *c.2.nu.5.& 6.* & clarius *cap. 5. num. 3.* idque colligitur ex *Bordon. in consil. Regular. tom. 2. resol. 90. nu. 7. Pelizzar in Manual regul. tom. 2. tr.5. c. 3. sect.1.num.44.Leandr. de Sacram.tom. 1.tr.5. disp.8.§.4.q.25.Barbos. de Iure Eccles. l.2. c.8. num.16.Dian.p.9.tr.1. resolut.20.& 34. in fin.* nam eo ipso, quod docent fornicationem in Oratorio priuato commissam non esse sacrilegam, nec habere circumstantiam necessario in confessione aperiendam (quod verissimum est) signum est ab ijs talem locum non reputari propriè Ecclesiam, vt supra docuimus.

5 Colligo ad illud, quod *num.3.* dictum est, dupliciter responderi posse. Primo negando non adesse moralem semper necessitatem, & rationabilem causam concedendi celebrationem Missæ in istis Oratorijs, seu Sacellis Hospitalium, cæterorumque prædictorum Piorum Locorum, vt talis necessitatis, & iustę causæ exempla ab auctoribus ll. cc. allata consideranti patere potest. Secundo assignando disparitatem, quod Capellæ Carcerum, de quibus *cap. præced.* agebamus, sunt in domibus priuatis (talia enim reputantur quo ad hoc etiam publica ipsa Principum, & Communitatum Palatia, vt cõstat ex *Cap.8.*) in quibus proinde extra casum necessitatis, vel rationabilis, & iustæ causæ dispensare nequeunt Episcopi, vt celebretur iuxtà superius dicta; Sacella verò, seu Capellæ Hospitalium, & prædictorum, ac similium Piorũ, & Sacrorum Locorum; licet vere sint priuata; non sunt in domibus priuatis; sed publicis, qualia reputantur, quo ad hoc, prædicta, & alia huiusmodi loca Immunitatis Ecclesiasticæ fauore gaudentia, vt melius etiam constabit ex *Cap. 12.*

CAPVT XI.

An Oratoria, seu Capellæ in Domibus Regularium Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint, nec ne.

SVMMARIVM.

Antiqua Regularium Priuilegia celebrandi cum Altari viatico in quocunque loco à Concilio Tridentino reuocata fuisse probabilius est, num. 1.

Oratoria, seu Capellæ in Domibus, Collegijs, & alijs locis Societatis Iesu à Prouincialibus approbari, & deputari possunt absque Ordinariorum licentia. ibid.

Eodem Priuilegio gaudent Religiones, quæ post Concilium Tridentinum communicant cum Societate Iesu in Priuilegijs. ibid.

Simile etiam Priuilegium plurimis alijs concessũ fuisse afferunt multi. ibid.

Oratoria huiusmodi constitui possunt etiam in Grangijs, Prædijs, Villis, &c. vbi vtilitatis, vel recreationis causa prædicti Regulares degunt, num. 2.

Immo etiam in Hospitijs, vel Infirmitorijs eorundem, num.3.

Prædictum Priuilegium est Personale, & Locale. ibid.

In

In quocumque huiusmodi Oratorio dici possunt quotidie plures Missæ. ibid.

Seculares etiam Sacerdotes ibi celebrare possunt. ibidem.

Omnes interessentes prædictis Missis satisfaciunt præcepto Ecclesiastico Missam audiendi. ibid.

Oratoria, seu Capella huiusmodi non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.

Cur talia Oratoria non præsumantur esse Benedicta. ibid.

Prædicta Oratoria sunt omnino Priuata, etiamsi habeant campanam e turri pendentem, num. 5.

Nec subsunt Episcoporum visitationi, etiamsi sint ruri constructa, quia adhuc sunt Oratoria Regularium. ibidem.

1 ADuerto 1. licet probabilius sit, quod antiqua Priuilegia Regularium quo ad facultatem erigendi altaria, & celebrandi in quocumque loco honesto cum ara consecrata, seu altari portatili, antiquata iam sint, & expressè reuocata per Concilium Tridentinũ *sess. 22. in decret. de obseru. et vitand. in celebrat. Miss.* pro vt censuere *Nauar. cap. 25. num. 82. Durand. l. 2. de Ritib. c. 6. num. 8. Azor tom. 1. l. 10. c. 26. q. 7. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 3. Coninch. de Sacram. qu. 83. num. 226. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 5. Fagund. Præcept. l. 3. c. 13. n. 16. Reginald. l. 29. nu. 178. Mirand. in Manual. tom. 1. q. 40. art. 9. Lezan. tom. 1. c. 21. num. 14.* & alij permulti; tamen etiam post Tridentinum Concilium, vt nouissimè videre est apud *Cardin. de Lugo Respons. Moral. l. 1. dub. 16. & 17.* concessam fuisse à Gregor. XIII. & alijs Pontificibus Societati Iesu in Bulla, *Decet Romanorum Pontificem* anno 1575. aliam facultatem, per quam *in Oratorijs, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in Domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis resedebunt, approbauerint, & ad Diuinum duntaxat cultum deputauerint, Missæ, & alia Diuina Officia, alterius licentia desuper minimè requisita, celebrari possint*, quod etiam commune est alijs Religionibus, quæ post Concil. Trident. communicant in Priuilegijs cum Societate: immo multi cum *Coninch. l. c.* notant post prædictum Concilium per Pontifices eiusmodi Priuilegia plurimis concessa fuisse.

2 Aduerto 2. nomine Oratorij, vel Capellæ in Domibus Regularium intelligi etiam Oratorium, vel Capellam in Grangijs, Prædijs, Villis, & similibus locis, ad quæ vel vtilitatis, vel recreationis causa Regulares proficiscuntur; nam in his etiam locis fieri possunt Oratoria prædicta ex prædictis priuilegijs, pro vt consuetudo ipsa declarauit, & clare docent *Peyrin. tom. 1. Priuileg. Minim. in Constitut. Pyrrhi num. 31. Rodriquez tom. 2. quæst. Regular. q. 75. art. 1. & 2. Lezan. p. 1. quæst. Regular. c. 21. num. 15. & tom. 3. V. Altare, num. 14. Csped. de Exempt. Regul. c. 5. dub. 91. nu. 2. Pasqualig. decis. 175. Io. de la Cruz de statu Relig. l. 2. c. 5. dub. 7. conclus. 2. Alphons. de Leone de Censur. recol. 6. num.* 854. & alij apud ipsos.

3 Aduerto 3. cum ex *Peyrin. l. c.* non solum in Grangijs, quæ sunt in prædijs; sed etiam in ijs, quæ fiunt in Ciuitatibus, & sunt veluti Infirmitoria, seu Hospitia illorum præsertim Monasteriorum, vel Conuentuum, qui valde distant à Ciuitatibus, vel Oppidis, constitui possint à Regularibus Oratoria pro celebratione Missarum, & propterea Clemens VIII. viuæ vocis Oraculo (de quo testatur Cardinalis de Auila apud *Rodriq. in Bullar. in Clem. 8. p. 546.*) concesserit, vt Religiosi infirmi in dictis Infirmitorijs existẽtes frui possint omnibus Indulgentijs, quibus fruerentur, si essent in dictis Conuentibus, dummodo in dictorũ Infirmitoriorum Capellis, seu Oratorijs ea omnia exequantur, quæ pro prædictis Indulgentijs consequendis tenerentur exequi, si in Conuentibus degerent: cumq. prædictum priuilegium Oratoria huiusmodi cõstituendi non solum sit personale, quatenus facultas erigendi Oratoria, seu Capellas in Domibus Regularium concessa est superioribus eorum intuitu Religionis; sed etiam sit locale, quatenus in eo priuilegiatur locus ipse, vt in eo absolute celebrari possit post eiusdem erectionem ex vi concessionis Apostolicæ factã, vt diligenter animaduertit *Fagund. Præcep. 1. l. 3. c. 13. nu. 17. Pasqualig. decis. 180. & Cardin. Brancatius in dissertat. de Priuileg. Capel. Cardinal. apud Diana p. 6. tr. 8. resol. 40. vers. Secundo à simili*, ac proinde talia Oratoria habeant priuilegium hoc commune omnibus accedentibus ad illa, ita vt in prædictis omnibus Religiosorum Oratorijs non modo vna; sed plures Missæ quotidie, nòn modo à Regularibus ipsis; sed à sæcularibus quoq. Sacerdotibus dici possint, & omnes ijs interessentes Ecclesiastico Missæ audiendæ precepto satisfaciant, vt apertè tradunt preter mox citatos auctores *Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 3. in fin. Scortia de Sacrif. Miss. l. 2. c. 13. nu. 3. Gauant. in Thesaur. Sacr. Rit. tit. 20. lit. F. vers. Addam. Pax Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 4. tit. 1. num. 143. Io. Henriq. in quæst. pract. section. 22. q. 26. Quintanad. in Theol. Moral. tom. 1. tr. 7. singul. 34. num. 5. Pellizzar. in Manual. Regul. tom. 2. tr. 8. c. 2. num. 134. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 5. Diana p. 9. tr. 1. resol. 33. & 34. Lezana tom. 4. V. Ora-*

toria,

toria, num. 6. Card. de Lugo de Euchar. disput. 20. num. 5. Bassaeus V. Missa, 4. num. 1. Fausto de Euchar. l. 2. de Sacrif. Miss. q. 171. Cespcd. de Exempt. Regul. c. 5. dub. 91. num. 3. hinc fortasse talia Oratoria aliquibus videri posse non priuata; sed publica, ac propterea Pollutionis Ecclesiasticæ capacia.

4 Dico Oratoria, seu Capellas in Domibus quibuscumque Regularium non esse Pollutionis Ecclesiasticę capacia, Ratio est, quia non sunt Benedicta, nec proinde Oratoria Publica; sed Priuata, & quo ad hoc non sunt dissimilia Oratorijs, quæ in priuatis domibus à Pontifice conceduntur. Quod talia Oratoria Regularium non benedicantur, colligitur, vt alibi etiam innuimus, ex ipso Rituali Pauli V. in quo non est alia Benedictio Oratorij, quam Publici, & id docet expresse *Diana p. 9. tr. 1. resol. 32. vers. Nota hic obiter. & resol. 34. in fin. & Bordon. in consil. Regul. tom. 2. resol. 90.* immo indiuidualiter quod talia Oratoria Regularium non sint Pollutionis huius capacia affirmant præter ipsum *Dianā ll. cc. & Bordon. ibid. Pelizzar. in Man. Reg. tom. 2. tr. 5. c. 3. sect. 1. nu. 44. Leand. de Sacram. tom. 1. tr. 5. disput. 8. §. 4. q. 25. Barbos. de Iure Eccles. lib. 2. cap. 8. num. 16. Henriq. lib. 5. de Pœnit. c. 6. num. 5. in Comment. lit. H. & l. 9. de Missa c. 25. num. 5. Sà V. Ecclesia, §. Polluitur Ecclesia. Megal. Instit. Pereg. p. 1. l. 5. c. 13. nu. 5.* & alij apud *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 39.*

5 Colligo prędicta rustica Regularium Oratoria, etiam si haberent campanam e turri pendentem, non propterea esse vere publica, nec Ordinariorum visitationi subiecta; sed semper esse priuata, & Regularia. ita *Dian. p. 9. tr. 1. res. 33. in fin.*

CAPVT XII.

An Oratoria, seu Capellæ in Palatijs, seu Domibus Cardinalium, & Episcoporum sint Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, nec ne.

SVMMARIVM.

Episcopus potest absque alia licentia Pontificis ex Cap. Quoniam Episcopi, de Priuilegijs *in 6. erigere sibi Priuatum Oratorium, seu Capellam, ibique vel per se, vel per alium celebrare, num. 1.*

Priuilegio prædicti Cap. Quoniam, *non est derogatum per Concilium Tridentinum, aut aliud Decretum hucusq; editum. ibid.*

Episcopus ibi potest celebrare, vel celebrari facere secundum aliquos Auctores solum quando habet impedimentum adeundi Ecclesiam. ibidem.

Verius tamen absolute, & simpliciter pro libito, & commoditate potest ibi vel per se, vel per alium celebrare, etiam ipso Episcopo absente. ibidem.

Plures Episcopi habent de facto in suis Palatijs duas Capellas, vnam pro se solis, alteram pro Capellanis. ibid.

Episcopus erigere sibi potest Altare, vel Oratorium, seu Capellam priuatam non solum in Palatio Vrbano; sed etiam in Domo rurali, & in Villis. ibid.

Immo id potest etiam in aliena Diœcesi, & inconsulto Ordinario, ac Parocho loci. ibid.

Episcopus non potest sine licentia Papæ id facere Romæ, & cur. ibid.

Prædicto Priuilegio d. Cap. Quoniam, *non gaudent alij Prælati Episcopo inferiores, licet habeant quasi Episcopalem iurisdictionem, & Ordinariorum nomine alias veniant, num. 2.*

Eo tamen gaudent Episcopi omnes etiam non consecrati. ibidem.

Episcopi quoque, qui Episcopatui renunciarunt, vel Titulares tantum sunt. ibidem.

Præcipuè verò eo potiuntur Cardinales. ibid.

Oratoria, seu Capellæ in Domibus Cardinalium qua de causa sint tanquam Ecclesiæ Publicæ, num. 3.

Omnes interessentes Sacrificio Missæ in Oratorijs, seu Capellis erectis intra Domos Cardinalium, Episcoporum tàm in Diœcesi, quàm extra, Regularium, vel ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, cur semper satisfaciant Præcepto Ecclesiastico. ibidem.

Prædictæ Capellæ in Palatijs Cardinalium cur sint veluti Ecclesiæ Parochiales. ibid.

Oratoria, seu Capellæ in Palatijs, seu Domibus tàm Cardinalium, quàm Episcoporum non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.

Neque prædicta Oratoria, seu Capellæ sunt ex se loca Sacra; licet sint cum titulo alicuius Sancti, num. 5.

Oratoria, seu Capellæ huiusmodi non erecta fuere per publicam; sed per priuatam Episcopi auctoritatem, nec idcircò sunt Diuino cultui in perpetuum dicata. ibid.

Priuilegium prædictorum Oratoriorum est Personale, & Reale, seu locale. ibid.

Et competit non solum Domino; sed etiam familiaribus illius. ibid.

Priuilegium Oratorij Priuati in domibus Sæcularium est tantum personale, & finitur morte personæ, cui concessum est. ibid.

1 Aduerto

1 ADuerto 1. Episcopum ex antiquo iure *Cap. Quoniam Episcopi, de Priuileg. in 6.* cui nec per Concilium Tridentinum, nec per decreta Pauli V. Vrbani VIII. aut S. Congreg. super Oratorijs Priuatis hucusque edita derogatum fuisse patet nõ solũ ex ipsis rationibus, & auctoritatibus plurimorũ DD. apud *Pasqualig. decis. 55. & Dian. p. 9. tr. 1. resol. 39.* sed ex recepta etiam praxi, & declaratione S. Congreg. non solum quando est in itinere, vel ægrotat, vel aliam habet iustam causam impedientem, ne Ecclesiam adire possit, quo in casu tantum ei hoc Priuilegium concedunt *Riccius p. 4. decis. 78. num. 7. Valer. in Differentijs vtriusque fori, V. Missa, differ. 2. n. 1. Fagundez pracept. 1. l. 3. c. 13. num. 19. & 20.* & nonnulli alij, sed etiam pro libito, & commoditate, absolute, & simpliciter posse, sic vsu dictum Priuilegium interpretante, sine alia Pontificis licentia erigere sibi tàm in proprio Palatio Altare, vel Capellam, seu Oratorium, & fortasse etiam Capellas, seu Oratoria plura eodem tempore, vt de facto ab aliquibus fit, teste *Fran. de Lugo loco infra citando*, ibique vel per se, vel per alium, ipso Episcopo etiam absente, celebrare, prout clare docent *Faustus de Sacram. Euchar. l. 3. q. 171. cum Putean. Laym. Suar. Azor. & alijs* apud ipsum *Garzias in Summ. Theol. Mor. tr. 3. diff. 3. dub. 2. punct. 2. num 19. Pellizzar. in Man. Reg. tom. 2. tr. 7. cap. 2. sect. 2. num. 159. Alph. de Leon. de Censur. recoll. 6. num. 854. Marchin. de Sacram. Ordin. par. 2. cap. 9. num. 11.* & alij cum *Dian. p. 9. tr. 1. resol. 36.* quam in domo rurali, & in Villis, vt expresse docuit *Auers. de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 14. §. 5. Portel. in Resp. Regnl. tom. 1. p. 3. cas. 20. num. 6. Pellizz. in Man. Reg. tom. 2. tr. 8. c. 2. sect. 2. num. 159. Dian. p. 9. tr. 1. resol. 38.* etiam in aliena Diœcesi, & inconsulto Ordinario, ac Parocho loci, vt tradunt *Portel. in Resp. Regnl. p. 5. cas. 20. num. 7. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 15. & par. 9. tr. 1. resol. 39. Pasqualig. decis. 56. nu. 3. Vgolin. de offic. & potest. Episc. l. 1. c. 2. §. 2. num. 4.* qui sic decisum refert *Rodriq. qq. Regul. q. 28. art. 3. Leyua in Exam. Episc. l. 4. c. 17. nu. 14. Mandos. de signat. Grat. tit. de alt. portat. fol. 109. Ganant. in Manual. Episc. V. Episcopus, num. 9. Th. del Bene de Immunit. Eccles. c. 12. dub. 7. sect. 6. per totam*, & alij cum *Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 4. tit. 1. nu. 131.* cui sic responsum fuit ab Illustriss. & Reuerendissimo D. Fran. Paulutio Secretario S. Congreg. Concilij anno 1633. vt ipsemet *Iordan. ibid.* testatur; non tamen Romæ, ibi enim fortasse ob frequentiam Ecclesiarũ, vt ait *Vgolin. l. c.* vel propter Papæ reuerentiam, vt sentit *Iordan. ibid. nu. 137.* vel certe, quia post Concilium Tridentinum Romæ ita vsu, & consuetudine receptum est, vt bene dixit *Beia p. 4. cas. 33.* prope initium, Episcopi non vtuntur hoc priuilegio sine licentia Romani Pontificis, vt bene aduertunt præter mox allegatos *Maurit. de Alzed. in Prax. Episc. p. 2. c. 13. num. 6. Vener. in Exam. Episc. l. 4. c. 17. Nauar. Consil. 1. de Priuileg. & in Sum. cap. 25. num. 81. & seq. Riccius p. 4. decis. 78. Dian. p. 4. tr. 4. res. 15. & p. 9. tr. 1. resol. 39. Gauant. l. c. Fr. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 6. q. 3. nu. 24. Pasqual. decis. 56. num. 2.*

2 Aduerto 2. licet hoc Priuilegio erigendi sibi domesticum Oratorium, seu Capellam, ibique celebrandi modo prædicto, non gaudeant alij Prælati Episcopo inferiores, etiam si alias ij habeant iura Episcopalia, & alias Ordinariorũ, ac Diœcesanorũ Præsulũ nomine veniant, vt bene probat *Dian. p. 9. tr. 1. res. vlt. ex Trullench. in Bull. Cruciata l. 1. §. 3. dub. 3. num. 4. Cened. qq. Canon. q. 44. num. 6. Rodriq. qq. Regul. tom. 1. q. 43. art. 6.* & alijs; tamen eo frui posse Episcopos omnes etiam non consecratos, ex sententia *Suarez de Censur. disp. 28. sect. 2. num. 7. & Ganant. in Enchir. V. Episcopus, num. 10. Iordan. l. cap. num. 136.* etiam si Episcopatui renunciarint, vel Titulares tantum sint, quia vere, & proprie Episcopi sunt, vnde dispositio loquens de Episcopo habet locum etiam in Episcopo Titulari, vt bene deducit ex *Baldo, Simanca*, & alijs *Diana l. c. resol. 47.* & in primis Eminentissimos Cardinales, qui potiuntur ijsdem priuilegijs, quibus Episcopi diuersis in rebus fruuntur, & ijs præcipuè, quæ à *Glossa* recensentur in *d. Cap. Quoniam, de priuileg. in 6. in verb. Indulgemus*, vt constat ex *Manfred. in tr. de Cardin. decis. 214. Villadieg. de origin. Cardin. q. 13. nu. 63. Barbat. de præstant. Card. q. 3. p. 1. num. 6. Iacobat. l. 1. de Concil. fol. 36. col. 2. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. nu 1. Dian. p. 5. tr. de potest. & priuileg. Card. resol. 48. & p. 9. tr. 1. resol. vlt. & Cardinal. Brancat. in dissertat. de priuileg. Capell. Cardin. apud Dian. p. 6. tr. 8. resol. 40.* vnde, quod diximus de Episcopis, de Cardinalibus etiam quo ad hanc quæstionem dictum volo.

3 Aduerto 3. cum prædicta Oratoria, seu Capellæ in Domibus Cardinalium sint tanquam Ecclesiæ Publicæ ita, vt ibi possit quilibet Sacerdos licite celebrare quibuslibet diebus, vt clare dixit prædictus *Card. Brancat. in præcitata dissertat. de priuileg. Capell. Cardin. in fin.* & interessentes Sacrificio Missæ in priuato Episcopi Sacello satisfaciant Ecclesiastico præcepto tàm in Diœcesi, quàm extra, quod etiã dictũ volo de interessentibus Missæ in Oratorijs Regularium, aut in Oratorijs ex

priuilegio

priuilegio Bullæ Cruciatę erectis, cum in his Priuilegijs omnibus non adsit, vt bene obseruat *Quintanaduen. in Theol. Moral. tom. 1. tr. 7. sing. 32. num. 7. & Dian. par. 9. tract. 1. resolut. 3.* limitatio illa à Pontifice in licentijs pro Oratorijs Priuatis Sæcularium apponi solita, videlicet, ne alij in Priuilegio non inclusi satisfaciant Pręcepto, si in priuatis illis sæcularium Oratorijs Missam audiant, vt superius etiam innuimus, vnde sic S. Congregat. Concilij resoluit *die 22. Semptembris 1640.* teste eodem Cardin. Brancatio apud *Dian. p. 9. tr. 1. resolut. vlt.* immo cum talia Oratoria Cardinalium sint veluti Ecclesiæ Parochiales respectu Dominorum, & Familiæ, ita vt in illis prædictorum Dominorum domestici satisfacere possint præcepto *Cap. Omnis vtriusque sexus*, nec aliam agnoscant Ecclesiam Parochialem, ex *Dian. p. 5. tr. 2. resol. 10. ex Cardin. Brancatio l. c.* & ex multis alijs apud ipsos, hinc iure optimo valde dubitari posse, num prædictæ Capellę Pollutionis item Ecclesiasticę capaces sint.

4 Dico Oratoria, seu Capellas in Palatijs, seu Domibus tàm Cardinalium, quàm Episcoporum, non esse Pollutionis Ecclesiasticę capacia. Ratio est, quia sunt Oratoria verè, & merè priuata, & idcircò non benedicta, nec proinde propriè sunt Ecclesię, vnde nec Pollutionis Ecclesiasticę capacia esse possunt ex supra dictis. ità nobiscum sentire coguntur, quotquot pręd. cta hęc Oratoria esse dicunt non sacra, vel priuata, *Iordan. var. Elucubrat. tom. 1. l. 4. tit. 1. nn. 132. Beia in Respons. Cas. Conscient. p. 4. cas. 33. Vgolin. de offic. & potest. Episc. l. 1. c. 2. §. 2. num. 4. Cardin. Brancat. in d. dissertat. de priuileg. Capell. Cardin. apud Dian. p. 6. tr. 8. resol. vlt. Sacra Congreg. Concilij die 22. Septembris 1640. apud Dian. l. c. Valer. in differentijs vtriusque fori V. Missa, differ. 2. Diana ipse p. 9. tr. 1. res. 37. in fin. Gauãt. V. Missa, nu. 22.* Clarius autem hoc colligitur ex *Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesi. c. 2. dubit. 2. sect. 7. num. 14. & 15. & etiam c. 16. dub. 9. sect. 14. num. 14. Riccio, Fagundez ll. cc.* & ex ijs omnibus, qui, cum negent licere Episcopis celebrare extra loca sacra sine necessitate, vel iusta causa, idcircò negant etiam idipsum in Sacellis, vel Oratorijs Episcopalium Palatiorum, vel Domorum, si iusta ibi celebrandi causa desit, nam certè talia Oratoria loca sacra non esse, & consequenter neque Pollutionis huius capacia putant. Immo clarissimè hoc asseritur tum à *Diana p. 9. tr. 1. resol. 32 in medio, & 33. in fine* (licet enim loquatur de Oratorijs Regularium; eadem tamen militat ratio etiam in Oratorijs Cardinalium, ac Episcoporum, vt consideranti patere potest, & videre est apud *Cardin. Brancat. l. c.*) tum à *Iordan. l. c. l. 5. tit. 11. nu. 26.* & alijs apud ipsum.

5 Colligo, licet Episcoporum Oratoria ab ipsis Episcopis erecta sint, & se habeant ad modum Publicorum Oratoriorum cum titulo alicuius Sancti, vt dixit *Pasqualig. decis. 55. num. 3.* non propterea tamen ea esse Oratoria ex se sacra, ac proinde Diuino cultui in perpetuum dicata, & vt dixi, multo minus esse Ecclesias, aut Ecclesiarum nomine comprehendi; non enim erecta fuere per publicam Episcopi auctoritatem, quę ad locum sacrum constituendum necessaria est, vt superius alibi dicebamus, sed per priuatam, vnde priuata etiam auctoritate destrui possunt, & ad vsus profanos conuerti, quod fieri non potest in locis publica Episcopi auctoritate erectis, ac proinde proprie sacris, & Diuino cultui in perpetuum dicatis. Videatur *Th. del Bene l. c. c. 16. dub. 9. sect. 12.* iunctis ijs, quę ab eodem dicta fuerant *c. 2. dub. 2. sect. 7. num. 14. & 15. iam cit.* ex quibus omnibus etiam infertur Priuilegium Oratoriorum, seu Capellarum in Palatijs, seu Domibus Cardinalium, & Episcoporum non esse Personale tantum, quale est Priuilegium Oratoriorum in Domibus priuatis, & sęcularibus à Pontifice specialiter concessorum, quod finitur proinde morte personę Priuilegiatę *Cap. Priuilegium, de Reg. Iur. in 6. & L. vnic. §. Ne autem Cod. de caduc. tollend.* quicquid in contrarium dixerit *Pellizzar. in Man. Reg. tom. 2. tr. 8. c. 2. sect. 2. num. 153.* verba enim illa in Breuibus apposita, per quę concessio Oratorij videtur ad arbitrium Ordinarij duratura, intelliguntur durante vita personę Priuilegiatę, & in Breui nominatę, ex *Dian. p. 9. tr. 1. resol. 17.* sed esse etiam reale, seu locale, quale esse supra diximus Priuilegium Oratoriorum Regularium, ità *Valer. & Cardin. Branc. apud Dian. p. 6. tr. 8. res. 40. vers. Et animaduertendũ*, & nouissimè *Fr. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 6. q. 3. nu. 25.* qui propterea censet hoc Episcoporũ, & Cardinalium Priuilegium competere personę, quamuis absit à loco, & cõpetere loco, quamuis non assistat persona, dummodo saltem pars familię prędictorum Cardinal. vel Episcop. maneat in Domo, & hęc nõ locetur alteri, cui sententię rationabilis intentio tale priuilegiũ cõcedentis prudenter presumpta, & praxis ipsa, id admittentibus pijs, ac doctis Confessarijs, regulariter fauet, cum Priuilegium prędictum commune esse Domino, & familiaribus vsus in dies interpretetur, vt restantur preallegati DD.

K CAPVT

CAPVT XIII.

An Eremitoria sint Pollutionis Ecclesiasticæ capacia.

SVMMARIVM.

Eremitorij nomine quid hic intelligatur. num. 1.
Eremitoriorum triplex genus enumeratur. ibid.
De Eremitorijs Regularium idem dicendum est, quod de Oratorijs eorundem dictum est, nu. 2.
Eremitoria Sæcularium ex qualitatibus, & indicijs Oratoriorum superius Cap. 6. & 7. *recensitis iudicanda, vel præsumenda sunt Benedicta, vel non Benedicta, num. 3.*
Eremitoria Benedicta sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia; secus verò non Benedicta, num. 4.
Ecclesiarum, seu Oratoriorum, & Cœmeteriorum Benedictiones describendæ essent in Libro, qui tandem in Archiuio Episcopali reponeretur, num. 5.

1 ADuerto 1. Eremitorij nomine plura venire posse, ac proinde, vt clarius procedatur, suppono sermonem hic tantum esse de Capella, seu Oratorio, quod Eremitorium appellari soleat. Tripliciter autem Oratorium aliquod dici consueuit Eremitorium, Primo, quando est Oratorium domesticum Ordinis, seu Religionis alicuius ex Eremiticis, qualia sunt Oratoria quędam priuata in Claustris, vel Hospitijs, seu Domibus Carthusianorum, Camaldulensium, Carmelitarum Discalceatorum, Eremitarum Augustinianorum, & similium Religiosorum. Secundo, quando alicui Oratorio sæculari inseruit Eremita quispiam, & illius curam, seu custodiam habet, vnde à tali Eremita custode Oratorij Eremitorium appellatur ipsum Oratorium. Tertio, quando Oratorium aliquod, licet non sit intra Claustra, vel Domos Religiosorum Eremiticorum, nec sit sub cura, vel custodia vllius Eremitæ; est tamen in loco solitario, seu saltem remoto à Ciuitatibus, & Oppidis, & quasi in Eremo, qualia v. g. sunt Sacella, seu Capellæ quædam, quę secus vias publicas in itineribus sępius occurrunt, & habent Ecclesiæ formam, immo etiã aliquando Altare lapideum, & Sacras Imagines ob Fidelium deuotionem depictas.

2 Aduerto 2. circa Eremitoria primi generis, cum non differant ab Oratorijs Religiosorum, de quibus egimus supra *Cap.* 11. idipsum de illis dicendum esse, quod de illis ibi dictum fuit: videlicet, omnia esse Pollutionis Ecclesiasticæ incapacia, cum sint Oratoria vere priuata, ac proinde non benedicta.

3 Aduerto 3. difficultatem solummodo superesse circa Eremitoria secundi, & tertij generis; in quibus propterea videndum est, an ex eorum qualitatibus, vel indicijs præsumenda sint Oratoria Publica, vel loca profana iuxta ea, quæ iam *Cap. 6. & 7.* recensuimus.

4 Dico Eremitoria, si constet esse Benedicta, vel Benedicta præsumantur, esse, vel præsumi Pollutionis Ecclesiasticę capacia; si verò constet non esse Benedicta, vel desint indicia, vnde pręsumi possint Benedicta, tunc non secus ac Oratoria Priuata, non esse, vel non pręsumi prędictę Pollutionis capacia. Patent hęc omnia ex prędictis *Cap. 6, & 7.* & traditur hęc eadem conclusio à *Pontio de Matrim. l. 10. c. 10. num. 5. in fin.* & approbatur à *Franc. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 6. q. 13. num. 103. & 106.* & alijs apud eundem.

5 Colligo, vt facile, & certo sciatur, num Oratoria, vel Eremitoria, atque etiam Cœmeteria ipsa sint Benedicta, nec ne, ac proinde num Pollutionis huius capacia, vel incapacia sint, vbique seruandum esse, quod sancte sancitum fuit in Concilio Prouinciali Mediolanensi 4. nimirum, vt Benedictiones Cœmeteriorum, Ecclesiarum, Altarium, & Campanarum scribantur in Libro reponendo tandem in Archiuio Episcopali; quod etiam diligenter adnotauit *Gauãt. in Manual. Episcop. verb. Benedictio, num. 16.*

CAPVT XIV.

An Templa Infidelium, & Synagogæ Hebręorum aliquando sint Pollutionis Ecclesiasticæ capacia.

SVMMARIVM.

Aliqua prohibentur in Templis etiam ab Infidelibus, quæ Ecclesiam apud nos polluunt, num. 1.
Talia quædam vetuit in suis Templis, quæ à Turcis Meschit *appellantur, etiam Mahometes. ibidem.*
Idipsum quoque patet de Synagogis Hebręorum, num. 2.
Quomodo tàm Infidelium templa, quàm Synagoga Hebræorum aliquando vere pollui possint, num. 3. 4. & 5.

Consecratio,

Consecratio, vel Benedictio Ecclesiæ cur valide fieri possit etiam ab Episcopo excommunicato. ibidem.

Prædicta Infidelium, vel Hebræorum Templa non præsumenda sunt Consecrata, nec Benedicta, nisi hac de re constet, num. 6.

1 ADuerto 1. quamuis vere etiam ab Infidelibus aliquæ actiones, quæ ab ipsa Religione nostra (quæ sola vera, & sancta est) tanquam Ecclesiarum pollutiuæ vituperantur, & prohibentur, vituperatæ item, immo punitæ, nedum prohibitæ fuerint, vt clare de concubitu in Templis patet ex *Herodoto in Euterpe, Iuuenali Satyr. 9. Ouid. lib. 10. Metamorph. ante finem, Plutarch. in Problem. Rom. cap. 3. Ioseph. Antiquit. l. 8. c. 4. Hegesipp. Histor. Iudaic. l. 2. c. 4. Rhodigin. Lect. Antiq. l. 13. c. 34. & Tiraquel. Connubial. leg. 15. num.* 109. quorum vltimus narrat Mahometem, alioqui infandissimum Legislatorem, in suo Alchorano hanc legem tulisse: *In Templis nullus sit cum fœminis coitus*; non propterea tamen bene inferri posse, quod prædicta Infidelium templa, vel Turcarum Meschit (sic Turcæ Templa appellant, teste *Iacobo Pontano Progymnasm. volum. 3. par. 2. progym. 70. §. Turcarũ mores*) vere polluantur, cum nunquam illa vere Sacra fuerint, & munda; sed semper immunda, & profana, vt ex dictis apertissimum est.

2 Aduerto 2. quod mox diximus de Infidelium Templis, id etiam hic dicendum esse de Hebræorum Synagogis: cum enim superius *disp. 1. c. 6.* dictum fuerit Ecclesiasticam Pollutionem à Sacris Canonibus (qui certe in solo statu Euangelicæ legis conditi sunt, vt notum est) perfecte constitutam fuisse, fatendum consequenter est, ante Euangelicam legem vel nihil, vel non nisi imperfecte hanc Ecclesiarum Pollutionem obseruari consueuisse, ac proinde neque Hebræorum Synagogas Pollutionis huius capaces extitisse.

3 Aduerto 3. fieri nihilominus aliquo in casu posse, vt Templa quædam, vel antequam ad Infideles, seu Hebræos deuenirent, Christianorum propria, ac proinde etiam ab Episcopo rite Consecrata, vel saltem Benedicta fuerint, vel postquam ad eos deuenerunt, vel ab eis de nouo ædificata fuerunt, ab Episcopo aliquo, etiamsi Excommunicato, & nullam ibi Iurisdictionem habente, prædictã Consecrationem, vel Benedictionem acceperint; eo autẽ in casu quid de talibus Templis dicendum videatur, hic peculiariter inquiritur.

4 Dico 1. Ecclesias ab Episcopo rite Consecratas, seu Benedictas, etiam si postea ad Infideles, vel Hebræos deuenerint, & factæ fuerint Infidelium fana, seu Meschit, vel Hebræorum Synagogæ, adhuc remansisse pollutionis Ecclesiasticæ capaces, ita vt, qui illas pollueret, peccaret, & sacrilegium committeret, eæque Ecclesiæ sic pollutæ Reconciliatione indigerent, antequam Diuina in eis iterum rite celebrarentur. Ratio autem huius conclusionis est, quia, vt supra diximus *cap. 2. nu. 2.* Templa Sacra ab Hostibus capta non desinunt vere esse sacra; sed ideo tantum dicuntur desinere esse sacra, quatenus Sacris Mysterijs viduata tunc remanent, ità in terminis nostris *Megal. Instit. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. num.* 8. & alij apud ipsum.

5 Dico 2. idipsum affirmandum esse de ipsis Templis Infidelium, vel Synagogis Hebræorum de nouo ædificatis ad vsum eorum ab ipsismet Infidelibus, vel Hebræis, si adhuc ab aliquo Episcopo legitimè ordinato, & consecrato, licet excommunicato, & nullam ibi Iurisdictionem habente, consecrationem, vel Benedictionem receperint. Ratio autem est, quia Consecratio, aut Benedictio substantialiter Iurisdictionem non requirit; sed potestatem ordinis, quæ, cum non auferatur ab Episcopo per Excommunicationem, prædictam Consecrationem, seu Benedictionem validam facit. ità expressissime *Fagund. Præcep. 1. l. 3. c. 14. num. 56. cum Sylu. st. V. Interdictum, 4. q. 3. Paludan. dist. 18. q. 3. art. 4. Abb. Io. Andr. & Ostien. in Cap. Consuluisti, de consecrat. Eccles.* apud eundem.

6 Colligo Templa tàm Infidelium, quàm Hebræorum, non esse præsumenda rite Benedicta, vel consecrata, nec proinde Pollutionis huius capacia, nisi de prædicta Benedictione, vel Consecratione constiterit.

CAPVT XV.

An Hæreticorum, vel Schismaticorum Templa Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

In quo conueniat hæc dubitatio cum præcedenti, num. 1.

Quænam sit peculiaris ratio præsentis dubitationis, num. 2.

Aliqua competunt Episcopo de iure Diuino, inter quæ est conferre Ordines, Consecrare Episcopos, & c. num. 3.

K 2 Nullo

Nullo iure humano tolli potest, quominus Episcopus rite ordinatus, & consecratus validè exerceat prædicta munia. ibidem.

Aliqua competunt Episcopo de iure Ecclesiastico, & Canonico, ex quibus est Benedicere, & Consecrare Ecclesias, Vasa, &c. ibid.

Prædicta, quæ iure Ecclesiastico Episcopis tradita sunt; eodem etiam iure tolli possunt. ibidem.

Papa potest auferre Episcopis legitime ordinatis, & consecratis potestatem non solum licite; sed etiam valide Benedicendi, vel Consecrandi Ecclesias, &c. ibid.

Non constat tamen, quod Papa de facto id fecerit. ibidem.

Ecclesiæ Hæreticorum, vel Schismaticorum cur Ecclesiasticæ Pollutionis capaces non sint, num. 4.

Episcopus inualide ordinatus, & inualide consecratus, inualide Ecclesias benedicit, vel consecrat. ibidem.

Episcopi Schismaticorum, & Hæreticorum non sunt legitimi Ministri Ecclesiæ, & inualidè Ecclesias benedicunt, vel consecrant. ibid.

Eadem inualide facit Episcopus, qui licet fuerit legitime ordinatus Sacerdos; non tamen legitime creatus, & consecratus fuerit Episcopus, num. 5.

1 ADuerto 1. si loquamur de Ecclesijs rite ab Episcopo valide Ordinato, & Consecrato, Consecratis, seu Benedictis, vel antequam eæ in Hæreticorum, vel Schismaticorum potestatem deuenirent, vel postquam deuenerunt, idipsum dicendum hic esse, quod *Cap. præcedenti* dictum fuit de Infidelium, vel Hebræorum Templis, cum eadem sit in omnibus ratio.

2 Aduerto 2. peculiarem difficultatem hic esse posse, si loquamur de Ecclesijs, non ab Episcopo, qui antea legitimus, & Catholicus fuerit; postea verò factus sit Hæreticus, aut Schismaticus, benedictis, aut Consecratis, id enim patet ex iam dictis; sed de Ecclesijs Benedictis, vel Consecratis ab Episcopo, qui etiam ordinatus, & creatus fuerit Episcopus ab alijs Episcopis similiter Hæreticis, vel Schismaticis; cui difficultati vt satis hic breuiter faciamus, iterum

3 Aduerto 3. cum Episcopis quædam competant de Iure Diuino, qualis est Potestas ea, quam à Deo immediate per ministerium consecrationis accipiunt, & per quam possunt conferre Ordines, consecrare Episcopos, conficere Chrismа, ministrare Confirmationem, &c. hanc potestatem propterea nullo in casu, & nullo Iure Humano tolli posse, quominus Episcopus validè ordinatus, & consecratus eam valide exerceat, ex *Gloss. in Cap. 1. de Schismaticis, &c.* sicuti nec à Sacerdote valide ordinato potestas valide consecrandi Eucharistiam nullo Iure Humano auferri potest: cum autem Episcopi præter ea, quæ eis competunt de Iure Diuino, habeant etiam alia, quæ eis competunt de Iure Ecclesiastico, seu Canonico, qualis est potestas Benedicendi, & Consecrandi Ecclesias, Altaria, Vasa, Vestes, Virgines, &c. hanc potestatem, vt potè traditam Episcopis ab Ecclesia, ab ijsdem per Ecclesiam item tolli posse, ita vt si Pontifex, vt potest, constitutionem ederet, qua abrogaret Episcopis huiusmodi potestatem, tunc non solum illicitas; sed irritas, ac inualidas redderet prædictas actiones, quia sic non tantum rectum potestatis eius vsum; sed potestatis ipsius substantiam, & validitatem auferret, vt videre est apud *Alphons. à Castro l. 2. de iusta Hæret. pun. c. 22. Azor. p. 2. l. 3. c. 30. q. 10. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 1. tit. 1. c. 1. num. 10. & seq. Auersam de Ordine q. 2. sect. 11. & 12. Bellarm. de Roman. Pontif. l. 4. cap. penult. & vlt. Couar. in Reg. Peccatum, p. 2. §. 9. num. 6. Iordan. var. Elucubrat. tom. 1. prælud. 3. n. 8. & seq.* & alios passim.

5 Dico Ecclesias Hæreticorum, seu Schismaticorum, si eæ tantum per Episcopum Hæreticum, vel Schismaticum, & ab Hæreticis, vel Schismaticis ordinatum, & Consecratum Consecratæ, vel Benedictæ sint, non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capaces. Probatur vero quia, licet Episcopus valide ordinatus, & consecratus, si fiat Hæreticus, vel Schismaticus, adhuc valide Benedicat, vel Consecret Ecclesias; &c. (quamuis enim hoc illi competat, vt iam dictum est, de iure tantum Ecclesiastico, & Canonico, ac proinde hæc potestas possit illi auferri per Summum Pontificem; tamen de facto à Pontifice hoc factum fuisse non constat, vt bene aduertit *Auersa l. c. sect. 11. versic. Addunt Abbas*; vnde præsumptio stat pro iure communi, quod Episcopus, saltem valide, id efficere possit) & tales Ecclesiæ sic Benedictæ, vel Consecratæ consequenter Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sint, ita vt, qui eas Pollueret, sacrilege peccaret, iuxta superius dicta; nihilominus, quando Episcopus (quicumque is fuerit) qui Ecclesiam aliquam Benedixit, vel Consecrauit, fuit inualide ordinatus, & inualide consecratus, ac propterea nõ fuit legitimus prædictæ actionis minister, tunc certum est Ecclesiam ab eo Benedictam, vel Consecratam inde futuram esse Pollutionis Ecclesiasticæ inca-

inca-

incapacem, quia ipsa quoque inualide Benedicta, vel inualide Consecrata remanet; ac proinde vere non est Benedicta, nec Consecrata, & consequenter vere non polluitur, ex iam traditis; cum autem fine Romani Pōtificis cōsensu nullus esse possit legitimus Pastor, & Episcopus, vt bene docet cum communi DD. *Zecch. de Rom. Pontif. vers. Licet autem*, hinc liquet in Synagogis Sectariorum legitimos Ministros non esse, siquidem non sunt ab Episcopis legitimis ordinati, nec legitime consecrati, aut confirmati à legitimo Pontifice, & vero, ac solo Ecclesiæ Capite, vt expresse cōcludit *Valent. tom. 4. disp. 9. q. 3. punct. 2. in fin.* vnde ipse etiam Ecclesiæ à talibus Ministris, seu Episcopis non legitime ordinatis, nec legitime consecratis Benedictæ, seu Consecratæ verè erunt non Benedictæ, & non Consecratæ, atque idcircò Pollutionis Ecclesiasticæ non capaces.

5 Colligo, etiamsi Episcopus, qui Benedixit Ecclesias, fuisset legitime ordinatus Sacerdos; si tamen fuisset non legitime creatus, & consecratus Episcopus (quales sunt Episcopi Hereticorum, & Schismaticorum, vt constat ex ijs, quæ iam diximus) non propterea Ecclesias ab eo Benedictas, & c. fore legitimè Benedictas, & c. sed semper eas remanere, quales erant ante illam Benedictionem.

CAPVT XVI.

An Ecclesia non omnino ædificata, sed tantum incepta, Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

De Ecclesia iam Benedicta cur sermo hic tantum sit, num. 1.

Difficultas hæc versatur circa Ecclesiam Benedictam; quæ tamen ædificari desierit, num. 2.

Talis Ecclesia aliquibus videtur potius locus desertus, seu ædificium derelictum, quam Domus Orationis. ibid.

Prædictam Ecclesiam aliqui putant Immunitate Ecclesiastica non gaudere. ibid. sed falso, n. 3.

Nullus locus est capax Ecclesiasticæ Pollutionis, qui non sit etiam Immunitatis Ecclesiasticæ capax; sed non contra. ibid.

Sola deputatio Episcopalis alicuius loci ad Sacra facienda, & ad Sacramentorum vsum sufficit ad illum Sacrum constituendum. ibid.

Ecclesia non omnino ædificata, sed tantum incepta, etiam si ædificari desinat, si sit Benedicta, Pollutionis huius capax est, num. 4.

Prædicta Ecclesia quomodo differat ab Ecclesia prorsus diruta, seu destructa, num. 5. & 6.

De qua nam Ecclesiæ Benedictione hic loquamur, num. 7.

1 ADuerto 1. cum supra *Cap. 3.* à nobis dictum fuerit Ecclesiam non Consecratam, nec Benedictam ab Episcopo non esse proprie Ecclesiam, nec venire nomine Ecclesiæ in odiosis, qualis est Ecclesiæ pollutio, idcircò hic dubium non esse, quin Ecclesia, priusquam Benedicta sit, Pollutionis Ecclesiasticæ incapax sit, siue illa perfectè, siue imperfectè ædificata sit, vt ibi cum multis defendimus.

2. Aduerto 2. dubium hic esse tantum, quando Ecclesia, licet iam incepta ædificari, & iam Benedicta; desinit tamen postea cōstrui, quia talis locus remanere videtur ædificium potius desertum, quam Domus orationis, immo prædictum locum, seu ædificium sic derelictum, seu desertum, Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio carere docuit *Marius Italia de Immunit. Ecclesiar. l. 1. c. 4. §. 3. nu. 15. & 24. ac Peregrin. de Immunit. Eccles. c. 4. n. 47.* & dubitasse visus est *Farinac. in Append. de Immunit. c. 17. ampl. 5. nu. 261.* quod si immunitate non gauderet talis locus, seu ædificiū; multo minus esset Pollutionis Ecclesiasticæ capax, cum verè nullus locus esse possit Pollutionis prædictæ capax, qui simul non sit Ecclesiasticā immunitate gaudens, vt per se patet; licet contra falsum sit, quod nullus locus Immunitate gaudeat, qui simul non sit Pollutionis huius capax, vt supra vidimus.

3. Aduerto 3. falsum omnino esse, quod Ecclesia non gaudeat Immunitate, si eius constructio non continuetur, etiam si Ecclesia illa nondum sit Benedicta; cessatio enim ab ædificio non tollit deputationem Episcopalem prædicti loci ad sacra facienda, & ad Sacramentorum vsum, per quam deputationem talis locus semper censetur sacer, ideoque nullis temerarijs ausibus profanandus; vnde nullo iure illi priuilegium Immunitatis adimitur, cum adhuc Diuinis obsequijs dedicatus sit, vt clare tradunt *Abb. in Cap. Eccles. de Immunit. Eccles. num. 5. Ancbar. ibid. Baccon. in 4. dist. 13. art. 1. Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 9. num. 1. Sanch. tom. 2. Consil. Moral. lib. 6. c. 1. dub. 7. num. 2. & de Matrim. l. 9. disp. 15. nu. 39. Syluest. V. Immunitas, 1. q. 1. Fagund. Pracept. 1. l. 3. c. 14. num. 48. Th. del Bene de Immunit. & Iurisd. Eccles. c. 16. dubit. 9. sect. 1. & 2.* Vnde cum falsum prorsus sit antecedens, non bene ex illo argui potest, quod talis locus neque Pollu-

Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit, vnde

4 Dico Ecclesiam non omnino ædificatam, sed tantum inceptam, dummodo benedicta sit, licet eius constructio non perficiatur, nec continuetur; semper tamen esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem: & ratio potissima est, quia possessio stat pro prædicta Benedictione, ac proinde pro Pollutionis Ecclesiasticæ capacitate, vnde talis locus semper debet potiri prædicta capacitate, nisi constet de opposito, de quo hucusq. constare non video. & ità nobiscum sentiunt apertissime *Del Bene, & Pagnud.ll.cc.Castropalaus p.2. tr. 11. disp.1. punct.4. num. 4. Basilius Pontius de Matrim.l.10.c.10.num.14.* & alij.

5 Dices, Ecclesia nondum perfecte constructa, quæ tamen iam ædificari desierit, non differt ab Ecclesia iam diruta, vel destructa, vt cõsideráti patere per se potest; sed hæc nõ est Immunitatis Ecclesiasticæ, nedum Pollutionis Ecclesiasticæ capax, ergo idem etiam dicendum est de illa.

6 Respondeo, quicquid sit an Ecclesia diruta, vel destructa Ecclesiasticæ Immunitatis, & Pollutionis capax sit, nec ne, quod *Cap. sequent.* disputabimus, Ecclesiam ædificari cæptam, licet nondum absolutam, & perfectam; tamen adhuc reputari Ecclesiam, & in hoc differre ab Ecclesia prorsus diruta, vel destructa, quæ Ecclesiæ reputari non soleat, vt infra videbimus: vnde negari posset in argumento antecedens, & consequentia.

7 Colligo, cum iam *Cap.3.nu.18.* dixerimus aliam esse Benedictionem Primarij Lapidis, & fundamentorum Ecclesiæ, quæ fit, antequã Ecclesia ædificetur; aliam vero esse Benedictionem Ecclesiæ, quæ fit, postquam Ecclesia sufficienter ædificata est, idcirco nos hic loqui de Ecclesia proprie per hanc secundã, & ad hoc necessariam Benedictionem benedicta: iam enim ex l. c. primam illam Benedictionem non sufficere ad Ecclesiam Pollutionis huius capacem constituendam cõstat, quia per illam proprie non benedicitur Ecclesia ipsa.

CAPVT XVII.

An Ecclesia destructa Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Ecclesia diuersimode, & multipliciter destrui potest, num. 1.

Episcopus aliquando potest destruere, & profanare Ecclesiam iustis de causis, num. 2.

Aliquando id non potest sine facultate Pontificis. ibidem.

Ecclesia destructa nequit conuerti in sordidos vsus. ibidem.

Quinam sint sordidi vsus, relinquitur arbitrio Ordinariorum. ibidem.

Destructis Ecclesiæ muris, seu interius decrustatis, cur amittatur illius Consecratio, num.3.

Prædicta Ecclesia, si deinde pollueretur, posset per simplicem Sacerdotem reconciliari. ibid.

Ecclesia destructa auctoritate Superioris, vt ibidem non readificetur, non est Pollutionis huius capax, num.4.

Secus verò, si sic destructa sit, vt ibidem readificetur, num. 5.

Si Ecclesia destructa sit sine Superioris auctoritate, & subsit eam ibidem readificandi spes, est adhuc Pollutionis capax, num.6.

Secus verò, si desit spes eam ibidem readificandi, num. 7.

Quomodo intelligenda sint Iura, quæ contraria videntur, num. 8.

Ecclesia readificata, vbi illa cum spe readificationis destructa fuit, non indiget alia Episcopi deputatione, nec Benedictione, vt ibi Diuina celebrentur, num. 9.

1 ADuerto 1. Ecclesiam tàm Consecratam, quàm Benedictam posse diuersimode, & multipliciter destrui, idest, vel auctoritate Superioris, vel sine illa, vel totaliter, vel non totaliter, vel vt illa reædificetur ibidem, vel alibi, vel denique sine vlla spe reædificandi illam neque ibidem, neque alibi.

2 Aduerto 2. cum possit Episcopus non solũ de profano sacrum facere; sed etiam de sacro profanum, Ecclesiam aliquando posse iustis de causis à Superiore, saltem ex Summi Pontificis licentia, quam ad hoc aliquando necessariam esse docet *Gauãt.in Man.Episc.verb. Ecclesia, nu. 20.* & decidit Sacra Congregat. Episcopor. 16. *Augusti* 1601. apud eum, destrui, & profanari; non tamen in vsus sordidos conuerti *ex decreto Sacri Concil. Trid. sess. 21. c.7.* vnde, quinam dicantur vsus sordidi, Ordinariorum arbitrio committit *Sacra Congregatio Concilij apud Genuen.in Prax. Archiep. c.52.num.2.& Megal.Institut.Peregrin.p.1.l.5. c.13.num.10.*

3 Aduerto 3. certum esse, quod Ecclesia, si eius muri totaliter, vel ex maiori parte destruantur, vel corruant, vel decrustentur interius, amittit omnem Consecrationem, cum hæc consistat in interiori crusta murorum, quia ibi linitiones Sacræ, & Cruces fiunt, vt supra

supra innuimus, & docet *Panormit. in Cap. Propofuisti de Consecrat. Eccles. vel Altar.* communiter receptus. Vnde, si prædicta Ecclesia postea pollui posset, quod mox decidemus, & pollueretur, posset à non Episcopo per simplicem Reconciliationem reconciliari, quia non esset amplius Ecclesia consecrata. ità *Megal. l. c.*

4 Dico 1. Si Ecclesia totaliter (de Ecclesia enim semiruta *Cap. sequenti* agemus) destructa sit auctoritate Superioris, vt amplius ibidem non ædificetur, eam amplius non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem, quia ibi non censetur esse amplius Ecclesia, vnde ibi omnia sua priuilegia amittit, & is desinit esse locus sacer, ita ex *Gloss. Cap. Statutum, de Elect. in 6. verb. Collegiatas, Felin. Cap. Cum dilecta, de rescript. num. 21. Rosella V. Priuilegium, num. 4. Angel. V. Ciuitas, nu. 1. Sylu. ibid. q. 2. Tabien. ibid. q. vlt. Armilla ibid. n. 3.* & alij cum *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. n. 37.* vnde *Nald. V. Sacrilegium, num. 3.* hanc sententiam communem esse testatur.

5 Dico 2. Si destructa sit auctoritate Superioris, vt ibidem reædificetur, eam adhuc Pollutionis Ecclesiasticæ capacem esse, quia adhuc censetur ibi esse Ecclesia, vt erat antea, iisdemque priuilegijs, atque etiam Indulgentijs gaudet, vt optime *Iason, Pelinus, Alexander*, & alij notant, quos refert, ac sequitur *Sanch. l. c. Fagund. pracept. 1. l. 3. c. 14. num. 49. Megal. l. c. in fine*, & *del Bene de Immunit. Eccl. c. 16. dubit. 9. sect. 5.*

6 Dico 3. Si destructa sit sine Superioris auctoritate, & subsit spes eam reædificandi ibidem, ea remanet, vt antea, Pollutionis huius capax, quia censetur adhuc Ecclesia ibi permanere, ità *Megal. l. c. Tuscus pract. conclus. V. Ecclesia, conclus. 9. num. 10, Villagut de extens. leg. cap. fin. nu. 38. Clar. in sua pract. crim. § fin. q. 30. vers. Maius est dubium, Decian. tract. crim. tom. 2. l. 6. c. 24. num. 27. & c. 25. num. 22. Farinac. in Append. de Immunit. c. 17. num. 260. Fagund. & Sanch. ll. cc.* & est communis DD. opinio apud *Peregrin. l. c. n. 48.* quorum multi licet loquantur in ordine ad priuilegium Immunitatis Ecclesiasticæ; tamen, cum in hoc casu ea Immunitas sit ratione Ecclesiæ ibi destructæ, non videtur ibi Immunitas durare, nisi duret ipsa Ecclesia, ac proinde etiam Pollutionis huius capacitas prædictæ Ecclesiæ annexa, vt suppono, ex illius consecratione, seu saltem benedictione.

7 Dico 4. Si destructa sit sine Superioris auctoritate, & desit spes eam ibidem reædificandi, non est amplius Pollutionis Ecclesiasticæ capax, quia non censetur amplius Ecclesia, cum ea neque actu, neque potentia, aut virtute permaneat, vnde cessante causa, cessat etiam effectus, *Cap. cum cessante, de appellationibus*, & ità in terminis nostris *Megal. Sanchez, & Fagund. ll. cc.* qui plures alios citant, & dicunt iam illam nulla ratione posse appellari Ecclesiam, nisi fortè vulgo, quia ibi Ecclesia olim fuit.

8 Colligo 1. cum prædicto *Megalio l. c.* Iura, quæ vltimæ conclusioni contraria videntur, intelligenda esse, vt prædicta Destructarum Ecclesiarum loca remaneant sacra non propriè; sed ita vt non possint ad sordidos vsus conuerti, pro vt iam dictum est.

9 Colligo 2. cum *eodem ibidem*, reædificata ibidem Ecclesia, quæ cum hac spe destructa fuerat, non opus esse noua deputatione, aut benedictione Episcopali, vt possint in ea Diuina Mysteria celebrari, quia semper ea iuxta prædictas conclusiones remansit benedicta, cum benedictio, vt alibi diximus, solo inhæreat, & non muris, vt Consecratio, quæ proinde, ijs destructis, amittitur.

CAPVT XVIII.

An Ecclesia semiruta Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Ratio, cur Ecclesia destructa aliquando censeatur permanere Ecclesia, aliquando non, hic indaganda est, num. 1.

Cur dubitari hic etiam possit, num locus aliquis censendus sit Ecclesia tantum ratione Soli, an etiam Aedificij, num. 2.

Immo etiam ratione perpetua, & Episcopalis deputationis illius loci ad publicam Diuinorũ celebrationem, num. 3.

Ecclesia ita diruta, seu destructa, vt non sit sufficiens nec in re, nec in spe ad prædictam deputationem saluandam, non est Pollutionis capax, num. 4.

Secus verò dicendum est, si alterutro modo ea sufficiens adhuc sit, ibid.

In dubijs, num adsit spes reparationis, num intercesserit Superioris auctoritas, & num locus adhuc sufficiens sit ad prædictam loci deputationem, standum pro possessione dubium præcedente, num. 5.

Quomodo spes reparationis, seu reædificationis faciat, vt Ecclesia destructa nihilominus censeatur Ecclesia, num. 6. & 7.

Proponitur magna difficultas, an vnquam sacra fine

sine Superioris consensu fieri possint profana, *num.* 8.

Satis fit difficultati in hac materia Ecclesiarum destructarum sine Superioris auctoritate, *& sine reparationis spe*, *num.* 9.

Alia etiam solutio indicatur, *num* 9.

Idem dicendum aliquando de Ecclesia tantum aedificari incepta, *num.* 10.

1 ADuerto 1. cum ex praecedentibus duobus capitibus satis constet rationem, cur Ecclesia, quae non omnino aedificata, vel postea destructa fuit, aliquando sit Pollutionis Ecclesiasticae capax, aliquando non fit, desumptam fuisse ex eo, quod praedicta Ecclesia vel tantum incepta, vel postea destructa, aliquando censeatur esse Ecclesia, aliquando non, idcirco videndum hic vlterius esse, vndenam locus aliquis censeri debeat Ecclesia, vel non.

2 Aduerto 2. cum *Locus* aliquando significet non modo *Solum*; sed etiam *Aedificium*, vt superius dictum fuit *c.* 1. *num.* 1. propterea hic dubitari posse, num locus aliquis dicendus sit Ecclesia tantum respectu Soli, an etiã respectu Ædificij; si enim locus aliquis cẽsendus sit Ecclesia intuitu tantum Soli, remanente eodem Solo, remaneret vtique eadem Ecclesia; sed si censendus simul sit respectu etiam Ædificij, forte tunc, non remanente eodem ibidem Ædificio, non remaneret eadem ibidem Ecclesia, vt per se clarum videtur.

3 Aduerto 3. cum nullus locus sine Episcopi, vel Pontificis auctoritate Sacer fiat, vt *c.* 2. *num.* 3. docuimus, & cum praeter praedicta requiratur etiam ad Ecclesiam constituendã perpetua eiusdem deputatio ad publicum Diuinorum Officiorum, & Sacramentorum vsum, vt *c.* 3. *num.* 1. vidimus, hinc ad cognoscendum, num locus aliquis vere fiat, vel remaneat Ecclesia, attendendum etiam esse ad praedictam deputationem, cum etiam ex hac deputatione consurgat Ecclesiae denominatio: si enim ea ibi non intercedat, vel non permaneat, non aderit ibi, vel non tenebit praedicta conditio, sine qua, vt dictum est, Ecclesia non fit, nec permanet. Quia igitur dubium hoc nostrum in praesenti Capite oriri potest, vel respectu aedificij semiruti, vel respectu deputationis praedictae, eo quia dubitari queat, an semiruto aedificio simul ea deputatio, & Ecclesiae denominatio corruat, vel subsistat, ideo

4 Dico 1. cum nomine Ecclesiae intelligi debeat non tantum Solum illius; sed etiam eiusdem, & ibidem Aedificium, ita vt haec ambo simul, scilicet Solum, & Aedificium sufficiant ad Episcopalem, & perpetuam praedictam loci ad publicum Diuinorum vsum deputationem, & Ecclesiae denominationem inde consurgentem, vel in re, vel in spe saluandam (quis enim vnquam dicat purum Solum aliquod nec in re, nec in spe aptum ad constituendam Dei Domum vere posse censeri, & denominari subinde Ecclesiam) consequenter Ecclesiam sine auctoritate Superioris ita dirutam, seu destructam, vt sufficiens adhuc sit ad praedictam deputationem, & denominationem saluendam vel in re, vel in spe, adhuc esse Pollutionis huius capacem, quia adhuc est Ecclesia; secus verò, si non sit sufficiens nec in re, nec in spe ad eam deputationem, & denominationem, quia tunc non est amplius Ecclesia, vt ex se satis notum est.

5 Dico 2. Si dubium sit, an adsit spes reparationis, & simul etiam dubium sit, num Ecclesia, quae sine auctoritate Superioris semiruta, vel semidestructa fuit, adhuc vere sufficiens sit ad saluandam praedictam deputationem, & denominationem, tunc reputandam esse praedictam Ecclesiam Pollutionis capacem, vel incapacem, pro vt ipsamet Ecclesia vere erat, antequam semirueret, vel semidestrueretur: quia semper standum in dubio est pro possessione dubium antecedente ex supra dictis *Disp.* 1. *c. vlt.* idemque dico, si dubium sit, non solum num adsit adhuc spes reparationis, sed etiam, si dubium sit, num Ecclesia cum auctoritate superioris, vel sine illa fuerit semidestructa, militat enim semper eadem possessionis lex, cui in his dubijs omnino fauendum est.

6 Dices 1. Spes reaedificationis non facit, quin Ecclesiae aedificium iam sit destructum, ergo, si aedificium quoque venit nomine Ecclesiae, eo destructo, non erit amplius Ecclesia, vnde remanebit tantum locus, seu Solum Ecclesiae, quod per se tantummodo non constituit Ecclesiam.

7 Respondeo spem reaedificationis esse in causa, vt in illius virtute Ecclesia ipsa destructa adhuc conseruari moraliter censeatur, & adhuc denominari proinde possit Ecclesia; sicuti de proximo laureandus habetur pro laureato.

8 Dices 2. Locus Profanus non fit Ecclesia sine Episcopi, vel Pontificis auctoritate, ergo nunquam Ecclesia iterum fiet locus profanus sine eorundem auctoritate, ergo Ecclesia destructa sine Superioris auctoritate, licet desit omnis reaedificationis spes; semper tamen remanebit Ecclesia, donec ad illius destructionem

ctionem accedat Episcopi, vel Pontificis auctoritas, quæ sola Ecclesiam in non Ecclesiam vertere potest.

9 Respondeo 1. quando nulla Ecclesiæ dirutæ reædificandæ spes subest, Episcopum videri tacitè quodammodo accedere, & consentire in loci illius profanationem, ac propterea talem locum deinceps non gaudere vllis Ecclesiæ priuilegijs, vt iam superius ostendimus.

9 Respondeo 2. licet Benedictio Ecclesiarũ inhæreat Solo, vt alibi dictum fuit, & Solum, etiam destructo ædificio, etiam sine reædificationis spe, semper idem sit, & semper remaneat, ac proinde semper cum Solo remanere videatur benedictio; tamen vlterius dici posse eam benedictionem, si reædificationis spes desit, non solum tolli, vt iam dictum est, per tacitum Episcopi consensum, postquam ædificium destructũ fuit; sed forte ipsammet benedictionem ex se tunc destrui per destructionem ædificij vel præsentis, vel in spe, ad quod illa Benedictio relationem dicebar, & consequenter requiri tantum postea Episcopi consensum vel expressum, vel tacitum, vt per istum tollatur omnis dubitatio, quæ forte oriri, vel remanere posset, num adesset, vel abesset omnis spes reædificationis, &c.

10 Colligo idipsum etiã dici aliquando posse de Ecclesia tantum incepta, & insufficiente ad Ecclesiæ deputationem, eo quod desit & in re, & in spe ædificium ad eam necessarium, nimirum eam tunc non esse Pollutionis capacem, quia non esset in eo casu Ecclesia.

CAPVT XIX.

An Ecclesia, in qua continuo Augustissimum Sacramentum non asseruatur, Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Doctores aliqui negant Ecclesiam, in qua Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum continuo non asseruatur, Ecclesiastica Immunitate gaudere, num. 1.

Prædictæ sententiæ ratio, & fundamentum duplex afferri potest, num. 2.

Vtrumque fundamentum illud falsum est, cui innititur prædictorum Auctorũ sententia, n. 3.

Sententia affirmans prædictã Ecclesiam Immunitate gaudere est communis, nec ab ea recedendum est, ibid.

4

Ecclesia prædicta, dummodo ad publicum Diuinorum vsum perpetuo destinata, & benedicta sit, Pollutionis etiam Ecclesiasticæ capax est. num. 4.

Licet lex prædictæ Pollutionis Ecclesiasticæ sit odiosa; cur nihilominus non sit restringenda ad Ecclesiam tantum, in qua Eucharistia seruetur, num. 5.

1 ADuerto 1. ex eo, quod non defuerint aliqui DD. qui Ecclesiam, in qua continuo non seruetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegio non gaudere contenderent, & sic in pluribus locis seruari testarentur, inter quos numerãtur *Couaruuias l. 2. var. c. 20. n. 4. Iul. Clar. § fin. q. 30. num. 30. vers. Huiusmodi autem, Tuscus verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 19. Germon. de Sacror. Immunit. l. 2. c. 16. num. 26. Sarpus de iure Asylorum c. 4. fol. 39.* & aliquot alij; idcircò iure optimo dubitari potuisse, num prædicta Ecclesia Pollutionis huius capax sit, cũ nullus sit locus, vt supra dicebamus, Ecclesiasticæ Pollutionis capax, qui simul etiam Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegio non gaudeat.

2 Aduerto 2. prædictorum Doctorum rationem, & fundamentum esse posse, tum quia Ecclesiarum Immunitas propter Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum concessa videtur, & consequenter nulla ijs Ecclesijs Immunitas concedenda est, in quibus illud non asseruetur; tum etiam, quia sic aliquomodo occurritur, vt ait *Couaruuias l. c.* eorum temeritati, qui tot Ecclesiarum Immunitate confisi quodcumque delictum perpetiare audent.

3 Aduerto 3. prædictam sententiam falso niti fundamento, falsum enim est, quod ratio, cur Ecclesię concedatur talis Immunitas, sit continua conseruatio Sacramentalis præsentiæ Christi in tali Ecclesia, cum vera prædictæ Immunitatis ratio sit, quia talis locus ad publica Sacra ibi celebranda auctoritate Episcopi destinatus est, & ita contrarium tenent *Farinac. q. 28. num. 34.* qui dicit ab hac opinione nõ esse recedendum, *& in Append. de Immunit. c. 17. num. 254. Peregrin. de Immunit. c. 4. num. 2. Mar. Italia l. 1. c. 4. § 3. num. 5. Bonacin. de primo Decal. Præcep. disp. 3. q. 7 pun. 4. num. 2. Castropal. p. 2. tr. 11. punct. 6. num. 2. Del Bene c. 16. dubit. 9. sect. 1. num. 4. & seq. Bonacossa in suis Comm. opinion. crim. p. 1. vers. Ecclesia habet Immunitatem, fol. 56. col. 2.* qui hanc opinionem communem dicit, *Gambacurta l. 3. c. 4. & 5.* vbi multitudinem Ecclesiarum non obesse Christianæ Reipublicæ ad impu-

impunitatem delictorum bene defendit, & hanc Immunitatem Ecclesijs omnibus competere docet, cum nec in *Cap. Ecclesiæ, de Immunit. Eccles.* nec in aliis textibus exigatur in Ecclesijs ad Immunitatis priuilegio gaudendum hæc conditio, vt eæ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum intra se conferuent, vt clarum est, ac proinde gratis contrarium à contrarijs asseratur.

4 Dico Ecclesiam, licet in ea Augustissimum Sacramentum non asseruetur, dummodo Diuinis vsibus destinata, & saltem benedicta fit, Pollutionis Ecclesiasticæ capacem esse, absentia enim Eucharistiæ ab Ecclesia Benedicta, vel Consecrata non tollit Ecclesiæ Benedictionem, vel Consecrationem, & consequenter adhuc ea Ecclesia, cum remaneat Benedicta, vel Consecrata, vt erat antea, remanet simul Pollutionis Ecclesiasticæ capax, vt prius erat, vnde in istis terminis nostris de Pollutione eadem conclusio traditur expressè à *Th. del Bene l. 2. num. 1 1.*

5 Colligo, licet Pollutio Ecclesiæ non sit ex dictis Ecclesiæ fauorabilis, vt est Immunitas; sed sit Ecclesiæ odiosa, atque restringenda, vt proinde videatur posse restringi ad Ecclesias illas tantum, in quibus Eucharistia seruatur; nihilominus, cum nomine Ecclesiæ verè, & propriè veniat etiam Ecclesia, in qua Eucharistia non asseruatur, propterea etiam in hac materia odiosa eam Ecclesiam comprehendi debere, ac proinde esse Pollutionis huius capacem, non secus ac si in ea semper prædictum Eucharistiæ Sacramentum seruaretur.

CAPVT XX.

An Ecclesia, in qua nondum Diuina celebrata sint, Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Quænam sit radix huiusce difficultatis, num. 1.

Quomodo aliqui DD. exponant Cap. Ecclesiæ, de Immunit. Ecclesiæ. *ibid.*

Ecclesiam, in qua nondum Diuina celebrata fuere, aliqui volunt non esse plene Diuinis obsequijs dedicatam; num. 2. sed falso, num. 3.

Eandem Ecclesiam Immunitatis priuilegio priuant, num. 1. sed male, num. 3.

Eandem quoque Pollutionis Ecclesiasticæ incapacem putant, num. 2.

Prædictum Cap. Ecclesiæ, *quomodo communiter, & bene exponatur, num. 3.*

Ecclesia, etiamsi in ea nondum Diuina celebrata sint; Pollutionis tamen Ecclesiasticæ capax est; num. 4.

Episcopalis Deputatio loci ad Diuina, & Benedictio eiusdem requiruntur, & sufficiunt, ut illum erigendum in Ecclesiam. ibid.

Locus aliquis non ideo fit Ecclesia, quod in eo celebratum sit; sed potius ideo potest in eo (si Diuinis vsibus deputatus, & benedictus rite sit) legitimè, & quasi ordinariò hæc celebrari, quod iam ille sit vera Ecclesia. ibid.

Quod in prædicta Ecclesia non celebretur, est per accidens; denominatio autem Ecclesiæ desumenda est ab eo, quod fit per se, i. quod ibi celebrari possit, num. 5.

1 ADuerto 1. difficultatis huius radicem esse ex *Cap. Ecclesia, penult. de Immunit. Eccles.* vbi dicitur: *Ecclesia, in qua Diuina Mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit Consecrata, nullo iure priuilegium Immunitatis adimitur*, consequens enim videtur è contrario sensu, prædictum priuilegium adimi Ecclesiæ, in qua Diuina Mysteria non celebrentur. Quod si prædicta Ecclesia Immunitatis priuilegio non gauderet, multo minus esset Ecclesiasticæ Pollutionis capax, prout etiam superius dicebamus.

2 Aduerto 2. huic dubitationi eam etiam rationem valde fauere; quod Ecclesia, in qua Mysteria nondum celebrata sint, nondum plene Diuinis obsequijs dedicata videatur, quod expresse affirmauit *Gloss. in d. Cap. Ecclesiæ, verb. celebrantur, & ibi Zabarel. & Butr. num. 2. & 3. Innocent. & Hostiens. in Cap. Inter alia, de Immunit. Eccles. verb. Ad Ecclesiam. Ambros. de Immunit. Eccles. c. 10, num. 2. Tusc. V. Ecclesia, concl. 9. nu. 16. Decian. Tract. Crim. l. 6. c. 24. num. 24. & c. 25. num. 8. Megal. Instit. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. num. 5. & Iordan. var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 11. num. 24.* quorum penultimus, & vltimus, vt consequenter bene procedant, propterea prædictam Ecclesiam notanter Ecclesiasticæ Pollutionis omnino incapacem putant.

3 Aduerto 3. cum *prædicti Cap. Ecclesia*, textum Doctores varij varie; sed communiter exponant non de celebratione actuali; sed de aptitudine, & sufficientia ad Diuinorum celebrationem, ac si ibi diceretur: *In qua Diuina Mysteria celebrari possunt*, quod conuenit Ecclesiæ, etiamsi in ea nondum Mysteria celebrata fuerint, cumque falsum re ipsa sit in rigore loquendo, quod Ecclesia ante celebrationem Mysteriorum non sit plene Diuinis obsequijs dedicata (talis enim Ecclesia

non

non potest amplius ad humanos vsus conuerti) proinde eam, æque ac si in ea Diuina Mysteria celebrata fuissent, Immunitatis priuilegio potiri, & ita docet *Panorm. cum Cardin. & alijs in d.Cap.Ecclesiæ. Syluest.V.Immunitas 1.num.1.& V.Loca Sacra, num.8. Conar. var.lib.2.c.20.num.4.Marian.Soc. in tract. de citat.art.17.q.5.Bonif.de Vital.in Clem. 1. de Pænit. & Remiss. num.32. Remig. de Immunit. Eccles.reg.1.ampl.1.num.1. Clar.in pract. Crim. §. fin. q. 30. vers. Quaro, si constructa, num. 4.* vbi consuetudine ita seruari testatur, *Filiuc.tr. 15.c.6.q.8.num.150.Farinacc.in sua pract.Crim. p.p.tom.2.tit.de Carcer.quæst.28.num.34. & in Append. de Immunit. Eccles. c. 17. num. 258. Mar.Ital.l.1.c.4.§.3.ampl.3.nu.8.& 14. Azor p.2.l.9.num.2.& seq.Peregrin.de Immunit.c.4. n.7.Gabr.Rom.Comm.conclus.l.1. de Præsumpt. conclus.12.num.17.Gambacurta de Immunit. l. 4. c. 4. num.6. Bonac.de 1.præcep.Decal.disp.3. 3.q.7.punct.4.nu.2. Correa in Relect. de Immunit.par.2.num.8.* & alij cum *Dian.p.6.tr.1.resolut. 1. & Del bene de Immunit. c. 16. dubit. 9. sect. 1.num.7.& seq.*

4 Dico Ecclesiam, etiamsi in ea nondum Diuina Mysteria celebrata sint, Ecclesiasticæ Pollutionis capacem esse, & potissima ratio est, quia talis Ecclesia simpliciter verè, ac propriè Ecclesia dici potest, & est, cum sit, vt suppono, iam ab Episcopo ad publicum Diuinorum vsum Deputata,& Benedicta, ac proinde habilis, & sufficiens ad Diuinorum celebrationem, quæ duo necessario quidem requiruntur; sed per se sufficiunt tamen, ad erigendum locum aliquem in Ecclesiam, vt superius vidimus, nec eadem tolluntur ab eo loco, licet in eo nondum Diuina Mysteria actualiter celebrata fuerint, vt per se patet, vnde nostram hanc conclusionem apertè tradunt, ac late *Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. l.3. c.9.num.4.& 5.* qui proinde subdit, quod talis locus verè non incipit esse Ecclesia propter sacrificium in ea celebratum; sed potius ideo iam potest in illo loco legitimè, & quasi iure ordinario celebrari, quia iam est vera Ecclesia, *Card.de Lugo de Euchar.disp.20.sect.12.nu. 60.Th.del Bene de Immunit.& Iurisd. Eccles. c. 2.dub.2.& c.16.dubit.9.sect.1.num.11. Sanch. de Matrim.l.9.disp.15.nu.36. & Consil. Moral. tom.2.l.6.c.& dub.7. num.2. Fagund. in Præcep.1.lib.3.c.14.num.48.& fauet Gloss. in Cap. Ecclesia, de Immunit.Eccles.verb. Celebrantur,* vbi in fine dicit *Aspergi tamen debet* prædicta Ecclesia, *si aliquid turpe ibi factum est, antequā ibi celebretur*, quæ quomodo cohæreant cum alijs ab eadem *Glossa* ibi dictis, viderint alij: eam hic sibi cōtrariam esse dixit *Suar.l.c.*

5 Colligo, cum per accidens sit, quod in prædicta Ecclesia Diuina Mysteria non celebrata fuerint, & per se sit, quod ibi celebrari possint, iure, ac merito Ecclesiæ denominationem desumptam fuisse ab eo, quod est per se; non autem ab eo, quod est per accidens.

CAPVT XXI.

An Ecclesia Interdicta Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Cur aliqui in dubio ponant, num Ecclesia Interdicta sit Immunis, & Pollutionis capax, num. 1.

Ecclesia Interdicta secundum communem DD. sententiam adhuc Immunitate gaudet. ibid.

Ex nullo iure habetur, quod Interdictum priuet Ecclesiam sua Immunitate. ibid.

Cur Ecclesia Interdicta aliunde videri possit aliquibus Pollutionis incapax, num. 2.

Afflictio afflictis non danda, quomodo intelligi debeat, num. 3.

Ecclesia Interdicta adhuc Ecclesiasticæ Pollutionis capax remanet, si ante Interdictum capax erat, num. 4.

Interdicti effectus non sunt extendendi,& multo minus in Ecclesiæ grauamen. ibid.

Si Ecclesia Interdicta non remaneret Pollutionis capax, quomodo fieret contra Cap.Quæsiuit, de his, quæ fiunt à maior. par. capit. *num. 5.*

Ecclesia ex sua deputatione ad Diuinos vsus, & ex Benedictione, seu Consecratione consequitur ius, vt semper inde sit Pollutionis huius capax, ibid.

1 ADuerto 1. ab aliquibus dubitationis huius ansam arreptam fuisse, non secus ac in superiori capite, ex *d.Cap.Ecclesiæ, de Immunit.Eccles.* cum enim, in Ecclesia, vt ea Immunitate gaudeat, iuxtà *prædicti Cap.* textum sic ab ijs expositum, Diuina celebrari debeant ex eorundem sententia, & in Ecclesia Interdicta Diuina celebrari non possint, ob id Ecclesiam Interdictam in dubio esse dixerunt, num Immunitatis priuilegio gaudere debeat, & consequenter, num Pollutionis Ecclesiasticæ capax habenda sit. Verum, cum iam *præcedenti Cap.num.3.* statuerimus, nec ad Ecclesiæ Immunitatem, nec ad Pollutionis huius capacitatem statuendam opus esse,vt in ea actu Diuina Officia celebrentur;

sed satis esse, si per se ibi ea celebrari possint; licet per accidens non celebrentur, propterea nullam hic ex hoc capite dubitationem amplius superesse credo. vnde Ecclesiam Interdictam, cum ex nullo iure inter effectus Interdicti ponatur, quod priuet Ecclesiam sua Immunitate, cumq. Ecclesia Interdicta adhuc remaneat locus sacer, & Ecclesia vere sit, adhuc Immunitate gaudere tradunt communiter DD. in d. *Cap. Ecclesiæ*, nec non *Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 9. nu. 6. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. nu. 2. Lezan. V. Immunitas Ecclesiæ, num. 2. Marsil. in L. vn. C. de rapt. Virg. nu. 116. Clar. Farinac. Tusc. Ital. Azor. Bonacin. Dectan. Peregrin. aliq. plures apud Dian. p. 6. tr. 1. resol. 1. & Del Bene de Immunit. c. 16. dub. 9. sec. 4. num. 3.*

2 Aduerto 2. ab alijs aliunde hanc ipsam dubitationem erui, videlicet ex eo, quod afflictis afflictio dari non debeat, *Cap. 1. de Cleric. ægrotan. & Cap. Cum percussio, 7. q. 1.* Ecclesia enim satis afflicta est per interdictum, vnde nō videtur vlterius Ecclesiasticæ quoq. Pollutionis grauamine affligenda. attamen

3 Aduerto 3. argumentum hoc de afflictione afflictis non danda valere, nisi nouæ afflictionis causa suboriatur, ac proinde non valere in casu nostro, in quo supponitur data noua causa afflictionis, nimirum noua actio Ecclesiæ Pollutiua. Quare

4 Dico Ecclesiam etiam Interdictam Ecclesiasticæ Pollutionis capacem esse, æque ac si Interdicta non esset, quia ita remanet Ecclesia verè, ac propriè, vt erat ante illius Interdictum, ac proinde, si ante Interdictum Ecclesia erat Pollutionis capax, eiusdem etiam capax erit post illud, cum assignari nō possit per quid ea Pollutionis capacitas tollatur, & Interdicti effectus, quia pœnales sunt, extendendi non sint, & multo minus in Ecclesiæ grauamen. Hinc expresse docet hanc ipsam conclusionem *Suar. l. c. prope finem numeri 6.* & expressius *Megal. Institut. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. num. 7.*

5 Colligo, quod si Ecclesia per Interdictum desineret esse Pollutionis Ecclesiasticæ capax (ideo enim id esset, quia tunc ea desineret esse Ecclesia) vere sic puniretur non delinquens, & pœnæ egrederentur auctores delictorum, quod absurdum, ac iniustum est, nec non contra *cap. Quæsiuit, de his, quæ fiunt à maiori par. cap.* cum Ecclesia, licet Interdicta, non peccauerit, nec propterea priuanda sit iure illo, quod ipsamet Ecclesia ex sua ipsius deputatione immutabili ad Diuina Mysteria, & ex Benedictione, seu Consecratione consequitur, & cum quo prædicta Pollutionis Ecclesiasticæ capacitas semper coniungitur.

CAPVT XXII.

An Ecclesia Polluta Pollutionis vlterius, & alterius adhuc capax sit.

SVMMARIVM.

Ecclesia polluta adhuc Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio potitur, num. 1.

Ecclesiæ pollutio non debet plus operari, quam Canones præscribant. ibid.

Vndenam præsens dubitatio deduci videatur, num. 2.

Interdictum Ecclesiæ, & Pollutio eiusdem in quibus nam conueniant, num. 3.

Differunt eadem tamen adhuc in multis. ibid.

Potest Ecclesia propriè interdici, & non pollui, & contra. ibid.

Potest etiam vnum sine alio tolli. ibid.

Quomodo Ecclesia polluta adhuc quodammodo pollui possit, num. 4.

Ecclesia polluta propriè, & formaliter alterius pollutionis capax non est. ibid.

Licet causa pollutionis possit esse multiplex, & diuersa; cur tamen eodem tempore, & in eadem Ecclesia non sit, nisi vna, & eadem pollutio. ibid.

Actiones Ecclesiarum pollutiuæ, si in Ecclesias pollutas fiant, adhuc grauiter sacrilegæ sunt, num. 5.

1 ADuerto 1. cum iam, vt vidimus antecedenti Capite, certum sit Ecclesiam Interdictam adhuc Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio gaudere, iam hic dubitari non posse, quin Ecclesia quoque Polluta eodem item Immunitatis priuilegio fruatur, cum Interdictum, & Pollutio eosdē omnino effectus habeant respectu Ecclesiæ, nec Ecclesia plura patiatur grauamina ex Pollutione, quā ex Interdicto, vt *Disput. 10.* diceмus; cum autem iam dubitari non possit hic de prædicto Immunitatis priuilegio, consequenter etiam hic illud sublatum esse dubium de hac ipsa Pollutionis Ecclesiasticæ capacitate, quod tunc oriri posset, quando de Immunitatis priuilegio, sine quo Pollutionis capacitas non stat, dubitaretur: Quod verò Immunitatis priuilegium ab Ecclesia Polluta non tollatur, expresse tradiderunt, & ob eandem omnino rationem, quam iam de Ecclesia Interdicta diximus, quia scilicet, nec Interdictum, nec Pollutio Ecclesiæ debent plus operari, quam Canones præscribant, & Canones hanc Immunitatis Ecclesiasticæ priuationem,

tionem, nec inter Interdicti, ne inter Pollutionis effectus posuerũt, vt patet ex *Suarez de Relig.tom.1.tr.2.l.3.c.9.nu.6. Filiuc.tr.15.c.6. num.150.Bonacina de primo Decal.pracep.disp. 3.q.7.punc.4.num.3.Scortia Theor.385. Azor. p.2.l.9.c.8.q.4. num.2.*& alij multi cum *Dian. p.6.tr.1.resol.1.& Del bene de Immunit.Eccles. c.16.dub.9.sect.3.*

2 Aduerto 2. dubitationis huius mouendæ occasionem inde potius nobis oblatã fuisse, quod sicuti Ecclesia Interdicta, licet respectu Ecclesiæ eosdem habeat effectus, quos Pollutio; adhuc tamen Pollutionis capax est, ità etiam Ecclesia polluta fortasse vlterius, & alterius pollutionis capax esse potest ita, vt Ecclesia bis v.g. ante reconciliationẽ polluta, bina indigeat reconciliatione, vel plura patiatur impedimenta, &c.

3. Aduerto 3. licet Interdictum, & Pollutio verè eosdem habeant respectu Ecclesiæ effectus, quia nimirum pariunt eadem impedimenta in Ecclesia; tamen, cum non eisdem habeant pœnas violatoribus impositas, nec ab iisdem causis nascantur, neque per eadem remedia tollantur, proinde Ecclesiam aliquando vere pollui, nec tamen proprie interdici, aliquando vere interdici, nec tamen proprie pollui, & aliquando etiam vere, ac proprie interdici, & vere, ac proprie pollui, quo in casu vere potest à prædicta Ecclesia Interdicta, & Polluta tolli, vel Interdictum, & non Pollutio, vel Pollutio, & non Interdictum, vt alibi suo loco patebit, cum hæc duo Interdictum, & Pollutio reipsa valde inter se differant in multis, vt aperte ex iam dictis, & ex infra dicendis constare poterit.

4 Dico Ecclesiam pollutam (per nostrum concipiendi modum, & quasi materialiter) vlterius quidem quodammodo Pollui posse, quo ad iteratas, vel diuersas Pollutionis causas, exempli gratia, si in Ecclesia Polluta rursus eadem, vel diuersæ Pollutionis causæ multiplicentur, ob iterationem scilicet, vel diuersitatem actionum Ecclesiæ pollutiuarum; sed vere non esse capacem alterius Pollutionis, cum non dentur Pollutiones eodem tempore, & in eadem Ecclesia diuersæ inter se, nec quo ad earum effectus, vel impedimenta, quæ secum afferunt, nec quo ad remedia, per quæ tolluntur; sed prædictæ omnes, & singulæ, quasi materiales Ecclesiæ pollutiones sint formaliter vna, & eadem, eosdem, & singulos pariant effectus, & per suam vnicam, eandemque reconciliationem auferantur, quæ omnia clarissime ex *Disput. vlt.* elucescent.

5 Colligo, cum Ecclesia polluta iam ob pollutionem sit impedita à celebratione Diuinorum Officiorum, si iterum ante illius reconciliationem per nouam actionem Ecclesiæ pollutiuam denuo quodammodo polluatur, hanc secundam actionem Ecclesiæ pollutiuam, v.g. seminis effusionem, dicendam fortasse non esse secundum aliquos sacrilegã, quia tunc Ecclesiam non polluit, cum eam præsupponatur polluta; sed per nos omnino sacrilegam esse, cum actus Ecclesiæ pollutiuus, etiam seclusa actuali Ecclesiæ pollutione, sit aliunde grauiter sacrilegus, vt fusè iam probauimus *Disp. 1. Cap. 16.*

CAPVT XXIII.

An Ecclesiæ de nouo ampliatæ pars quæuis addita, non Benedicta, nec Consecrata, Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Quid dicendum sit de duabus Ecclesijs vnitis, num. 1.

Quotupliciter, & quotuplex pars addi possit Ecclesiæ iam præexistenti, num. 2. & 3.

Pars Ecclesiæ non Benedicta, si sit maior, & simul moraliter addita minori parti iam Benedictæ, non sit Pollutionis capax. num. 4.

Pars minor addita maiori sit capax. ibid.

Pars licet maior, addita, non moraliter simul; sed paulatim, & diuersa per interualla parti præexistenti, sit Pollutionis capax. ibid.

Quod est maius trahit ad se, quod est minus, & sacrum non sacrum. ibid.

Pars maior addita minori cur fiat Immunis; nõ autem Pollutionis capax, num. 5. & 6.

In Aqua Benedicta pars maior, siue Benedicta, siue non, trahit ad se minorẽ, num. 7.

Maior pars Ecclesiæ non sacra cur non trahat ad se partem minorem sacram, num. 8.

Secundum probabilem opinionem pars noui lapidis addita Aræ Sacratæ sit sacrata, num. 10.

Pars maior trahit ad se minorem non solum in liquoribus; sed etiam in alijs. ibid.

Lapis minimus additus Aræ Sacratæ non sit sacratus, n. 9. nec tamen hoc nostræ conclusioni obstat, num. 11.

Alba, amissis manicis, amittit Benedictionẽ, nec inde quicquam eruitur contra nos, n. 12. & 13.

Gutta

Gutta minima vini non consecrati addita consecrato non fit consecrata, n. 14.
Quomodo id non faciat contra prædictas conclusiones nostras, nu. 15.
Non sacrum additum sacro fit sacrum, quando vnum est conuertibile in aliud, nu. 16.

1 ADuerto 1. nos hic loqui de parte addita, quæ consecrata, vel benedicta non sit, certum enim est, quod quando v.g. duæ Ecclesiæ sibi proximæ, vel contiguæ, sublato muro, vel aliquo tantum breui spatio, quo erant à se diuisæ, vniuntur in vnum Ecclesiã, tunc vtraq. pars remanet Ecclesia, vt erat ante vnionem prædictam, nec in hoc puto esse vllam difficultatem ex superius dictis.

2 Aduerto 2. partem prædictam additam, de qua hic loquimur, idest, non consecratam, nec benedictam, posse esse, vel maiorem, vel minorem, vel æqualem ipsi Ecclesiæ iam præexistenti, cui illa pars additur.

3 Aduerto 3. adhuc partem aliquam maiorem, vel æqualem iam præexistenti Ecclesiæ additam, dupliciter addi illi potuisse, primo paulatim, & diuersis temporibus, secundo totam moraliter simul, & eodem tempore, quibus animaduersis,

4 Dico partem illam, quæ Ecclesiæ, seu illius parti iam præexistenti addita est, si maior sit, quam pars præexistens, & addita fit tota moraliter simul, non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacem; si vero pars, quæ addita est, præexistente sit minor, vel illi æqualis, vel certe paulatim, & diuersis temporibus, nec tota moraliter simul addita sit, licet alioqui simul sumpta maior etiam sit præexistente, eam tunc esse prædictæ Pollutionis capacem. Probatur autem id omne, eo, quia id, quod est maius, censentur trahere ad se id, quod est minus, & non contra; vnde sacrum, si maius sit, trahit ad se non sacrum, & consequenter pars Ecclesiæ consecrata, vel benedicta trahit ad se partem non consecratam, vel non benedictam, non solum si hęc pars addita sit minor, vel etiam præxistenti æqualis (adhuc enim in eo casu possessio stat pro magis digna, idest, pro parte consecrata, seu benedicta, & pro dignioris partis possessione proinde in dubio standũ erit) sed etiam si pars addita simul sumpta, sit maior præexistente, dummodo simul addita moraliter non sit; quia, cum tunc semper pars præexistens sit maior parte addita, & pars illa hanc ad se trahat, licet illæ multæ, & paruæ additiones, seu additamenta, si simul sumantur, superent magnitudine partem illam primam Ecclesiæ, quæ præextitit omnibus his additamentis; nihilominus pars addita diuisim sumpta, pro vt etiam diuisim, & moraliter diuersis temporibus addita fuit, semper vere fuit minor parte præexistente, & propterea semper facta fuit eadem cum parte præexistente, & in virtute illius consecrata, seu benedicta euasit; vnde, licet tandem plura additamenta sic addita simul sumpta conficiant partem præexistente maiorẽ, tamen modo iam explicato omnia sunt sacra, non secus ac pars illa præexistens, licet eadem illa pars præexistens iam comparata cum prædictis omnibus, & in vnum positis additamentis ei diuersa per interualla factis minor sit. ita constat ex *Cap. Ecclesijs semel, de consecrat. dist. 1. Cap. Ligneis, de consecrat. ex Anton. Sylu. Tabien. Nauar.* apud *Henriq. l. 9. c. 27. num. 5.* & expresse tradunt *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 8. sect. 4. cas. 6. Coninch. de Sacram. q. 38. num. 235. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. vlt. num. 24. Azor. p. 2. l. 10. c. 26. q. 12. Fagund. 1. præcept. Eccles. l. 3. c. 14. num. 59. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 15. & 16.* qui talem esse consuetudinem Episcoporum testatur, *Card. de Lug. de Euchar. disp. 20. num. 65. Franc. Frater eius de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 11. nu. 74. & seq. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 38. Th. del Bene de Immunit. Eccles. c. 2. dub. 11. sect. 14. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 27.* & alij communiter cum *Glos. margin. ad Cap. de Fabrica, dist. 1. de consecrat. argum. L. Domum, ff. de contrah. empt.* nec non iuxta *Cap. quod in dubijs, de Consecrat. Eccles.* & iuxta *L. quod in rerum, §. fin. ff. de legatis 1. & Gloss. in Cap. si motum, Verb. Altare, de Consecrat. Eccles.* nec non in *Cap. Proposuisti, eod. tit.*

5 Dices 1. licet pars de nouo addita Ecclesiæ sit maior præexistente parte, & eodem tempore, ac moraliter simul addita antiquæ, nihilominus vere facit vnam Ecclesiam cum priore parte, & antiqua, ergo, licet denuo non benedicatur, nec consecratur, pollutionis Ecclesiasticæ capax erit, non secus ac prior & præexistens pars.

6 Respondeo partem maiorem simul additum parti minori præexistenti fieri vnam Ecclesiam cum antiqua quo ad Immunitatis priuilegium ob deputationem, & adhæsionem illius loci ad locum iam antea religiosum, & sacrum; non tamen quo ad Pollutionis Ecclesiasticæ capacitatem, quæ consecrationem, vel benedictionem loci prærequirit, quam hic abesse dicimus ob rationem superius allatam.

7 Dices 2. Si maior pars trahit ad se minorem, ergo maior pars Ecclesiæ non sacra addita præexistenti parti minori, & sacræ efficiet

ficiet partem hanc minorem ſacram fieri nõ ſacram, & Pollutionis incapacem. Sicuti pars maior aquæ non benedictæ addita parti minori aquæ benedictæ facit, vt tota ageat benedictione noua, quia pars minor amittit tunc priorem benedictionem, ex *Durand. in Ration. Diu.offis l.4.c.4.n.10.*

8 Reſpondeo negando conſequentiam, & diſparitas eſt, quia aqua in maiori quantitate non benedicta coniuncta cum benedicta in minori quantitate ſeparari nequit, nec diſcerni, aut ſciri, quæ nam pars benedicta ſit, quæ non ſit, & proinde illud totum ſequitur maiorem partem illius, vnde quando maior pars eſt non benedicta, totum reputatur non benedictum, vel contra. Secus autem accidit in Eccleſiæ partibus, quia ſemper inuicem ſeparatæ, & diſtinctæ ſunt, & ideo illius pars indiguior, & non ſacra, licet maior in quantitate, aliam iam benedictam, vel conſecratam, licet minorem, ad ſe trahere nequit, ſed vtraque pars etiam in vnione remanet, ſicut erat ante illam.

9 Dices 3. pars noui lapidis, & ſi minima, ſi addatur ad menſam ſacratam, ſeu ad altare portabile, non fit ſacrata, ergo idem dicendum eſt de parte etiam minima addita Eccleſiæ. Non ſacrum enim acceſſione ad ſacrum tunc tantum efficitur ſacrum, quando agitur de ijs, quæ commixtione conſunduntur, vt tradunt, *Abbas in Cap. quod in dubijs, de conſecrat. Eccleſ. in fin.* & alij eum ſecuti apud *Sanch. l.c.*

10 Reſpondeo 1. negari poſſe, quod etiam in prædicto caſu non ſacrum, ſi minus principale ſit, acceſſione ad ſacrum non ſacretur, ſic enim ſenſere probabiliter dici poſſe *Gloſſ. in Cap. quod in dubijs, de conſecrat. Eccleſ. & Cap. Si motum, Verb. Altare, de conſecrat. diſt. 1. & Laym. l.c. c.6. num.5.* vnde *Fran. de Lugo l. c. c.7. q.2. num.22.* ait non apparere ſufficientem rationem, cur in liquoribus partes minores acceſſione ad maiores ſacrentur, & non in lapidibus: in artificialibus autem omnibus, quarum partes ſeorſim rationem, & appellationem non retinent, idipſum generaliter admittit *Laym. l.c.*

11 Reſpondeo 2. conceſſo etiam antecedente, adhuc negari debere conſequentiam, & diſparitatem eſſe, quia Altare, præſertim portatile, vnicus lapis debet eſſe, non duplex, quia eſſet contra communem Eccleſiæ morem, & contra myſterium, niſi Papa concedat ſpecialem licentiam, vt bene dixerunt *Sylu. V. Altare q.3. Vaſq. 3.p. diſp. 233. num. 16. Vterq. de Lugo, Io. l.c. num.67. Franc. autem l.c. num.21.* vnde lapis aræ ſacratæ additus ideo non fit ſacratus, quia moraliter non facit vnum quid cum illa: ſecus autem ſit in adiectione partis minoris ad maiorem in Eccleſia, & ſimilibus, quę, neceſſe non eſt, vt ſint vnum quid ſimplex, & non compoſitum, vt per ſe notum eſt.

12 Dices 4. Alba benedicta, ſi amittit manicas, amittit benedictionem, vt obſeruauit, *Card. de Lugo l. c.* ergo etiam minor pars trahit ad ſe minorem.

13 Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando idem dicendum eſſe de Conſecratione, ſeu Benedictione Eccleſię, nam diſparitas clara eſt; in veſtibus enim habetur maior ratio formę artificialis, & figurę, quam materię illarum, ac proinde, destructa forma artificiali, & figura illarum, etiam benedictio perditur, vt accidit in caſu allato de Alba, etiam ſi manicę materialiter ſint minor pars: Sed in Eccleſię conſecratione, vel benedictione magis attenditur quantitas materialis, quam forma, vel figura, vnde non valet argumentum ab vno ad aliud, vt patet.

14 Dices vltimo. Vinum non conſecratum, licet minimum, additum conſecrato vere non fit conſecratum, ergo multo minus pars Eccleſię non benedicta addita parti benedictæ fiet benedicta, & proinde, cum facile diſcerni poſſit, ſemper remanebit Pollutionis Eccleſiaſticæ incapax.

15 Reſpondeo, conceſſo item antecedente, negando conſequentiam; nunquam enim vinum non conſecratum aſſumere poteſt naturam Sanguinis Chriſti, vt patet ex *Cap. cum Marthæ, de celebrat. Miſſ. §. quæſiuiſti. V. præterea*, pars autem addita Eccleſiæ per talem vnionem fieri Eccleſia poteſt. Quare

16. Colligo non ſacrum iuxta prædicta additũ ſacro tunc fieri ſacrum, quando ſunt inuicem conuertibilia vnum in aliud; ſecus vero quãdo ſunt inconuertibilia, vt bene infertur ex *d. Gloſſ. in d. cap. Quod in dubijs, & ex Abbat. ibid. num. 3.*

CAPVT XXIV.

An Capellæ Eccleſiarum ſint Pollutionis Eccleſiaſticæ capaces.

SVMMARIVM.

Capellæ quadruplex Etymologia ex varijs Auctoribus affertur, num. 1.

Vndenam primum dicti ſint Capellani. ibid.

Capellæ nomen diuerſimode ſumitur, & duplex præ-

præcipuè significatio refertur, num. 2.
Quomodo hic à nobis Capella nomen accipiatur, num. 3.
Capellæ Ecclesiarum Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sunt, num. 4.
Cur Capellæ faciant vnum corpus cum Ecclesia, & sint illius partes. ibid.
Paries intermedius quando nam faciat locum separatum ab altero, licet ab vno ad alterum pateat aditus, & quando non, num. 5. & 6.
Capellæ, dummodo ab Ecclesia ad illas adsit ingressus, sēper reputantur Ecclesiæ partes. ibid.
Siuè Capellæ sint ad latera, vel capita, siue subtus terram, siue supra tectū Ecclesiæ, n. 7.

1 ADuerto 1. Capellam ex *Gloss. in Cap. Concedimus, de Consecrat. dist. 1.* deduci à Caprarum pellibus, eo quod Franci, euersa ab hostibus Templorum fabrica, donec reficerentur, tuguria erexerint, quæ Caprarum pellibus ad Diuina obeunda tegebant; ex *Azor. Instit. Moral. p. 2. l. 3. c. 8. q. 2.* Capellam dici Francice *Tegumen*, eo quod Reges Francorum tentorium sibi extruebant in castris militaribus, in quibus Sacrum audire soliti erant: ex *Durand. in Ration. Diuin. Offic. l. 2. c. 10. & Barbosa Iur. Eccles. l. 2. c. 8. num. 17. & 18.* Capellam vocari à Capa B. Martini, quam Reges Franciæ ad bella gestabant, & qui eam sub tentorio seruabant, Capellani appellabantur, & denique ex *Papia*, quem refert *Lexic. Iur. verbi Capella* Capellam appellari quasi Capiens Laon Græce; Latine autem Populum, vel Laudem. Sed, quicquid sit de Capellæ Etymologia, quæ parum hic nostram in rem facit,

2 Aduerto 2. Capellæ nomen pluribus modis accipi posse, vt videre est apud *Azor. & Barbos. ll. cc.* sed duobus in primis, nimirum primo pro modica Ecclesia, vt patet ex *Cap. 1. & per totum tit. de Capel. Monach. & alior. Religios.* siue sit Parochialis, siue Iurispatronatus, dummodo non fuerit Collegiata, nec Consecrata, vt tradit *Bernard. Iur. Pontif. Gloss. sul. in Cap. Concedimus, de Consecrat. dist. 1.* siue sit à Templo seiuncta, siue extra Templum quidem; sed Templo annexa, & adhærens, quæ etiam Ædicula, & Sacellum ab Ecclesia separatum nuncupatur. Secundo ex communiore vsu loquendi pro loco in Ecclesia ferreis, vel ligneis cancellis clauso vnum, aut etiam plura Altaria continente.

3 Aduerto 3. de Capella primo modo accepta nihil hic dicendum superesse, quia, cum ea nihil aliud sit, quam Oratorium publicum, vel priuatum, de his omnibus iam superius satis actū est. De Capella igitur secundo modo sumpta hic sermo est.

4 Dico Capellas Ecclesiæ Consecratæ, vel Benedictæ Ecclesiasticæ Pollutionis capaces esse, ita vt nunquam Ecclesia polluatur, quin polluantur etiam Capellæ, & contra nunquā polluantur Capellæ, quin polluatur Ecclesia. Ratio est, quia Capellæ vnum corpus faciunt cum Ecclesia, & sunt illius partes, ac proinde sequuntur naturam totius, & cum Ecclesia ipsa conformantur, nam etiam Capellæ ad idem munus, videlicet, ad sacrificium Missæ, aliaq. Diuina officia destinatæ sunt, & ita in terminis nostris tenent, *Megal. Instit. Peregrin. p. 1. l. 5. c. 13. nu. 11. vers. Dices. Iordan. var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 99.* & apud ipsum *Abb. in Cap. Proposuisti, num. 10. de Consecrat. Eccles.* vbi, & cæteri Canonistæ *Fusc. de Visitat. l. 1. c. 22. nu. 7. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. c. 29. §. 7. in fin. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. nu. 31. Vega. l. 2. Summ. c. 49. cas. 5. Fagund. in 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 37. Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. nu. 3. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 10. in fin.* & alij communiter.

5 Dices: ex *Cap. vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* habetur, quod paries intermedius locum faciat separatum ab altero, licet ab vno ad alterum ingressus pateat, ergo saltem ex Capellæ, quæ sic ab Ecclesia separantur, licet si consecratæ, vel benedictæ sint, sint etiam Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, non secus ac aliæ Ecclesiæ, tamen (cū tunc non faciant vnum corpus cum Ecclesia, per quam ad eas itur, nec sint illius partes) si polluantur, non polluent prædictam Ecclesiam, nec ab eadem polluta polluentur.

6 Respondeo parietem intermedium separare quidem locum ab altero, licet ab vno ad alterum pateat ingressus; non semper tamen, sed in ijs tantum, quæ non faciunt vnum corpus cum Ecclesia, vt infra videbimus de Cœmeterijs, Sacristia, Campanili, & similibus, de quibus loquitur prædictum *Cap. vnic.* Capellæ autem, cum efficiant vnum corpus cum Ecclesia propter rationem superius allatam, dummodo ad illas pateat aditus per Ecclesiam, semper pertinent ad Ecclesiæ corpus, & sic nunquam reputantur ab ea diuisæ, vel separatæ; vnde, concesso cum prædicta distinctione antecedente, neganda est in prædicto argumento consequentia.

7 Colligo tam Capellas laterales, quàm subterraneas, vel etiam supra Ecclesiæ tectum positas, si per Ecclesiā ipsam ad eas ingressus sit, adhuc censeri partes corporis totius Ecclesiæ ob prædictam illarum deputationē ad Diuina, ad quæ Ecclesia ipsa deputata est, pro vt expresse ex prædictis DD. habetur.

CAPVT

CAPVT XXV.

An Baptisteria Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Baptismi nomine quid veniat tam apud profanos, quam Sacros Scriptores, n.1.
Baptisterium quid significet ex Ethnicis, & Ecclesiasticis Auctoribus.ibid.
Baptisterium dicitur etiam Illuminatorium, *sicuti Baptismus* Illuminatio, *& quare, nu. 2.*
Baptisteria nulla fuere in Ecclesia nascente, & quare, nu.3.
Baptisteria quando nam instituta fuerint.ibid.
Baptisteria primum in priuatis ædibus, tum in porticu ante Ecclesiam, deniq. in Ecclesia ipsa, & sinistra ingredientium parte.ibid.
Baptisteria primum in solis Ciuitatibus vnica fuere, tum plura, atq. etiam in Plebanis, & Parochialibus Ecclesijs.ibid.
Baptisteria, siue intra, siue extra Ecclesiam sint, sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, nu. 4.
Baptisteria etiam à Barbaris in honore habita fuere.ibid.
Ad Baptisteria, tanquam ad Asylum, confugiebatur.ibid.
Baptisteria in omni ætate semper Consecrabantur, & Dedicationis dies festus late agebatur quotannis.ibid.
In Baptisterijs Reliquiæ, & Lucernæ ardentes seruabantur.ibid.
Baptisteria ab Ecclesijs non polluuntur, nec contra; sed ratione sui tantum polluuntur.nu.5.

1 ADuerto 1. quamuis profani Scriptores Baptismi nomine à Græcis accepto pro quolibet ablutionis genere vtantur; ab Ecclesiasticis tamen Scriptoribus Baptismū, vel Baptisma pro ea tantum ablutione sumi, quæ ab Episcopo, vel Presbytero, aut alio quocumq. sub certa verborum forma ministratur. Hinc Baptisterium Ethnicis locus, vel potius lacus quidam est ex ligno, vel lapide ædificatus, in quo lauandi gratia mergi solent, quo *Plin. Iun. l.2. epist.17.* vsus est; sed sacris Auctoribus est locus, vbi Baptismi Sacramentum ministratur, quo vsi sunt *Dionys. de Eccles. Hierarch.c.4. Athanas. Epist. ad omnes Orthod. Ambros. epist. 53. August. de Ciuit. Dei l. 22. c. 8. Gregor. Turon. Hist. Franc. l.10. c. 28. Greg. Magn. l. 11. epist. 24. Isid. Beda,* & alij passim.

2 Aduerto 2. vt inter alia Baptismi nomina, quæ plurima sunt, & videri possunt apud *Ioseph. Vicecomit. obseruat. Ecclesiastic. vol. 1. l. 1. c. 3.* illud ab auctoribus sæpissime vsurpatū est quo *Illuminatio*, seu *Illustratio*, vel etiam *Lumen* appellatur ex *Paul. ad Hebr. 6. & 10. Clement. Alexandrino l.1. Pædag. c.6. Nazianz. orat. 9. 39. & 40.* ita Baptisterium ipsum *Illuminatorium* nuncupatur à *Symeon. Metaphr. in Vita S. Martini Presbyteri* quia Baptizatorum mentes Christi Fide per Baptismum illuminantur.

3 Aduerto 3. quamquam Baptisteria primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus in vsu nō erant; sed in fluminibus, fontibus, vijs, & carceribus ipsis Baptismi Sacramentum administrabatur, vt constat ex *Act. 8. & 16.* vel Baptizandorum multitudini, rerumq. omnium, quibus Ecclesia premebatur, angustijs consuleretur; aucto tamen Ecclesiæ cultu, ac splendore, Baptisteria amplissima inde vsq. à D. Dionysij temporibus, vt iam innuimus, instituta fuisse, & stabili in Ecclesia vsu ad nos etiam peruenisse, quorum certe locus primū priuatis in ædibus *ex Marcelli Pontif. Vita*, tū in abditis extra vrbem locis *ex Socrat. Histor. Ecclesiast. l.1. c.16. & Sozomen. Histor. Ecclesiast. l.2. c.23.* deinceps in Porticu ante Ecclesiam, ac deniq. in Ecclesia ipsa, & quidem in sinistra ingredientium parte, constitutus est. Vnicum autem primum in solis, & singulis Ciuitatibus Baptisterium fuit, tum plura, atque adeo etiam in Plebanis, & Parochialibus Ecclesijs ædificata, vt constat ex prædicto *Ioseph. Vicecom. l. c. d. c. 3. vsq. ad 13.* vbi de Baptisterijs plurima lectu dignissima collegit, & ex *Tob. Coron. de S. Templ. p. 1. c. 46.*

4 Dico Baptisteria, siue intra, siue extra Ecclesiam sint, Pollutionis Ecclesiasticæ capacia esse. si sint intra Ecclesiam, cum non differant reipsa à Capellis (nisi fortè in hoc, quod illæ ad Missæ Sacrificium principaliter; ista autem ad Baptismi Sacramentum ministrandum destinantur) ac proinde sint partes Ecclesiæ, & vnum cum ea corpus efficiant, idipsum etiam de Baptisterijs dicendum hic est, quod *Cap. præcedenti* de Capellis iam dictum est. Si vero sint extra Ecclesiam, cum non solum à Fidelibus, & Christianis; sed etiam à Barbaris ipsis nationibus Baptisteria in honore habita fuerint, vt patet *ex Epistola Aegyptiorum Episcoporum, & Cleri Alexandrini ad Leon. Imperat. apud eundem Vicecom. l. c. c. 13.* nam ad Baptisteria, tamquā ad Asylum confugiebatur, quod Loci sanctitatem testatur, cumque in omni ætate semper obseruatum fuerit, vt Baptisteria solemni cære-

M monia

monia, ac statis precibus benedicerentur, cõsecrarentur, & ad prædicti Sacramenti vsum deputarentur, immo prædictæ Dedicationis dies, seu Consecrationis Festum læte quotannis agitaretur, vt veteres historiæ, & SS. Patrum monumenta declarant, vt patet ex *Pij Pontificis Vita ab Anastas. Bibliothec. scripta*; ex *Gest. S. Marcel.* ex *Damas. in Vit. S. Sylvest. Sidon. Apollin. epist. 25. l. 4. Amalar. Fortun. de Eccles. Offic. l. 1. c. 28.* & ex ipso *Ordin. Roman.* qui Consecrationis prædictæ modum tradit, & denique in Baptisterijs omnibus Reliquiæ Sanctorum locarentur, nec non lucernæ cum perpetui luminis alimento, vt erudite probat idem *Vicecom. l. c.* propterea etiam Baptisteria extra Ecclesiam posita, cum vere, & proprie Ecclesiæ sint, non secus ac Ecclesiæ, Ecclesiasticę Pollutionis capacia omnino dicenda sunt.

5 Colligo, si Baptisteria sint Ecclesiæ partes, & vnum cum ea corpus faciant, pollutis Ecclesijs pollui Baptisteria, & contra, pro vt de Capellis diximus; si verò ab Ecclesijs separata sint, nec vnam cum ea corpus constituant, esse quidem per se, & ratione sui ipsorum Pollutionis capacia, cum vere sint, vt dixi, & proprie Ecclesiæ; non tamen Pollutis alijs Ecclesijs ea pollui, nec contra, vt clare constat ex iam dictis.

CAPVT XXVI.

An Locus supra Ecclesię Tectum Ecclesiasticæ Pollutionis capax sit.

SVMMARIVM.

Ecclesiarum aliæ vnicum, aliæ duplex Tectum habent, num. 1.

Quid sit Tectum primum, Tectum supremum, & Intertectum. ibid.

Locus supra supremum Ecclesiæ Tectum non est Pollutionis Ecclesiasticæ capax, num. 2.

Confugiens tamen ad prædictum locum cur gaudeat Ecclesiastica Immunitate. ibid.

Ambitus internus Ecclesiæ quibus extremis claudatur. ibid.

Ambitus prædictus tantum venit nomine Ecclesiæ in hac odiosa Pollutionis Ecclesiasticæ materia. ibid.

Si in Intertecto adsit Capella, ad quam pateat aditus per ipsam Ecclesiam, tunc illud Pollutionis huius capax est, num. 3.

Etiamsi Capella addita fuerit post Ecclesiæ Benedictionem. ibid.

Exemplum affertur de Sodalitio S. Rochi Venetijs. ibid.

Si non sit aditus per Ecclesiam inferiorem ad superiorem Capellam, vel Ecclesiam, vna non censetur pars alterius, nec faciunt vnum corpus. ibid.

Exemplum adducitur de Ecclesia S. Francisci Assisij, vbi tres Ecclesiæ omnino segregatæ sunt, & cur vna polluta non polluantur reliquæ. ibid.

Intertectum Ecclesiæ ex se non est Pollutionis Ecclesiasticæ capax, num. 4.

Si suspendatur homo à parte externa tecti, Ecclesia non polluitur; secus autem, si à parte interna, num. 5.

1 ADuerto 1. Ecclesiarum Tectum modo vnicum, modo duplex esse: aliquæ enim nec laquearia habent, nec fornices; sed merum tectum tegulatum, quod Ecclesiam desuper claudit, & imbres simul imbricibus arcet; aliquæ vero duplex tectum habent, alterum fornicatum, aut certe tabulatum, alterum tegulatum, aut imbricatum: illud *primum*, hoc *supremum*, spatium autem inter vtrumque *Intertectum* claritatis ergo deinceps appellabimus.

2 Aduerto 2. si loquamur de supremo Ecclesiæ Tecto, quod imbres arcet, certum omnino esse, quod locus supra illud non sit intra Ecclesiam, cum internus Ecclesiæ ambitus, qui solus venit nomine Ecclesiæ quo ad hunc effectum Pollutionis Ecclesiasticæ, claudatur his extremis, videlicet, Pauimento, Tecto, & Muris circumductis, vnde quicquid non est intra hæc extrema, extra Ecclesiam ipsam est, vt videre est apud Auctores infra citandos. Dixi autem quo ad hunc effectum Ecclesiasticæ Pollutionis, quia, vt sæpius diximus, cum sit odiosus, restringendus est; quo ad effectum vero Ecclesiasticæ Immunitatis, cum fauorabilis sit, ampliandus est: vnde, qui supra Ecclesiæ tectum est, cum sit intra situm Ecclesiæ, dicitur esse in Ecclesia, & delinquens illuc confugiens prædicta loci illius Immunitate gaudere debet ex *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 9. nu. 8. Mar. Ital. de Immunit. Eccles. l. c. c. 4. §. 9. nu. 24. & 25. Farin. Append. de Immunit. c. 17. num. 282. Peregrin. de Immunit. c. 4. num. 40. & sequentibus. Sperel. decis. 63. num. 9.* qui idem asserit etiam de tecto Palatij Episcopalis, &c. *Dian. p. 6. tr. 1. resol. 3. §. Quod autem. Persic. de Offic. Sacerd. l. 1. c. 9. dub. 11. nu. 98.* & alijs penes ipsos.

3 Aduerto 3. difficultatem hic proinde esse posse tantum de capacitate illa, quæ alicubi est inter primum, & supremum Ecclesiæ tectum, quam Intertectum nominauimus. &

certe,

certe, si ibi adsit Capella eiusdem Ecclesiæ, ad quam pateat aditus per ipsam Ecclesiam, iam supra *c.24.num.vlt.* dictum est eam censeri, & esse Ecclesiæ partem, & vnum cum Ecclesia inferiori corpus esse, licet prædicta Capella (quod etiam dico de alia extra prædictum Intertectum posita, vt clare dixit *Fr. de Lugo de Sacram.p.1.l.5.c.6.q.13.n.101.*) addita sit post templi Benedictionem, ac proinde, si polluatur corpus ipsum Ecclesiæ, pollui etiam eius partes; & contra, polluta aliqua Ecclesiæ parte, pollui totum eiusdem corpus: vnde tunc tale Intertectum absque dubio ob prædictam Capellam sic ibi positã esset pollutionis Ecclesiasticę capax eo prorsus modo, quo Capellæ aliæ eiusdem Ecclesiæ extra Intertectũ pollutionis capaces sunt, iuxta dicta *cap.cit.* quod passim videri potest multis in locis; sed præcipue Venetijs in pulcherrimo Sodalitio S. Rochi, vbi, quia ab Ecclesia inferiori patet ascensus ad superiorem, vtraque pars illa censetur vnum vnius Ecclesiæ corpus, ac proinde, vna polluta, polluitur & alia; secus autem accidit Assisij in Ecclesia S. Francisci, vbi cum adsint, vt fertur, tres concamerationes omnino segregatæ altera super alteram, nec ex vna ad alteram ingressus pateat, si vna polluatur, illus pollutio ad alias non extenditur, vnde reliquæ impollutæ permanent, vt expresse docet, & refert *Iordan.var.Elucubr.tom.1.l.5.tit.12.nu.83.& 84.* dubium ergo solummodo remanet de prædicta capacitate, seu Intertecto, si nulla ibi sit Capella; licet aditus pateat ab Ecclesia ad locum illum, vt pluribus in locis patere solet.

4 Dico prædictum Ecclesiæ Intertectum ex se Ecclesiasticæ Pollutionis capax non esse, quia, licet sit intra supremum Ecclesiæ tectũ; est tamen extra primum, & proprium eiusdem tectum, ac proinde extra internum Ecclesiæ ambitum, qui solus, vt diximus, in hac odiosa Pollutionis Ecclesiasticæ materia dicitur Ecclesia. ita expresse *Gloss. in Cap.vn. de Consecrat.Eccles. vel Alt. in 6.verb.Sanguinis. ibiq. Io.Andr. num.2. Dominic.num.8. Ancharan.num.2. Franc.num.6. Archid.cap.Ecclesiæ, de Consecrat. dist.1. num.2. Henric.Cap.fin. num.4. eod.tit. Rosel. Angel. Sylu. Tabien.* & alij penes *Sanch. de Matrim.l.9.disp.15.nu.26. Suar.tom.3.in 3.p.disp.81.sect.4.initio. Nauar. in Man.c.27.num.256. Azor.tom.1.l.10.c.26. q.13.§.rogabis,an siquis. Graff.Vega, Lopez, Sà,* & plures apud *Fagund.de 1.Eccles.precept.l.3. c.14.n.38. Bonac.tom.2.disp.3.q.7.pun.4.n.20, Pontius de Matrim.l.10.c.10.num.3. Laym.l.5. tr.5.c.5.num.10. Peregrin. Franc.de Lugo, Perficus, & Diana ll. cc.* cum multis alijs.

5 Colligo cum *Fagund. Sanch. Iordan. ll. cc.* caute legendum esse *Rodriq.tom.1.sum.edit.2. c.154.num.10. conclus.9. & num. 7. conclus. 6.* dum asserit Ecclesiam non pollui, si suspendatur homo ex ipsius tecto: intelligendus enim est, si suspendatur à parte externa tecti; nam, si suspendatur à parte interna, manifestum est intra Ecclesiam fieri, & ideo tunc Ecclesiam, in qua id fit, vere pollui.

CAPVT XXVII.

An Locus subter Ecclesiæ pauimentum Ecclesiasticæ Pollutionis capax sit.

SVMMARIVM.

Loca subter Ecclesiæ pauimentum sunt triplicis speciei, num.1.

Sepultura, & Sacella subter Chorum, vel aliam Ecclesiæ partem, vulgo alicubi dicta Sotto confessi, *ad quæ pateat aditus per Ecclesiam, sunt partes Ecclesiæ, num.2.*

Secus vero, si ad ea per Ecclesiam desit ingressus, num. 3.

Prædictis locis si desit deputatio ad Fidelium Sepulturas, vel ad Diuinos vsus, licet ad ea non desit aditus per Ecclesiam, non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.

Loca prædicta cur secundum aliquos Immunitate Ecclesiastica gaudeant, num.5.

Licet sint intra muros Ecclesiæ, cur nihilominus non veniant hic nomine Ecclesiæ, num. 6.

Quomodo ea loca dici possint Ecclesiæ accessoria, num.7.

Quandonam principale trahat ad se accessorium, num.8.

Pauimentum Ecclesiæ ex se separat locum ab alio, prout facit etiam ex se murus, seps, & similia, vt ex infra dicendis patebit, num. 9.

1 ADuerto 1. loca subter Ecclesiæ pauimentum (quod etiam propter eandem rationem dicendum est de locis supra Ecclesiæ tectum, vt ex iam dictis colligi potest) esse posse in triplici differentia; aliquando enim & aditus ad ea patet per Ecclesiam ipsam, & ea loca sunt Diuinorum celebrationi, aut Fidelium sepulturæ dicata; aliquãdo deest tantum aditus prædictus ad ea loca per Ecclesiam, licet ea loca prædictis vsibus dicata sint; aliquando etiam deest tum aditus prædictus, tum ipsa prædictorum locorum deputatio ad prædictos vsus.

2 Aduerto 2. indubiam rem esse, quod si loca subter Ecclesiæ pauimentum sint vel sepeliendis corporibus, vel Diuinis Officijs deputata (qualia in multis Ecclesijs subter Chorum, siue aliam Ecclesiæ partem effodiuntur, & exornantur, erecto ibi Altari pro Missis, & vocantur alicubi vulgo *Sotto confessi*) & pateat ad ea loca per Ecclesiam aditus, tunc ea loca censeri corporis Ecclesiæ ipsius membra, seu partes, non secus ac Capellæ aliæ, & Solum ipsum, seu pauimentum eiusdem Ecclesiæ, ità *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15 nu. 37. in fin. Fagund. de 1. Eccles. pracep. l. 3. c. 14. n. 39. Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. num. 9. Mazpubel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. q. 3. diffic. 1. nu. 77. Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 87. & 88.* & alij communiter cum *Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 13. num.* 101.

3 Aduerto 3. si ad prædicta loca sepeliendis corporibus, vel Diuinis vsibus deputata subter Ecclesiæ pauimentum ædificata desit aditus per Ecclesiam, certum item esse, quod ea loca eiusdem Ecclesiæ partes nō sint, quia cum ea tunc non coniunguntur in vnum corpus, ac proinde, cum illa loca sint tunc quid separatum ab Ecclesia, de ijs idipsum dicendum erit, quod de alijs omnino separatis Ecclesijs iam alibi dictum est; maximè *Cap. praecd. nu.* 3. quodque de Cœmeterijs infra dicemus.

4 Dico loca subter Ecclesiæ pauimentum posita, si nec Fidelium corporibus sepeliendis, nec Diuinis Officijs deputata sint, siue ad ea per Ecclesiam, siue per aliam viam aditus pateat, non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, quia, cum sint extra internum Ecclesiæ corpus, nec sint ex se vere Ecclesia, vel Fidelium sepulturis deputata, vt suppono, consequenter nec ratione sui, nec ratione Ecclesiæ, cuius non sunt tunc partes, pollutionis Ecclesiasticæ capaces erunt. ità *Gloss.* communiter recepta *in Cap. vnic. de Cōsecrat. Eccles. vel Altar. in 6.* vt videre est apud DD. omnes supra *num. 2. & praeced. Cap. num.* 4. à nobis relatos, qui vno ore hoc ipsum tradunt.

5 Dices 1. prædicta loca subter Ecclesiæ pauimentum ædificata sunt intra Ecclesiæ muros, & idcirco Immunitatis Priuilegio gaudere debent ex *Peregrin. de Immunit. c. 4. n. 45. & Mar. Ital. apud ipsum*, ergo in Ecclesia esse videntur, & consequenter Pollutionis Ecclesiasticæ capacia dicenda sunt.

6. Respondeo esse intra muros, & quidem principales, ac fundamentales ipsiusmet Ecclesiæ; sed non esse intra corpus interius Ecclesiæ, quod, ex dictis, solummodo Ecclesiæ nomine venit in hac materia, vnde in argumento negatur vltima consequentiæ pars.

7 Dices 2. loca ista, seu supra tectum, seu subter pauimentū Ecclesiæ sint, sunt Ecclesiæ accessoria, ergo saltem polluta Ecclesia polluentur & ipsa, pro vt de Cœmeterijs Ecclesiæ annexis suo loco dicemus.

8 Respondeo prædicta loca esse materialiter tantum Ecclesiæ accessoria, non formaliter: deest enim prædictis locis ea deputatio ad Fidelium sepulturas, ac proinde capacitas Pollutionis Ecclesiasticæ, quam non acquirunt ex sola connexione locali, seu contiguitate materiali loci cum loco materiali ipsius Ecclesiæ: vnde tunc solummodo principale vere trahit ad se aliquid, tanquam accessorium, quando istud non solum materialiter; sed etiam formaliter illi accessoriū est, vnde patet prædicti argumenti solutio.

9. Colligo, licet Ecclesiæ Benedictio, pro vt alibi etiam diximus, ipsiusmet Ecclesiæ pauimento inhærere censeatur; non propterea tamen censenda esse Benedicta loca prædicta subterranea eidem pauimento contigua, vel supposita, quia, sicuti murus, seps, tabulatū, tela fixa, & similia, vt dicemus, cum de Cœmeterijs, vel Confessorijs sermo erit, locum ab alio separant, ita etiam pauimentum Ecclesiæ ex se loca subterranea à superioribus segregat, nec Benedictio Ecclesiæ ex se prædicta loca comprehendere videtur.

CAPVT XXVIII.

An Sacristia, seu Sacrarium Ecclesiasticæ Pollutionis capax sit.

SVMMARIVM.

Sacristiæ *nomine quid intelligatur, num.* 1.

Sacristia *dicitur etiam* Sacrarium, Secretarium, Pastophorium, Vostiarium, *&c. ibidem.*

Pastophorium *quid significet. ibid.*

Quotuplex sit Sacristia, num. 2.

An Sacristia Regularium comprehendatur sub Clausura Monasteriorum. ibid. remiss.

Sacristia, si mortui in ea sepeliantur, tunc Pollutionis Ecclesiastica certo capax est. ibid.

An Sacristia sit capax Pollutionis huius, si in ea sit Altare, & Missa celebrentur. ibid.

Sacristiam quinam Pollutionis huius capacem censuerint, num. 3.

Sacristia non est Pollutionis Ecclesiastica capax, num. 4.

Sacristia

Sacristia cur videatur facere vnum corpus cum Ecclesia, num. 5.

Cur paries intermedius, licet per eum pateat adhuc aditus ab vna parte ad aliam, omnino segreget ab Ecclesia Sacristiam, & non Capellas, num. 6.

Cur similis paries omnino segreget ab Ecclesia Cœmeterium. ibid.

Quare Cœmeterium, polluta Ecclesia, polluatur, & non polluatur, polluta Ecclesia, Sacristia. ibidem.

Quomodo etiam Sacristia videatur quid Ecclesiæ accessorium, num. 7. 8. & 9.

Vnde colligi videatur, quod in Sacristia ratione loci aliquando committi possit Sacrilegium, num. 10.

In Sacristia nunquam committitur ratione loci Sacrilegium in foro poli; sed in foro fori, & quomodo hoc verum sit, num. 11.

Sacristia nunquam propriè est locus Sacer in ordine ad hunc effectum Pollutionis, sed in ordine tantum ad Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegium. ibid.

Si ex Capella fiat Sacristia, vt desinit esse pars Ecclesiæ, ita desinit esse Pollutionis Ecclesiasticæ capax, num. 12.

1 ADuerto 1. *Sacristiæ* nomine intelligi locum illum, in quo reponitur, & asseruatur sacra supellex, sacer ornatus, sacrum instrumentum, eundem locum *Secretarium* appellat *Vualafrid. Stab. de rebus Ecclesi. ast. c. 6. Secretarium* vocat *Martin. Pontif. Cap. Non liceat, distin. 23. cum Gloss. ibi, Pastophorium* nominat *S. Clem. Rom. l. 2. Constitut. c. 61.* dum præcipit *Ecclesias habere duo Pastophoria*, idest, duos *thalamos*, seu *interiora Cubicula*, vt explicat *D. Hieronymus in Ezechiel. c. 42.* quorum vsum duobus Distichis *B. Paulinus. Nolan. Epsc. epist. 12.* descripsit, & vtrique inscripsit:

A dextra Apsidis.

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.

A sinistra eiusdem.

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas;
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Vestiarum dicit *Iac. Pontan. Progymn. vol. 3. par. 2. progy. 71.* & alij alijs nominibus nuncupant, vt videre est apud *Tob. Coron. de Sacr. Templ. p. 1. c. 9. Baron. Annal. Ecclef. tom. 1. an. 57. Hieron. Rom. de Rep. Christian. l. 4. c. 2. Mar. Isal. de Immunit. Ecclef. l. 1. c. 4. num. 3. Iordan. var. Elucubr. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 78. & 79.*

2 Aduerto 2. sermonem hic esse de Sacristia, vt aiunt, formata, i. quæ sit cubiculum ab Ecclesia distinctum, siue sit Ecclesiæ contiguum, siue non, siue comprehendatur sub Clausura in Monasterijs Regularium, siue non, qua de re fusè agit *Cassin. loco mox citando tit. 6. per totum*, non vero de Choro aperto ante, vel post Altare, in quo aliquando est armarium, ibique induuntur Sacerdotes ad sacrum faciendum; certum enim est hunc locum esse partem Ecclesiæ, & de eo idem dicendum esse, quod de Choro ipso, vel alijs Ecclesiæ partibus, vt bene adnotauit *Laym. Cassin. in Mystag. Regul. Catech. tit. 6. num. 1.* neque etiam de Sacristia formata; in qua tamen mortui sepeliantur; quia ratione sepulturæ tunc illa pollutionis capax est, vt de Regularium Claustris in tali casu dicemus, cum de Cœmeterijs tractabimus. An vero Sacristia, in qua, vt colligitur ex eodem *Cassin. ibid. nu. 17.* aliquando Missæ celebrantur, ibique proinde adest Altare, seu Capella ad prædictum celebrationis effectum, sit ex hoc capite pollutionis huius capax, ex iam dictis de Oratorijs Publicis, & Priuatis tam Sæcularium, quam Regularium colligi facile potest.

3 Aduerto 3. rationem dubitandi quo ad Sacristiam formatam, in qua nec Missæ celebrentur, nec mortui sepeliantur, inde enatam videri, quia non defuerunt neoterici quidam, teste *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. n. 31. & Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. nu. 79.* inter quos est *Zerol. in prax. Pænit. c. 12. q. 27. & Selua* apud *Dian. l. mox citando*, qui Sacristiam absolute Ecclesiæ partem dixisse videntur, & consequenter Ecclesiasticæ Pollutionis capacem esse non negarunt.

4 Dico Sacristiam non esse Ecclesiasticæ Pollutionis capacem, quia non est Ecclesiæ pars, nec Cœmeterium; sed cubiculum ab vtroque reipsa segregatum tum muro, tum munere, vt suppono: neque enim ex se est Diuinis Officijs, vel Fidelium sepulturis; sed sacrarum vestium, rerumque similium custodiæ deputata, quod eam certè Pollutionis huius capacem non facit: ita *Sanch. Iordan. & Mazuch. ll. cc. Megal. Inst. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. nu. 11. Franc. de Lugo de Sacram. par. 1. l. 5. c. 6. q. 13. num. 101. Graff. decis. Aur. l. 2. c. 48. n. 9. Sotus in 4. dist. 34. q. 1. art. 3. Azor. p. 3. l. 3. c. 27. q. 13. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 166. Cassin. l. c. tit. 7. num. 14. Fagund. in pr. Eccl. Præcep. l. 3. c. 14. num. 41. Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. num. 3. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 10.* & alij apud eos.

5 Dices 1. paries intermedius, dummodo per eum sit aditus, non impedit, quin Capellæ aliquæ sic ab Ecclesia diuisæ faciant adhuc vnum corpus cum eadem Ecclesia, vt su-

pra

pra diximus *Cap.26.num.3.* pro vt etiam non impedit, quin, polluta Ecclesia, polluatur etiam Cœmeterium Ecclesiæ contiguum, vt infra videbimus; licet cœmeterium ab Ecclesia per similem murum diuidatur, ergo neq; mutus huiusmodi impedit, quin Sacristia, licet ab Ecclesia per eum diuisa, remaneat adhuc Ecclesiæ Pars, vel Accessorium, & polluta Ecclesia, polluatur etiam ipsa.

6 Respondeo, concessa vtraq. antecedentis parte, negando consequentiam, disparitas autem quo ad Capellas est, quia, licet prædictus paries (per quem tamen fit aditus à reliquo Ecclesiæ corpore ad eas) quodammodo materialiter eas ab Ecclesia aliquomodo separare videatur; nihilominus moraliter et adhuc censentur reipsa Ecclesiæ pars, & vnum, idemque cum eadem Ecclesia corpus tum ob rationem iam allatam, videlicet, quia formaliter ad illud idem officium deputatæ sunt, ad quod eadem ipsa Ecclesia, tum etiam quia per vnam, & eandem ipsam omnino Benedictionem, vel Cõsecrationem cum Ecclesia ipsa benedicuntur, vel consecrantur, nec propterea reputantur altera Ecclesia diuersa, quomodo altera, & diuersa Ecclesia essent, licet contigua, si non solum paries prædictus cum prædicto aditu intermedius inter vtramque esset; sed etiam per distinctam Benedictionem, vel Consecrationem benedictæ, vel consecratæ essent, & ad eas per aliam etiam magis propriam, & principaliorem ianam, quam per prædictum alterius Ecclesiæ aditum, pateret ingressus, vt alibi etiam dicetur. Sacristia vero per prædictum parietem etiam moraliter omnino segregata remanet ab Ecclesia ob defectũ prædictæ Deputationis, & Benedictionis eiusdem cum Ecclesia, vt per se patet. Quo ad Cœmeterium verò disparitas item est, quia, licet illud vere sit quid etiam moraliter omnino separatum ab Ecclesia, nec vnum corpus cum ea conficiat, in quo non differt; sed conuenit cum Sacristia ipsa; tamen cum etiam aliunde esse possit pollutionis capax ob specialem Deputationem, & Benedictionem, seu Consecrationem, quam habet, ita vt, etiamsi Cœmeterium non esset Ecclesiæ contiguum, sed longè dissitum, & remotum, adhuc esset pollutionis huius capax, vt suo loco constabit, idcirco per Sacros Canones specialiter, vt expresse habetur in *Cap.Si Ciuitas, de sent. Excom. in 6. & in Cap. vnic. de Consecrat. Eccles. vel Alt. in 6.* statutum est, vt, quando Cœmeterium est Ecclesiæ contiguũ, & polluitur Ecclesia, polluatur etiam ipsum Cœmeterium, non eo quia illud sit, vt dixi, Ecclesiæ pars; sed, ne in vilipendium veniant Ecclesiasticæ censuræ, & pœnæ, indeque magis timeantur ob effectum sic latius patentem, & se se etiam ad hoc accessorium extendentem, quod etiam optime animaduertit *Megal. l.c.* In Sacristia autem non militat prædicta ratio, nec Canonum determinatio, vnde non valet ab vno ad aliud argumentari in dissimilibus.

7 Dices 2. ergo Sacristia, si non vt pars, saltem vt quid Ecclesiæ accessorium, videtur esse posse Pollutionis Ecclesiasticæ capax.

8 Respondeo 1. Sacristiam non esse Ecclesiæ accessorium formaliter; sed tantum materialiter, vt superius innui, quia Sacristia caret ea deputatione ad Fidelium sepulturas, & ea benedictione, quæ Cœmeterium constituit ex se Pollutionis huius capax, & facit illud esse, si Ecclesiæ simul contiguum sit, Ecclesiæ formaliter accessorium.

9 Respondeo 2. etiam si daremus Sacristiam esse Ecclesiæ accessorium, adhuc non valere in ea argumentum de Cœmeterio; quia Sacri Canones hoc de Cœmeterio tantum; non de alijs locis Ecclesiæ contiguis decreuere.

10 Dices 3. ex *Gratiano in Cap. Quisquis inuentus*, Sacrilegium committitur, si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiæ fuerint, vel domos, quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo, ergo saltem si Sacristia fuerit intra triginta prædictos passus Ecclesiasticos, poterit in ea ratione loci committi Sacrilegium, ac proinde erit tunc locus Pollutionis Ecclesiasticæ capax, cuius opinionis videtur esse *Decian. Tract. Crim. l.6.c.24.num.33.*

11 Respondeo ibi sermonem esse non de peccato; sed de pœna in foro fori infligenda, ita vt fures illi puniendi sint veluti Sacrilegi, licet in foro poli ij sacrilegi nequaquam iudicandi sint, cum tunc Sacristia non sit locus quo ad hunc effectum sacer; sed tantum quo ad effectum Immunitatis Ecclesiasticæ, quæ non solum locis proprie sacris; sed etiam eorum finibus concessa est, vt patet ex *L.præsenti, §.1.C.de ijs, qui ad Eccles.confug.* & docet *Megal.l.c.prædict.num.11. vers. Nec obstat.*

12 Colligo, si fiat Sacristia, vbi prius fuit Capella Ecclesiæ, non esse amplius Pollutionis Ecclesiasticæ capacem, quia non est amplius locus ille Ecclesiæ pars, nec est Diuinis vsibus, aut Fidelium sepulturis deputatus, quod necessario requiritur ad locum quemcumq. Pollutionis Ecclesiasticæ capacem faciendum, vt sæpius superius dictum fuit.

CAPVT

CAPVT XXIX.

An Campanile Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Quid per Campanilis *vocem significetur*, *nu.* 1.
Campanæ, & Nolæ *nomen vnde sumptum. ibid.*
Campanæ quomodo à Latinis Scriptoribus appellentur. ibid.
Campanarum vsus in Templis à quonam inductus. ibid.
Campanis ad plura significanda vtebantur Romani, alijque populi in profanis, num. 2.
Campanarum multiplex vsus etiam in sacris apud Christianos. ibid.
Campanilia alia ad vsum Sacrum, alia ad profanum sunt; sed de primis hic sermo est. ibid.
Cur de Campanili à multis dubitari soleat, num sit Pollutionis Ecclesiastica capax, num. 3.
Campanile non est prædictæ Pollutionis capax, num. 4.
Etiamsi sit supra ipsam Ecclesiam, vel Capellas, & intra Ecclesiam pendeant Campanarum funes, per quos eæ pulsentur, num. 5.

1 ADuerto 1. per Campanile hic significari Locum editum, in quo Campanæ poni, & pulsari solent, quod etiam ab alijs Turris Campanaria, seu Cymbalorum vocari solet, & eleganter; sed subobscure à *Plinio l. 36. c. 13.* describitur his verbis. *Pyramides ita fastigiatæ, vt in summo Orbis aneus, & petasus vnus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ longè sonitus referant*: per Campanas autem intelligi Vasa illa ænea, quæ à Latinis Scriptoribus etiam ante Christi aduentum *Æra*, *Peluès*, *Lebetes*, & *Tintinnabula* dicebantur, sumptis modo ab illarum materia, & metallorum diuersitate, modo à forma, & figurarum varietate, modo etiam à sono, & effectuum multiplicitate nominibus, vt erudite obseruarunt *Magius de Tintinnab.* & *Rocca de Campan.* quorum vsum in Sacris Templis à Sabiniano, seu secundum alios Sauiniano, Pontifice institutum docent *Polydor. de rer. inuent. l. 6. c. 12. & Panuin. in Vit. Sum. Pontif.* Licet Auctores alij fere omnes S. Paulinum Nolanum Episcopum in Campania Campanarum Auctorem fuisse referant, indeque maiores Campanas à Campanie Prouincia; minores autem Nolas à Nolæ Ciuitate nomen suum sortitas esse doceant, ita *Vualafr. de reb. Eccles. c. 5. Durant. de ritib. Eccles. l. 1. Durand. in Ration. Diu. Offic. l. 1. c. 4. nu. 1. Io. Bapt. Rub. in Nou. Rat. Diu. Offic. l. 1. cap. 5. Rhodig. Antiq. lib. 19. c. 11. Tob. Coron. de Sacr. Templ. p. 1. c. 74.* qui vtramque sententiam conciliat, nec improbabiliter.

2 Aduerto 2. sicuti antiquitus apud Romanos, & alias etiam Gentes erat ad plura significanda, vnde Campanæ pluribus in locis propterea collocabantur, modo in Thermis, seu Balneis, vt introeundi, vel exeundi tempus indicaretur, ex *Martial. l. 14. Epigr.*

Redde pilam, sonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

modo publico alio in loco populi ad nundinas conuocandi gratia, ex *Plutarch. l. 4. Sympos. q. 4. & Strabon. l. 14. Geograph.* modo in Palatijs ipsis Principum, vel Magnatum, vt Serui, vel Mancipia ad statas actiones congregarentur, modo alibi ad alia, sed præcipuè ad Horologiorum Horas publice denotandas, ad Magistratus, Ciues, & huiusmodi cœtus conuocandos, quorum plura etiamnũ in vsu sunt; ita quoque Campanarum vsum in sacris non solum Gentilium, & Hebræorũ, vt colligitur ex *Lucian. de Syriæ Dea, Polyd. de Dijs Gent. Robortel. in Act. Aug. l. 3. c. 90. Ioseph. Hebr. Antiq. l. 8. & 11.* sed etiam Christianorum, maxime postquam Christianæ Reip. à Constantino pax reddita fuit, multiplicem fuisse, & adhuc esse, vt patet ex duobus illis Versibus Leoninis à *Gloss. in Cap. Quia cunctos, de offic. Custod. in Extrau. l. 1.* allatis, in quibus Campana sic de se ipsa loquitur.

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, Pestem fugo, Festa decoro.

Ex quibus omnibus constat Campanilia alia esse ad vsum sacrum, alia ad profanum, de quorum vltimis nullus hic sermo est, quia certum est ea esse omnino profana, cum in locis etiam omnino profanis esse soleant.

3 Aduerto 3. cum Campanilia ad vsum Sacrum Ecclesiæ sæpe contigua sint, & ad ea per Ecclesiam aditus pateat, nec non conuocandis ad Diuina Officia Populis inseruiant, ita vt Diuinis quodammodo vsibus deputata videantur, propterea ab Auctoribus multis quæri, num Campanilia prædicta ita sint locus sacer, vt commissa v. g. in ijs fornicatio sacrilegium dicatur, & ita polluatur, vt reconciliatione indigeat, pro vt videre est apud eos, quos *seq. num.* referemus.

4 Dico Campanile non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capax, quia est extra internum

Ecclesiæ

Ecclesiæ ambitum eo prorsus modo, quo Sacristia ex dictis *Cap. præced.* ita *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 30. cum Soto, Nauar. Angles, Manuel. Lud. Lopez, Graff. Vega, & Casredo* apud ipsum, *Henriq. l. 5. de Pœnit. c. 6. n. 5. ad marginem lit. H. Fagund. in 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. nu. 41. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Alleg. 28. num. 45. Pont. de Matrim. l. 10. c. 10. nu. 3. Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. n. 79. Iordan. uar. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 85. Fran. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 13. nu. 101. Cassin. in Mystag. Regul. Catech. tit. 7. n. 14. Dian. p. tr. 4. resol. 166.* contra *Zerol. in prax. Pœnit. c. 12. q. 27.*

5 Colligo, etiam si Campanile fundatum sit supra Ecclesiæ ipsius tectum, seu supra illius columnas, aut capellas, ita vt Campanarum etiam funes in Ecclesiam pendeant, & subter tectum videantur; nihilominus, quo ad eam partem Campanilis, quæ est supra primum Ecclesiæ tectum, adhuc standum esse in prædicta nostra conclusione, pro vt diximus de intertecto; quo ad eam vero partem, quæ subter prædictum Ecclesiæ tectum est, in qua funes pendent, & per quos Campanæ pulsantur, cum hæc vere sit Ecclesiæ pars, idem dicendum esse, quod de reliquis Ecclesiæ partibus.

CAPVT XXX.

An Ecclesiarum Cameræ, seu Cellæ Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sint.

SVMMARIVM.

Cameræ, seu Cellæ adhærentes Ecclesiæ, si non sint Diuinis vsibus, aut Sepulturis Fidelium deputatæ, licet ad eas per Ecclesiam aditus sit, non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, num. 1.

Idem multo magis dicendum est de Septis, Claustris, Conclauibus, & similibus locis, licet intra Ecclesiæ Clausuram sint, num. 2.

Cameræ, seu Cellæ inter vnam, & aliam Ecclesiæ Capellam cur non videantur Ecclesiæ partes, num. 3.

Prædictæ Cameræ, seu Cellæ non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, num. 4.

Quomodo differant ab Ecclesiæ Andronibus, vulgo Anditi, *qui censentur aliquando Ecclesiæ pars, & Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, num. 5. remiss.*

1 ADuerto 1. sermonem hic non esse de Cameris, seu Cellis Ecclesiæ adhærentibus, aut etiam Ecclesiarum, vel Capellarũ fornici, seu tecto inhęrentibus, & proinde extra Ecclesiæ corpus positis, licet ad eas per Ecclesiam aditus esset: certum enim est de his idipsum omnino dicendum esse, quod iam de Sacristia, & Campanili dictum fuit, cum eadem militet vbique ratio, & ijdem, quos ibi retulimus, auctores idem asserant de prædictis Cameris, seu Cellis, quod de Sacristia, & Campanili tradunt.

2 Aduerto 2. multo minus hic à nobis agi de Ecclesiarum Septis, Claustris, Conclauibus, & similibus Ecclesiasticæ Clausuræ locis (nisi forte ibidem Fidelium Sepulturæ essent) ob illam eamdem rationem, quam etiam supra diximus *c. 2. n. 4. 5. & 6.*

3 Aduerto 3. dubium hic tantum esse posse, de Cameris, seu Cellis quibusdam, quæ aliquando mediæ sunt inter vnam, & alteram Capellam, per quas quidem transitus patet ad prædictas Capellas; sed non tàm Ecclesiæ partes, quàm Ecclesiasticorum instrumentorum receptacula videri possunt.

4 Dico prædictas Cameras, seu Cellas, cum separatæ sint ab Ecclesia per murum eas ab illa diuidentem, nec ex se sint loca Diuinis Officijs, aut corporibus sepeliendis deputata, etiamsi ad eas per Ecclesiam, & per eas etiam ad Capellas transitus pateat, non videri mihi Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, licet in terminis dubitationem hanc nondum ab aliquo tactam viderim.

5 Colligo, licet prędictę Camerę, seu Cellę inter vnam, & aliam Capellam positæ, quodammodo non differant ab Andronibus, vulgo *Anditi*, per quos connectitur, & continuatur aliqua Capella cum reliquo Ecclesię corpore, ac proinde, vt isti censentur Pollutionis Ecclesiasticę capaces, & pars Ecclesię, ita etiam prædictæ Camerę, seu Cellę pollui posse videantur; nihilominus verè multum discriminis esse inter illos, & istas, vt abunde patebit, cum de Andronibus prędictis inferius sermo erit.

CAPVT XXXI.

An Ecclesiarum Vestibula, & Ostia Ecclesiasticæ Pollutionis capacia sint.

SVMMARIVM.

Vestibulum Latine; Græce autem Propylæum, quid sit, num. 1.

Vesti-

Vestibulum vnde dictum sit. ibid.

Vestibuli nomine quid hic veniat. ibid.

Ratio dubitandi, num Vestibulum Ecclesiæ sit Ecclesiasticæ Pollutionis capax, triplex affertur. ibid.

Prohibita fieri in Ecclesia censentur etiam prohibita fieri in Atrio, vel Porticu Ecclesiæ. ibidem.

Ecclesiæ Vestibulum aliquando Ecclesiæ nomine dictum est. ibid.

Ostium domus aliquando venire potest nomine domus, & Ostium Ecclesiæ nomine ipsiusmet Ecclesiæ, num. 2.

Ostium Ecclesiæ Ecclesiastica Immunitate gaudet. ibid.

Ostium Ecclesiæ cur videatur esse intra Ecclesiam. ibid.

Ecclesiæ Ianua Iani bifrontis binas facies quomodo habere dicatur, num. 3.

Ianuæ partes, interior videlicet, exterior, & media expenduntur. ibid.

Qui est in Ianua Ecclesiæ, non omnino; sed partim intra, & partim extra illam esse dicitur. ibid.

Ecclesiæ Vestibula, nec non Ostia ipsa regulariter non sunt Ecclesiasticæ Pollutionis capacia, num. 4.

Casus mixtus in odiosis, & pœnalibus non continetur sub simplicibus. ibid.

Ostium venit nomine domus in fauorabilibus tantum; non autem in odiosis, num. 5.

Delictum in Ostio Ecclesiæ commissum non dicitur commissum in Ecclesia. ibid.

Ostium Ecclesiæ est de Ecclesia; sed non est in Ecclesia. ibid.

Pœnalia, & odiosa verè, & propriè sunt intelligenda. ibid.

Quomodo Ecclesiæ Ostium quasi diuidi, & secari possit in partes, quarum altera intra, altera extra Ecclesiam reputetur, num. 6.

Difficile valde est cognoscere, num delictum in Ostio commissum fuerit in medio, vel in altera Ostij parte, num. 7.

Etiamsi prædicta cognitio haberi posset, cur adhuc delictum in Ostio Ecclesiæ commissum censeri debeat commissum extra illam, nu. 8.

Pœna certa pro delicto dubio imponenda non est. ibidem.

Quid dicendum esset, si Ostium Ecclesiæ foribus clauderetur, & delictum intra fores; sed tamen in Ostio commissum fuisset, num. 9. & 10.

Quid si fores, vel valuæ essent in medio Ostij posita, & delictum intra, vel extra illas perpetratum esset, num. 11. & 12.

An fores, vel valuæ Ostij verè, & propriè diuidant, vel tantum arceant, & impediant aditum. ibid.

Quaniam, & quandonam æquiualeant parieti diuidenti Ecclesiam à non Ecclesia, num. 13. & 14.

Si Ostium Ecclesiæ respiciat Cœmeterium contiguum, an delictum in eo ostio commissum polluat saltem, & soluat Cœmeterium ipsum. num. 15.

1 ADuerto 1. *Vestibulum*, quod à Græcis *Propylaum* appellatur, esse ex *Gell. l. 16. c. 5. & Grapaldo de partibus Aedium l. 1.* locum ante Ianuam domus vacuum, in quo Statio erat salutatorum; vnde *Panorm. in Cap. 1. de decim. col. 2. vers. Nouum*, Templi Vestibulum interpretatur Porticū, vel Aedificium Templo contiguum, appellarique Vestibulum ait, quia ibi vestiebantur egredientes, vel ingredientes in Templum, secundum eorum consuetudinem. Tam Atrium ergo Templi, quam ipsæ Atrij partes, nimirum Porticus, & Cauædium, quod locus est sub dio vacuus, cinctus vndique Porticibus, quasi Cauum ædium, hic Vestibuli nomine accipiuntur. Ratio autem dubitandi, num prædicta Templorum Vestibula Ecclesiasticæ Pollutionis capacia sint, nec ne, esse potuit primo, quia Atrium à *Vitruuio l. 6 Grapaldo, & Gell. ll. cc. Varron. de Ling. Lat. l. 1.* & alijs primus intra ædem aditus vocatur, ac proinde Atrium Templi intra Templum videri potest: secundo, quia ex *tex. in Cap. Sicut antiquitus, Cap. Siquis in atrio, & Cap. Quisquis, 17. q. 4. Cap. Nulla, & ibi Gloss. 12. q. 1. L. Cætera, § hoc Senatusconsultum, ff. de legat. 1.* Prohibitum fieri in Ecclesia, censetur etiam prohibitum fieri in atrio, vel porticu Ecclesiæ: & tertio, quia licet ante Clodouei Francorum Regis tempora in Ecclesiæ Vestibulo Baptisteria semper fuerint, vt satis probabiliter asseruit *Iosephus Vicecomes Obseruat. Ecclesiast. vol. 1. l. 1. c. 6. & Tobias Corona de Sacris Templis p. 1. c. 46.* tamen *Amphilochius de Vita S. Basil. Io. Chrysost. Epist. ad Innocent. Pap. M. Gazensis Diaconus ad Arcad. Imperat. Victor Vticensis l. 3. de Persecut. Vandal.* & alij apud eundem *Vicecom. l. c.* eum Baptismatis *in Ecclesia* traditi meminerint, proinde Ecclesiæ Vestibulum Ecclesiæ nomine compellasse censentur.

2 Aduerto 2. multo maiorem dubitandi causam de Ecclesiæ Ostio inde haberi, quod, sicuti appellatione domus Ostia etiam continentur, ex *L. Si aqua ductum, ff. de contrah. empt.* & notat *Vincent. de Franchis decis. 402. num. 11. Sperellus decis. 60. nu. 38. & Dian. p. 6. tr. 1. resol. 3. vers. Sed iste Auctor, in fin.* ita etiam appellatione Ecclesiæ Ostium illius contineri

videtur, & propterea illud Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegio gaudere tradunt communiter DD. apud *Peregrin. de Immunit. Eccles. c. 4. num. 18. Farinac. de Immunit. Eccles. c. 17. num. 270. Castropal. tom. 2. tr. 11. disp. vnic. pun. 6. nu. 9. & Dian. l. c.* Immo, cum Ostium sit intra concauum ipsius parietis Ecclesiæ, videtur esse omnino intra spatium eius, vt bene aduertit *Suar. tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 2. c. 9. num. 8.*

3 Aduerto 3. cum in ipsa Ecclesiæ Ianua, Iani bifrontis ipsius binas quadammodo facies animaduertere possimus, quarum alia extrorsum; alia verò introrsum respiciat; illa Fores; ista Valuas tueatur, & vtraq. vacuum ipsum, seu hiantem Ianuæ inanitatem, quæ inter exteriorem Forium, & interiorem Valuarum lineam est, quæque ab alijs Lumen Ostij dicitur, in se complectatur, certum quidem esse, quod Vacuum illud, vt potè inter prædictas Ostij facies, seu lineas positum, sit verè in Ostio, seu muro Ecclesiæ; sed inde necessario non inferri, quod illud sit in ipsa Ecclesia, cum enim prædictum vacuū sit in medio inter exteriorem, & interiorem Ianuæ partem, non omnino in Ecclesia, nec omnino extra Ecclesiam, sed potius partim extra, & partim intra illam esse videtur, vt dixit *Gloss. sing. in Cap. Cum Sanctam, in vers. Vir ergo, de Pœnit. dist. 2.*

4 Dico Ecclesiarum Vestibula, atque Ostia ipsa regulariter non esse Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, quia nihil horum proprie est in Ecclesia, cum non sit intra illius ambitum internum; sed vel absolute est extra Ecclesiam, qualia sunt Vestibula ante Ostium Ecclesiæ, vel ad summum partim extra, & partim intra illam est, ac proinde in casu mixto, qui in odiosis, & pœnalibus, qualis ex dictis est Ecclesiæ Pollutio, non continetur sub simplicibus, ex *Bart. & alijs in L. 2. ff. de verbor. obligat.* & maximè ex *Beroo Consil. 177. vol. 3. & Vincent. de Franch. l. c.* quorū vterque obiectis omnibus subtilissime respōdet. vnde in terminis nostris de Sacrilega Ecclesiæ Pollutione conclusionem nostram tradunt *Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 15. num. 28. Rodr. Imola, Sylu. Dominic. Angel. Tabien. Armil.* apud eundem, *Fagund. in 1. Eccl. præcep. l. 3. c. 14. nu. 41. Graff. decis. Aur. l. 2. c. 48. nu. 11. Gambarup. de Cas. Reser. cas. 6. num. 5. Gemin. in Cap. vnic. de Consecrat. Eccles. vel Alt. in 6. Barbos. de offic. & Potest. Episc. Alleg. 28. nu. 20. Dian. p. 1. tr. 7. resol. 20. Iordan. var. Elucubr. l. 5. tit. 12. nu. 90. tom. 1.* vbi testatur de communi, *Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. diff. 5. n. 50. in fin. Cassin. tit. 7. num. 15. & Fr. de Lugo, de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 13. num. 102.* cur autem in conclusione dixerim, regulariter, patebit ex inferius dicendis *num. 15.*

5 Ad illud ergo, quod *num. 2.* dicebatur, respondeo appellatione Domûs contineri Ostium in fauorabilibus; secus vero in odiosis, seu pœnalibus, ita *Berous, & Franc. ll. cc.* vnde Statutum puniens insultātem in Domo non comprehendit illum, qui insultauit aliquem in Ostio domus, ex *Bart. in L. 1. §. hoc interdictum, ff. de cloac. Bald. in L. Gallus, §. ille casus, in vlt. col. ff. de lib. & posth. Alexand. in L. Pleriq. ff. de in ius vocan. Ias. ibi,* & alijs, ita vt *Alber. in 2. par. Statutorum, q. 208.* qui ait contrariam sententiam communiter teneri, & seruari, subdat tamen, quod de stricto iuris rigore Statutum non posset extendi ad Ostium, & quod hæc opinio est verior. & consequenter, qui in ostio Ecclesiæ delictum commisit, non dicitur illud in Ecclesia commisisse; quia, licet ostium sit de Ecclesia, non tamen est in Ecclesia *ad tex. in L. 1. §. in publico flumine, ff. de flumin.* & sic decisum fuisse in Regno Siciliæ constat ex *decis. 22. Garsia Mastrilli nu. 6.* nec idcirco excommunicatio lata in aliquibus Diœcesibus contra percutientes in Ecclesia afficit percutientem in ostio ipsius Ecclesiæ, vt bene infert *Naldus V. delictum, num. 5. in fin.* pœnalia enim, & odiosa vere, & proprie sunt intelligenda *ex Cap. Odia, Cap. in pœnis, de re iudic. in 6. L. Cum quidam, ff. de Lib. & Posth.* & similibus.

6 Dices 1. ex *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. vers. Quinto violatur,* spatium illud medium inter extrema Ianuæ, de quo hic sermo est, absque dubio ita quasi diuidi potest, & secari in medio, vt quo ad dimidium eius spatij pertineat ad partem extra Ecclesiam; sed quo ad aliud dimidium pertineat ad alteram illā partem, quæ respicit intra Ecclesiam, & quam attingunt valuæ ipsæ, ergo prædictū̄ spatiū, quo ad partem hanc, quæ Ecclesiæ propinquior est, verè intra ipsam Ecclesiam esse, & Ecclesiasticæ Pollutionis inde capax censeri debet, quod etiam à *Mazuchello l. c.*, & ab alijs approbatur.

7 Respondeo 1. cum ex vna parte in moralibus, quantum fieri potest, tollendæ sint ambiguitates; ex altera vero valdè difficile sit cognoscere, num delictum Ecclesiæ polluitiuum in exteriore, vel in interiore, vel etiam in media ipsa Ostij parte perpetratum fuerit, propterea prædictam ostij diuisionem, vt fortasse non semper vsuuenire potest, ità ferè semper nouarum mihi ambiguitatum matrem videri.

8 Respon-

8 Respondeo 2. dato etiam, quod semper prædicta spatij illius diuisio fieri, & pars, in qua actio ipsa Ecclesiæ pollutiua euenit, facile cognosci possit; cum de facto tamen vna pars ab alia vere, & reipsa diuisa non sit, nisi forte mente, vel oculis, idcirco nullam de facto partem talis spatij vere dici posse intra Ecclesiam; sed adhuc esse ambiguam, & consequenter eam omnem in his odiosis materijs extra Ecclesiã censeri, ne (si contra fiat) pro delicto dubio pœna certa imponatur.

9 Dices 2. Ostium Ecclesiæ, licet communiter valuis occludatur; tamen aliquando foribus occludi potest, ergo tunc saltem Ecclesiæ ostium erit intra Ecclesiam, quia erit intra Ecclesiæ clausuram, seu intra fores, quæ parietis instar locum intra Ecclesiam à loco extra illam distinguunt, ac separant.

10 Respondeo negando consequentiam: erit quidem intra fores; sed erit adhuc locus ambiguus, ac proinde (cum simus in odiosis) extra Ecclesiam erit, vt iam diximus.

11 Dices 3. si valuæ, aut fores figerentur in medio Ostij, tunc vere Ostium diuisum reipsa esset, ergo tunc saltem pars Ostij interior esset intra Ecclesiam, & consequenter Ecclesiasticæ Pollutionis capax.

12 Respondeo Ecclesiam in tali casu proprie non separari à loco extra Ecclesiam per prædictas valuas, aut fores in medio Ostij positas; sed per ipsum parietem intermedium vere, & proprie diuidentem Ecclesiam à non Ecclesia, vt colligitur ex *Textu, & Glossa Cap. vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* & infra adhuc clarius explicabitur. quamobrem, cum illud ostium sit intra concauum prædicti parietis diuidentis, & separantis locum proprie Sacrum à nõ proprie Sacro, ac proinde sit quid mixtum ex vtroque, propterea in odiosis venire non debet nomine loci simpliciter sacri, vt supra diximus, siue prædictum ostium claudatur valuis, siue foribus, siue vtrisque, siue nullis; istæ enim vere, & proprie non diuidunt, i. non faciunt ex vno duo loca; sed tantum pro tempore arcent, seu impediunt aditum, seu transitum ab vna parte ad aliam; vnde istæ partes hinc, & inde sint vnus, & idem locus, siue diuersus, seu etiam quid mixtum, ita remanent, vt erant, antequam prædictus aditus, seu transitus ab altera ad alteram impediretur.

13 Dices 4. Valuæ, seu Fores Ostij æquiualent parieti diuidenti Ecclesiam à non Ecclesia, supra enim innuimus posse vnum locum ab alio separari etiam tabulato, sepe, & similibus, ergo ea pars, quæ erit intra illas, erit etiam intra Ecclesiam; quæ vero extra illas, extra Ecclesiam quoque reputanda erit.

14 Respondeo, licet tabulæ, seps, immo etiam lintea ipsa cerata, si sint fixa, & immobilia, nonnunquam instar parietis habeantur; tamen aliquando, si ea non sint fixa, & immobilia, parieti fixo minime æquiparari, vt bene docuit *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 34. & Fagund. in 2. Eccles. præcep. l. 4. c. 4. num. 35.* in dato autem casu puto prædictas fores, seu valuas ob prædictam causam non æquiparari parieti proprie, & vere diuidenti Ecclesiam à non Ecclesia; sed solum æquiparari posse parieti cuipiam, qui aliquando, in ordine tantum ad impediendum hic, & nunc aditum, seu prospectum ab vna parte in aliam, fieret, vt melius alibi constabit.

15 Colligo, vt ostium in muro diuidente locum sacrum à non sacro, cum sit quid mixtũ ex sacro, & non sacro, non venit in odiosis nomine loci sacri, sed profani, pro vt nec ostium domus venit in odiosis nomine domus, ex iam dictis, ita ostium Ecclesiæ, si respiciat Cœmeterium contiguum, cum tunc tale ostium sit quid mixtum ex vtroq. Ecclesiæ, & Cœmeterij loco, venire non debere in odiosis nomine Ecclesiæ; sed Cœmeterij potius (magis enim odiosum est Ecclesiam pollui, quam Cœmeterium) ac proinde per actionem Ecclesiæ pollutiuam in prædicto ostio factam, si aliqua pars pollui debet ex ijs, ex quibus tale mixtum componitur, certe tunc non Ecclesiam; sed tantum Cœmeteriũ contiguum pollui debere, & ita in terminis nostris tradit expresse *Sanch. l. c. num. 26. & 28. Fagund. l. c. num. 34. cum Rodriq. Sylu. Angel. Tabien. Armil. & Dominic. ibid. citatis.*

CAPVT XXXII.

An Ecclesiarum Fenestræ, & Scaphę (vulgo *Nicchi*, vel *Nicchie*) Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sint.

SVMMARIVM.

Fenestræ quomodo cum Ostijs conueniant, & ab eisdem differant, num. 1.

Loca illa, quæ Italice Nicchi, *vel* Nicchie *dicuntur, breuiter describuntur, num. 2.*

Cur prædicta loca vocentur Scaphæ. ibid.

Eadem etiam ab alijs Aediculæ, & Loculamenta nominantur. ibid.

Scaphæ in quo conueniant, & differant à Fenestris, num. 3.

N 2 *Fenestræ*

Fenestræ Ecclesiarum non veniunt in odiosis nomine Ecclesiæ, nec ex hoc capite Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sunt, num. 5.

Scaphæ in parietibus apertæ à parte interiori Ecclesiæ sunt Ecclesiæ pars, & Pollutionis huius capaces, num. 5.

Quandonam spatium, seu vacuum in parietibus Ecclesiæ sit quid mixtum ex vtroque loco intra, & extra Ecclesiam, & quando non, num. 6.

Vtrum, siquis occidatur stans super Fenestram Ecclesiæ respicientem in Cœmeterium contiguum, polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium, vel vtrumque, vel neutrum, nu. 7. & remiss.

1 ADuerto 1. vt apertionum in Ecclesiæ parietibus aliæ luminibus, ventisque admittendis, aliæ hominibus, rebusque seruiunt, per quas aditus, & exitus est in Ecclesiam, ita, quæ primi generis sunt, Fenestrarum; quæ vero secundi, Ostiorum nomine venire.

2 Aduerto 2. cum in apertionibus quodammodo numerari possint (quia ostia, & fenestras situ, formaque imitantur) loca illa, in pariete, vbi Idola, seu Signa, vel Tabulæ, aut Statuæ locantur, vulgo dicta *Nicchi*, seu *Nicchie*, quæ ob similitudinem à multis Scaphæ, ab alijs Aediculæ, & ab aliquibus etiam Loculamenta vocantur, vt videre est apud *Pontanum Progymnas. Latinit. vol. 3. par. 2. progym. 4. Laurent. in Amalth. V. Scapha. Eclic. in Onomast. Rom. Adrian. Polit. in Dictionar.* & alios idcirco hic etiam de ijs agendum esse.

3 Aduerto 3. prædictas Scaphas differre à Fenestris, quo ad rem nostram, in hoc, quod Fenestræ, cũ habeant ingressum, & egressum intra, & extra Ecclesiam, videntur, non secus ac ipsa Ostia, reuera esse partim intra, & partim extra Ecclesiam; Scaphæ vero, licet etiam ipsę quodammodo intra murum, & hac in re conuenire videantur cum Fenestris; tamen, cum non habeant transitum extra murum, nec proinde vllo modo sint extra Ecclesiam, ideo non sunt quid mixtum ex loco intra Ecclesiam, & ex loco extra Ecclesiam, vt de Ostio superius dicebamus.

4 Dico 1. de Fenestris Ecclesiæ idipsum omnino dicendum esse, quod de Ostio eiusdem dictum fuit capite præcedenti; eadem enim in omnibus ratio militare videtur, vt consideranti patere poterit, vnde re vera eas nomine Ecclesiæ non venire, & ex hoc capite Ecclesiasticæ Pollutionis incapaces censeo; licet DD. omnes, quos viderim, nullum de hoc loco verbum fecerint.

5 Dico 2. Scaphas in interioribus Ecclesiæ parietibus apertas mihi videri reipsa loca intra Ecclesiam, & proinde Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, non secus ac cæteras interni ambitus partes, pro vt clarius apparebit ex inferius dicendis de Confessionarijs.

6 Colligo 1. vacuum, quod est intra murum Ecclesiæ, tunc tantum censeri quid mixtum, & non venire nomine simplicium in odiosis, quando spectat, & pertinet partim ad locum extra Ecclesiam, & partim ad locum intra Ecclesiam, vt diximus de Ostijs, & Fenestris Ecclesiæ ad vtrumque locum spectantibus, & pertinentibus; non vero quando vacuum illud ad alteram tantummodo partem spectat, & pertinet, quale est vacuum Scapharum, quod ad Ecclesiam tantum pertinet, & pariete adhuc fixo vere diuiditur, & omnino seiungitur à loco extra Ecclesiam.

7 Colligo 2. de eo, qui super Fenestram Ecclesiæ respicientem in Cœmeterium contiguum positus occideretur, idem omnino dicendum esse, quod in eodem casu iam diximus de simili Ostio: videlicet tunc potius pollui cœmeterium, quam Ecclesiam; si tamen alterutrum tunc necessario pollui debeat, qua de re rursus sermo erit, cum de Cœmeterijs, & Ostio inter illa agemus, quò Lectorem inuitamus, quia ibi plura in hanc rem inueniet, vnde omnia decidat.

CAPVT XXXIII.

An Ecclesiarum Scalæ Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sint.

SVMMARIVM.

Scalæ vnde nomen acceperint, num. 1.

Scalæ extra Ecclesiam, licet Ecclesiæ adhæreant, nõ sunt Pollutionis Ecclesiasticę capaces ibid.

Scalarum intra Ecclesiam duplex est genus, & de quibusnam hic sermo sit, num. 2.

Scalæ omnes intra Ecclesiam positæ, quo ad eam partem, quæ intra internum Ecclesiæ ambitum patet, sunt absque dubio Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, num. 3.

Scalæ, per quas itur ab Ecclesia extra illam, non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, nisi quo ad partem illam, de qua superiore numero dictum est, num. 4.

Scalæ, per quas ab vna ad aliam eiusdem Ecclesiæ partem ascenditur, vel descenditur, esse censentur intra internum Ecclesiæ ambitum, & Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sunt ibid.

Caput in Scalis Ecclesiæ quomodo dicatur caput in Ecclesia, num. 5.

1 Aduerto

1 ADuerto 1. Scalarum, quæ licet à Scandendo nomen acceperint, tamen per Gradus plures, ex quibus constant, nõ modo ascensum nobis ad superiora ædium, & ædificiorum omnium; sed etiam ad inferiora ipsa descensum exhibent, alias omnino esse extra internum Ecclesiæ ambitum, licet Ecclesiæ adhæreant; alias aliquomodo intra illum, & de istis vltimis tantum hic agendum esse, quia de alijs idipsum dicimus, quod de Ecclesiæ adhærentibus porticibus, & cæteris similibus iam diximus.

2 Aduerto 2. Scalarum ipsarum, quæ intra Ecclesiam esse dicuntur, alias aliquando esse, quæ habeant ostium ipsum tantummodo, seu ipsum aditum, aut (vt alij dicunt) os scalarum solum, aut etiam aliquot duntaxat gradus in Ecclesia; sed terminum, seu exitũ ipsarum extra Ecclesiam, quales v. g. sunt eæ, per quas ab Ecclesia in loca profana super eiusdem Ecclesię tectum, vel subter pauimentum peruadimus; alias vero, quæ aditum, & exitum vtrinque habeant intra eandem Ecclesiam, quales v. g. sunt eæ, per quas ab Ecclesia in Capellam aliquam, vel aliam eiusdem Ecclesiæ partem ascendimus, vel descendimus.

3 Aduerto 3. dubium hic non esse, quin eæ Scalarum partes, seu ij Scalarum gradus, qui intra internum Ecclesiæ ambitum patent; etiamsi Scalæ illæ tandem exitum habeant extra Ecclesiam, sint proprie in Ecclesia, & Ecclesiasticæ Pollutionis reipsa capaces, æq. ac aliæ omnes Ecclesiæ partes, nam in hoc nulla apparet difficultas; sed hic tantum dubitari de reliquis Scalarum partibus, seu gradibus, qui intra parietis ipsius vacuum potius, quam intra Ecclesiæ interioris corpus videri cuipiam possunt.

4 Dico Scalas ipsas tantum, per quas ascenditur, vel descenditur ab vna Ecclesiæ parte ad aliam, & per quas proinde non exitur extra ipsam Ecclesiam, Pollutionis item Ecclesiasticæ capaces esse; eas autem, per quas extra ipsam Ecclesiam itur, non esse prędictę Pollutionis capaces; nisi quo ad eam ipsarum partem, si qua forte talis fuerit, quę reipsa & proprie sit intra Ecclesiam, & non intra ipsos Ecclesię parietes tantum. patent hęc omnia ex ijs, quæ iam superius; sed pręcipuè *Capit.* 31. diximus, & facile colligi queunt ex traditis ab Auctoribus *ibid. citat.*

5 Colligo, licet *Angel. in tract. de Malefic. §. in Scalis, num.* 3. dicat, quod captus in Scalis ipsius Ecclesię dicatur esse captus in Ecclesia; tamen intelligendum id esse de Ecclesiæ late sumpta, & in fauorabilibus, v. g. quo ad Immunitatis priuilegium; non verò de Ecclesia propriè, & strictè accepta, & in odiosis, prout in hac materia Pollutionis Ecclesiasticę accipi debet ex alibi dictis.

CAPVT XXXIV.

An Mesauli, vel Andrones Ecclesiæ (vulgo *Anditi*) Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sint.

SVMMARIVM.

Mesauli, Mesaulæ, & Mesaulia *vnde nomen acceperint, num.* 1.

Iidem à varijs varie describuntur. ibid.

Appellantur etiam Andrones, *nec non alijs nominibus, & Italice* Anditi, *ibid.*

Quid hic per Ecclesiæ Andrones, siue Mesaulos intelligatur. ibid.

Andrones hic à Mesaulis distinguimus, num. 2.

Quomodo Mesauli à Cellis inter Capellas ipsas constitutis differant, num. 3.

Prædicti Mesauli Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sunt, num. 4.

Paries in hac materia quandonam diuisionem inducat, & quando non, num. 5. *&* 6.

Ostium non semper est quid mixtum ex diuersis. ibidem.

Angustiores quædam viæ, etiamsi subter Altaria ipsa, ab vna Capella ad aliam, seu ad Sacellum aliquod aliquanto distantius à reliquo Ecclesiæ corpore, & c. inter Mesaulos prædictos Pollutionis capaces numerari debent, num. 7.

1 ADuerto 1. cum per *Mesaulos*, aut *Mesaulas*, aut etiam *Mesaulia* in profanis ædificijs accipi soleant ea loca, quæ, vt nomen ipsum indicat, inter duas Aulas media, vt dixit *Grapaldus de partibus ædium lib.* 1. nec non longitudine angustiora sunt, & ab alijs modo *ædium itinera*, modo *Medianæ Ianuæ*, seu *Viæ*, modo etiam *Andrones*, *Andriæ*, *Andronites*, *Andronea*, & *Androna*; Italice vero *Anditi* vocentur, idcirco hic item *Mesaulorum*, & *Andronum* nomine à nobis intelligi ea in Ecclesijs loca, per quæ vel ab Ecclesia extra illam, quæ loca in posterum distinctionis, & claritatis ergo hic *Andrones* tantum appellabimus, vel ab vna in aliam Ecclesiæ partem, quæ eadem de causa hic *Mesaulos* dicemus, transitus pateat.

2 Aduerto 2. de Andronibus, per quos videlicet

licet ab Ecclesia extra illam tendimus, nihil hic dubietatis reliquum esse posse, cum isti vere non differant ab Ostijs, ac proinde iam ex ijs, quæ iam de Ostijs Ecclesiæ diximus, satis erui queat, loca omnia extra internum ipsum Ecclesiæ ambitum, & consequenter etiam Andrones ipsos, qui supponuntur esse extra Ecclesiæ ostia, cum non sint propriè Ecclesiæ partes, nec (vt suppono) Cœmeteria sint; sed potius Ecclesiæ Vestibula, vel quid mixtum, vt de Ostijs dictum est, propriè, & verè Pollutionis Ecclesiasticæ capacia non esse. vnde difficultas tantum videtur esse de Mesaulis, per quos scilicet ab vna in aliam Ecclesiæ partem, ac proinde semper intra Ecclesiam, eatur.

3 Aduerto 3. Mesaulos, prout superius *Cap. 30. num.* 5. innuimus in hoc differre ab Ecclesiæ Cellis inter vnam, & aliam Capellam positis, vt ex hactenus dictis facile colligi potest, quod prædictæ Cellæ, cum muris vndique circundatæ, & domunculæ cuiusdam instar sint, licet habeant vtrinque ostia ab vna in aliam Capellam patentia, nihilominus videntur potius loca verè ab Ecclesiæ partibus diuisa, & separata, quam intra Ecclesiam, & proinde in hac odiosa, & restringenda Pollutionis Ecclesiasticæ materia non veniunt, vt ibi diximus, Ecclesiæ nomine; Mesauli autem, quos loco prædicto indistinctè Andrones nominauimus, e contrario, cum non videantur loca proprie ab Ecclesiæ interno ambitu separata; sed potius quasi Ostia quædam ab vna in aliam eiusdem Ecclesiæ partem, qualia sunt ostia in muro inter vnam, & aliam Capellam, non nisi Ecclesiæ nomine venire debent, & cum solummodo componantur ex locis, seu partibus intra Ecclesiam eandem constitutis, ita differunt etiam ab Ostijs illis Ecclesiæ, per quæ extra illam transitur, vt ista omnino esse intra eandem Ecclesiam, & illius pars; illa vero extra Ecclesiam, & quid ab illa separatum in odiosis censeantur.

4 Dico prædictos Ecclesiæ Mesaulos Ecclesiasticæ Pollutionis capaces esse, quia ex dictis intra Ecclesiæ internum ambitum constituuntur.

5 Dices. Paries inter vnam, & aliam Capellam eiusdem Ecclesiæ inducit diuisionem inter illas, ergo ostium in tali pariete erit quid mixtum ex vtroque loco, & propterea illud iuxta prædicta Pollutionis huius capax non erit, & multo minus tales erunt Andrones ipsi inter vnam, & aliam Ecclesiæ partem constituti.

6 Respondeo eum tantum parietem esse diuisionis inductiuum in hac materia, qui medius est, vel inter locum vnum pollutionis capacem, & alium non capacem, vel certe inter duo loca Pollutionis quidem capacia; sed ita diuisa, vt alterum sine altero pollui possit, qualis est paries inter Ecclesiam, & Cœmeterium contiguum, & inter duo Cœmeteria ipsa, quorum vnum non est pars alterius, ac proinde in tali pariete Ostium vere est quid mixtum ex vtroque, ac proinde ex diuersis, vt mox dicebamus; non autem parietem eum, qui partem à parte eiusdem Ecclesiæ distinguat potius, quam diuidat, qualis est paries prædictus inter Capellas eiusdem Ecclesiæ, in quo Ostium si sit, vel Andron inter vnam, & aliam ipsiusmet Ecclesiæ partem, non erunt quid ex diuersis mixtum. & hinc constat, quid argumento responderi debeat.

7 Colligo inter Mesaulos hic, & proinde pollutionis huius capaces censeri debere angustiores illas Ecclesiæ partes, seu quasi vias (intra ipsum tamen Ecclesiæ ambitum) per quas aliquando à reliquo Ecclesiæ corpore ad Capellam aliquam superiorem, vel inferiorem, vel etiam aliquanto distantiorem eiusdem Ecclesiæ, vel ab vna Capella in aliam, vel ad similes alias Ecclesiæ eiusdem partes, etiam subter Altaria ipsa transeundo, accedatur.

CAPVT XXXV.

An Confessionaria Ecclesiæ Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Confessionaria quid sint, & quomodo aliter appellentur, num. 1.

Confessionaria varijs in locis constitui solent. ibidem.

Confessionaria intra Ecclesiam dupliciter esse possunt, num. 2.

Confessionaria in parietibus ipsis Ecclesiæ constituta duplicis item generis sunt, num. 3.

Confessionaria vndecumque ab Ecclesia ambitu; etiamsi ab eodem vndique circundentur, fixè, & immobiliter diuisa, non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.

Secus dicendum est, si non vndecumque separata sint, quod multipliciter accidere potest. ibid.

Cellulæ Statuariorum, aliorumque Fabrorum, quæ aliquando in Ecclesia constituuntur ad aliquod tempus, an sint Pollutionis Ecclesiasticæ capaces. ibid.

Confes-

Confessionaria in parietibus ipsis Ecclesiæ constructa quandonam Pollutionis huius capacia sint, num. 5.

Velum, quod complicari, & explicari potest, seu Tabella ferreis nexa vncis complicabilibus, & similia, cur verè non diuidant, nec propriè separent, num. 6.

1 ADuerto 1. Cellulas illas, seu ædiculas, seu Sedes, quę ad Sacras Pœnitentium Confessiones excipiendas deputatæ sunt, & ab aliquibus *Pœnitentiaria*, vulgo autem *Confessionaria*, & *Confessionalia* vocantur, triplici in loco construi, vel constitui solere, vel extra Ecclesiæ portas, & parietes, vel intra illos, vel etiam in parietibus ipsis. De primis nulla hic esse difficultas potest, quia, cum sint extra Ecclesiam, de ijs illud idem dicendum est, quod iam de Sacristia, Campanili, cæterisq; Cameris Ecclesiæ adhærentibus dictum est *Cap. 28. 29. & 30.*

2 Aduerto 2. de Confessionarijs secundi generis tunc tantum dubitari posse, quando illa verè quidem intra Ecclesiam viderentur; sed circumquaque tamen, & etiam superne per proprium tectum, ita quasi à reliquo Ecclesiæ ambitu fixe, & immobiliter separata forent, vt potius loca quædam ab ipso Ecclesiæ loco (à quo eadem tamen extrinsecus vndique circumdantur,) propemodum diuisa credi possent, quam ipsius Ecclesiæ partes, seu loca vere in Solo, & Spatio eiusdem Ecclesiæ, & Pollutionis Ecclesiasticæ idcirco capacia; prout etiam eadem de causa de Cellulis illis, seu Domunculis dubitari potest, quæ vt plurimum ex tabulis à Statuarijs, Marmorarijs, alijsque huiusmodi Fabris, aliquando, vt ibi secretius, & commodius artes suas circa aliquod Ecclesiæ ornamentum, vel ædificium exerceant, intra Ecclesiam eodem modo construuntur.

3 Aduerto 3. non minorem dubitandi occasionem videri de Confessionarijs tertij generis, de ijs nimirum, quæ in ipsis Ecclesiæ parietibus constituta sunt. dupliciter enim ea rursus construi possunt: Primo in Ecclesiæ pariete, tanquam in Scapha interiorem Ecclesiæ ambitum versus omnino aperta, & ab eo inseparata, seu indiuisa, pro vt in Italia communiter construi solent, & hæc clarum est in Ecclesia censeri, & Pollutionis Ecclesiasticę capacia esse, vt de Scaphis ipsis superius asserimus *Cap. 32.* Secundo vero in Ecclesię pariete, tanquam in Cellula, seu Domuncula ab interiori Ecclesię ambitu tenui pariete, tabulis, linteis ceratis, aut alijs similibus fixe, & immobiliter positis vndiq. diuisa, & separata, siue ad eam ab Ecclesia, siue aliunde aditus sit, vnde de his omnibus quid sentiam, mox subdam.

4 Dico 1. Confessionaria illa, quę *num. 2.* descripsimus, non videri mihi Pollutionis Ecclesiasticę capacia, quia, licet circundentur vndecumque ab Ecclesia, ab ea tamen verè omnino diuisa, & separata videntur; secus autem esset, Primo si mobilia forent, non secus ac Armaria, seu Conditoria quędam quasi viatica, & portatilia, quę potius constitui in loco, quam proprium, & nouum sibi locum constituere dicuntur, vnde propterea proprie intra Ecclesiam, & consequenter Pollutionis Ecclesiasticę capacia sunt, vel ad aliquod tantum tempus, & non permanenter, quales sunt prędictę Fabrorum ædiculæ in Ecclesijs, quæ vere sunt intra Ecclesiam. Secundo, si ea proprio tecto carerent, & proinde sub ipso tantum Ecclesiæ tecto essent, tunc enim talium Confessionariorum Solū, & Tectū non esset diuersum ab Ecclesię Solo, & Tecto, ac proinde talia Confessionaria non constituerent verè diuersum ab Ecclesia locum; sed in ipsomet Ecclesię loco adhuc propriè essent, & consequenter intra Ecclasiam, & Pollutionis Ecclesiasticæ capacia.

5 Dico 2. Confessionaria *num. 3.* & secundo loco descripta, non videri mihi Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, quia extra Ecclesiam esse videntur, cum ea fixa, & immobilia parietis loco censeantur, & diuisionem ex se faciant, vt iam diximus, ita vt vna res sic diuisa duæ dicantur, & sint. Idipsum autem dico, siue de vtraque tàm Confessarij, quàm Pœnitentis Cellula, si vtraque sic diuisa fuerit ab Ecclesiæ corpore, siue de illarum altera tantum sic ab eo diuisa, si eæ tamen sic inter se etiam diuisæ fuerint. inferuntur hæc omnia ex *tex. in Cap. vn. de Consecrat. in 6. Gloss. ibi, verb. Pariete, Archidiac. Anchar. Dominico, Franco, & alijs ibid.* & ex traditis à *Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 15. nu. 34. Fagund. de 1. precept. Eccles. l. 3. c. 14. nu. 44. & l. 4. c. 4. n. 35. Persic. de Offic. Sacerd. l. 2. c. 7. dub. 9. n. 88. Fr. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 13. n. 102. in fin. & præcipuè ex Pontio de Matrim. l. 10. c. 10. num. 3. nec non ex Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 81.*

6 Colligo ex *Sanch. & Fagund. ll. cc.* secus dicendum esse, si Confessionaria velo tantū, quod complicari, & explicari posset, aut etiam tabella ferreis nexa vncis complicabilibus, à reliquo Ecclesiæ corpore diuiderentur, quia hæc muro, vt alibi etiam dictum est, non æquiparantur.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

An Cellulæ ad Missam in Ecclesia ex eis audiendam factæ, quas aliqui Ecclesiæ *Tribunas* vocant, Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sint.

SVMMARIVM.

Tribunæ *nomine quid aliquando Italice veniat, num.* 1,
Absis, *siue* Absida *quam Ecclesiæ partem significet. ibid. remiss.*
Per Tribunas *quid hic intelligamus. ibid.*
Tribunæ Ecclesiarum vbi, & quomodo ædificari soleant, num. 2.
Tribunæ, etiamsi intra Ecclesiam promineant, tamen vndecumque ab interiori Ecclesiæ ambitu quomodo hic diuisæ supponantur, num. 3.
Tribunæ prædictæ, si superne essent apertæ, Podiorum instar habendæ, de quibus alibi, ibid.
Tribunæ, pro vt hic à nobis accipiuntur, non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, nu. 4.
Ex Tribunis, licet eæ sint extra Ecclesiam, cur Missa licite audiri possit, num. 5.

1 ADuerto 1. *Tribunæ* nomine hic non intelligi partem quandam Templi forma semicirculari, quam non solum *Felic. in Onomast. Rom.* sed ante illum *Onuph. Panuinius in explicatione vocum quarundam Ecclesiasticarum Absidem*, vel *Absidam*, & Italice *Tribunam* appellat, de qua fusè, & eruditè agit *Heribert. Rosuueyd. in suo Onomast. ad Vit. PP.* neque etiam *Hemicyclum* illum, seu *maximæ Aræ apicem*, quem *Ioseph. Laurent. in suo Onomast. Hagiolat.* italice *Tribunam* quoque vocat; sed cum *Sanch. de Matrim. l.* 9. *disp.* 15. *num.* 35. *Fagund. de* 1. *Eccles. Praecep. l.* 3. *c.* 14. *num.* 47. *& de* 2. *Praecep. l.* 4. *c.* 4. *num.* 36. *& ex Basil. Legion. de Matrim. l.* 10. *c.* 10. *num.* 3. *Tribunas* nomino *Cellulas quasdam, instar Odei, ad Sacrum ex eis audiendum ædificatas*, quales Principibus, qui domos Ecclesijs coniunctas habent, esse solent.

2 Aduerto 2. quamuis prædictæ Tribunæ sæpe ex aduerso Aræ maximæ ædificari consueuerint; nihilominus aliquando in reliquo etiam Ecclesiæ corpore, & ab vtroque simul latere construi, ita tamen, vt semper à parte externa contineantur, vt *Fagund.* 2. *loco mox cit.* optime animaduertit.

3 Aduerto 3. hic supponi, quod prædictæ Tribunæ non protendantur, & emineant intra internum Ecclesiæ ambitum, vel certe, si illuc protendantur, & introrsum emineant; vndecumque tamen ità diuisæ sint, & separatæ ab interiori Ecclesiæ ambitu, vt Ecclesiæ muro fixe adhærentes vnum quid cum eo immobiliter constituant; si enim intra Ecclesiæ corpus eminerent, & superne saltem apertæ essent, tunc Podiorum, & Menianorum intra Ecclesiæ ambitum ædificatorum instar haberentur, de quibus inferius agemus.

4 Dico Ecclesiæ Tribunas Pollutionis Ecclesiasticę capaces non esse, quia extra Ecclesiam esse putantur, nec alioqui ad Diuina, aut ad Fidelium sepulturas deputatę sunt. ità tenent *pręcit. DD. Sanch. Fagund. et Pontius*, quibus addi possunt *Pax Iordan. variar. Elucubr. tom.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 80. *cum Soto in* 4. *dist.* 33. *q. vn. art.* 3. *concl.* 3. *Nauar. in sum. c.* 16. *num.* 34. *vers.* 4. *& Graff. decis. Aurear. p.* 1. *l.* 2. *c.* 83. *num.* 10. apud ipsum.

5 Colligo, licet Tribunę factę sint ad audiendum Sacrum, ac proinde quodammodo inferri videatur eas esse in Ecclesia, vt ex eis Sacrum audiri possit; tamen, cum ad audiendum Sacrum solum presentia moralis requiratur, quod ex multis; sed pręcipuè ex *Gordon. tom.* 2. *l.* 6. *q.* 7. *c.* 2. *§.* 3. *num.* 12. verum est, etiamsi Sacrum audiatur ab eo, qui sit in Atrio Ecclesię, vel Cœmeterio, &c. propterea nihil inde colligi posse contra prędictam nostram conclusionem.

CAPVT XXXVII.

An Ecclesiarum Coronæ, Italice *Cornicioni*, & Podia, Italice *Poggiuoli*, Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Coronæ *in ædificijs quid sint, num.* 1.
Coronæ *prædictæ dicuntur etiam vulgo* Cornices, Cornisiæ, *&* Cornigiæ, *& Italice* Cornici, *&* Cornicioni. *ibid.*
Vnde sic appellentur. ibid.
Coronarum aliæ exteriores, aliæ interiores sunt. num. 2.
Coronæ prædictæ ad quid sint, maxime in Templis. ibid.
De Coronis exterioribus nullus hic sermo est, quia de ijs nulla hic difficultas. ibid.

Podia,

Podia, & Podiola quid sint, num. 3.
Cur à Pede nomen habeant, triplex ratio affertur. ibid.
Cur Meniana quoq. dicantur. ibid.
Eadem aliquando cur appellentur etiam Pergulæ, & Exedræ. ibid.
Coronæ, & Podia prædicta Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sunt, n. 4.
Etiamsi ad ea non nisi ex Scalis exterioribus aditus pateret, n. 5.

1 ADuerto 1. Coronas in muris *ex Vitruu. l. 2. Pontano Progymn. Latinit. vol. 3. p. 2. progym. 11. & alijs* esse Porrecta, seu Proiecta, seu etiam Prominentias, & tanquam Supercilia parietum, & Suggrundulas arcendis stillicidijs, quæ nonnunquam Loricæ testacea, Propylæa ab aliquibus, ab alijs Proiecturæ, vulgo Cornices, Cornisiæ, Cornigiæ, Italice autem *Cornici*, & *Cornicioni* vocantur. Verum *Grapald. de verborum explicatione, qua in Libro de partib. Aed. continentur*, Coronæ, inquit, ad ornamentum capitis, & ad honorem bellatorum habentur: in ædificijs quoque ad decorem, & cameris perpolitis, & laquearibus dispositis subijciuntur, queis & parietes præcinguntur, siue puræ, siue cælatæ magis placuerint.

2 Aduerto 2. ex prædictis satis aperte colligi posse Coronarum alias extrorsum, alias vero introrsum in ædificijs prominere, ac proinde Templis quoque tàm exteriores, quàm interiores Coronas, vtrasque ad ornatum; sed præterea illas aò stillicidia arcenda; istas ad puluerem excutiendum, & ad Templum ipsum circumeundum, per illius summitatem circunduci. de istis hic tantum sermo est, cum de exterioribus nulla ex iam traditis esse possit difficultas.

3 Aduerto 3. *Podia*, & per diminutionem etiam *Podiola* hic esse loca quædam extra parietem instar suggesti, vel pulpiti proiecta, & mutulis suspensa, ad circumeundum, innitendum, spectandum facta in Theatris, Templis, Aedibus, quæ à Pede nomen habent, siue quia proiectura illa, quæ Podium facit, pedis instar procedit, siue quod ad pedes ædificiorum construi solerent, siue etiam, quia in Podijs Pedibus hæreamus. dicuntur autem nonnunquam *Meniana* ab Inuentore *Menio*, qui primus hoc structuræ genus excogitauit, & aliquando *Pergulæ* à pergendo, quæ proinde cancellis cinguntur, vt per eas incedentem à casu defendant, nec non denique *Exedræ* à Sedium frequentia, & sedendi commoditate, de quibus videri potest *Alex. ab Alex. Gen. l. 5. c. 11.* loquimur autem hic de Podijs tantum interioribus, pro vt diximus etiam de Corouis.

4 Dico tàm Coronas, quàm Podia prædicta, cum intra Ecclesiæ ambitum promineant, & vere sint intra illius corpus, Pollutionis item Ecclesiasticæ capacia esse. ità expressè in terminis ipsis *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 32. Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 43. & de 2. Eccles. præcept. l. 4. c. 4. nu. 34. Persic. de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. num. 82. & Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. n. 74. & 75.*

5 Colligo idipsum dicendum esse de prædictis Coronis, & Podijs intra Ecclesiam ædificatis; etiamsi ad ea non nisi ex Scalis extra Ecclesiam positis, & non ex Ecclesia ipsa, aditus pateret, quia ea adhuc re vera sunt intra Ecclesiæ corpus, non secus ac Scamna ipsa, quæ in medio Ecclesiæ pauimento sunt.

CAPVT XXXVIII.

An Pulpita, seu Suggesta Ecclesiæ Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Pulpitum quo in sensu hic accipiatur, num. 1.
Pulpitum vnde dictum sit. ibid.
Pulpita cur appellentur etiam Analogia, Ambones, & Suggesta. ibid.
In Pulpitis antiquitus aliquando Euangelium cantabatur, num. 2.
Pulpita duo cur nonnunquam in Ecclesijs fuerint, prout nunc sunt in Metropolitana Mediolanensi. ibid.
Pulpitorum variæ forma Sacris Mysterijs plenissimæ, num. 3.
Pulpita, seu Suggesta Ecclesiæ non sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.
Pulpitum quomodo ad Diuina Officia deputatum sit, num. 5.
In Pulpitis Ecclesiæ Interdictæ, vel Pollutæ cur Sacra concio etiam publice haberi possit. ibidem.

1 ADuerto 1. Pulpitum hic accipi pro Loco edito, ex quo Conciones, seu Lectiones Sacræ in Ecclesijs habentur ad populum: vnde *D. Cyprian. epist. lib. 2. epist. 5.* de quodam Aurelio ordinato Lectore, *Placuit*, inquit, *vt ab Officio Lectionis incipiat, quia nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorio-*

ſa Prædicationi conſeſſa eſt, quam celebrandis Diuinis Lectionibus perſonare; poſt verba ſublimia, quæ Chriſti Martyrium prolocuta ſunt, Euangelium Chriſti legere, vnde Martyres fiunt; ad Pulpitum poſt cataſtam venire. Putat autē *Vualafrid. de rebus Eccleſ. c. 6.* Pulpitum inde dictum fuiſſe, quod ſit in Publico ſtatutum, & alio nomine dici tum *Analogium*, quod in eo verbum Dei legatur, & annuncietur, tum etiam *Ambonem* ab ambiēdo, quia intrantem ambit, & cingit, vel quia circumcingitur cancellis, ne cadat, qui in eo ſtat, vel quia ab Auditoribus, & gradibus ambitur, vel certe quia Chriſtus ambit omnes, qui cuſtodiunt Euangelij verbum, vt poſſit ipſe ambiri, ex *Durand. in Rational. Diuin. Offic. l. 4. c. 24. nu. 17. & 18. & Tob. Coron. de Sacr. Tēpl. part. 1. c. 73.* Communiter autem *Suggeſtus*, vel *Suggeſtum* appellatur, quia, vt autumant aliqui, non niſi ſuggeſta, vel congeſta, & ante digeſta materia ibi proferenda eſt, vel ſaltem quia populo ibidem ſuggerendum eſt, quod in rem eius eſſe poſſit.

2 Aduerto 2. quia antiquitus in Pulpitis Euāgelium cantabatur ſolemnioribus in Miſſis, *ex Caſſiod. Tripartit. l. 10. c. 4. & Socrat. l. 6. c. 5.* idcirco duo fuiſſe in Eccleſijs Pulpita, alterū pro Prædicatione; alterum vero pro Euangelio, vti adhuc in multis Eccleſijs videre eſt, & præcipuè in Metropolitana Mediolanenſi iuxta Inſtructiones D. Caroli *lib. 1. Inſtruct. par. 4. Act. Eccleſ. Mediolanen.*

3 Aduerto 3. Pulpitorum formam aliam, atque aliam eſſe ſolere: modo enim Vaſis inſtar eſt, & Scientiæ plenitudinem ſignificat; modo dimidiæ Nauis imaginem præ ſe fert, & S. Petri Nauiculam repræſentat: modo ſemicirculum figurat, & cæli, vnde Deus vocem ſuam nobis intonat, imaginem exprimit: modo ſe ſe ſub Cathedræ forma nobis offert, & Euangelicæ Doctrinæ grauitatem, atque auctoritatem præmonſtrat.

4 Dico Pulpita, ſeu Suggeſta Eccleſiæ Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia eſſe, quia intra ipſiuſmet Eccleſiæ corpus, & illius partes ſunt. ità *Iordan. d. var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 76.* qui vnus omnium DD. quos viderim, de his in hanc rem agit.

5 Colligo, licet Pulpita ex ſe præcisè non videantur Diuinis Officijs deputata, ac proinde etiam in Interdictæ, vel Pollutæ Eccleſię Pulpitis concio ſacra publicè haberi poſſit, vt inferius ſuo loco dicemus; tamen ea eſſe Pollutionis capacia, hoc eſt, ea per actiones Eccleſiæ Pollutiuas in ijs factas pollui cum tota Eccleſia, quia illa vere ſunt intra corpus Eccleſiæ, nec ab eo diuiduntur; vnde eo ipſo, quod totum ipſum localis Eccleſiæ corpus ad Diuina deputatum eſt, omnes etiam Eccleſiæ partes, omniaque illius corporis membra, tanquam loca à prædicto loco non ſeparata, ſufficienter Diuinis vſibus deputata cenſentur, adeo vt ſingula vna cum reliquo Eccleſiæ corpore vnius, & eiuſdem Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia haberi, & conſequenter non minus per Pollutionem totius corporis vnumquodque membrum, quam per vniuſcuiuſque membri pollutionem totum corpus, & ſingulæ corporis partes ſimul pollui debeant. Quod autem in Pulpitis Eccleſiæ Interdictæ, vel Pollutæ publicè concio haberi poſſit, id non oritur ex eo, quod Pulpitorum locus non ſit intra ipſummet Eccleſiæ corpus, & proinde ille ſit Pollutionis Eccleſiaſticæ incapax; ſed quia, cum concio non ſit inter Diuina Officia, quæ in Eccleſia Interdicta, vel Polluta prohibentur, propterea non modo in Pulpitis; ſed etiam in reliquo Eccleſiæ corpore ea ſemper haberi poteſt, vt alibi patebit.

CAPVT XXXIX.

An locus Organorum, & Odea Eccleſiæ Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia ſint.

SVMMARIVM.

Organum generaliſſime ſumptum quid ſit, nu. 1.
Organa ſpecialiter dicuntur omnia Muſica vaſa. ibidem.
Organa ſpecialiſſime, & propriè ex communi conſuetudine appellantur ea, quæ follibus inflantur. ibid.
Organa prædicta Græce vocantur Pneumatica, Latine Spiritalia. ibid.
Organarij, & Organiſta, vel Organici vnde dicantur. ibid.
Odea in Eccleſijs quid ſint, & quomodo Italice nuncupentur, num. 2.
Organorum loca, & Odea, ſi ſint intra ipſum Eccleſiæ ſpatium, eiſdemque parietibus interclusa, abſque dubio Pollutionis huius capacia ſunt, num. 3.
De quibuſnam Organorum locis, & Odeis quæſtio hic ſit. ibid.
Prædicta omnia Organorum loca, & Muſicorum Odea Pollutionis Eccleſiaſticæ capacia ſunt, num. 4.
Organorum ſonus eſt veluti cantus quidam, & Diuini cultus pars. ibid.

Locus

Locus subter, vel supra prædicta loca, si sit ab Ecclesia, Solo, parietibus, & deputatione seiunctus, Pollutionis prædictæ capax non est, num. 5.

1 ADuerto 1. quamuis Græcum Organi nomen generaliter acceptum idem sit, quod Latine Instrumentum, peculiariter autem per excellentiam Vasa omnia musica significet ex *Quintilian. l. 9. c. 4.* nihilominus iam ex communi consuetudine factum esse, sicuti tradit *D. Amalar. Treuerēn. de Offic. Missæ c. 3.* vt Organa propriè dicantur ea, quæ inflantur follibus, quibus Deo laudes in Ecclesijs canimus, & quæ ex spiritus impulsione Græce *Organa Pneumatica*, & Latine *Spiritalia* nuncupat ex *Vitruu. l. 10. c. 1. Grapaldus de part. ædium, in explicat. verb. Organa,* vnde etiam *Organarios*, & *Organistas* deducit, quorum postremos alij *Organicos* rectius nominant cum *Lucret. l. 2.*

2 Aduerto 2. Odea in Ecclesijs nihil aliud esse, quam loca Musico cantui destinata, quæ musicorum pulpita vulgo dicuntur, Italice *Palchi de Cantori*, vel *Cantorie*.

3 Aduerto 3. tàm Loca Organorum, quàm Odea Musicorum aliquando esse intra ipsum Ecclesiæ spatium, eisdemque parietibus intercludi, & tunc certum est loca illa in ipsomet Ecclesiæ gremio esse, & proinde Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, pro vt iam diximus etiam de Ecclesiæ Pulpitis; aliquando vero loca illa esse in alia parte, quæ ab interiori Ecclesiæ gremio, & reliquo illius corpore diuisa, & separata, ac proinde extra Ecclesiam videri possit, vt pote quæ solo, & parietibus ab Ecclesia ipsa quodammodo seiungi videatur, & de talibus Organorum, & Odeorum locis hic præcipuè quæstio est.

4 Dico prædicta etiam Organorum loca, & Musicorum Odea Pollutionis Ecclesiasticæ capacia esse; quia pertinent ad interius Ecclesiæ corpus, & ita Ecclesiæ coniunguntur, vt vnum corpus cum ipsa efficiant, non secus ac Chorus ipse Ecclesiæ, de quo inferius idipsum statuemus, quandoquidem ad eadem Diuina Officia deputantur cum ipsamet Ecclesia (sonus enim ipse Organorum est veluti cantus quidam, & Diuini cultus pars) vnde prædicta loca vere, & formaliter eiusdem Ecclesiæ pars sunt, licet quid ab ea materialiter distinctum, & veluti cameræ ab Ecclesia seiunctæ alioqui videantur, quod clarius etiā ex dicendis de Choro cōstabit, & ita docent *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. nu. 33. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 46. & de 2. Eccles. præcep. l. 4. c. 4. nu. 36. Fran. de Lugo de Sacrament. l. 5. c. 6. q. 13. num. 101. Cassina in Mystagog. Regular. Catech. tit. 7. nu. 14. Iordan. var. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 76. &* omnium expressissime *Persicus de præcipuo Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 9. nu. 82.*

5 Colligo tamen hoc non obstare, quin locus subter, vel supra prædictum Organorū locum, idemque dico de loco subter, vel supra prædictum Odeum, si sit, vt alicubi esse videtur, soli, parietum, & deputationis ratione ab Ecclesiæ gremio, hoc est, ab interiore illius ambitu separatus, Pollutionis Ecclesiasticæ incapax re vera sit, etiamsi ad prædicta Organorum, vel Musicorum loca, quæ diximus Pollutionis Ecclesiasticæ capacia esse, non nisi per loca Profana pateret ingressus, pro vt etiam superius idipsum obseruauimus, dum de Coronis, & Podijs Ecclesiæ locuti sumus.

CAPVT XXXX.

An Chorus Ecclesiæ Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

SVMMARIVM.

Chori multiplex Etymologia, num. 1.
Chorus propriè quid sit, ibid.
Chorus metonymicè locum ipsum significat, qui canentium cætum continet, num. 2.
Chorus Spiritualis, & Materialis explicatur, ibidem.
Chori materialis multiplex situs, & distinctio, seu diuisio ab Ecclesia, num. 3.
Chorus intra Ecclesiæ ambitum, quocumque in situ, vel parte illius fuerit, Pollutionis Ecclesiasticæ capax est, num. 4.
Chorus etiam tabulis, vel pariete à reliquis Ecclesiæ partibus distinctus, si ipsi Ecclesiæ adhæreat, & iuxta modum nu. 6. præscriptum eidem coniungatur, Pollutionis eiusdem capax est, num. 5.
Chorus est pars primaria ipsius Ecclesiæ, num. 2. & 5.
Ecclesiæ partes nunquam separantur à suo corpore, nisi quando pariete, & deputatione diuersum quid constituerent ab eadem Ecclesia, ibid.
Chorus ab Ecclesia per plures parietes intermedios, vel etiam per vnicum tantummodo, si non adsit in eo pariete porta, vel fenestra, vel quid simile, seu æquiualens, non videtur eiusdem Ecclesiæ Chorus, seu pars, nec Pollutionis Ecclesiasticæ capax, num. 6.
In loco mox dicto, an aliquando satisfieri possit

obligationi dicendi in Choro Horas Canonicas, ibid.

Chorus non ita diuiditur ab Ecclesia per parietem, vt per eundem ab ea diuiditur Cæmeterium, num. 7. & 8.

Cur paries, etiamsi portam habeat in medio, separet nihilominus Ecclesiam vnam ab alia. vel duo Cæmeteria inter se, & non Chorum à reliquo Ecclesiæ corpore, num. 9.

1 ADuerto 1. Chorum, siue deducatur secundum *Platon. de Legib. l. 2.* à verbo Græco *Chara*, quæ est *Lætitia*, siue à *Chorea*, secundum *Io. Bapt. Rubeum Noui Ration. Diu. Offic. l. 1. c. 2.* & *Anacletum Siccum Hymnod. Ecclesiast. l. 2. c. 7.* siue etiam à *Corona* secundū *Raban. Maur. de Institut. Clericor. l. 1. c. 23. & Amalar. Treueren. de Offic. Missæ c. 3.* quod initio Cantores in modum *coronæ* circa Aras starent, & ita psalmos concorditer concinerent, ex communi tàm Latinorum; quàm Græcorum Auctorum, quin etiam Sanctorū Patrum vsu, proprie esse multitudinem canentium, nam multorum vocibus, & cōcentu constat, eodemque sensu psallentium Clericorum cœtus Chorus appellatur, vt constat ex *August. in Psal. 149. Isid. l. 6. Orig. c. de Eccl. Offic. & Tob. Coron. de S. Templ. p. 1. c. 9.*

2 Aduerto 2. Locum ipsum, qui prædictam psallentium multitudinem continet, Metonymice Chorum vocari, vt patet ex *Concil. Turonen. 1. c. 3. Toletan. 4. c. 17. & Cap. Dilectus, 1. de Præben. & Dignit.* vnde *Rubeus l. c.* cœtum canentium Chorum Spiritualem; locum vero canentium Chorum Materialem, & Materialis Ecclesiæ partem principalem vocat.

3 Aduerto 3. Chorum materialem Ecclesiæ non semper eodem; sed sæpe diuerso in situ, & tum in vna, tum in alia Ecclesiæ parte, modo scabellis tantum, vel telis, modo tabulis, vel parietibus ipsis à reliquo Ecclesiæ corpore distinctum, quin ita nonnunquam ab Ecclesia seiunctum esse, vt inter Ecclesiā, & Chorum plures etiam parietes interpositi sint, aliquando enim Chorus est in loco eminentiore, quam sit Ecclesiæ pauimentum, v. g. supra columnas, aut fornicem portæ, aliquando, licet Ecclesiæ adhæreat; nihilominus ità immobiliter, fixeque separatus videtur ab illa, vt nec vllus per Ecclesiam accessus ad Chorum sit, vt sæpius in Monialium Ecclesijs videre est, aliquando etiam fieri potest, vt saltem ob brumalem asperitatem, vel iustam aliam causam similem deputetur in Ecclesiæ Chorum, & constituatur locus alius ab illa per plures muros intermedios distans, vt ex se clarum est, de quibus omnibus distinctè hic agendum erit.

4 Dico 1. Chorum omnem quocumque in situ, & qualibet in parte Ecclesiæ positum, si intra ipsum Ecclesiæ ambitum, & spatium, eisdemque parietibus interclusus sit, Pollutionis Ecclesiasticæ capacem sine dubio esse, quia Chorum eiusmodi certum est intra Ecclesiæ gremium includi, immo partem, & quidem primariam, ipsiusmet Ecclesiæ esse, ita communiter DD. omnes cum *Anton. 2. p. tit. 1. c. 21. §. 1. Sanch. l. c. num. 33. Fagund. ll. cc. num. 46. & 36. Pontio de Matrim. l. 10. c. 10. num. 3. Persic. de Offic. Sacerd. l. 1. c. 7. dub. 9. num. 82. Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 76. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. qu. 13. num. 101. Iordan. l. c. num. 77.* & alijs.

5 Dico 2. Chorum item tabulis, vel pariete quoque à reliquis Ecclesiæ partibus fixe, & immobiliter distinctum, si ipsimet Ecclesiæ adhæreat, & modo illo, quem *num. sequenti* dicemus, eidem Ecclesiæ coniungatur, ac proinde etiam ad ipsam pertineat, Pollutionis Ecclesiasticæ omnino capacem esse, quia adhuc prędictus Chorus ipsiusmet Ecclesiæ procul dubio pars est, & intra Ecclesię ambitū re vera includitur, vnde per eandem numero Benedictionem, & Consecrationē, eodemq; tempore simul cōsecrantur tàm Chorus prædictus, quàm reliquum Ecclesiæ corpus; vt patet in Ecclesijs Monialium; parietis enim interpositio illa quasi materialiter tantum distinguit; non autem diuidit Chorum ab Ecclesia, sicuti superius etiam dictum est de pariete distinguente Capellam aliquam ab Ecclesia ipsa, aut ab alijs Capellis intra eandem Ecclesiam, aut etiam subter, vel supra illam positis, cum semper partes omnes Ecclesiæ, inter quas iam Chorum numerauimus, & inter illas principalem diximus, vnum corpus vere faciant cum Ecclesia, nec vnquam ab illa separentur, nisi quando non solum pariete, sed etiam depotatione ipsa constituerent vnum quid saltem numero diuersum ab eadem ipsa Ecclesia, quod non accidit in caso nostro, quia prædictus Chorus; licet parietibus quasi diuidi videatur ab Ecclesia; adhuc tamen vere tum solo, cum depotatione coniungitur eidem Ecclesiæ, & tanquam pars cum reliquis ipsiusmet Ecclesię partibus vnum reipsa corpus materialiter, & formaliter constituit, pro vt non obscure inferri potest ex mox allegatis Auctoribus; sed maximè ex *Persico l. c.* qui expressius pro nobis stat.

6 Dico 3. Chorum ab Ecclesia per plures

Parietes

Parietes intermedios distantem, vel etiam per vnicum tantummudo, si in prædicto pariete communi, & inter Chorum, & Ecclesiam intermedio non adsit vel porta, vel fenestra, vel quid simile, seu æquiualens, ex quo talis locus ad Officia Diuina cum eadem ipsa Ecclesia communia simul deputatus reipsa censeri valeat prudentis arbitrio, non videri mihi eiusdem Ecclesiæ partem, aut proprie Chorum, nec proinde esse ex hoc capite Pollutionis Ecclesiasticæ capacem; sed eum tunc esse potius Cameram aliam ab interno Ecclesiæ ambitu omnino separatam, quam Ecclesiæ partem, aut membrum formale illius, pro vt de Sacristia ipsa, & locis similibus fusè iam diximus. infertur hæc cõclusio sufficienter ex Doctoribus, & rationibus superius allatis, & expresse illi omnino assentiat necesse est, inter alios *Bordonus in Consil. Regular. resol.* 30. *qu.* 17. *num.* 21. qui cum neget in tali loco, etiam ex iusta causa, satisfieri obligationi canendi in Choro, ibi enim psallentes, inquit ille, neque materialiter, neque formaliter Choro intersunt; euidens omninò est talem locum ab eo non reputari propriè intra Ecclesiã, quod omnino hic necessarium est; licet fortasse in casu illo *Bordoni*, qui ibi canunt, moraliter dici possint canere in Ecclesiã, pro vt dixit *Dian. p* 6. *tr.* 8. *resolut.* 13. *ex Bonac. & Castropal.* & nouissime etiam *Cassina l. c. tit.* 14. *num* 6. eo quod etiam ibi Officium ad Ecclesiam dirigi videatur.

7 Dices: Chorus ita per parietem ab Ecclesia seiungitur, vt Cœmeterium ab eadem; sed polluto cœmeterio, licet contiguum sit Ecclesiæ, non polluitur ipsa Ecclesia, ergo neque etiam polluto Choro Ecclesiæ contiguo; sed per parietem ab eadem Ecclesia diuiso, polluetur ipsa Ecclesia.

8 Respondeo Cœmeterium, seu sit contiguum, seu non contiguum ipsi Ecclesiæ, semper formaliter esse quid vere separatum, & diuisum ab Ecclesia, vt infra clarius apparebit, dum de Cœmeterijs agemus, non est enim ad eadem deputatum, ad quæ ipsamet Ecclesia, & omnes illius partes deputatæ sunt, in quo maximè differunt à cœmeterio, ac proinde certum est nunquam ab eo Ecclesiam trahi in Pollutionem; trahi tamen ab Ecclesia Cœmeterium, si sit ipsi Ecclesiæ cõtiguum, & consequenter eidem accessorium, quia, vt iam superius diximus, ita Sacri Canones sanxere. Chorus vero, cum semper ex se sit vere, & proprie pars ipsius Ecclesiæ, nisi is ab eadem ita distet, vt non amplius pertinere videatur ad eandem Ecclesiam, nec eiusdem Ecclesiæ pars, seu Chorus vere censeri possit, semper intra ipsius Ecclesiæ corpus materialiter, & formaliter reputari debet; tunc autem censetur Chorus vere distare modo iam dicto ab Ecclesia, vel non distare ab eadem, quando Chorus ita se habet cũ eadem Ecclesia, pro vt iam *num.* 6. dictum fuit. Quare ad prædictum argumentum, vel neganda omnino maior propositio, Chorus enim non semper per parietem, pro vt vidimus *num.* 5. *&* 6. ita separatur ab Ecclesia, vt ab eadem Cœmeterium, vel iuxta mox allatam explicationem distinguenda est, & concessa minori, neganda erit consequentia.

9 Colligo, licet ad cognoscendam diuisionem, & separationem duorum cœmeteriorum, vel duarum Ecclesiarũ inter se sufficiat vnicus paries, vel quid parietis instar, etiamsi in eo pariete porta patens sit, per quam ab vno loco in alium transitus habeatur, vt ex supra dictis apertum est; nihilominus similem parietem cum prædicta porta, vel fenestra non sufficere ad diuisionem, & separationem Chori à reliquo Ecclesiæ corpore; disparitatem autem omnino manifestam eam afferri posse crediderim, quod inter duo Cœmeteria, vel duas Ecclesias, cum sint duo tota, inuicem materialiter, & formaliter separabilia, quorum proinde alterutrum sine altero materialiter, & formaliter stare potest, & ab eo diuidi, non sit ea relatio, dependentia, & veluti inseparabilitas, quæ est inter ipsum Ecclesiæ corpus, & illius membra, seu partes: nam singula cœmeteria, vel Ecclesiæ, cum habeant per se formaliter totum suum proprium corpus, habent enim locum, & deputationem suam peculiarem, nec alterum alteri subijcitur, cum par in parem non habeat imperium, facile per quodlibet diuisionis materiale signum diuisa formaliter intelliguntur; Chorus autem, & quælibet alia Ecclesiæ membra, quia deputationem vnam, & eandem habent cum reliquo Ecclesiæ corpore, non nisi illud idem, quod habet Ecclesia ipsa, corpus habent, vnde nunquam partes, vel membra prædicta à suo Ecclesiæ corpore diuisa censeri debent, nisi penitus ab Ecclesia diuisa fuerint, & Solum, parietes, & deputationem diuersam habeant à reliquo Ecclesiæ corpore, pro vt iam *num.* 6. explicatum est.

CAPVT

CAPVT XXXXI.

An Rotæ, seu Turni in Ecclesijs Monialium, ad sacram supellectilem, & similia exhibenda, vel excipienda, Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sint.

SVMMARIVM.

Rotæ, seu Turni Monialium describuntur, num. 1.

Rotarum prædictarum aliæ sunt in pariete inter vnam, & aliam ipsius Ecclesiæ partem; aliæ verò in pariete inter Ecclesiam, & alia loca extra Ecclesiam, num. 2.

Fenestellæ, in quibus sunt istæ Rotæ, non videntur differre à Fenestris, seu Ostijs alijs Ecclesiæ, de quibus iam actum est. num. 3.

Rotæ primi generis Pollutionis Ecclesiasticæ capaces sunt; secus verò secundi, num. 4.

Monialis ponens se in Rota, & eam voluens ad partem exteriorem, ad quam sæculares accedunt, si non egrediatur e Rota, an dicatur adhuc intra Clausuram Monasterij, num. 5. & 6.

An e contrario, qui Rotam à parte, quæ est extra Clausuram, ingressus eam voluit ad partem Monasterij, & e Rota non egreditur, dicatur propriè ingredi Clausuram. ibid.

Verum, si Monialis prædicta in Rota primi generis, ex qua pedem, vel manum, vel etiam caput ipsum tantum intra Ecclesiam extendisset, occideretur, prædicta Ecclesia pollueretur, num. 7.

1 ADuerto 1. Rotæ, seu Turni nomine hic venire ligneum illum orbem, versatilem, & circumductilem, qui in fenestella parietis exterioris Ecclesiam à Monasterij septis seiungentis superne, & inferne fixus voluitur in gyro, & modo introrsum, modo extrorsum ità vel aperitur, vel clauditur, vt, quæ in eo clauduntur, vel e Monasterio in Ecclesiam, vel ab Ecclesia in Monasterium traducantur, qui vulgo etiam alicubi *Curlo* nominatur.

2 Aduerto 2. Rotas istas duplicis generis esse posse: alias scilicet, quæ sint inter Ecclesiam exteriorem ab vna parte, & interiorem Ecclesiam, seu Chorum Monialium ab alia; alias autem, quæ sint inter Ecclesiam quidem exteriorem ab vna parte; sed inter profana Monasterij loca ab alia, v. g. inter Ecclesiam exteriorem, & Sacristiam interiorem Monialium.

3 Aduerto 3. Fenestellas prædictas, in quibus Rotæ istæ collocantur, videri mihi non differre, quod ad hanc rem nostram spectat, à Fenestris alijs, seu Ostijs ipsis, de quibus actum est, pro vt Rotas istas ab Ostijs non differe dixerunt expresse *Dian. p. 3. tr. 2. resol. 52. & Pellizar. de Monial. c. 5. num. 72.* nec dissentit *Sanch. in Sum. tom. 2. l. 6. c. 16. nu. 70.* ac proinde idipsum hic de his dicendum esse, quod ibi de illis dictum fuit. Quare

4 Dico Rotas primi generis esse Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, quia etiam Ostium in tali pariete ex supradictis *c. 36. n. 5. 6. & 7.* pollutionis eiusdem capax est ob rationes ibi allatas; Rotas verò secundi generis prædictæ Pollutionis capaces non esse, quia neque Ostia, seu Fenestræ aliæ in simili pariete existentes Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sunt, pro vt iam *c. 31. & 32.* abunde probauimus, vbi satis obiectis omnibus factum, & plures etiam Doctorum auctoritates relatæ sunt.

5 Dices. Monialis, si ponat se in Rota, & eam voluat ad partem exteriorem, ad quam accedunt Sæculares, si non egrediatur e Rota; sed semper maneat in ea, non dicitur egredi ex ambitu Monasterij, & reputatur probabiliter adhuc esse intra clausuram illius ex *Bonac. q. 1. de Clausur. pun. 8. num. 7. Lezan. tom. 1. c. 25. num. 18. Pellizar. & Dian. ll. cc.* & nouissime ex *Castilento V. Clausura Monial. diff. 5.* quicquid contradixerit *Comitol. Respons. Moral. l. 6. q. 3. Portel. in Dub. Regular. V. Clausura Monial. num. 24.* & *Coriol. de Cas. Reseru. p. 2.* ergo, si in parietibus Ecclesiæ positæ sint Rotæ prædictæ, omnes dici debent intra Ecclesiæ ambitum, ac proinde intra Ecclesiam, & Pollutionis Ecclesiasticæ capaces.

6 Respondeo Monialem prædictā dici intra clausuram, & ambitum Monasterij, quasi negatiuè, quia nimirum ibi non est verè extra clausuram, & ambitum Monasterij, cum sit in loco verè mixto, & partim intra, partim extra clausuram, qui proinde in odiosis, in quibus etiam versamur, quando de Ecclesiæ pollutione agimus, venire non debet nomine loci extra clausuram; sed in fauorabilibus tantum: vnde neque, qui prædictam Rotam ingrederetur à parte extra clausuram, licet Rotam volueret ad Monasterij partem, si nō egrederetur e Rota, propriè non diceretur violare Clausuram per ingressum, quia essemus adhuc in odiosis, & in his, vt iam sæpius de ostio diximus, casus mixtus venire non debet

debet

debet nomine simplicium, ex prædicto igitur argumento nihil contra nostram conclusionem infertur, quin etiam ex illo magis ista confirmatur, vt consideranti patebit.

7 Colligo, non solum non pollui Ecclesiam, si v. g. Monialis prædicta in Turno, seu Rota secundi generis (secus enim dicendum esset in alijs primi generis) existens occideretur, etiamsi tunc Rota côuersam haberet faciem versus Ecclesiam; sed neque fortasse eandem Ecclesiam inde pollui, si prædicta Monialis pedem, vel manum, vel etiam caput ipsum tantum e Rota extendisset intra Ecclesiam; quo ad corporis autem reliquum consisteret adhuc in Rota: nondum enim Monialis illa vere, & proprie (vt in odiosis verbi sumi debent) dici posset intra Ecclesiam; sed potius adhuc esset in Rota, & proinde iuxta prædicta in loco mixto, & consequenter in odiosis extra Ecclesiam, licet hunc casum nondũ apud DD. viderim.

CAPVT XXXXII.

An Sacrarum Reliquiarum Loca Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Quid per Sacrarum Reliquiarum locum hic intelligatur, num. 1.

Sacrarum Reliquiarum loca duplicis generis sunt. num. 2.

Dubium de prædictis locis vnde ortum sit, num. 3.

Loca, in quibus Sacræ Reliquiæ perpetuæ traduntur Sepulta, sunt Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, num. 4.

Secus verò dicendum est de Reliquiarum locis, in quibus ea sepultura non sunt, num. 5.

Aliquando tamen etiam Reliquiarum loca secundi generis sunt prædicta pollutionis capacia, & cur. num. 6.

1 ADuerto 1. per Sacrarum Reliquiarum loca hic, non Capsulas, Thecas, aut Vascula ipsa, quorum formas diuersas videre potes apud *Signium de Reliq. cap. 49.* & in quibus stata Benedictione munitis Sacræ Reliquiæ immediate recondi, & populo ad Sanctorum cultum in ijs ostendi solent, hæc enim omnia potius sunt in loco, quam propriè loca; sed solum intelligi loca, in quibus prędictæ Capsulæ, Thecæ, & Vascula cum Reliquijs collocari, & custodiri consueuerunt.

2 Aduerto 2. prædicta Reliquiarum loca iterum duplicia esse; alia, in quibus Reliquiæ perpetuæ mandantur sepulturę, & vnde illæ non possunt amplius extrahi, aut transferri sine licentia Papæ, aut Episcopi, & c. pro vt videre est apud *Sanch. l. 2. in Decal. c. 43. nu. 25. Laym. l. 4. tr. 7. de Festor. obseru. c. 5. num. 17. Genuen. in Prax. c. 56. Bariol. consil. 24. Thesaur. de Pœnis Eccles. p. 2. V. Reliquia, c. 1. nu. 1.* & alios ex *Cap. Corpora, de Consecrat. dist. 1.* alia vero, in quibus prædicta Reliquiarum Vasa, non perpetuæ sepulturæ; sed tantum custodię potius causa collocantur, vt inde libere amoueri, & publice etiam exponi queant.

3 Aduerto 3. Dubium in hoc capite propositum inde natum fuisse, quia prædicta omnia Sacrarum Reliquiarum conditoria, seu loca ex vna parte, cum differre non videantur ab Armarijs, seu Promptuarijs alijs tam ad Reliquiarum, quam ad reliquorum Ecclesiæ thesaurorum custodiam, & conseruationem deputatis, nequaquam ex se loca Pollutionis Ecclesiasticæ capacia videntur, pro vt supra de Sacristia, similibusque locis satis, superq. dictum est; ex alia vero parte, cum prędicta Sacrarum Reliquiarum conditoria, seu loca, sint veluti Sanctorum Corporum, seu Cinerum cœmeteria, eo ipso videntur etiam Pollutionis huius capacia. Quare

4 Dico 1. Sacrarum Reliquiarum loca primi generis, in quibus scilicet Sacrarum Reliquiarum thesauri perpetuæ traduntur sepulturæ, omnino Pollutionis Ecclesiasticæ capacia esse, tum quia non nisi intra Ecclesiam sunt; sub Altaribus enim eæ tàm antiquitus, vt constat ex *Aug. de Ciuit. Dei l. 22. c. 8. Euadio, Gaudentio*, & alijs apud *Signium de Reliq. c. 41.* quam nunc condi solent, vnde Altaria in honorem Martyrum consecrata, & Reliquias illorum continentia diu *Martyria* nominata sunt: tum quia prædicta loca vere appellantur, & sunt Sepulcra Sanctorum, vt patet ex *Prudent. Hymn. 11.* cum non minus talia loca ad talium corporum, quam alia ad aliorum Fidelium sepulturam deputata sint, & proinde Ecclesiarum partes, vt alia Ecclesiarum sepulcra, habeantur.

5 Dico 2. Sacrarum Reliquiarum loca secundi generis ex se Pollutionis Ecclesiasticę capacia non esse, quia proprie illa Sacrarum Reliquiarum sepulcra non sunt, vt per se patet.

6 Colligo, licet aliquando, pro vt bene aduertit *d. Signius tr. de Reliq. c. 42. vers. Cætera.* Reliquiarum Vasa reconderentur in Fenestra, tanquam Armario, intra parietem facta (quæ

(quæ tamen extra Capellam Altaris Maioris construenda, & ferrea craticula munienda esset) quam aliqui Tribunam vocant, & nos Pollutionis Ecclesiasticæ capacem, vt potè intra Ecclesię ambitum constitutam, non negamus, pro vt supra de similibus Ecclesię Scaphis diximus; nihilominus prędictum Reliquiarum locum, quia ibi eę depositę tãtum; non autem sepultę supponuntur, quã Ecclesię partem; non quã Reliquiarum locum, prędictę pollutionis capacem esse: ac proinde, si prędicta fenestra in ipsamet Ecclesia cõmode effici nequiret, & fieret, quod ipsemet etiam *Signius ibid.* faciẽdum docuit, in Sacristia, tunc absque dubio prędicta Fenestra, seu Armarium, licet ibi Sacrę Reliquiæ repositę essent, nullo modo Pollutionis huius capax esset, quia nullibi habetur, quod sola Sacrarum Reliquiarum, pro vt nec Eucharistię ipsius, prę sentia faciat ex se locum esse Pollutionis huius capacem.

CAPVT XXXXIII.

An Ecclesiæ Armaria Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Nomine Armariorum Ecclesia quid hic veniat. num. 1.

Sanctissima Eucharistiæ Tabernaculum iam sine dubio Ecclesiastica Pollutionis capax est, num. 2.

Cur de eo antiquitus dubitari potuisset. ibid.

Armaria in Ecclesia multipliciter fieri solent, num. 3.

Armaria amouibilia, si intra Ecclesiam sint, Ecclesiastica Pollutionis capacia sunt, nu. 4.

Armaria in parietis concauitate, licet valuulis claudantur, & aperiantur, quandonam, & cur item Pollutionis huius capacia sint, nu. 5.

Armaria quænam esse possint prędicta Pollutionis non capacia, num. 6.

Quid de Armarijs, quæ aliquando sub Scalis, Excdris, Pulpitis, Altaribus, &c. nu. 7.

1 ADuerto 1. nomine Armariorum Ecclesię hic accipi Promptuaria omnia, in quibus res ad Ecclesię vsum necessarię ita repositę sunt, vt statim promi, ac proferri possint. nam etiam *Isidorus* Armarium dixit Locum, vbi quarumcumque artium instrumenta reponuntur, & *Iustus Lipsius de Bibliothec. c.9.* Armaria vocat, vbi Sacra, aut eorum Reliquię asseruantur.

2 Aduerto 2. quamquam de Sacrosanctæ Eucharistiæ Tabernaculis dubitandi locum nullum iam habeamus, cum ea iam super Altarium mensis collocentur, ac proinde sint ęque intra Ecclesiæ ambitum, & Ecclesiasticæ Pollutionis capacia, vt Altaria ipsa: vnde ea iam non tàm loca, quàm in loco esse videntur, pro vt de alijs etiam huiusmodi superius diximus; nihilominus aliquam olim dubitandi causam esse potuisse de antiquis illis Eucharistiæ domunculis, quæ in muris Ecclesię lateralibus aliquando construebantur, & in quibus ea seruabatur, cum à reliquis Ecclesię Armarijs in muro ędificatis ea nequaquam differre viderentur; sed certe de ijs idipsum dicendum fuit, quod generaliter de Armarijs mox statuemus.

3 Aduerto 3. cum multipliciter intra Ecclesias Armaria fieri soleant, alia enim, maxime ad Sacri Chrismatis, & Olei tum Catechumenorum, tum Infirmorum vascula custodienda, in parietis concauitate; alia alibi, maxime ad Ecclesiasticos libros, & similia reponenda, extruuntur, alia fixa sunt, & immobiliter Solo Ecclesię, vel parieti inhęrent, alia etiam amouibilia, pro vt aliquibus in Ecclesijs aliquando videre est, idcirco de ijs distincte aliquid dicendum esse, vt de Armarijs omnibus distincte, cum opus fuerit, iudicium ferri queat.

4 Dico 1. Armaria illa amouibilia, quę quasi viatica, & portatilia superius diximus *c. 35. num. 4.* si intra Ecclesię ambitum sint, sine dubio pollutionis Ecclesiasticę capacia esse, cum enim potius illa in loco sint, quam locus, pro vt ibidem asseruimus, propterea nõ minus intra Ecclesiam vere est, qui intra illa Armaria est, quam si in eodem loco; sed extra Armaria illa, esset.

5 Dico 2. Armaria, si in parietis concauitate constructa; sed Ecclesię internum ambitum versus tantummodo aperta sint, Ecclesiasticę item pollutionis capacia esse, quia non videntur re ipsa differre à Scaphis, de quibus *c. 32.* actum est. valuulę enim, quę prędictis Armarijs claudendis, vel aperiendis inseruiunt, non satis esse videntur ad Armariorum prędictorum locum à reliquo Ecclesię corpore separandum, & diuidendum, quia non sunt quid fixum, & immobile, quod parietis instar haberi debeat, & vnum in duo diuidat, pro vt etiam ex *Sanch. & Fagund.* docuimus *c. 35. num. 6.*

6 Dico 3. Armaria, quę vere Confessionatijs quibusdam *d. Cap. 35. num. 2.* descriptis similia sint, vere quidem Pollutionis Ecclesiasticę capacia non esse; sed tunc non tam

Ecclesiæ

Ecclesiæ Armaria, quam Cameras ab interno Ecclesiæ ambitu separatas proprie dicendas esse, vt ex ibi dictis satis constare potest.

7 Colligo idipsum, quod de Armarijs ijs *nu.* 5. descriptis dictum est, dicendum quoque esse de similibus alijs, quæ vel sub Scalis, vel sub Pulpitis, vel sub Exedris, vel etiam sub Altaribus ipsis, & alijs huiusmodi aliquando essent; nisi forte talia essent, vt potius inter Armaria illa censeri deberent prudentis arbitrio, de quibus mox *num. praced.* locuti sumus.

CAPVT XXXXIV.

An Fontes, vel Putei in Ecclesijs Ecclesiasticæ Pollutionis capaces sint.

S V M M A R I V M.

Fontes, vel Putei tripliciter in Ecclesijs esse possunt, num. 1.

Fontes, vel Putei in pariete diuidente Ecclesiam à non Ecclesia constructi Pollutionis Ecclesiasticæ capaces non sunt, num. 2.

Idem dicendum de Fontibus, seu Puteis subter Ecclesiæ pauimentum existentibus. ibid.

Fontium, seu Puteorum loca in Solo Ecclesiæ adhuc sunt in duplici differentia, num. 3.

Quænam ex prædictis locis sint Pollutionis Ecclesiasticæ capacia, & quæ non, num. 4.

Quomodo prædicta loca differant à Scaphis Ecclesiasticæ Pollutionis capacibus, num. 5. *& 6.*

Cur eadem loca, licet aliquando videantur sub eodem Ecclesiæ tecto, non tamen sint intra eam, num. 7.

Conciliantur ista cum ijs, quæ supra dicta fuere Cap. 35. num. 4.

1 ADuerto 1. tripliciter in Ecclesijs esse posse huiusmodi Fontes, vel Puteos. Primo in Pariete diuidente Ecclesiam à non Ecclesia: secundo intra ambitum Ecclesiæ, sed omnino subter Ecclesiæ pauimentum: & tertio intra, vel infra Ecclesiæ pauimentum; sed non omnino supra, nec omnino subter illud, vt rem bene perspicienti patere potest.

2 Aduerto 2. quod ad Fontes, vel Puteos primi, & secundi generis attinet, nullam superesse difficultatem, cum omnes extra Ecclesiam esse videantur, ac proinde de ijs idipsum omnino esse dicendum, quod de cæteris locis subter Ecclesiæ pauimentum, *Cap.* 27. & de Cameris, seu Cellis Ecclesiæ adhærentibus *Cap.* 30. iam dictum fuit.

3 Aduerto 3. quo ad Fontes, vel Puteos tertij generis præ omnibus perbene perspiciendam esse eam, quam innuimus, differentiam: aliquando enim Fontium, & Puteorum prædictorum loca sunt solummodo aliquanto depressiora, quam reliquum Ecclesiæ pauimentum, ita vt ad ea quidem per aliquot gradus aliquando descendatur; sed nihilominus adhuc ea supra Solum Ecclesiæ patere potius, quam subter, illud latere videantur; aliquando vero ita illa sunt in Ecclesiæ Solo latentia (licet eorũ quasi os, seu ostium, in superiori ipsius Soli facie aperte omnino pateat) vt loca ipsa potius infra Solum, quã supra illud censeri debeant, quod ex oculari inspectione, quam ex quacumq. descriptione, facilius secerni poterit, prout in simili casu bene dixit *Iordan. var. Elucubr. tom.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 81.

4 Dico Fontes, seu Puteos, quos iam præcedenti numero, & primo loco descriptos habes, videri mihi Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, quia non videntur mihi loca ab interno Ecclesiæ ambitu separata; Fontes verò, vel Puteos eodem numero; sed secundo loco descriptos, prædictæ Pollutionis nequaquam capaces videri, quia vere loca extra internũ Ecclesiæ ambitum posita videntur; quamuis ea os, seu aditum in Ecclesiam apertum habeant, pro vt iam in similibus dictum fuit *Cap.* 27. *num.* 4. *& Cap.* 30. *num.* 1.

5 Dices. Scaphæ in parietibus Ecclesiæ, si sint à parte inferiori illius, sunt ex dictis *Cap.* 32. *num.* 5. Pollutionis Ecclesiasticæ capaces, ergo etiam Puteorum, & Fontium loca omnia, dummodo aperta sint interiorem Ecclesiam versus, eiusdem pollutionis capacia erunt, quia non videntur à prædictis Scaphis differre.

6 Respondeo loca prædicta differre à Scaphis in hoc, quod illa locum separatum ab Ecclesiæ corpore, & sibi proprium constituere videntur, illæ vero non item, vt rem omnem recte intuenti clarum fiet.

7 Colligo, licet prædicta loca Fontium, vel Puteorum, quæ Pollutionis Ecclesiasticæ nõ esse capacia diximus, quia propterea Ecclesiæ ambitum ea non esse censuimus, videantur esse sub eodem Ecclesiæ tecto, non secus ac pulpita, & alia huiusmodi; nihilominus adhuc ea cẽsenda esse extra Ecclesiam non aliter, atque alia loca Ecclesiæ tantum adhærentia, ad quæ fit per Ecclesiam aditus; os enim, seu ostium prædictorum Puteorum,

vel Fontium est veluti aditus ad eos, & per accidens inde fit, quod talis aditus sit sub eodem Ecclesiæ tecto, sicuti per accidens esset, quod aliquando Sacristia sub eodem Ecclesiæ tecto esset, eo quod proprium illius tectum corruisset, proinde enim non desineret esse locus ab Ecclesia cætetoquin separatus, vt patet ex *Cap. 38.* vnde nec obstat, quod *Cap. 35. num. 4.* diximus de quibusdam Confessionariorum locis, quia ibi ea loca habent non solum idem tectum; sed etiam idem Solum, & vtrumque per se; hic vero agitur de locis vndecumque ab Ecclesiæ ambitu separatis; sed tantummodo per accidens proprio tecto carentibus, eo quod talia ista loca supeme solummodo; licet internum Ecclesiæ ambitum versus, aperta sint.

CAPVT XXXXV.

An Altaria, Calices, Patenæ, & similia Pollutionis Ecclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Altare, & Ara vnde dicantur, num. 1.
Altare aliquando varia significat. ibid.
Altare aliud Fixum; seu Stabile; aliud Mobile, Portatile, Subductile, & Viaticum. ibid.
Altare Fixum, non nisi intra Ecclesiam Consecratam, vel Benedictam, consecratum est, num. 2.
Altare Fixum, polluta Ecclesia, polluitur; sed non Altare Mobile. ibid.
De quibusnam Altaribus hic quæstio fit, num. 3.
Altaria Mobilia, Calices, Patenæ, Corporalia, & similia proprie non sunt Pollutionis Ecclesiastica capacia, num. 4.
Prædicta tamen Execrari possunt. ibid.
Difficultas quædam proponitur, & soluitur, n. 5. & 6.
Layman, *&* Franc. de Lugo *improprie locuti sunt, dum prædicta pollui dixerunt, num. 7.*

1 ADuerto 1. Altare, licet alibi aliquando accipiatur etiã pro Capella, quinimo pro Ecclesia ipsa, vt constat ex *Cap. Quæsitum, 1. q. 3.* & adnotauit *Cassin. V. Altare, tit. 3. num. 1.* hic tamen esse locum, in quo sacrificium immolatur, & dici Altare, quasi Altam rem, vel, quod magis placet, Altam Aram; locus enim Sacrificij in altum erigi solet tum propter reuerentiam, tum propter significationem, tum etiam propter significandi commoditatem: Ara autem dicitur vel à precatione, cum Græci Precationes vocent Aras, vel ab Ardore, quoniam ibi victimæ solebant ardere, de quibus videri possunt *Isidor. Orig. l. 15. c. 4. Macrob. Saturn. l. 3. c. 3. Strabo de reb. Eccles. l. 1. c. 7.* cum vero Altare iam ex Ecclesiasticorum vsu dupliciter sumatur, primo pro tota mensa, super quam integre Missa celebratur; secundo vero magis proprie pro lapide consecrato, quæ tali mensæ superponitur, idcirco duplex Altare distinguitur: Primum dicitur Fixum, seu Stabile, quod, si consecratum non sit, improprie dicitur Altare, nec in eo, nisi superaddita Ara consecrata, celebrari fas est; si verò cõsecratum sit, proprie Altare est, & in eo subinde sine Ara prædicta celebrari potest, vt ex *Azor. tom. 1. l. 10. c. 27. q. 1.* tradit *Franciscus de Lugo de Sacram. par. 1. l. 5. c. 7. num. 1. & 2.* Secundum dicitur Portatile, seu Mobile, & Subductile, quando scilicet lapis consecratus dimoueri potest, & hinc inde tolli, & aliò deferri, quia cum reliqua Sacrificij mensa non connectitur, vnde istud Altare *Cap. fin. de Priuileg. in 6.* Viaticum appellatur; & *Cap. Concedimus, de Consecrat. dist. 1.* Tabula Altaris consecrata vocatur.

2 Aduerto 2. cum Altare Fixum nunquam sit consecratum, nisi sit intra Ecclesiam consecratam, vel benedictam ex *Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 5. vers. In tertia parte*, cumque Pollutio Ecclesiæ concernat totum corpus, & omnes partes illius; sufficiat autem ad pollutionem totius, si aliqua pars Ecclesiæ tantum polluatur, ideo certum esse, quod, polluto Altari Ecclesiæ, polluitur tota Ecclesia, &, polluta Ecclesia, polluitur etiam omne Altare fixum, & stabile illius; cum vero Altare portatile non sit pars Ecclesiæ, certum item est, quod illud non polluitur, polluta Ecclesia: vnde inde extractum potest Sacrificio alibi deseruire. ita *Abbas in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. Syluest. V. Altare, q. 11. Armilla ibi, num. 12. Azor. l. c. q. 14. Vngarel. ad Angel. Verb. Altare, num. 4. Fran. de Lugo l. c. q. 3. num. 31. Io. Maria de Castileneo in Seraph. Theol. Moral. Polyanthea V. Altare, diffic. 1. conclus. 5.* & alij cum eo.

3 Aduerto 3. quæstionem hic ergo tantum esse de Altaribus mobilibus, & extra Ecclesiam positis, an scilicet, si in eis v. g. fiat illicita sanguinis, vel seminis effusio, ita polluantur, vt Reconciliatione indigeant; quod etiam quæri potest de Calice, Patena, & similibus.

4 Dico prædicta omnia propriè Pollutionis Ecclesiasticæ capacia non esse, quia Sacri Canones

Canones nullam de ijs mentionem fecere, & odia non sunt amplianda; sed restringenda. vnde Altaria portatilia, Calices, Patenæ, Corporalia, &c. execrari quidem possunt, quia benedictionem, vel consecrationem suam amittere aliquando possunt; sed, cum execratio valde differat à Pollutione, vt iam patet ex *disput. 1. c. 4.* Altarium, & prædictorum execratio proprie Pollutio appellanda non est, quomodo autem Altaria, & prædicta omnia execrentur, ita vt noua Benedictione, seu Consecratione indigeant, non est huius loci, nec ad Pollutionem Ecclesiæ quicquam facit.

5 Dices ex *Abbate, Sylu. Armil. & Azor. ll. cc.* polluta Ecclesia, polluitur etiam altare, quod est extra illam, si sit cum pariete Ecclesiæ pollutæ coniunctum, ergo aliquando Altare extra Ecclesiam pollui potest.

6 Respondeo prædictos DD. intelligendos esse de Altari, quod, licet aliquomodo videatur extra Ecclesiam, eo quod sit extra parietem aliquem Ecclesiæ; nihilominus vere sit in loco cum Ecclesia coniuncto, ac proinde sit eiusdem Ecclesiæ pars, & vnum Ecclesiæ corpus cum reliquis illius partibus constituat, vt ex eorum dictis facile erui potest.

7 Colligo *Laymannum l. 5. tr. 5. c. 6. num. 10.* & ex eo *Franciscum de Lugo l. c.* improprie locutos fuisse, dum dixere Altare Portatile, sicut etiam Corporalia, Calices, & Patenas, per humani sanguinis, vel seminis effusionem pollui, ita vt egeant Episcopali Reconciliatione, cum ista non nisi execrationis capacia sint.

CAPVT XXXXVI.

An Cœmeteria Pollutionis Eccclesiasticæ capacia sint.

SVMMARIVM.

Cœmeterij Etymologia à varijs affertur, nu. 1.
Cœmeterium cur Dormitorium appellatum sit, ibid.
Cœmeteria aliquãdo dicuntur Sepulchreta, Cõcilia Sanctorum, Arenariæ, Cryptæ, Tumbæ, Catacumbæ, Catatumbæ, Areæ, & Atria. *ibid.*
Cœmeterij nomine quid hic intelligatur. ibid.
Cœmeterium est locus sacer, & Pollutionis capax, etiamsi nondum quisquam in eo sepultus sit. ibid.
Cœmeterium quomodo differat à Sepultura, Sepulcro, Monumento, Sarcophago, Cænotaphio, Pyramide, Deposito, Tumulo, Arca, Vrna, Feretro, Mausoleo, Busto, Polyandro, seu Polynandro, Ergastulo, Conditorio, Puticulis, & c. *ibid. remiss.*
Cœmeteriorum vsus vnde initium sumpserit, n. 2.
Cœmeteria cur instituta fuerint, ibid.
Cœmeterium nunc Ecclesiastico Iure non fit, nisi Episcopi auctoritas, & benedictio accedat, num. 3.
Cœmeteria tam contigua, quam separata ab Ecclesijs sunt loca Sacra, & Pollutionis Ecclesiastica capacia, sicut Ecclesia ipsa, num. 4.
In Cœmeterijs olim Episcopi, Clerici, & Christiani fere ea omnia peragebant, quæ in Ecclesijs. ibid.
Cœmeteria, & Ecclesia quo ad Consecrationem, vel Benedictionem, Sacrilegium, Immunitatem, Interdictum, Pollutionem, & Reconciliationem fere pari passu ambulant, n. 5.
Cœmeteria aliquando polluta Ecclesia, polluuntur; sed non econtra. ibid.

1 Aduerto 1. licet Cœmeterij Etymologiæ variæ à varijs afferantur, vt videre est apud *Durand. Ration. Diuin. Offic. l. 1. c. 5. num. 4. Mar. Ital. De Immunit. Eccles. l. 1. c. 4. §. 7. nu. 4. & 8. Tob. Coron. de Sacris Templis p. 1. c. 10. Samuell. de Sepultur. tr. 1. controuers. 1. conclus. 9.* & alios passim, nihilominus eam vnam mihi inter omnes arridere, quæ Cœmeteriũ à Verbo Græco *Coimao*, Latine *Sopio, Dormio, Obdormio*, deducit, vnde etiam *Coimisis* est *Dormitio*, & *Coimeterion* idem est ac *Dormitorium*, vt colligi clare potest ex *Atheneo l. 4. c. 5.* qui Domum, in qua hospites dormiebant, Cœmeterij nomine à Cretensibus appellatam scribit, quod etiam adnotauit *Nicolaus Doard. ad Durand. l. c. Azor. Instit. mor. p. 2. l. 9. c. 6. Baron. ad Martyrolog. die 3. Ianuar. lit. E. & Barbos. Iur. Eccles. l. 2. c. 9. num. 3.* recte antem loca, vbi Fidelium cadauera conduntur, Cœmeteria dicta sunt; sicuti enim Iustorum obitus à S. Scriptura Somnus appellatur, *Io. 11. n. 21. Matth. 27. n. 52. Paul. ad Thessalonic. 1. c. 4. n. 13.* ita loca ipsa, vbi dormiunt, Dormitoria non immerito vocantur. nuncupantur vero Cœmeteria ab aliquibus etiam *Sepulchreta*, aliquando in antiquis Martyrologijs *Concilia Sanctorum*, aliquando à natura loci denominatione deducta, *Arenaria, Crypta, Tumba, Catacumba*, seu *Catatumba, Area*, & aliquando *Atria*, vt bene probat, *Ital. l. c. num. 1. & 2. ex Gloss. in Cap. Nullam, 12. q. 1. & ex tex. Cap. Praecipiendum, §. prohibendum est, 13. q. 2.* post *Reuig. de Gon. de Immunit. Eccles. ampl. 10. num. 2.* quomodo autem Cœmeterium differat à *Sepultura, Sepulcro,*

Monumento, Sarcophago, Cenotaphio, Pyramide, Deposito, Tumulo, Arca, Vrna, Feretro, Mausoleo, Busto, Polyandro, Ergastulo, Conditorio, Puticulis, & similibus, videatur *Sebast. Medic. de Supult. q. 3. Durand. Ration. Diu. Offic. l. 1. c. 5. Samuel. d. opere de Sepulturis tr. 1. contrmicu. 3. & Jordan. Var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 11. num. 6. & seqq.* Cœmeterij ergo appellatione hic intelligitur omnis locus sacer deputatus sepulturæ Fidelium, siue quicumq. locus ab Episcopo benedictus, & ad hunc vsum datus, licet nondum ibi quisquam sepultus sit, vt post *Abbatem*, & alios multos tradit, *Ricciul. de Iur. person. l. 4. c. 60. num. 20. & Bellet. disq. Cleric. p. 1. §. 4. num. 23.*

2 Aduerto 2. Cœmeteriorum vsum tam antiquum esse, vt eorum initium aliqui vsq. ab Abrahæ tempore desumant, qui Agrum emit pro sepultura Saræ vxoris suæ, sui ipsius, & posterorum eius, vt *ex 2. Genes.* habetur. Cœmeteriorum vero instituendorum ratio fuit, quia priscis temporibus non sepeliebantur in Ecclesia, nisi certa quædam cadauera, ex *L. Nemo 2. C. de Sacrosanct. Eccles. & Cap. Quibus, Cap. Nullus, Cap. Præcipiendum, 13. q. 2.* quod adhuc in aliquibus regionibus, & maxime in Cathedralibus Ecclesijs obseruari testatur *Ital. l. c. num. 9.* immo Cœmeteria omnia olim extra Vrbem erant, vigentibus etenim; ait *Baron. l. c.* Gentilium legibus, ex lege 12. tabularum nefas erat intra mœnia mortuum sepelire; quamuis deinde non solum omnia illa Iura Gentilium cum per contrarium vsum, tum etiam per pientissimam *Leon. Imper. Nouel. Cõstit. 53. incipien. Mea quidem sententia &c.* antiquata sint, & prorsus abrogata; sed etiam consuetudine factum sit, vt quibuscumq. tam Clericis, quam Laicis in Ecclesia sepeliri licitum sit.

3 Aduerto 3. quamquam Iure Ciuili, vt superius etiam *cap. 2. nu. 1.* innuimus, vbicumq. vel vnum tantum cadauer sepultum fuerat, aut etiam solum cadaueris caput, vel capitis maior pars, statim locus ille efficiebatur Religiosus; nunc tamen sine Episcopi auctoritate, ac benedictione non esse Cœmeterium, nec locum sacrum, vel religiosum, vt colligitur ex *Cap. Ad hæc, de relig. dom.* & clare docet *Azor. p. 2. l. 9. c. 6. q. 1. Gratian. discept. Foren p. 1. c. 110. num. 1. ex Innocen. in Cap. Abolenda, de sepult. & Cardin. in Clem. 1. q. 7. in fin. eod. tit.* & nouissime *Iulius Lauor. Var. Elucubr. tit. 2. c. 7. num. 9. & seq.* cum ibi citatis.

4 Dico Cœmeteria omnia, seu contigua, seu separata ab Ecclesijs, si ab Episcopo consecrata, vel benedicta sint, esse loca sacra, & eodem modo, quo Ecclesia ipsa, Ecclesiastica Pollutionis capacia esse, ita *Bonifacius 8. in Cap. Vnic. de Consecrat. Eccl. l. 6. Gloss. ibi, & Canonistæ, Summistæ, ac Theologi cõmuniter*, vt fusè videre est apud *Persic. de præcip. Sacerd. offic. l. 1. c. 7. dub. 11. nu. 99.* contra *Sotum in 4. dist. 32. q. 1. art. 3. concl. 3. Angl. in Flor. p. 1. de Matrim. q. 6. de soluendo debito, in fin. Rodriq. p. 1. Sum. c. 243. concl. 19. Veg. tom. 1. Sum. c. 78. cas. 1. Graff. p. 1. decis. l. 2. c. 83. num. 10. Caned. Sum. Sacram. tr. de Matrim. c. 8. num. 75.* nulla ratione, & nullo iure fultos. Immo olim Episcopi, Clerici, & Christiani in Cœmeterijs conuentus faciebant, psalmos cantabant, preces ad Deum fundebant, celebrabant, Sacramenta ministrabant, & fere non distinguebant Cœmeteria ab Eccclesijs, vt aperte docet *Tob. Coron. l. c. ex Clemen. Athanas. Honuphr. & Baron. Annal. Eccles. an. 226.* adeo vt *Cassiodor. Histor. tripart. l. 5. c. 3.* Cœmeteriũ pro Oratorio acceperit.

5 Colligo Cœmeteria, & Ecclesias quo ad Consecrationem, vel Benedictionem, Sacrilegium, Immunitatem, Interdictum, Pollutionem, & Reconciliationem pari passu ambulare, vt expresse docent *Paul. Fuscus de Visitat. l. 1. c. 12. num. 7. & 8. Piasec. in Prax. Episcop. p. 1. c. 5. num. 6. Barbos. & Ital. ll. cc.* nisi quod, Ecclesia polluta, censetur etiam aliquando pollutum Cœmeterium; non vero contra, vt communiter omnes tradunt *ex d. Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* quamuis *Syluest. V. Cœmeterium, q. 1.* huiusce rei non meminerit; Vnde etiam Claustra Religiosorum, & alia omnia loca, si benedicta sint, & ad Religiosos, vel alios Fideles sepeliendos destinata, nomine loci Sacri comprehenduntur, & Pollutionis Ecclesiasticæ proinde capacia sunt, vt Cœmeteria. ita *Corduba in Sum. q. 12. Henriq. l. 5. de Pœnit. c. 6. nu. 5. Comment. lit. H. Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 15. q. 3. nu. 41. Fagund. l. 3. primi Eccles. præcep. c. 14. num. 52. Persic. l. c. num. 103.* secus vero, si ea ad Fidelium sepulturam destinata non sint, pro vt etiam supra diximus.

CAPVT XXXXVII.

Quandonam Cœmeteria ex Ecclesię pollutæ pollutione polluantur.

SVMMARIVM.

Difficultatis huius occasio aperitur, num. 1.

Certum est, polluta Ecclesia, pollui Cœmeteria eidem contigua; sed dubium aliquod esse potest quo ad prædictam contiguitatem, nu. 2.

Con-

Contigua; & Continuu ex Aristotele, qua nam sint, num.3.
Cœmeteria quandonam dicantur contigua Ecclesia. ibid.
Cœmeteria non polluuntur ex Ecclesia polluta pollutione, nisi sint immediate ipsimet Ecclesia contigua, num. 4.
Cœmeteria proprijs parietibus circundata, licet ad ea pateat aditus ex Ecclesia, cur, polluta Ecclesia, non polluantur, num. 5.

1 ADuerto 1. cum paulo ante dixetimus Ecclesias, & Cœmeteria, quo ad Pollutionem, pari passu ambulare, inde quidem facile colligi posse, quod quæcumque hactenus de Ecclesiæ Pollutione dicta sunt, de Cœmeterijs etiam dici queant, prout cuique rem ipsam consideranti planum fiet; sed, cum addideremus Cœmeteria aliquando pollui, polluta Ecclesia; & non contra, propterea hic vlterius inquirendum superesse, quandonam id fieri censeatur.

2 Aduerto 2. extra omnem controuersiam quidem esse, quod, si Ecclesiam pollui contingat, ipsius Cœmeterium, vel Cœmeteria, si contigua sint eidem, censentur esse polluta, & nō e conuerso, ne minus digna dignius, aut accessoria principale ad se trahere videantur, sic enim in terminis ipsis prædictis decisum habemus *ex textu Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* sed tamen difficultatem aliquam hic esse posse in definienda cōtiguitate illa, quam in prædicto textu requisitam videmus: quare

3 Aduerto 3. cum illa dicantur ex *Aristot. physic. l. 5.* vere contigua, quorum terminus est vnus; continua vero, quæ vnum corpus constituunt: vnde aqua in vase dicitur continua respectu sui; vasi autem dicitur cōtigua: hinc Cœmeteria sine dubio quidem dici Ecclesiæ contigua, quando illa tangunt Ecclesiæ parietes, & nullo medio separantur; contigua enim sunt, quorum extrema se contingunt, ex *Gloss. V. contigua eod. Cap. Vnic.* cum qua etiam concordat alia *Gloss. V. contigua, in Cap. si Ciuitas, de Sentent. Excommunic. in 6.* vbi pariter statuitur, vt, interdicta Ecclesia, interdicta censeantur etiam Cœmeteria eidē contigua; sed nihilominus adhuc in dubio esse posse, num etiam illa Cœmeteria, quæ immediate contingunt non Ecclesiam ipsam per se pollutam; sed alia Cœmeteria per Ecclesiæ pollutionem, & immediatam contiguitatem polluta, eo ipso per ipsammet eandem pollutionem polluantur; sicuti enim prima Cœmeteria immediate contingunt Ecclesiam, & inde polluuntur, ita etiam secunda ipsa Cœmeteria immediate contingunt prima, & inde simul polluta alicui videri possunt.

4 Dico Cœmeteria non pollui ex Ecclesiæ pollutæ pollutione, nisi sint eidem Ecclesiæ immediate contigua: vnde Cœmeteria immediate tantum contigua alteri Cœmeterio per immediatam Ecclesiæ pollutæ contiguitatem polluto, & non immediate contigua ipsimet Ecclesiæ per se pollutæ, inde nequaquam polluuntur, quia vere, & proprie non sunt ipsi Ecclesiæ contigua, pro vt textus ipse prædicti *Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* loquitur; in odiosis autem, vt sæpius iam diximus, verba non nisi strictè, & proprie accipi debent.

5 Colligo Cœmeteria, si circumdata sint proprijs parietibus, quamuis aditus, & ingressus ad ea ipsa pateat per Ecclesiam, non censeri eidem Ecclesiæ contigua, nec proinde ex ipsiusmet Ecclesiæ pollutæ pollutione pollui, quia tunc extrema illorum se non contingunt, ita aperte colligitur ex *Gloss. in figurat. casus ad præd. Cap. Vnic.* quæ ad fin. *nota*, inquit, *quod porta ingressus, vel aditus non facit propter hoc contigua*, & apertissime traditur à *Iordan. Var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 93.*

CAPVT XXXXVIII.

An Cœmeteria aliquando ex alterius Cœmeterij Polluti pollutione polluantur.

SVMMARIVM.

Ecclesia nunquam per alterius Ecclesia sibi contigua pollutionem polluitur, nu. 1. & 4.
Difficultas huius capitis quomodo diuersa sit à difficultate præcedentis, nu. 2.
Esse contiguum alteri, & esse Accessorium alterius, valde diuersa sunt, nu. 3.
Cœmeteria nunquam ex alterius Cœmeterij, licet contigui, pollutione polluuntur, nu. 4.
Cœmeterium cur nunquam sit accessorium alterius Cœmeterij, nec Ecclesia alterius Ecclesia. ibid.
Si sanguinis, vel seminis effusio fiat in ostio parietis diuidentis Ecclesiam ab Ecclesia, vel à Cœmeterio, vel etiam Cœmeterium à Cœmeterio, vtramq. partem pollui multi censuerūt, num. 5.
Alij alia in prædicto casu dicunt, vt videre est apud DD. ibi cit. nu. 6.

In

In prædicto casu cur neutra pars verius polluatur. ibid.
Ostium ipsum prædictum non erit pollutionis huius capax, num.7.
Quid si in prædicto ostio intermedio esset Sepulcrum? ibid.
Quid si prædictum sepulcrum haberet os tãtummodo in dicto ostio, & reliquum corpus intra alterutram partem, vel contra? ibid. remissiue.

1 ADuerto 1. licet ex prædictis Ecclesia tantummodo per se; nunquam vero per alterius Ecclesiæ, aut Cœmeterij pollutionem polluatur, quod etiam clarius ex dicendis patebit; cum tamen Cœmeteria non tantum aliquando per se; sed semper etiam per Ecclesiæ pollutæ immediatam contiguitatem polluantur, vt *Cap. præcedenti* visum est, ideo dubitari hic vlterius posse, num eadem etiam per alterius Cœmeterij pollutionem polluantur.

2 Aduerto 2. quamuis iam dixerimus prædicto capite præcedenti Cœmeteria cõtigua alteri Cœmeterio Ecclesiæ contiguo, & proinde per Ecclesiæ pollutionem polluto non pollui, quia illa vere non sunt Ecclesiæ contigua; nihilominus adhuc aliud superesse dubium de Cœmeterijs sibi inuicem contiguis, quando vnum ex illis, non per Ecclesiæ pollutæ pollutionem; sed per se ipsum pollutum est: fieri enim fortasse potest, vt Cœmeteriũ, quando per Ecclesiæ pollutionem tantum, & non per se, pollutum est, polluere nequeat alia Cœmeteria sibi contigua; quando vero per se ipsum pollutum est, siue Ecclesiæ contiguum sit, siue non, polluere illa possit, pro vt de Ecclesia per se polluta, & inde Cœmeterium sibi contiguum polluente iam traditum est.

3 Aduerto 3. cum Cœmeteria Ecclesiæ pollutæ contigua ideo pollui censeantur, quia sunt Ecclesiæ accessoria, ac proinde minus nobilia, vt habetur ex *cit. Cap. Vnic. & Glossa ibid.* & notant *Aula de Censur.p.5.disp.7.dub.4. Sà Verb. Ecclesia, nu.22.Layman.l.5.tr.5.c.5. nu. 11.* accessorium enim sequitur conditiones principalis, & non contra; ideo hinc bene inferri, quod valde inter se differant esse Contiguum alteri, & esse Accessoriũ alterius: contigua enim esse possunt sibi inuicem duo etiam inter se paria, vel æque digna; quorum nihilominus neutrum erit alterius accessorium, cum neutrum tunc sit principale, nec magis dignum, quam alterum, hæc enim conditionis maioritas, vel minoritas necessario semper interuenire debet inter Principale, & Accessorium, vt ex prædictis constat. His ergo præmissis

4 Dico Cœmeteria nunquã ex alterius Cœmeterij, licet contigui, pollutione pollui, pro vt nec Ecclesia ipsa ex alterius Ecclesiæ sibi contiguæ pollutione polluitur, quia Cœmeteria sibi quidem inuicem contigua; sed vere accessoria inter se esse nequeunt, pro vt nec Ecclesiæ ipsæ inter se vnquam accessoriæ esse possunt, cum ita Cœmeteria inter se omnia, vt Ecclesiæ inter se omnes, paria semper sint, nec vnum trahat ad se alterum; sed vnumquodque proprio iure vtatur, pro quo facere videtur etiam vulgatum illud *Par in parem nullum imperium habet* sumptum ex *L. Ille, à quo, §. tempestiuum, ff. ad Trebell.* & ita docent *Glossa fin. in d. Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6. Vgolin. de offic. & potest. Episc. c.29.§.6.nu.2.in Exceptionibus, Palud. in 4. dist. 18.q.8.art.4.concl.3.S.Antonin.3.p.tit.12.c.6. §.7. Aug. V. Consecratio Cœmeterij, nu.1. Sylu. V. Cœmeterium, q.2.num.3. Tabien.ibid.num.1. Armil.n.4. Vuald.in Candelab. c.4. de Interd. num.29. Rodriq.p.1.Sum.c.154.concl.12.n.13. Sayr. in Thesaur.l.5.c.16.n.14. Sà, V. Ecclesia, nu. 23. Azor.q.2.l.9.c.6.q.3. Auil.p.5.disp.7. dub.2.cõcl.2. Reginal.in prax.l.29.c.9.sect.5.n. 187. Persic.de offic. Sacerd.l.1.c.7. dub.11. nu. 100. Sanch. Bonac. Suar. Coninch.* & alij cum *Castillut. V. Consecratio Ecclesiæ, diffic.8.cõcl.4. Lezan.tom.3.Sum.Verb.Cœmeterium, nu. 4.& Barbos. Iur. Eccles.l.2.c.9. nu.10.*

5 Dices. Si Sanguinis, vel seminis effusio vere fiat in ipso ostio parietis diuidentis vnũ Cœmeterium ab alio, cũ ostium illud sit cõmune vtrique Cœmeterio, vtrumq. polluitur, pro vt docent *Suar. in 3.p.tom.3.disp.81.sect.4. casu 5.fin. Reginal.in prax.l.29.c.9.sect.5.n.187 Rodriq.part.1.Sum.c.154. conclus.12.nu.13. Steph. à S. Gregor. de Diuinæ pietatis vinculis c. 31.nu.22. Sylu. Vgolin. Azor.ll.cc.* & alij cum *Iordan. var. Elucubr. tom.1. l.5.tit.12. nu.97.* ergo aliquando Cœmeterium ex alterius Cœmeterij pollutione polluì videtur.

6 Respondeo, quicquid alij sibi dicant, quorum diuersas sententias videre potes apud prædictos DD. & maxime apud *Graff. de Arbitrar. Confessar.l.2.c.4.per totum, Mar. Alter. de Interd.disp.3.c.2.vers. Hæc difficultas, Barbos. vbi supra, & Persicum l.c.nu.101.& 102.* negando antecedens: neutrum enim polluitur, cum ostium in odiosis, vt fusè superius diximus *Cap.31.* non veniat nomine domus, nec mixtum ingrediatur naturam simplicis, pro vt etiam tradit *Guazzin. Filius in tractat. mor. ad defens.anim.l.2. defen.1. c.14.num.30. cum Rodriq. Barbos.* & alijs apud eundem.

Ostium

Ostium autem prædictum inter duo Cœmeteria esse quid mixtum ex duobus inuicem diuisis ita clare patet ex *d. Cap. Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* vt nil vltra addi possit. & ita conclusionem nostram in prædictis terminis docet *Sd, Verb. Ecclesia, num. 13.* Si enim, inquit, cum certum est alterum esse pollutum, alterum non polluitur, quanto magis cum dubium est? Vnde *Graff. l. c. num. 3. & 4.* hanc eandem opinionem post duas alias refert sine vlla DD. citatione, & pro ea adducit *tex. in L. Duo Titij, ff. de Testam. tutel.* vbi habetur, quod si duo sint Titij, Pater, & Filius, nec apparet, de quo senserit testator, tunc, si non apparet de voluntate testatoris, neuter erit tutor.

7 Colligo, quod hic asseruimus de Ostio intermedio inter duo Cœmeteria, idipsum etiam asserendum esse de Ostio tum inter duas Ecclesias, tum inter Ecclesiam, & Cœmeterium; semper enim tale Ostium vere, & proprie est quid ex diuersis mixtum, & in hac restringibili, & odiosa materia venire non debet nomine simplicis. cum tale ergo Ostium non sit proprie, & simpliciter altera tantum ex partibus; sed quasi quid ex vtraq. compositum, & consequenter quid ab vtraq. parte diuersum, censeri debet in odiosis extra, non intra vtramque partem, ac proinde erit extra vtrumque Cœmeterium, extra vtramque Ecclesiam, & extra singulas eorũ, earumque partes, & subinde ipsum quoque Pollutionis huius incapax erit. Quamobrem hinc intelligere licet, cur *d. cap. 31. num. 15.* diximus sub conditione, *Si aliqua pars pollui debet ex ijs, ex quibus tale mixtum componitur*, vere enim neutra, vt iam dictum est, tunc polluitur: nisi forte vere in medio sub Ostio ipso quoq. inter duas Ecclesias, vel inter Ecclesiam, & Cœmeterium, vel etiam inter duo Cœmeteria ita constitueretur sepulcrum aliquod, vt vere illud videretur quasi in æquilibrio inter vtramque partem; spatium enim illud sepulcri medium in Ostio, vel esset in tali casu, non vtriusque partis diuisio; sed potius continuatio vnius partis cũ alia, & idcirco cum eo spatio vtraque pars fortasse hinc, & inde pollueretur, vel fortasse neutra adhuc pollueretur, quia semper tale spatium reputati posset in his odiosis extra vtramque partem, ac proinde extra vtramq. Ecclesiam, extra vtrumque Cœmeterium, & extra singula ex illis, vel denique id arbitrarium, & prudenti Iudicis arbitrio remittendum foret, vt censuit *Graff. l. c. nu. 5.* quid vero dicendum esset, si prædicti sepulcri corpus esset intra alterutram partem, & illius os tãtum pateret in prædicto ostio, vel contra, colligi poterit ex sequentibus Capitibus.

CAPVT XXXXIX.

Vndenam locus aliquis in dubio præsumi possit Cœmeterium Pollutionis Ecclesiasticæ capax.

SVMMARIVM.

Locus ad sepulturam Fidelium ab Episcopo deputatus; sed non benedictus, non est proprie Cœmeterium Pollutionis Ecclesiasticæ capax, num. 1.

Prædictus locus tamen secundum aliquos Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio gaudet. ibid.

Ecclesiastic. Pollutionis capacitas in Cœmeterijs, sicuti etiam in Ecclesijs, non solum necessario pendet à deputatione illorum ad Diuina, & Fidelium sepulturas; sed simul etiam ab Episcopali Benedictione, num. 2.

Talis Benedictio, cum non præsumatur, saltem ex coniecturis, & indicijs sufficienter probanda est ad Ecclesiasticæ Pollutionis capacitatem probandam, num. 3.

Indicia, & Coniecturæ talium Cœmeteriorum quænam potissimum sint, num. 4.

Ex aliquibus ossibus, vel paucis cadaueribus in aliquo loco reperto ille non præsumitur Cœmeterium. ibid.

Cœmeteriorum Benedictiones scribendæ sunt in libro intra Episcopale Archiuium reponendo, num. 5.

In Cœmeterijs debent poni signa distinctiua à locis profanis, & quænam, ibid.

1 ADuerto 1. cum iam dixerimus Ecclesias, & Cœmeteria quo ad Pollutionem pari passu procedere, cumque superius *Cap. 3. num. 4.* docuerimus Ecclesiam non Consecratam, nec Benedictam ab Episcopo; licet ab eodem ad Diuina deputatam, Pollutionis huius capacem non esse, propterea hic idipsum etiam asserendum esse de Loco auctoritate quidem Episcopali ad Sepulturæ vsum iam deputato; sed nequaquam ab Episcopo, nec ab alijs legitime, & rite benedicto; proprie enim, & stricte, vt in hac materia accipi debet, locus Sacer esse nequit, qui rite per prædictam Benedictionem sacratus non sit; licet aliquando sola Episcopi Deputatio absq. vlla Benedictione forte sufficiat ad locum Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegio decorandum, vt videre est apud *Peregrin. de Immu-*

Immunit.c.4. num.59. Dian.p.6.tr.1. resol.6. & colligi videatur ex *Alar.Canon.Conscient.l.2. V.Cœmeterium,num.2.* & alijs apud ipsum.

2 Aduerto 2. cum iuxta prædicta ex Cœmeterij ipsius Benedictione Pollutionis huius capacitas ita desumēda sit, vt, si illud rite Benedictum fuerit, Pollutionis item capax sit; incapax autem, si secus: idcirco iure, ac merito ex dubio de prædicta Benedictione inferri dubium de Pollutionis ipsius capacitate; vnde hic vere idem est dubitare, num locus aliquis sit Cœmeterium Pollutionis huius capax, ac dubitare, num prædictus locus rite per Episcopum Benedictus sit; si enim certo constaret de Benedictione, vel non Benedictione prædicti loci, certo etiam constaret de capacitate, vel incapacitate pollutionis in eo, vt per se patet.

3 Aduerto 3. cum prædicta Benedictio sit quid facti, nec præsumatur, nisi probetur; vt in hisce terminis nostris dixit *Mar. Ital. de Immunit. Eccles. l. 1. c.4. §.7. num. 31.* & nos etiam superius asseruimus *cap. 4. num. 3.* loquentes de Benedictione Ecclesiæ, idcirco, quando de ea dubitatur, recurrendum esse ad indicia, & coniecturas, ex quibus illa præsumi possit, vel certe, ijs deficientibus, contra illam standum esse, quia loca ex se non præsumuntur sacra, vt *cap.7. num.5.* dicebamus; agit autem de prædictis Cœmeterij indicijs, & coniecturis *Mascard. tom.1. de probat. conclus. 289.* fusius *Menoch. lib.6. Præsumpt.72. n. 15.* & omnium clarissime *Ital. l.c. n.32. & seq.* cum quibus

4 Dico Cœmeterium ex tribus præcipue coniecturis, seu præsumptionibus colligi posse, licet singulæ euincentes non sint. Prima est, quando locus ille, seu fundus est circumcirca ipsammet Ecclesiam, plerumq. enim Cœmeteria contigua sunt Ecclesijs, teste *Tob. Coron. de sacris Templis p.1. c. 10.* & pro hac coniectura prædictus *Menoch. l.c.* allegat infinitum DD. numerum. Secunda est, quando locus ille diu habitus, & reputatus est pro Ecclesiæ Cœmeterio, tunc enim præsumendum esse videtur, istiusmodi locum pro Cœmeterio Benedictum fuisse, ita *Zabarel. & alij cum Mascardo l.c.* Tertia autem est, quando in loco illo circa ipsam Ecclesiam reperta sunt multa cadauera Fidelium; non autem vnum, aut duo tantum; in primo enim casu prædictus locus præsumendus est Cœmeterium, quia, sicuti in loco profano cadauera Fidelium, ita in loco sacro Infidelium condi nequeunt; in secundo vero dici posset fortuito casu eo loci sepulta fuisse, vnde ex aliquibus ossibus, vel paucis cadaueribus in aliquo loco repertis talem locum Cœmeterium esse non bene probatur, propter ex *Gloss. in Clem. 1. Verb. Cœmeterijs de Sepult. & Cap. Nemo, de consecrat. dist. 1.* aperte habemus.

5 Colligo ad euitandas controuersias super Cœmeteriorum Episcopali Consecratione, seu Benedictione non solum consultissimum esse, si prædictæ Cœmeteriorum Benedictiones, vt superius etiam diximus de Ecclesijs, scribantur in libro intra Episcopale Archiuium reponendo, ex quo rei certitudo haberi possit; quod in *Concilio Mediol. Prouinc. 4.* constitutum, & à *Gauant. in Enchir. V. Benedictio, num. 16.* recte animaduersum est; sed etiam in prædictis locis signum aliquod indubitatum ponatur ad differentiam ceterorum locorum profanorum; immo ea muro, vel alijs tuto vndiq. sepiantur, & ita custodiantur, vt facile talium locorum Sanctitas, religio, & decorum semper omnibus innotescat, prout sanctissime docet *D. Carolus Borromæus Instruct. Fabricæ, & supellectilis Ecclesiasticæ lib.1. c.26.* & ex eo *Tob. Coron. l.c. c.10.* ac alij passim.

CAPVT XXXXX.

An Cœmeteriorum, & Ecclesiarum tecto carentium tàm Solum totum vsque ad terræ centrum, quàm spatiũ omne vsq. ad Cœlum ipsum, Pollutionis Ecclesiasticæ capax sit.

S V M M A R I V M.

1 *Sepulturæ omnes in Ecclesiæ solo, ad quas per Ecclesiam aditus sit, Ecclesiæ pars sunt, idemque de Cœmeterij sepulturis dicendum est, num.1.*

Sepulturæ, etiam subter Ecclesiæ Solum, ad quas per Ecclesiam aditus non sit, sunt potius Coemeteria, quam Ecclesiæ sepulcra. ibid.

Sepulturæ, etiam subter loci profani Solum, quarum tamen os, seu aditus in ipso Ecclesiæ Solo pateat, sunt Ecclesiæ Sepulcra, & Ecclesiæ pars. ibid.

Cur polluta vna Sepultura eiusdem Ecclesiæ, vel eiusdem Coemeterij, omnes in eodem Solo polluantur, nu.2.

Claustra Religiosorum ad Fidelium Sepulturas rite deputata, & benedicta quando nam polluantur per sacrilegam sanguinis, vel seminis effu-

effusionem factam in eorum atrio, quod cælo apertum est, & quando non, ibid.
Claustri nomine quid proprie hic intelligatur, ibid.
Ecclesia, vt perfecta sit, rationem Domus habere debet, Cœmeterium autem solum Solo contentum est, nu. 3.
Non omne Spatium supra Ecclesiæ Solum vsque ad cælum intra Ecclesiam esse censetur, nu. 4.
Spatium omne, quod est supra Cœmeterij Solum vsque ad cælum, si à Cœmeterio separatum non sit, Cœmeterij spatium est, & Pollutionis Ecclesiasticæ capax, nu. 5.
Quid si laterales Ecclesiæ parietes, vt potè nondum finiti, vel destructi, non tam altum spatium includere videantur? nu. 6. & 7.
An Solum Ecclesiæ Benedictæ, sed destructæ, euadat Cœmeterium, nu. 8. & 9.
Cœmeterij spatium vere dici potest Ecclesia tecto altius, n. 10.
Si quis ex Ecclesiæ tecto, vel fenestris perpendiculariter propenderet supra Cœmeterij Solũ, ibiq. occideretur, vel vulneraretur, cur non Ecclesia; sed Cœmeteriũ tãtũ pollueretur, ibid.
Propendens ex tecto, vel fenestris profana domus in Cœmeterium cur Immunitate Ecclesiastica gaudere debeat, ibid.

1 ADuerto 1. quod ad Solum tàm Ecclesiarum, quàm Cœmeteriorum spectat, cum certum omnino sit, vt alibi etiam superius innuimus, illud esse Ecclesiæ, vel Cœmeterij partem, proinde quoq. fieri, vt Sepulturæ omnes, quæ in Ecclesiæ Solo constitutæ sunt, etiam si profundissimæ sint, Ecclesiæ pars; quæ vero in Cœmeterij Solo, Cœmeterij quoq. pars habeantur, licet infra pauimentum videantur; dummodo tamen ad eas per ipsam Ecclesiam aditus pateat, vt bene aduertit *Iordan. Var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. n. 87.* Si enim ad eas aditus esset per locum extra ipsam Ecclesiam, ad eam non magis illæ pertinerent, quam cætera ipsius Ecclesiæ Cœmeteria, vnde tunc illę non essent Ecclesię pars; ideoq. Cœmeteria potius, quàm Ecclesię sepulcra dici deberent, quamuis vere perpendiculariter subter ipsiusmet Ecclesiæ Solum essent, & consequenter de illis idem dicendum esset, quod de alijs Ecclesię Cœmeterijs iam dictum fuit: essent enim tunc quid ab Ecclesię Solo separatum, & idcirco extra internum omnem Ecclesiæ ambitum; secus autem dicendum esset, si sepulturę essent quidem subter alia loca, etiam profana; sed earum tamen os, seu aditus in ipso Ecclesię Solo pateret; adhuc enim eę tunc essent Ecclesię pars, vt de Capellis supra tectum Ecclesię positis, ad quas per Ecclesiam ipsam aditus fit, iam superius *cap. 26. nu. 3.* asseruimus.

2 Aduerto 2. ob eandem quoq. rationem fieri, vt etiamsi plures sint sepulturę in ipso Ecclesię, vel Cœmeterij solo; omnes tamen simul vna tantum pars eius Ecclesię, vel eius Cœmeterij habeantur, ac proinde, si sacrilega sanguinis, vel seminis effusio fiat in vna, omnes aliæ in eodem solo polluantur, quia quæcumq. in Ecclesiæ solo sunt, omnes intra Ecclesiam sunt; quæcumq. autem in Cœmeterij solo sunt, omnes intra illud ipsum Cœmeterium sunt, polluta enim vna eiusdẽ Soli parte, eo ipso totum illud Solum talis Ecclesiæ, vel Cœmeterij pollutum est, & polluto Solo, polluitur tota Ecclesia, vel Cœmeterium totum, cuius Solum illud pars est. Dixi, polluta parte eiusdem Soli, pollui totum illud Solum, quia, si prædicta sanguinis, vel seminis effusio fieret non in eodem; sed in alio Solo; proximo tamen, & contiguo cum Solo eiusdem Ecclesiæ, vel eiusdem Cœmeterij, tunc, quia vnum Solum diuersum esset ab alio, diuersimode iudicandum esset. exempli causa, si in Claustro aliquo Religiosorum sepeliendis mortuis deputato, & ritè ad id benedicto plures sint sepulturæ, in quacumque illius Claustri parte prædicta sanguinis, vel seminis effusio fiat, illæ omnes polluuntur, quia totum talis Claustri Solum, cuius illæ pars sunt, polluitur; secus tamen dicendum esset, si talis effusio fieret in Solo, seu spatio illo, quod cælo apertum est, & exterius Claustri Atrium ab aliquibus appellatur; Claustri enim nomine intelligo spatium, & Solum illud tantum, quod est inter parietes, & columnas, vnde Atrij prædicti Solum, & Spatium esset diuersum à Claustri Solo, nec esset inde Pollutionis huius capax, nisi etiam tale spatium apertum haberet rationem Cœmeterij, vt apud Carthusianos contingit. ita *Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. num. 6.*

3 Aduerto 3. quod ad spatium à Solo vsque ad Cælum attinet, in quo præcipua, & maior difficultas est, omnino diuersimode de Ecclesia, ac de Cœmeterio ratiocinandum esse: Ecclesia enim, cum vere rationem Regiæ cuiusdam Domus habeat, non solum Solo; sed lateralibus etiam parietibus, & tecto ipso, vt perfecta sit, constare debet; Cœmeterium verò, cum ad sepeliendi vsum proprie fiat, solum Solo opus habet, nec quicquam de tecto vllo curat, nam etiam sine tecto perfectum Cœmeterium est. Quare

4 Dico 1. omne quidem Spatium illud quod est à Solo Ecclesiæ tectum non habentis (siue

illud nondum impositum fuerit, siue iam corruerit, aut destructum sit) vsq. ad ordinariam ipsam prædicti tecti in ea tunc deficientis; sed eidem Ecclesiæ iuxta artis præcepta, & regionis consuetudinem debiti, altitudinē prudentum arbitrio decidendam Ecclesiasticæ Pollutionis omnino capax mihi videri, quia totum hoc spatium iam vere esse intra internum, & sacrum talis Ecclesiæ ambitum moraliter censetur, licet nunc illud fixis suis, & materialibus terminis omnibus locum sacrum à non sacro visibiliter diuidentibus careat; sed e contrario reliquum, & adhuc altius spatium, quod supra prædictam tecti altitudinem ad cælum vsq. eminet, penitus extra eam Ecclesiam reputandum, & proinde etiam pollutionis huius incapax esse, quia illud nullo modo intra deputatum, & sacrum Ecclesiæ ambitum censetur.

5 Dico 2. Spatiū omne Cœmeterij, si à Cœmeterio separatū non sit, à Solo vsq. ad Cœlū vere Pollutionis Ecclesiasticæ capax videri, quia, cū Cœmeteriū nō sit per modū Domus, vt de Ecclesia diximus, nec proinde constare debeat tecto, sed solum Solo, quicquid spatij supra Cœmeterij Solum est, in Cœmeterio esse putatur, ita expresse *Samuell. de Sepulturis tract. 1 controuers. 4. num. 13.* & apertissime colligitur etiam ex *L. si vitem, §. penult. ff. quod vi, & clam.* vbi Venuleius docet Sepulcri esse non solum eum locum, qui recipit humationem; sed omne etiam supra id cælum, cui fauet quoq. *Vlpian. eod. tit. L. 1 1. §. 2.*

6 Dices 1. si laterales Ecclesiæ parietes sint tātum tres, vel quatuor cubitos alti, nō claudunt intra se nisi spatium altitudinis trium, vel quatuor cubitorum supra Ecclesiæ Solum, ergo tunc spatium ijs parietibus altius vere extra eam Ecclesiam est, & consequenter Pollutionis huius capax non est.

7 Respondeo internum Ecclesiæ illius ambitum tunc non desumi à prædictis parietibus vel nondum finitis, vel destructis; sed desumendum esse à spatio ad internum Ecclesiæ illius ambitum deputato, & iam per Benedictionem, vt supponimus, sacro: sine prędicta enim Benedictione nullum spatium nec infra, nec supra tales parietes Ecclesia, aut Cœmeterium est, vt iam ex alibi dictis constat.

8 Dices 2. si Ecclesia benedicta sit, etiam si destruantur illius parietes, vel careat tecto; nihilominus illius Solum remanet benedictam, ergo tunc, quia Solum illud ita se habet, ac si esset Cœmeterium, omne item spatium supra tale Solum Ecclesiæ vsque ad cælum erit pollutionis huius capax.

9 Respondeo negando, quod quando Ecclesia desinit ob destructionem esse Ecclesia, tunc talis Ecclesiæ Solum remaneat benedictum; tunc enim talis locus, vt amisit formam Domus Dei tām in facto esse, quām in fieri, vt suppono, ita etiam suam Ecclesiæ benedictionem amisit, nec inde tamen euasit Cœmeterium; alia enim est Ecclesiæ, alia Cœmeterij Benedictio, vt patet ex Pontificali, & Rituali Romano.

10 Colligo sine absurdo dici, fierique posse, vt Cœmeterij spatium altius ipso Ecclesię tecto sit: immo, si quis ex Ecclesiæ, aut etiam aliarum ædium tecto, vel fenestris supra Cœmeterium contiguum propenderet, & dum ille supra Cœmeterium perpendicularitèr imminet, occideretur, vel vulneraretur, in tali casu non Ecclesia ipsa, ex qua ille propendebat in Cœmeterium contiguum; sed Cœmeterium tantummodo pollueretur, quia ille tunc vere in Cœmeterio esset, pro vt etiam superius in simili casu innuimus *Cap. 26. num. 5.* cum *Fagund. Sanchez, & Iordano,* clarius idipsum docentibus. indeq. vere, & multo magis infertur à *Cardos. in Prax. Iudic. & Aduocat. Verb. Ecclesia, nu. 77. & Barbos. in Vot. Decisiu. tom. 2. lib. 3. vot. 117. n. 43. & 44.* quod pendens ex tecto, vel fenestris profanæ domus in Cœmeterium, gauderet ob eandem causam Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio, locus enim Cœmeterij extenditur, & includit omne spatium inclusiue vsq. ad cælum, nam & Solum ipsum vsq. ad cęlum liberum est ex *Alber. in Diction. V. Solum,* & alijs communiter. & hæc de Locis Ecclesiasticæ Pollutionis capacibus dicta sufficiant.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA

De Actionibus Ecclesiæ Pollutiuis in communi.

Explicata iam Pollutionis Ecclesiasticæ natura, & indicatis inde Locis Pollutionis eiusdem capacibus, superest hic, vt ad Actiones, per quas ea Loca polluuntur, enumerandas, exponendasque in posterum accedamus. Cum autem earum singulæ peculiarem, prolixamque sibi Disputationem deposcere videantur, de ijs omnibus in hac vna breuiter; sed in communi tantum, agemus, quò facilius, & felicius singulas singillatim postea expendere valeamus.

CAPVT PRIMVM.

Cur per Actiones omnes malas Ecclesia non polluatur.

SVMMARIVM.

Ecclesia pollui cur nequeat per actus mere internos, num. 1.

Cur eadem non polluatur per actiones vllas bonas, aut indifferentes; sed per malas tantum, num. 2.

Ratio dubitandi, cur non polluatur Ecclesia per actiones omnes moraliter malas, nu. 3.

Ecclesia non polluitur per omnes malas actiones, quia illud nimis onerosum esset; polluitur autem per aliquas, quia si per nullas pollueretur, illud etiam nimis contra reuerentiam Ecclesijs debitam esset, num. 4.

In legibus positiuis, & in materia odiosa cur argumentũ sumptum à paritate rationis nihil valeat, num. 5.

1 ADuerto 1. cum ex communiore DD. sententia apud *Salas de legibus disp. 9. sect. 1.* certum sit ab Ecclesiasticis, aut humanis vllis legibus nec præcipi, nec prohiberi, nec proinde puniri vnquã actus mere internos, ideo indubium mihi penitus esse, quod per nullos actus mere internos, quantumuis turpissimos, Ecclesia ipsa pollui possit: Ecclesiastica enim Pollutio, pro vt nunc est, non nisi per Ecclesiasticã legẽ, vt inferius patebit, statuta est, indeq. ab Ecclesia puniri nequit; quod de facto prohiberi ab ea non potest.

2 Aduerto 2. cum æque verum, ac certum mihi etiam sit ex *disp. 1. c. 2. n. 8. & c. 11. nu. 3.* actiones omnes, per quas Ecclesia polluitur, esse ab Ecclesia prohibitas, immo etiam ex se alioquo modo peccaminosas ob intrinsecam malitiam deordinationis, & indecentiæ in tali loco, pro vt *disp. 1. cap. 12. n. 5. & seqq.* dictum fuit, idcircò apertè hic etiam constare, quod Ecclesia nec per externas actiones aliquas moraliter bonas, nec per indifferentes vllas vnquã polluatur: Sacri enim Canones apponentes tale impedimentum, & quasi pœnam Pollutionis huius aliquibus actionibus in loco sacro factis, vel eas supponunt esse in tali loco malas, vel saltem prius eas malas faciunt prohibendo eas, & tunc, quasi in odiũ talis malitiæ, talem quasi pœnam adiungunt.

3 Aduerto 3. cum ex dictis Ecclesia non nisi per actiones moraliter malas polluatur, non abs re hic dubitari, cur non per omnes actiones malas; sed per aliquas tantum illa pollui censeatur, licet omnes actiones malæ in tali loco indecentes sint, eiusq. sanctitati, quodammodo repugnare, & quasi maculã inurere videantur. Quod autem in hoc capite quæritur, longè diuersum est ab eo, quod deinceps etiam quæretur, videlicet, cur per illas potius, quam per alias actiones Ecclesiam pollui Sacri Canones voluerint:

hie enim in genere tantum quæstio fit, cur non polluatur per omnes actiones malas; ibi autem in specie quæstio erit, cur per malas illas, & non per alias peiores actiones Ecclesia polluatur.

4 Dico per Sacros Canones sapienter factũ fuisse, vt Ecclesia per aliquas tantum actiones malas, & non per omnes, nec per nullas pollueretur, quia illud nimis onerosum; hoc autem nimis contra reuerentiam Ecclesijs debitam, & scandalosum videretur. Si enim Ecclesia singulis malis actionibus in Ecclesia perpetratis Ecclesię pollutionem, quasi in pœnam, statuisset, & ijs annexuisset, nimis graue onus impositum fuisset; si verò nullis omnino actionibus talem quasi effectum, & grauamen adiunxisset, nimis irreuerenter, ac proinde scandalosè in locis sacris ageretur.

5 Colligo in ijs, quæ à Iure positiuo pendent, paritatem rationis, etiamsi eam in omnibus malis actionibus esse concederemus, nihil valere, potuit enim Ecclesia ea ratione moueri, ac vti in vno casu, & non in alio, ne aut casus nimis multiplicarentur, aut omnes impuniti relinquerentur, vt bene dixit in simillimo argumento *Mazuchell. de casib. reseru. disp. 2. c. 6. nu. 42.* cum in materia odiosa, & in legibus pœnalibus iuri standum sit, & non congruentiæ ex rationis paritate petitæ, vt in Irregularitate, & similibus communiter DD. animaduertunt.

CAPVT SECVNDVM.

Per quasnam Actiones Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Duplex huius capitis difficultas affertur, nu. 1.

Auctores in Actionibus Ecclesiæ pollutionis asserendis, vel negandis plerumque consentiunt; sed aliquando dissentiunt, num. 2. remissiue.

Actionum Ecclesiæ pollutiuarum summa capita, seu Genera, vel Species ab aliquibus etiam Pollutionis Ecclesiasticæ Modi, Casus, & Causæ nuncupantur, num. 3.

Pollutiuarum Actionum Species, seu Modi quatuor tantum sunt, & ibi enumerantur, num. 4.

Homicidium, & Sanguinis effusio ad vnicum Caput aliquo modo reduci possent, nu. 5.

Cur eadem melius ad duo Actionum Ecclesiæ pollutiuarum Genera reducantur, ibid.

1 ADuerto 1. Capitis huius difficultatem duplicem esse; primam in statuendis, & assignandis Actionibus, quasi in indiuiduo, per quas, quando in Ecclesia fiunt, Ecclesia pollui dicatur; secundam vero in statuendis, & assignandis prædictarum Actionum summis quasi capitibus, ad quæ ex omnes reducantur, in vtraque enim difficultate variæ sunt Doctorum sententiæ, vt ex inferius dicendis planum omnibus erit.

2 Aduerto 2. quo ad primam difficultatem, licet Doctores communiter conueniant in prædictarum Actionum Ecclesiæ pollutiuarum plerisque, vt ex hoc ipso capite patebit; nihilominus in aliquibus eos inter se dissentire, vt ex insequentibus capitibus constabit, vbi prędictæ controuersiæ singillatim tractabuntur.

3 Aduerto 3. quo ad secundam difficultatem, quæ huius capitis magis propria est, prædicta Actionum Ecclesiæ pollutiuarum Capita, seu Genera, vel Species ab aliquibus appellari Modos, quibus Ecclesia polluitur, ab alijs Casus, vel etiam Causas Ecclesiasticę pollutionis, eorumque varium à varijs numerum constitui; aliqui enim quatuor, alij quinque, alij sex, & nonnulli etiam septem pollutiuarum huiusmodi Actionum Species, seu Pollutionis Ecclesiasticæ Modos enumerant, vt apud Auctores ipsos passim videre licet.

4 Dico Actionum Ecclesiæ pollutiuarum Species, seu generales Pollutionis Ecclesiasticæ Casus, sufficienter in quatuor distribui posse, quò facile omnes reducuntur. videlicet, Homicidium, vt patet ex *Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles. & Cap. Si motum, de consecrat. dist. 1.* Vulnus, seu Sanguinis effusio, ex *d. Cap. Proposuisti, Cap. Si Ecclesia, de consecrat. Eccles. Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. & Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* Seminis effusio, ex *d. Cap. Vnic. Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. Cap. Si Ecclesia, de consecrat. Eccles. Cap. Significasti, de adulter. & Cap. Si motum, de consecrat. dist. 1.* & Sepultura Excommunicati, vel Pagani, ex *Cap. Consuluisti, de consecrat. Eccles. & Cap. Ecclesiam 1. & 2. de consecrat. dist. 1.*

5 Colligo, licet primum, & secundum ex prædictis Pollutionis Ecclesiasticæ capitibus, videlicet, Homicidium, & Vulnus, aliquo modo reduci possent ad vnicum caput, nimirum ad Sanguinis effusionem per Homicidium, aut per Vulnera, vt à *Iordano var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 4.* factum videmus; tamen, cum ex *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. nu. 3.* vnum ab alio rere, & in

rigore

rigore distinguatur, potest enim esse Homicidium sine Sanguinis effusione, v. g. per suffocationem, & contra potest etiam esse sanguinis effusio sine Homicidio, vt constat, idcircò melius ab alijs communissimè duo inde Pollutionis Ecclesiasticæ capita instituta fuisse.

CAPVT TERTIVM.

An Ecclesiæ Consecratio, seu Benedictio ab Excommunicato facta inter Actiones Ecclesiæ pollutiuas censenda sit.

SVMMARIVM.

Auctores afferuntur, & ratio pro communiore sententia affirmante, num. 1.

Argumenta, & DD. pro sententia negante, num. 2.

Tertia quadam sententia, quasi media, refertur, num. 3.

Ecclesia consecratio, vel benedictio ab Excommunicato facta inter Actiones Ecclesia pollutiuas censenda non est, num. 4.

Ecclesia non potest per eandem actionem simul, & semel consecrari, & pollui. ibid.

Respondetur argumento prima sententia multipliciter, num. 5.

Soluitur argumentum pro tertia sententia, num. 6.

Ecclesia valide consecrantur, vel benedicuntur ab Episcopo Excommunicato, & Haretico, dummodo Fidem SS. Trinitatis teneat, ibid.

Cap. Ecclesias Arianorũ, de consecrat. dist. 1. *loquitur de Ecclesijs non in forma Ecclesia consecratis; hic autem loquimur de Ecclesijs in forma Ecclesia consecratis ab Excommunicato, &c. ibid.*

Cur Ecclesia, qua ab Excommunicato consecrata, vel benedicta fuit, quasi suspensa remanere videatur ante reconciliationem à munere loci sacri, num. 7.

Pradicta Ecclesia quasi suspensio, cum ipso iure lata non sit, ipso iure incurri non potest, num. 8.

Ecclesia ab Excommunicato, vel Haretico consecrata, vel benedicta cur largo modo Polluta aliquando dici videatur, num. 9.

1 ADuerto 1. primam, & communem fere omnium Doctorum sententiam in hac quæstione esse affirmatiuam, & fundari in argumento à simili; si enim sepultura Excommunicati, vt iam dictum est, locum sacrum polluit, ergo multo magis Consecratio ipsa, vel Benedictio per os, & manus Excommunicati citandi transiens eundem locum polluet. tenent autem hanc sententiam *Durand. in Ration. Diu. Offic. l. 1. c. 6. nu. 46. in fin. Hostien. Ioan. Andr. & Panormit. in Cap. Consuluisti, de consecrat. Eccles. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. conclus. 4. Astens. p. 2. l. 6. tit. 29. art. 3. q. 3. Antonin. p. 3. tit. 12. c. 6. §. 4. cas. 4. Angel. V. Consecratio Ecclesia num. 6. casu 4. Vngarell. ibid. lit. D. Sylu. Verb. Benedictio, q. 6. & V. Consecratio 2. q. 5. casu 5. Tabien. ibi §. 7. num. 8. casu 6. Armil. ibi nu. 7. casu 5. Summ. Confess. l. 3. tit. 24. q. 150. Nauar. in Man. c. 27. nu. 258. cas. 5. Philiarch. de offic. Sacerd. p. 1. l. 4. c. 4. Viuald. in Candelab. c. 3. de Interdicto, n. 23. Graff. tom. 1. Consiliar. de consecrat. Eccles. cõsil. 1. num. 1. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. nu. 27. Zerol. in prax. p. 1. V. Pollutio Ecclesia. Piasec. in prax. p. 1. c. 5. num. 5. Tolet. in Sum. l. 5. c. 8. causa 5. Sd. V. Ecclesia, num. 17. Azor. p. 1. l. 19. c. 26. q. 13. §. Quinto, & p. 2. lib. 9. cap. 5. quast. 1. casu 6. Henriq. l. 9. c. 27. nu. 5. & Comment lit. S. Auil. de censur. p. 5. disp. 7. dub. 2. conclus. 2. cas. 4. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. vlt. Mirand. in Manual. tom. 2. q. 39. art. 5. concl. 1. vers. Quintus, Alter. de Censur. tom. 2. disput. 3. c. 1. vers. Et quamuis. Barbos. de offic. & Potest. Episc. Allegat. 27. nu. 28. Gambampt. de casib. reseru. c. 15. cas. 6. nu. 15. Portel. in dub. Regular. V. Ecclesia reconciliatio, num. 4. Iordan. var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 132. & seqq. Cassin. V. Ecclesia, tit. 7. num. 17.* & alij.

2 Aduerto 2. secundam sententiam esse negatiuam, pollutio enim loci sacri in tali casu nullo iure decernitur, & in legibus pœnalibus, & materia odiosa nõ valet, vt alibi item diximus, argumentum à paritate rationis, cum pœnæ, & odia restringi debeant ad casum duntaxat expressum, & ita docent hanc sententiam in primis *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. vers. Quarto violatur. Coninch. de Sacram. Euchar. q. 83. art. 3. dub. 1. nu. 232. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. nu. 9. Fagund. in pr. pracept. Eccles. lib. 3. c. 14. num. 56. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 56. Franc. Frater eius de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 10. nu. 68. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. c. 29. §. 6. in princip. Mazuchell. de casib. reseru. disp. 2. c. 6. num. 41. Persic. de Offic. Sacerd. l. 1. c. 7. dub. 7. num. 75. Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. tom. 1. c. 2. dub. 11. sect. 6. num. 14. & seqq.* & hanc ipsam satis probabilem reputant *Alterius, & Barbosa ll. cc.*

3 Aduerto 3. tertiam sententiam esse posse quodammodo mediam, quam docet *Emmanuel.*

uel Rodriq. in Sum. part. 1. c. 154. cõclus. 2. n. 3. dum in fine dicit *sequendam esse communem sententiam, quando Episcopus esset declaratus Excommunicatus, & perseueraret per annum in dicta Excommunicatione; nam Concilium Tridentinum sess. 25. de reformatione cap. 3. fin. decreuit contra huiusmodi, tanquam de Hæresi suspectos procedi posse.* Inde enim inferre videtur talem Ecclesiam, tanquam ab Episcopo Hæretico consecratam, iterum cõsecrandam esse, pro vt etiam idipsum alij *in Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1.* definiri, & à *Io. Papa in Cap. Ecclesias Arianorum, ibid.* præcipi putauerunt.

4 Dico secundam sententiam absolute mihi veram videri tùm ob rationem ibi allatam, tùm etiam, quia pollutio Ecclesiæ supponit Ecclesiam iam cõsecratam, vel benedictam, vt superius *Disp. 2. c. 3.* fusè docuimus, ergo non potest Ecclesia per eandem actionem simul, & semel consecrari, seu benedici, & pollui.

5 Ad argumentum ergo Primæ sententiæ Respondeo, quod, si valeret illud argumentum à paritate rationis, possemus etiam inferre pollui Altare, vel Ecclesiam, quoties Excommunicatus in ea celebraret, vel certe Ecclesiam pollui, quando Sacerdos Excommunicatus aliquem in ea sepeliret; quorum tamen neutrum ab Aduersarijs admittitur. Immo vere negari potest ipsamet rationis paritas ab Aduersarijs allata; Ecclesiæ enim irrogatur per sepulturam hominis Excommunicati vel maior, vel permanentior iniuria, quam per illius consecrationem, vel benedictionem ab Excommunicato factam: ibi enim corpus ab Ecclesia præcisum illius quasi curæ committitur; hic autem prędicta consecratio, vel benedictio est quid transiens, vt per se patet. Vnde mirum non est, quod, licet Ius voluerit Ecclesiam pollui per sepulturam Excommunicati; non tamen voluerit idem fieri per actionem Excommunicati. ex quibus patet, quam inefficax sit argumentum primæ sententiæ.

6 Ad argumentum verò tertiæ sententiæ respondeo primo, quod aliud est esse de Hæresi suspectum; aliud verò esse Hæreticum: secundo, quod cum etiam ab Excommunicato, & Hæretico Episcopo valide cõsecrentur, vel benedicantur Templa, dummodo ille Fidem Sanctissimæ Trinitatis teneat (hoc enim tantummodo colligi potest ex textu *d. Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1.* sicuti valide quoque à tali ministro Baptismus cõferri potest, nec iterari debet, pro vt *Laym. de Lugo, & del Bene* cum alijs docent *ll. cc. ex eodem ipso Cap. Ecclesijs, dist. 1. de consecrat.* proinde neq. post prædictam illam validam Ecclesiæ consecrationem, seu benedictionẽ nulla ob id opus esse reconsecratione, seu rebenedictione, nec reconciliatione; textus autem alterius *Cap. Ecclesias Arianorum, eod. tit. & dist.* nihil contra nos vrget, cum non nisi de Arianorum Ecclesijs non in forma Ecclesię consecratis loquatur, vt bene aduertit *Gloss. in d. Cap. Ecclesijs, de Consecrat. dist. 1. in figurat. cas. et Verb. Baptizari, in fin.* nos vero hic loquimur de Ecclesijs ab Excommunicato, aut etiam Hæretico; in forma tamen Ecclesiæ, consecratis, vel benedictis.

7 Dices, quamuis prædicta Ecclesiæ consecratio ab Episcopo Excommunicato, & Hęretico valida esset; tamen, sicuti qui Excommunicatus Ordinatur, ordinatus quidem, sed Suspensus tamen manet, ne Ordines exercere possit, ita eadem Ecclesia Polluta, & quasi suspensa manere debet, ne ante recõciliationem munus suum Loci sacri exercere possit.

8 Respondeo primo Ecclesiæ Pollutionem non esse Suspensionem proprie: vnde hæc nihil ad nos facere videtur. secundo, pro vt etiam sæpius alias, argumentum à paritate rationis in omni materia odiosa esse inefficacissimum; vnde, cum nullo iure cautum sit, vt Ecclesia sic consecrata, vel benedicta remaneat suspensa, quomodo hæc quasi pœna ipso iure incurretur, si illa ipso iure lata non est?

9 Colligo, licet prædictam Ecclesiam ab Excommunicato, vel Hæretico Consecratam, vel Benedictam aliquando ob id pollutam dici ex Sanctis Patribus non ignoremus, vt ex *S. Hieronymo in cap. 2. Aggæi Prophetæ* relato in *Cap. Sic populus, 1. q. 1. & ex S. Gregorio lib. 3. epist. 20.* colligi potest; tamen tunc pollutionis nomen largo modo sumi, quatenus omnia, quæ ab Hæreticis, aut ab alijs in anima pollutis Deo offeruntur, vel tanguntur, pollui, & contaminari, nec Deo placere dicuntur.

CAPVT IV.

An aliqua Ecclesiæ destructio, vel decrustatio inter Actiones Ecclesiæ pollutiuas numeranda sit.

SVMMARIVM.

Doctores aliqui affirmare videntur in casu, quo Ecclesia inde noua indigeat cõsecratione, n. 1.

Ecclesia

Ecclesia consecratio aliquando per parietum destructionem, vel decrustationem; nunquam vero per illorum dealbationem amittitur. ibidem.

Quomodo Ecclesia secundum alios etiam in casu, quo non indigeat noua consecratione, per aliquam destructionem polluta manere possit, num. 2.

Prædicta sententia refelluntur, num. 3.

Nulla vnquam Ecclesiæ destructio, vel decrustatio inter Pollutionis Ecclesiasticæ casus numeranda est, num. 4.

Etiamsi prædictus Pollutionis Ecclesiasticæ modus verus esset (quod tamen negamus) tamen non haberet locum in Ecclesia tantum Benedicta, nec in Cœmeterio, num. 5.

1 ADuerto 1. quæstionem hanc à nobis hic tractari, quia non defuerunt aliqui, & graues Auctores, vt videre est apud *Syluest. V. Consecratio Ecclesiæ 2. num. 4. & 6. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 4. vers. Sexto violatur. Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 59. Mazuchell. de Casib. Reseru. disp. 2. c. 6. nu. 1. & 51. Steph. à S. Gregorio, de Diuinæ piet. vinc. c. 31. num.* 23. & alios qui inter Pollutionis Ecclesiasticæ Casus hunc etiã enumerarunt, quando, scilicet, parietes Ecclesię ita destruuntur, vel saltem decrustantur interius, vt noua opus sit consecratione. Hunc autem casum tunc contingere dicunt, cum non manent moraliter iidem parietes; nõ manent autem iidem moraliter, quando omnes, vel maior pars eorum simul destruuntur, vel interius simul decrustantur; non autem dealbantur tantum; consecratio enim, vt superius dicebamus *Disp. 1. c. 4. num.* 3. potissimum consistere, & fundari censetur in Ecclesiæ consecratæ parietibus, vel crustis prædictis, ac proinde, destructa re, destruitur etiam consecratio, quæ in re destructa fundabatur.

2 Adnerto 2. quod, si prædicta totius, vel maioris partis Ecclesiæ destructio, vel decrustatio, non simul, aut vno die, sed per dierum, aut hebdomadarum interualla fiat, & successiue ita semper reficiatur, vt nunquam maior pars illorum simul destructa, aut decrustata sit, tunc, cum semper maior pars attrahat ad se minorem, aliqui alij dixerunt manere quidem moraliter eosdem parietes, & consequenter eandem esse moraliter Ecclesiam, nec nouã tunc opus esse consecratione, quia adhuc talis Ecclesia remanet consecrata; vt erat antea; sed tamen talem Ecclesiam sic successiue renouatam, vel reædificatam reconciliandam esse cum aqua exorcizata, & solemnitate Missæ, vel cum aspersione aquæ Benedictæ, vt patet ex *Gloss. in Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles.* & ex antiquioribus DD. apud *Sylu. l. c.*

3 Adnerto 3. ex alia parte prædictis obstare primo, quia aliud est Ecclesiam pollui; aliud vero execrari, vt patet ex dictis *Disput. 1. c. 4. per totum*, vnde per prædictam destructionẽ, vel decrustationem Ecclesia execrari proprie, non autem vere pollui videtur, vt bene animaduerterunt *Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. Vers. Sextus Casus est. Mazuchell. l. c. Franc. de Lugo, de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. qu. 11. num.* 74. & alij multi apud ipsum, amittit enim tunc Ecclesia consecrationem, & recõsecratione tunc opus est, non autem reconciliatione: secundo, quia prædicta reconciliatio in casu allato successiuæ destructionis, & renouationis Ecclesiæ paulatim destructæ, & subinde paulatim refectæ non est in Iure expressa, vnde videtur tantum ex deuotione afferta; non autem ex necessitate facienda, propterea ergo

4 Dico nullam vnquam Ecclesię destructionem, vel decrustationem inter Actiones Ecclesiæ pollutiuas, seu pollutionis Ecclesiasticæ casus numerandam esse: quæ libet enim destructio, vel decrustatio Ecclesiæ, aut illius consecrationem totaliter tollit, quia tollit id, in quo eius consecratio fundatur, & reconsecratione opus est, aut certe, si non tollit Ecclesiæ consecrationem, neque eam polluit; alioquin assignetur Ius talem pollutionis Ecclesiasticæ casum statuens, quod hactenus à nemine assignatum est, & ità, quod in prædicto casu nulla opus sit reconciliatione ex præcepto; sed ad summum ex consilio, nobiscum docent *Sylu. l. c. Hostiens. in summa, de consecrat. Eccles. num. 6. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 27. num. 19. Iordan. Var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 9. num. 73. Th. del Bene de Immunit. & Iurisd. Eccles. tom. 1. c. 2. dub. 11. sect. 14. num.* 17. & alij per eos citati.

5 Colligo, quod, etiam si prædicta parietũ destructio, vel decrustatio numeranda esset inter Pollutionis Ecclesiasticæ modos, quod falsum tamen esse diximus; tamen prædictus modus non haberet locum, nisi in Ecclesia consecrata; non autem in Ecclesia tantum benedicta, nec in Cœmeterio illius, quia Benedictio inhæret ipsi Solo, quod tolli non potest; consecratio autem inhæret parietibus, & in crusta illorum interiori, qui destrui, & decrustari possunt.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

An aliqua alia actio à iure non expressa Ecclesiam aliquando polluat.

SVMMARIVM.

Actiones, seu Causæ aliquæ, quæ à iure expressæ non sunt, ab aliquibus Ecclesiarum pollutiuæ dicuntur. n. 1.

Prędictę Actiones, seu Causę referuntur. ibid.

Ita consuetudine aliquarum Ecclesiarum obseruari aliqui testantur, num. 2.

Prędicta consuetudo non valet, vbi ea non viget. ibid.

In aliquibus ex prędictis casibus aliqui Solemnem, alij Simplicem tantum reconciliationem requirunt, n. 3.

Nulla alia actio, vel causa Ecclesiam polluit, quam superius Disp. 3. cap. 2. *enumeratę, num. 4.*

Casus Ecclesiasticę pollutionis non sunt extendendi ad alios, etiam grauiores, à iure non expressos. ibid.

Aliquando tamen in aliquibus ex prędictis casibus à iure non expressis Ecclesia ex honestate, nō ex necessitate, per aquę benedictę aspersionem purganda videtur, n. 5.

1 ADuerto 1. præter duos superius *cap. 3. & 4.* allatos casus ab alijs alios recenseri, in quibus Ecclesiam pollui putant; licet eiusmodi casus in Iure expressi non sint, vt videre est apud *Hostiens. in Sum. de cōsecrat. Eccles. num. 9. Durand. l. c. Ration. cap. 6. nu. 41. Piasec. in prax. p. 1. c. 5. num. 5. Vers. Sacrilegio, Th. Del Bene de Immunit. Eccles. c. 2. dub. 11. sect. 13. per totam,* & alios, v. g. Si Hæreticorum exercitia ibi fiant, & aliquandiu vigeant: Si absq. sanguinis effusione os alicui frangatur: Si reus contra Ecclesiæ immunitatem extrahatur: Si furtum, vel alia crimina enormia patrentur, & deniq. si Ecclesia diu absq. tecto, & ianuis, omnibusq. hominum, & animalium vsibus patens sit.

2 Aduerto 2. *Abbatem in Cap. Proposuisti, num. 4. de consecrat. Eccles.* notare quidem, & *Durand. l. c. num. 41.* docere etiam ita consuetudine aliquarum Ecclesiarum obseruari; sed hoc valere in ijs tantum locis, in quibus viget talis consuetudo, pro vt bene dixit *Iordan. Var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 5.*

3 Aduerto 3. in aliquibus ex prædictis Pollutionis Ecclesiasticæ casibus in iure non expressis Ecclesiam consecratam secundum aliquos ab Episcopo solemniter reconciliandam esse; secundum alios vero satis esse, si Episcopus eam simplici benedictione per aquæ benedictæ aspersionem reconciliet, vel Presbytero reconciliandam committat, vt videre est apud *Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 14.*

4 Dico Ecclesiam per nullam aliam Actionem, vel Causam, quam per mox enumeratas *cap. 2.* & in nullo alio casu proprie, & vere pollui: nam, cum illi tantum casus sint à iure expressi, non sunt extendendi ad alios, etiam grauiores. ita communiter DD. & omnium expressissime *Iordan l. c.*

5 Colligo, licet in prædictis casibus Ecclesia non indigeat vlla reconciliatione; honestum nihilominus esse, si in aliquibus ex illis casibus, maxime in primo, & vltimo, Ecclesia à Sacerdote aspergatur aqua benedicta, priusquam in ea celebrentur Diuina, vt ex *Durando, Laym. & Th. Del Bene ll. cc.* abunde patet.

CAPVT VI.

Cur Sacri Canones per has Actiones potius, quam per alias Ecclesiam pollui voluerint.

SVMMARIVM.

Quæsitum hoc cur aliquibus videri possit absurdum, vel superuacaneum, n. 1.

Hoc per Sacros Canones non temere statutum fuisse fatendum est. ibid.

In Actionibus Ecclesiæ pollutiuis generatim attendere possumus tùm ad Moralem malitiam, tùm ad Materialem earum fœditatem, num. 2.

In ijsdem Actionibus particulatim inspici quoque possunt frequentia, scandalum, periculū, damna, modus, & similes alia ipsarum circunstantiæ, seu qualitates, n. 3.

Sacri Canones quomodo in his, & non alijs Actionibus Ecclesię pollutiuis statuendis attenderint maxime ad earundem Actionum Moralem, Materialemq. fœditatem, scandalum, ac frequentiam, nu. 4.

Idipsum obseruatur etiam à statuentibus Casus Reseruatos. ibid.

Actiones

Actiones Blasphemandi, Hæreses prædicandi, Eucharistiam conculcandi cur inter Ecclesiæ pollutiuas à Sacris Canonibus numeratæ non fuerint, num. 7. & 8.

Peccata aliqua, quæ alioquin videntur leuiora, censeri possunt grauiora ratione frequentiæ, & aliarum similium considerationum, num. 9.

Actioni exonerandi ventrem in Ecclesia sine necessitate, licet sit graue, & fœdissimum, sacrilegium, cur Sacri Canones Ecclesiasticæ pollutionis quasi pœnam non adiunxerint, num. 10. & 11.

Percussiones, nisi Homicidium, vel vulnus, vel sanguinis effusionem pariant, cur Ecclesiarum pollutiuæ ab Ecclesiastico iure constitutæ non fuerint, num. 12.

1 ADuerto 1. licet inquirere, cur Sacri Canones per has, & non illas Actiones Ecclesiam pollui decreuerint, absurdum, vel superuacaneum aliquibus fortasse videri possit, cum in his, quæ à libera pendent voluntate, ac arbitrio, sæpe, ac sæpius *sit pro ratione voluntas*; nihilominus, cum id non temere actum fuisse fatendum sit, propterea causas, vel cōgruentias quasdam inuestigandas esse, quas ad quæsiti huius solutionem afferre possimus.

2 Aduerto 2. Sacros Canones, vt generatim loquamur, in Actionibus Ecclesiæ pollutiuis secernendis ab alijs attendere potuisse, vel ad ipsam Actionum moralem malitiam, vel ad earundem Actionum materialem fœditatem quandam, & impuritatem, nam secundum vtrumque respectum Actio aliqua loci sanctitati, ac decentiæ repugnare potest, vt colligitur ex *Suar. tom. 1. de Religion. tr. 2. l. 3. c. 7. num. 3. & 6. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 4. Bordon. in Consit. Regular. tom. 2. ref. 74. n. 5. & Persic. de Offic. Sacerdot. l. 1. c. 7. n. 45.*

3 Aduerto 3. Sacros eosdem Canones propterea, si ad magis particularia descendere malimus, respicere quoq. potuisse ad earundem Actionum, seu Casuum frequentiam, scandalum, periculum, damnum, conditionem, modum, & similes eius modi alias circunstantias, quæ tamen omnia talia sunt, vt ad prædicta duo generalia moralis malitiæ, & materialis fœditatis capita facile reduci queant.

4 Dico Sacros Canones ideo statuisse, vt per has Actiones potius, quam per alias, Ecclesia pollui censeretur, quia, attenta maxime harum Actionum morali, materialique fœditate, scandalo, ac frequentia, nisi hæ inter alias omnes prædicto modo per eadem iura in prædictis locis sacris prohibitæ, & quodammodo eliminatæ fuissent, inde nimis indecenter, & contra eorundem locorum sanctitatem actum fuisset; talium enim actionum talis prohibitio ad debitam Ecclesiæ reuerentiam, & Christifidelium ædificationem idcircò maximè expedire visa fuit, pro vt etiam in Casuum Reseruatione simillima docent *Zeccus de Cas. Reseru. in Regul. general. num. 7. Floron. ibid. p. 1. c. 1. §. 2. Homobon. ibid. p. 1. c. 3. prope mediū. Chapeauil. ibid. p. 1. c. 2. q. 12. Mazuchell. ibid. disp. 1. q. 1. diffic. 9. n. 23. & seq.* & alij communiter.

5 Dices 1. nulla malitia moralis, seclusa Ecclesiæ prohibitione, est in actione sepeliendi in Ecclesia, vel Cœmeterio Infidelem, vel Excommunicatum, nulla item talis malitia est in actione iuste, & ex Iudicis sententia, occidendi reum ad mortem damnatum, & in similibus actionibus fusius inferius examinandis, ergo Sacri Canones, cum per has actiones Ecclesiam pollui voluerunt, ad antecedentem talium actionum moralem malitiam, quæ nulla est, attendere non potuerunt, ergo male à nobis dictum fuit Sacros Canones in earum actionum prohibitione ad earundem moralem malitiam attendisse.

6 Respondeo, licet mox nominatæ actiones extra Ecclesiam, & Cœmeterium factæ moraliter malæ non sint, tamen eas ex se in prędictis locis indecēter omnino fieri, & moraliter, saltem leuiter, malas esse, pro vt iam clare vidimus *Disp. 1. cap. 12. num. 4. & 6.* ac proinde in argumento allato negari potest antecedens.

7 Dices 2. Si Sacri Canones ad moralem actionum malitiam attendissent, multo magis inter actiones Ecclesiæ pollutiuas numerassent Blasphemiam, Hæresum prædicationem, Eucharistiæ conculcationem, & similia scelerum monstra, quia hæc absque dubio longe maiorem malitiæ moralis grauitatem continent, quam actiones eæ, quas Sacri Canones inter pollutiuas recensent; sed Sacri Canones grauiora omiserunt, & leuiora prohibuerunt, ergo vere ad moralem Actionum malitiam nequaquam attenderunt.

8 Respondeo 1. Sacros Canones attendisse non ad solam moralis malitiæ grauitatem præcisè, & in se, ac per se tantum spectatam; sed simul etiam, & præcipuè ad substantialem, materialemque Actionum prædictarum fœditatem, & facilitatem, ac proinde frequentiam, &c. ita vt, omnibus perpensis, decentissima visa fuerit illarum prohibitio, & indecentissima earundem permissio, vel tolerantia, vt iam *num.* 4. dictum est. Præterea

9 Respondeo 2. asserendo cum *Floron. l.c.§.1.per totum, & §.2. num.3.* aliqua peccata, quæ alioquin videntur minora, censeri posse grauiora ratione maioris fœditatis, vel frequentiæ, vel scandali, vel periculi, vel aliarum huiusmodi causarum, vt per se notum videtur, vnde, quia prædictæ conditiones non omnes insunt in Blasphemia, Hæresum prædicatione, Eucharistiæ conculcatione, & similibus in se quidem atrocioribus criminibus; sed non ita frequentibus generatim inter Christifideles, nec ita turpiter, vel ita permanenter locum sacrum fœdantibus, & c. idcircò Sacri Canones decreuere, vt non per scelera illa in se alias grauiora (quæ tamen à Deo grauius per alias pœnas punientur) sed per ista etiamsi alias fortasse minora; cum loci tamen sanctitate prædictarum conditionum ratione magis repugnantia, & eidem magis iniuriosa, nec non aliquando magis fœda, magisque permanentia, Ecclesia polluatur.

10 Dices 3. Si prædicta iura Ecclesiastica respexissent ad Actionũ quasi substantialem, & materialem fœditatem, ac turpitudinem, cum summe fœdum, ac turpe sit exonerare ventrem sine necessitate in Ecclesia, & similia perpetrare, absque dubio istas quoq. actiones inter Ecclesiæ pollutiuas constituissent, quod tamen factum non est, ergo signum est prædicta iura non respexisse ad materialem actionum huiusmodi fœditatem, ac turpitudinem, quod in conclusione dictum est.

11 Respondeo, licet vere actiones prædictæ exonerandi ventrem sine necessitate in Ecclesia, &, si quæ sunt, similia perpetrandi, sint grauia sacrilegia, vt *Disp.1.cap.18.nu.13. ex Suarez, & Thoma del Bene* iam dictum est; nihilominus Sacros Canones prædictis actionibus Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam non adiecisse, quia raro publice cum voluntaria loci sacri iniuria accidere solent.

12 Colligo percussiones item, nisi vel Homicidium faciant, vel vulnus aperiant, vel sanguinis effusionẽ pariant, idcircò inter actiones Ecclesiæ pollutiuas à Sacris Canonibus recensitas non esse, quia, consideratis omnibus, non adeo turpes, ac indecentes visæ fuerunt, vt hanc eandem ijs quasi pœnam apponere necessarium, vel vtile habitum fuerit.

CAPVT VII.

Cur potius hæc, quam alia, pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna his actionibus imposita sit.

SVMMARIVM.

Quæsiti huius opportunitas, num. 1.
Quid per Ecclesiasticæ pollutionis quasi pœnam intelligatur, num. 2.
Cur hoc Pollutionis Ecclesiasticæ impedimẽtum, seu grauamen non absolute pœna; sed quasi pœna appelletur, num. 3.
Pœna proprie semper præsupponit culpam. ibidem.
Pollutio Ecclesiæ non semper præsupponit culpam. ibid.
Cur potius hanc, quam aliam, Sacri Canones Ecclesiasticæ Pollutionis quasi pœnam statuerint, duplex ratio affertur, num. 4.
Per hanc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam cur nõ iniuste puniri quodammodo videantur etiam innocentes, num. 5.

1 ADuerto 1. cum iam viderimus, cur hæ potius, quam aliæ actiones ex Sacris Canonibus Ecclesiam polluant, opportune hic videndum superesse, cur his actionibus hanc quasi pœnam Sacri Canones adiunxerint, licet alijs, atque alijs modis ijdem harum actionum indecentiam, & cum loco sacro repugnantiam patefacere, & ab eo procul arcere potuissent.

2 Aduerto 2. per hanc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam hic intelligi morale illud grauamen, seu impedimentum, quod ex Sacrorum Canonum iussu prædictas actiones, quas Ecclesiæ pollutiuas dicimus, consequitur, & Diuinorum Officiorum, ac Sepulturæ vsum in Ecclesia, vel Cœmeterio, vbi eæ factæ fuerint, ante reconciliationem tollit, vel suspendit, vt ex dictis *Disp. 1. c. 2.* colligi potest.

3 Aduerto 3. licet prædictum grauamen, seu impedimentũ nos hic non absolute pœnam; sed quasi pœnam appellemus, quia non est primo, & per se in pœnam à Sacris Canonibus introductum; sed ad reuerentiam, & munditiam loco sacro debitam indicandam, & indicendam: pœna enim, quatenus proprie pœna est, relationem dicit ad culpam, quã præsupponit, vt patet ex *D.Th.2.2.q.108. art.4.in solut.arg.Sot.de Iust.l.1.q.6. art.5.col.2.vers.Profecto. Couar.var.resol.l.2.c.8.in principio*

cipio. L. Si putator, 31. ff. ad leg. Aquil. & cap. Sine culpa, 23. de regul. Iur. in 6. pollutionis autem Ecclesiasticæ, vt videbimus infra, grauamen, seu impedimentum non semper præsupponit culpam; tamen prædictum grauamen, seu impedimentum aliquo modo pœnam esse, pro vt fusè diximus *Disp. 1. c. 19. per totum*, & clarius constabit ex dicendis suo loco.

4 Dico hanc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam idcirco his actionibus impositam fuisse, quia Sacris Canonibus hæc non immerito primo ad harum pollutiuarum actionum in locis sacris indecentiam, ac fœditatem demonstrandam, secundo etiam ad reos quodammodo puniendos, & ad populos ab his actionibus quasi absterrendos omnium aptissima, ac vtilissima visa fuit. Quod harum actionum in locis sacris indecentiam, ac fœditatem, e contrario autem Sacrorum locorum puritatem, ac sanctimoniam, debitumq. eisdem cultum, hæc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna omnium optime patefaciat, consideranti planum fiet ex ijs, quæ superius *Disp. 1. c. 7. n. 3.* innuimus; quod autem hæc eadem Pollutionis huius quasi pœna ad illud etiam conuenientissima sit, quod secundario Sacri Canones per illam intendunt, & nos etiam secundo loco recensuimus, inde patere potest, quod sic par pari refertur, & in quo quis peccat, per hoc torqueri videtur, vt dicitur *Sapient. 11.* cum enim iustissima illa sit *ex August. l. 3. de liber. arbitr.* peccati pœna, vt amittat vnusquisq. illud, quo bene vti noluit, iustissime Ecclesia nos Diuinorum Officiorum, & Sacræ Sepulturæ vsu ibi priuat, vbi debito sibi cultu eadem antea priuata sunt.

5 Colligo, quamuis hac Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna quodammodo puniantur cum reis etiam innocentes, cum in Ecclesia polluta nemo ante illius reconciliationem Diuinorum Officiorum, & Sacræ Sepulturæ vsu frui possit; nihilominus, vt membris etiā sanis aliquando non iniustè ad corporis sanitatem tuendam dolor infligitur, ità à Sacris Canonibus per hanc pollutionis Ecclesiasticę quasi pœnam iure, ac merito mœrorem populo etiam innocenti afferri posse, vt sic locorum sacrorum sanctitati sanctè consulant: sic enim contra nocentem, ac reum, qui Ecclesiam polluit, insontes, ac innocentes alij omnes eiusdem Ecclesiæ quasi fructibus, qui populos exhilarant, priuati magis excitantur, & ad ipsius Ecclesiæ reuerentiam, ac defensionem melius animantur; rei autem contra fortius confunduntur, cum propter vnius, vt plurimum, aut certe paucorum actionem quodammodo puniantur vniuersi, pro vt in casu non omnino dissimili de Interdicto generali ob vnius aliquando delictum imposito Doctores communiter tradunt *ex Cap. Miror. 17. q. 4. & Cap. Si sententia, de senteut. Excommunic. in 6.*

CAPVT VIII.

An, qui ignorat, vel non aduertit, has actiones esse Ecclesiæ Pollutiuas, per has nihilominus Ecclesiam polluat.

SVMMARIVM.

Ignorantia quomodo excuset à pœnis impositis per ius inuincibiliter ignoratum, num. 1.

Pœnæ nomen dupliciter sumitur, proprie, seu stricte, & improprie, seu late, num. 2.

Pœna proprie dicit relationem ad culpam; non autem pœna improprie, quæ ab aliquibus Pœnalitas dicitur. ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum non est proprie pœna; licet aliquando non nisi actionibus grauiter ex se culpabilibus adiunctum sit, num. 3.

Pollutio prædicta non est proprie in pœnam culpæ præcedentis; sed in signum indecentiæ, ac turpitudinis talium actionum in tali loco. ibidem.

Per actiones Ecclesiæ pollutiuas Ecclesia polluitur; licet eæ fiant ab eo, qui ignoret, vel non aduertat eas esse Ecclesiæ pollutiuas, num. 4.

Actio Ecclesiæ pollutiua, quando culpabilis esse debet, debet tunc simul esse voluntaria; non tamen necesse est, vt voluntarius etiam sit illius effectus, n. Pollutio Ecclesiæ, num. 5.

1 ADuerto 1. quia iam sæpius pollutionis huius legem pœnalem, & pollutionem ipsam quasi pœnam appellauimus, hinc dubitari posse, num ignorantia, vel inaduertentiā illius legis, seu iuris, quod hanc Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam pro his actionibus statuit, impedire possit prædictam Ecclesiæ pollutionem, ignorantia enim excusare solet à pœnis impositis per ius inuincibiliter ignoratum, siue illud sit ius commune, siue particulare, siue prohibeat actionem alio iure non prohibitam, siue prohibitam, etiamsi ignorans noui iuris prohibitionem, conscius sit antiquioris prohibitionis; adhuc etenim hic solum violat ius antiquum, quod noue-

nouerat, non autem ius positiuum nouum, quod inuincibiliter ignorat, vnde solius prioris pœnam incurret, cum quantitas pœnæ commensuranda sit cum quantitate delicti, *ex Cap. Felicis, de pœn. in 6.* & maleficia voluntate, seu proposito distinguantur, *ex Cap. Cum voluntate, de sentent. excommun.* nec hic habuerit animum violandi ius nouum, nec proinde peccarit contra illud, ex quo nec illius pœnam incurrit, nam ius imponens nouam pœnam rei antea prohibitæ nouum est quo ad illam pœnam; à violatione autem noui iuris excusantur illius ignari, & consequenter etiam ab illius pœna, vt in omnibus pœnis generaliter docent *Abbas, Hostiens. Iason*, & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 32. num. 9. & 17. Angel. V. Ignorantia, num. 4. Sylu. V. Ignorantia, qu. 8. dict. 3. fin. Castro de lege pœnali l. 2. c. 14. §. Sicut dictum est. Nauar. cap. 23. num. 47. & cap. 27. num. 16. & 274. Manuel tom. 1. Sum. cap. 195. num. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 20. num. 1. Castropal. tom. 1. tr. 2. disp. 1. punct. 17. num. 2. & Franc. de Lugo in Decurs. par. 2. cap. 4. quæst. 2. nu. 27. & seqq.*

2 Aduerto 2. cum pœnæ nomen dupliciter sumatur: primo proprie, & strictè, & tunc pœna est quid correlatiuum culpæ propriè dictæ, vt mox dictum est, & definitur in *L. 131. de Verbor. significat.* Peccati vitio, & noxæ vindicta: Secundo impropriè, & latè, & tunc pœna significat quodcumque malum in se absque respectu ad culpam proprie dictam, qualis est quæcumque priuatio boni, vel qualitas omnis contraria, aut disconueniens naturæ, quæ proinde ab aliquibus non pœnæ, sed pœnalitatis nomine appellatur, quomodo carere pecunia, vel fama malum quoddam homini est; licet ijs sine culpa careat, vel amiserit: idcirco, quando Pollutionis Ecclesiasticæ legem pœnalem, & pollutionem ipsam Ecclesiasticam quasi pœnam diximus, pœnæ nomen à nobis nō nisi latè, & impropriè sumptum fuisse, quatenus scilicet ea contradistinguitur à fauore, vt ex *Disp. 1. cap. 19.* abunde patet.

3 Aduerto 3. licet aliquæ ex actionibus Ecclesiæ pollutiuis, nisi grauiter culpabiles sint, Ecclesiam non polluant, vt inferius de Homicidio, & Sanguinis, ac Seminis effusione suo loco dicemus; tamen inde non fieri, vt pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, quod eas actiones in loco sacro factas consequitur, sit proprie pœna illius culpæ, quæ in prædictis illis actionibus præcessit: nō enim pollutionis huius grauamen prædictis actionibus à iure adiunctum fuit proptie in pœnam prædictæ culpæ in ijsdem actionibus latentis; sed ob indecentiam tantum, ac turpitudinem earum actionum (quando etiam in se grauiter culpabiles sunt) in loco sacro, à qua subinde Sacer ipse locus morali quadam macula publice quodammodo infici, & coinquinari censetur.

4 Dico per actiones Ecclesiæ pollutiuas Ecclesiam pollui, licet eæ fiant ab ijs, qui ignorent, vel non aduertant eas actiones esse Ecclesiæ pollutiuas. Ratio autem potissimum ea est, quam iam innuimus, quia scilicet Ecclesiastica pollutio prædictas actiones in loco sacro factas subsequitur non proprie in culpæ pœnam; sed tantummodo in signum indecentiæ, & disconuenientiæ talium actionum in tali loco, pro vt iam explicuimus. ità in his ipsis pollutionis Ecclesiasticæ terminis *Tob. Coron. de Sacris Templ. p. 1. cap. 36. §. 1. in fin.* qui vnus omnium, quos viderim, hanc dubitationem obiter attigit.

5 Colligo, quamuis prædictarum actionum Ecclesiæ pollutiuarum aliquæ debeant esse, vt paulo ante dicebamus, grauiter culpabiles, ac proinde simul voluntariæ, & consequenter præcognitæ, vt culpabiles, & grauiter malæ ex se; alioquin per eas Ecclesia, vt suo loco demonstrabimus, nequaquam pollueretur; tamen necesse non esse, vt, qui eas actiones facit, Ecclesiæ pollutionem per eas velit, vel eas actiones esse Ecclesiæ pollutiuas cognoscat, vel aduertat; adhuc enim talis causa talem effectum producet, quia, non cessante causa, non cessat effectus; cognitio autem, vel aduertentia operantis ad prædictū Pollutionis effectum non est vere illius effectus causa: vnde prædicta ignorantia, vel inaduertētia ad prædictum effectum ad summum facit, vt iste non sit voluntarius, quod hic nihil refert, nam etiam ignorantia irregularitatis, quantumcumque inuincibilis, non impedit, quin irregularitas contrahatur; licet ignorantia culpæ aliquando irregularitatem impediat, quando scilicet irregularitas indecentiam ex culpa prouenientem prærequirit, vt videre est apud *Suar. de Censur. disp. 40. sect. 5. nu. 9. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. nu. 15. Bonac. de Censur. disp. 1. q. 2. punct. 1. nu. 13.* excusaret tamen prædicta iuris Ecclesiasticam pollutionem statuentis ignorantia à speciali culpa ex illius legis, seu iuris transgressione; nemo enim in illud ius, seu in eā legem peccat, quam ignorat; vnde nec proprie puniri quis ab Ecclesia posset ob prædictam Ecclesiastici iuris transgressionem, quia ea transgressio mere materialis, & inculpabilis quo ad hoc fuisset.

CAPVT

CAPVT IX.

An, qui ignorat, vel non aduertit locum, licet vere Sacer sit, Sacrum esse, per actiones ex se pollutiuas eum vere polluat.

SVMMARIVM.

Difficultatis huius, & praecedentis distinctio, & connexio, num. 1.

Ignorantia in Paulo inuincibilis, vel inaduertentia ad Clericatum Petri, si haec praedicta ignorantiae aequiparetur, facere potest, ne Paulus Petri percussor excommunicationem incurrat, num. 2.

Traditus eadem de Excommunicationis incursu cur nullam vim habeat in nostro de pollutione Ecclesiae, num. 3.

Per actiones Ecclesiae pollutiuas Ecclesia polluitur, quamuis eae fiant ab ijs, qui nesciant, vel non aduertant eum locum, in quo eae fiunt, sacrum esse, num. 4.

Praedicta ignorantia, vel inaduertentia quomodo excusare possit à noua formalis sacrilegij culpa. ibid.

Pollutio Ecclesiae cur propriè, & vere non sit effectus sacrilegij formalis ob irreuerentiam loci sacri; sed potius effectus turpitudinis, ac indecentiae in praedictis actionibus existentis, num. 5.

Quod de praedicta ignorantia, vel inaduertentia dictum est, multo magis de dubio ipso dicendum est. ibid.

1 ADuerto 1. cum praecedenti capite videmus ignorantiam, seu inaduertentiam ad legem, seu Ius, quod pollutionem Ecclesiasticam pro tali actione imponit, non obstare, quin per tales actiones alioquin Ecclesiae pollutiuas Ecclesia polluatur, nunc videndum esse, num saltem ignorantia, vel inaduertentia ad sanctitatem loci, vbi actiones praedictae fiunt, praedictam inde loci pollutionem impedire possit.

2 Aduerto 2. aliquam dubitandi rationem ex eo desumi posse, quod, sicut in Paulo inuincibilis ignorantia, vel inaduertentia, ad clericatum Petri, si haec praedictae ignorantiae aequiparetur, facere potest, ne Paulus Petri percussor Excommunicationem incurrat, ità ignorantia, vel inaduertentia ad locum sacrum fortasse facere potest, ne per actiones Ecclesiae alioquin pollutiuas, si cum praedicta ignorantia, vel inaduertentia eae fiant, Ecclesia polluatur.

3 Aduerto 3. praedictam dubitādi rationem omnino nullam esse, si quis Excommunicationem, & Censuras omnes proprie poenas esse, & semper in culpae vindictam inferri animaduertat, quod in Ecclesiastica pollutione non militat. vnde quoduis argumentum à censurarum, vel aliarum quarumcumque poenarum proprie dictarum similitudine ductum semper euidentem cum huiusmodi pollutione, quae propriè poena non est, disparitatem admittet, & nihil euincet. Quare

4 Dico per actiones Ecclesiae pollutiuas Ecclesiam pollui, quamuis eae fiant ab ijs, qui ignorent, vel non aduertant eum locum, vbi eae fiunt, sacrum esse. cum enim loci Sacri pollutio fit proprie in signum moralis maculae, quam Ecclesia praeseferre vult, quoties in ea praedictae actiones fiunt, ad praedictam maculam contrahendam satis est, si eae in loco sacro fiant. vnde praedicta ignorantia impedire quidem potest nouam formalis, & specialis sacrilegij culpam, quae alioquin ob irreuerentiam praedictam in locum sacrum cognitum contraheretur; sed impedire nequit ipsius loci sacri pollutionem, quae nunquam in culpae vindictam, vt saepius asseruimus; semper autem in praedictae moralis maculae per tales actiones quo ad hominum opinionem contractae signum easdem actiones consequitur.

5 Colligo, cum inuincibilis (de qua hic tantum sermo fuit) ignorantia, vel inaduertentia ad locum sacrum excuset ex dictis à speciali, & formalis sacrilegij culpa eum, qui cum tali ignorantia, vel inaduertentia in eo loco actiones Ecclesiae pollutiuas facit, Ecclesiasticam pollutionem ex praedictis actionibus praedicto modo factis consurgentem non esse proprie, & vere effectum formalis, & specialis sacrilegij ratione loci, quia formale hoc sacrilegium ob praedictam ignorantiam, vel inaduertentiam in nostro casu non adest; sed esse effectum proprie, & vere illius indecentiae, ac turpitudinis, quae in praedictis actionibus inest, & quae ex Canonici iuris dispositione talem effectum secum affert: ab ea enim talium actionum turpitudine moralem maculam quandam locus sacer, in quo eae actiones fiunt, contrahere censetur, propter quam subinde ipsemet locus iuxta praedict. Sacrorum Canonum dispositionem adhuc quidem sacer; sed maculatus, ac pollutus haberi debet. Quod autem diximus de ignorantia, vel inaduertentia ad Canonicam praedictarum actionum pollutiuitatem, & praedictam

prædictam loci sanctitatem, multo magis dicendum esset de dubio ipso, num tales actiones forent loci sacri pollutiuæ, vel talis locus foret sacer: si enim in prædictis nostris casibus Ecclesiæ pollutionem non impedit ignorantia, vel inaduertentia, multo minus eam impediet dubium ipsum tantum, vt ex se notum est.

CAPVT X.

An Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna alijs etiam actionibus, quam à iure statutis, ab homine imponi possit.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum de facto iam non incurritur, nisi in casibus à Iure Canonico expressis, num. 1.

Prædictum impedimentum est inter ea, quæ latæ sententiæ esse dicuntur, & ipso facto suum sortiuntur effectum, ibid.

Summus Pontifex potest hanc Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam pro alijs etiam actionibus imponere, num. 2.

Idipsum DD. de casibus irregularitatis dicunt. ibidem.

Cur etiam Episcopi, alijque Papa inferiores hanc potestatem habere videantur, num. 3.

Per delegationem, seu specialem commissionem à Papa inferiores etiam hanc potestatem habere possunt, ibid.

Solus Papa plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ; inferiores autem eidem subordinatam potestatem habent, ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna à nemine, præterquam à Papa, ordinario iure, nullo modo, & nullo in casu alijs actionibus, quam à iure statutis, imponi potest, num. 4.

Pollutionis Ecclesiasticæ, & non censurarum impositionem, cur vniuersalis Pastor sibi reseruauerit, num. 5.

1 ADuerto 1. quamuis Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, pro vt alibi multoties innuimus, sed præcipuè *Disp.* 1. *c.* 2. *num.* 4. & 8. *nec non Disp.* 3. *c.* 5. *num.* 4. iam de facto non incurratur, nisi in casibus à iure Canonico expressis, & proinde illud de facto connumeretur ab Auctoribus inter ea, quæ latæ sententiæ esse dicuntur, ac ex ipso iure, seu ipso facto suum sortiuntur effectum, vt expresse constat ex *Car. Ant. Thesauro de pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ par.* 2. *V. Sacrilegium, c.* 5. *vers. An autem*, nihilominus hic dubitari posse, num saltem de possibili prædictum pollutionis huius impedimentum ab homine alijs etiam actionibus de nouo apponi queat.

2 Aduerto 2. certum omnino esse, quod à Summo Pontefice statui possit Ecclesiæ pollutio in alijs etiam casibus, qui hactenus à iure prædicto expressi non sint, si nimirum per sententiam suam alijs etiam actionibus à iure non expressis hanc ipsam Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam imponat, vel nouos casus nouo iure instituat, in quibus talis quasi pœna vel ipso facto, pro vt in alijs iam fit, incurratur, vel certe ex Iudicis sententia inferatur. eadem enim est in vnoquoque Summo Pontifice potestas, quæ in alijs omnibus fuit, cum eorum vnusquisque censeatur eadem persona cum eo, cui succedit, & proinde in ijs, quæ de Fide non sunt; sed de iure positiuo, iustis de causis à sui ipsius sententia discedere, nec non pro temporum opportunitate, ac diuersitate nouas, & præcedentibus etiam contrarias constitutiones edere possit, pro vt hoc idem quo ad nouos Irregularitatis incurrendæ casus in iure antea non expressos docet *Suar. de Censuris disp.* 40. *sect.* 4. *num.* 14.

3 Aduerto 3. difficultatem superesse tantum quo ad Episcopos, & alios omnes Papa inferiores: ex vna parte enim, vt hi legem aliquando ferre possunt sub pœna Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti tam personalis, quam localis, quæ grauior est, ita legem etiam aliquando ferre posse videntur sub Pollutionis huius quasi pœna, quæ leuior est, pro vt libere ab ipso Pontifice fieri potest, & iam factum fuisse diximus *Disp.* 1. *cap.* 11. ex alia vero parte, quia hic omnes habent potestatem legislatiuam Summo Pontifici subordinatam, & assumpti sunt solum in partem sollicitudinis, non autem in plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, cum hæc soli tantum totius Ecclesiæ Capiti, ac Pastori, eiusque subinde successoribus à Christo communicata fuerit, idcirco non immerito dubitari potest, an hoc Soli Summo Pontifici, vel etiam alijs, maximè Episcopis in ordine ad proprias Ecclesias, ordinario iure concessum sit. Dixi, ordinario iure, quia per delegationem id cuinis concedi posse nemo negare potest, cum prædicta potestas ex natura sua sit delegabilis.

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam alijs actionibus, quam à iure statutis, à nemine ordinario iure, præterquam à Papa, nullo

nullo modo, & nullo in loco imponi posse. Ratio autem est, quia ex Sacrorum Canonum iure, & Ecclesiæ totius communi vsu euidenter hoc ad Solum, & Summum vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, & Caput spectat, & de iure supremę Pontificis maximi potestati inuiolabiliter reseruatis habetur.

5 Colligo argumentum iam *nu.* 3. allatum, & sumptum à similitudine potestatis imponendi censuras pro alijs etiam actionibus à iure non expressis, quam habent ordinario iure Episcopi, facile solui, si hanc disparitatis congruentiam affectamus, quod Ecclesiastica pollutio non fertur principaliter per modum pœnæ, vt iam diximus; sed per modum cuiusdam impedimenti, & in signum moralis maculæ à loco sacro ob taliū actionum polluitiuarum in eo factarum turpitudinem quodammodo contractæ, quæ res, cum ad decentiam, ac reuerentiam Sacris locis debitam spectet, ad vniuersam Ecclesiam pertinere videtur, ideoque illius iudicium, seu statutum iure, ac merito vniuersalis Pastor sibi reseruasse creditur, non autem censurarum ferendarum potestatem, quam Episcopis, & alijs ordinarijs Pastoribus traditam esse tradit *Concil. Trident. sess. 6. de Reform. c.3. & sess. 14. c. 4. de Reformat.* & per se notum est ex vsu totius Ecclesiæ, & ex iure Canonico *Cap. Qualiter, 2. de Accusat. Cap. Transmissam, de Elect. & Cap.* 1. ac fere ex toto titulo de offic. ordinarij, præsertim *Cap. Ad reprimendam, & c.*

CAPVT XI.

An Actiones, per quas Ecclesia Polluitur, debeant esse in sua specie perfectæ, & consummatæ.

SVMMARIVM.

Actus incompletus, seu imperfectus duobus modis dicitur, num. 1.

Actus in sua specie perfectus, & consummatus, seu in ea imperfectus, & non consummatus, quid sit, num. 2.

Pœna pro delicto imposita intelligitur de delicto completo, & consummato, non de attentato, & inchoato tantum, num. 3.

Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, licet non sit proprie in pœnam delicti; tamen requirit actionem Ecclesiæ polluitiuam in sua specie perfectam, & consummatam, num. 4.

Legis odiosa verba strictè interpretanda, & cum effectu semper accipienda sunt. ibid.

Actionis alicuius absolute, & simpliciter prolatę nomine non venit in odiosis actio incompleta, & imperfecta. ibid.

Actio non completa in sua specie non est certo; sed dubie talis. ibid.

Delictum attentatum, & inchoatum aliquando sufficit ad pœnam ferendę; non vero latę sententię, num. 5.

1 Aduerto 1. pluribus modis posse actum aliquem externum esse imperfectum, seu non consummatum, quos quilibet videre potest apud *Suarez de Censur. disp. 4. sect. 3. n. 3.* sed præcipuè in rem nostram duobus: Primo quo ad solum terminum, seu effectum actionis physicæ, vt sic dicam, ita vt actio sit quidem ex parte agentis ad effectum intentum sufficiens, & perfecta, sed eidem tamen actioni desit adhuc vltimus effectus eius, quomodo non dicitur perfecta, & consummata actio homicidij, si quis lethali quidem vulnere quempiam percusserit, sed percussus tamen nondum interierit: Secundo quo ad insufficientiam ipsius actionis ad eum effectum, quem agens intendebat, ita vt actio attentata quidem, & inchoata fuerit ab agente; sed in re ipsa tamen non modo non perfecerit vltimum effectum ab agente intentum; verū etiam neque aliquid effecerit, quod ad talem effectum sufficeret, quomodo in iam allato exemplo imperfecta, & non consummata dicitur actio homicidij, si quis vel nullum, vel insufficiens ad necem inferendam vulnus inflixerit.

2 Aduerto 2. sermonem hic esse de actionibus in sua specie perfectis; potest enim aliqua actio in specie v. g. vulnerationis esse completa, & consummata, eo quod sit perfecta vulneratio; sed in specie homicidij eadem actio non erit perfecta, & completa, seu consummata, nisi postquam vulneratus mortem ob id obierit, quia tunc tantum erit perfectum homicidium.

3 Aduerto 3. certum quidem esse, quod vbi de crimine agitur, intelligitur de eo, quod consummatam iniuriam, & non ceptam tantum significat, maxime in ordine ad pœnam ipso facto impositam à iure ob delictū, quæ locum non habet, nisi vbi illud fuerit cōsummatum, nec sufficiat fuisse inchoatum, & attentatum, quam communissimam esse opinionem ostendit *Tiraq. in L. Si vnquam, verb. reuertatur, nu. 354. Hippolyt. de Marsilys in Cap. At si Clerici, nu. 56. de iudic. & Thesaur. de pœnis Ecclesiasticis lata sententię par. 1. c. 8.* nisi aliter sit in iure expressum, pro vt videri potest

poteſt apud *Farinac.q.116.num.* 148. & eundem *Thesaur.l.c.*nec non *par.2. verb.Procuratio,c.1.* Verum, cum in caſu noſtro ſermo ſit de morali tantum impedimento, quod non in pœnam proprie delicti alicuius præcedentis; ſed in ſignum moralis cuiuſdam maculæ per pollutiuas actiones loco ſacro inflictæ impoſitum eſt, adhuc dubitari poteſt, num imperfectæ, & incompletæ quoque huiuſmodi actiones ad prædictum Pollutionis Eccleſiaſticæ impedimentum inferendum ſufficere poſſint.

4 Dico Actiones Eccleſiæ Pollutiuas omnino debere eſſe in ſua ſpecie perfectas,& conſummatas; attentatas autem, & inchoatas tantũ in eadem ſpecie ad Eccleſiæ pollutionem inducendam nequaquam ſufficere, licet Eccleſiæ pollutio proprie in pœnam delicti non ſit. Ratio autem vniuerſalis, & euincens eſt, quia verba ſemper cum effectu ſunt accipienda, *L.1.§.hęc verba, ff. Quod quiſque iuris. Io. Andr.& Archidiac.in Cap.Perpetuo,de elect. in 6. D. Anton. p. 3. tit. 17. c. 11. in fin. Graff. decis. aur. l. 4. c. 18. num.61. Abb.in Cap. Cum in cunctis, §. Clerici, num.3. de elect.* & ibi late *Addit. ad eum in verb. Conſummatum*, & maximè in ſtatutis pœnalibus, & legibus odioſis, qualem eſſe hanc ipſam Pollutionis Eccleſiaſticæ legem fusè probauimus *Diſput. 1. c. 19.* ac proinde etiam in actionibus Irregularitatem inducentibus, & in Caſibus reſeruatis, licet proprie in pœnã non ſint, idipſum docent *Sayr.de Cenſur.l.6.c.2.nu.30.ex Couar. Sot.Medin & alijs, Hart.ad.de Irregular.diſp.2. diffic.5.& 8.* diffuſè *Th.del Bene de parlamentis dub.4.ſect.19.ſubſect.31.per totam,et de Immunit.Eccleſ.c.2.dub.8.ſect.13.num.17. Floron. de Caſ.Reſeru.p.1.c.1.n.31.& ſeqq.Homobon.ibid. p. 1.cap. 3.* cum multis apud ipſos. lex enim odioſa abſolute loquens de aliqua actione ſimpliciter prolata, ſi ea actio non ſit perfecta, & completa, dubium patit, num hæc actio ſit illa, de qua lex loquitur, nec ne, vt bene dixit *Bardi de Conſcientia diſcep. 6.c. 11. par.4.§.3. num.* 2. in dubio autem, num hæc pollutionis Eccleſiaſticæ lex odioſa includat aliquem caſum, nec ne, cum ea ſit ſtricte intrepretanda, & poſſeſſio ſaneat exemptioni ab obligatione, ſtandum eſt contra legis obligationẽ,vt cũ multis diximus *Diſp.1.c.20.*

5 Colligo, etiamſi in atrocioribus ſufficiat aliquando conatus delicto proximus ad pœnam ſententiæ ferendæ, *L. ſi quis non dicam, ibi Gloſſ. & DD.C. de Epiſc. & Cler.* tamen ad incurrendam pœnam, ſeu quælibet odioſa latæ ſententiæ, non ſufficere; ſed requiri actum, vt dixi, conſummatum.

CAPVT XII.

An Actiones, per quas Eccleſia polluitur, debeant eſſe publicæ.

SVMMARIVM.

De actuali Eccleſię pollutione, non de habituali hic ſermo eſt, num.1.

Occulta loci ſacri deturpatio debitam locis ſacris reuerentiam coram Deo, non coram Hominibus lędit, num. 2.

Dubitatio hæc locum habet in omnibus actionibus Eccleſię Pollutiuis; licet aliqui hoc de ſeminis effuſione tantum inquirant, num. 3.

Actiones, per quas Eccleſia polluitur, debent eſſe publicę, num.4.

Incongruum eſt, vt occultus Eccleſiaſticę pollutionis caſus publico reconciliationis remedio indigeat, ibid.

Pollutio, & Reconciliatio propter hominum apprehenſionem, & ſcandalum introductę ſunt, ibidem.

Licet ad actualem Eccleſię pollutionem publica pollutiuę actionis notitia requiratur; cur tamen non hęc notitia; ſed actionis ipſius turpitudo, ac fęditas, Eccleſiam polluat, nu. 5.

1 ADuerto 1. nos hic loqui de actuali Eccleſiæ pollutione, per quam ſcilicet actu impeditur in Eccleſia Diuinorum celebratio; non autem de habituali eiuſdem pollutione, de qua fusè egimus *Diſp. 1. c. 16.* ad habitualem enim certum eſt ex ibidem dictis ſufficere etiam occultas actiones, nec amplius quicquam hic ea de re dicendum video.


2 Aduerto 2.rationem dubitandi non leuem eſſe ex eo, quod reuerentia locis ſacris debita, licet coram Deo vere lædatur per occultam irreuerentiam, vt ex ibidem allatis aperte conſtat; nihilominus in mentibus hominum non lęditur per actus irreuerentię occultas: Eccleſiæ autem Pollutio, & Reconciliatio propter hominum apprehenſionem introducta cenſetur, vt ex *Diſp.1.c.7.* abunde quoque patet.

3 Aduerto 3. quamuis Doctores ſpecialiter hoc quærant de feminis effuſione, quia frequentius occurrere ſolet, vt ſit occulta; tamen hoc limitandum non eſſe ad illum ſolum caſum; ſed extendendũ ad omnes actiones, per quas pollui queat Eccleſia, & quæ occultæ

occultæ esse possint, eadem enim est omnino in omnibus ratio, vt videre est apud *Nauar. in Enchir.c.27.num.256. Henriq.l.9. de Missa, c.27. num.5.* & expresse docent *Syluester V. consecratio, 2.q.3.cas.3. fin. Sot.in 4. dist.13. q.2. art.3. argum. 2. dicto 4.§.Et est hic notandum. Sayr.inThesaur.l.5.c.16.num.10.Sà,V.Ecclesia, num.19.Suar.in 3.p.tom.3.disp.81.sect.4.cas.3. dub.2.Fagund.de pr.Eccles.precep.l.3.c.14. nu. 32.Tolet.l.5.c.8. num.11. Cassina, V. Ecclesia, num.18. Persicus de precipuo Sacerd. offic. l. 1. c.7. dub.6. num. 55. Franc. de Lugo de Sacram. p.1.l.5.c.6.q.12.num.79.& alij.*

4 Dico Actiones Ecclesiæ pollutiuas, vt actu Ecclesiam polluant, & consequenter in ea Diuinorum Officiorum, & Sepulturæ vsum impediant, debere omnino esse publicas. ita communis Doctorum sententia teste *Suar.l.c.* quam proinde tenent Doctores omnes mox allati, nec non *D. Antonin. Palud. Adrian. Tabien. Greg. Lopez, Graff.* & alij, quos sequitur *Sanch.de Matrim.l.9.disp.15.num.19. Bonac.de Matrim.q.4.pun.vlt.num.25. Auil. p.5. disp.7. dub.3.Coninch.q.83.num.230. Laym. l.5.tr.5. c.5.n.8.Cardin.de Lugo de Euchar. disp.10.n.55.* & passim quotquot hac de re loquuntur, quos longo agmine recensitos videre potes apud *Persic.l.c. nu.56.* Probatur hoc autem primo ex *Cap. Significasti, de Adulterijs*, vbi Alexander 3. declarat *Ecclesiam adulterio pollutam et reconciliatione indigere, quia adultera publice delictum confessa fuerat*, vnde hinc Doctores colligunt hæc duo: Primum est, ante publicam pollutiuæ actionis in Ecclesia factæ notitiam Ecclesiam non ita pollui, vt reconciliatione indigeat: Secundum est, post prædictam notitiam e contrario ita pollui, vt reconciliatione indigeat, & in his duobus omnes conueniunt, pro vt etiam *Glossa* apertissime in *Cap. Vnic. V. polluti, de Consecrat. Eccles. in 6.* Probatur etiam hoc idem secundo ratione congruentiæ, quia, vt occulto crimini non congruit publica pœnitentia, ne peccans iniuriose diffametur, ita incongruum videtur, vt occulta pollutionis causa reconciliatione (quæ de se publica quidem est, cum fiat solemni ritu) indigeat, vnde similis diffamatio oriri potest: denique autem idipsum probari potest ex fine, propter quem Ecclesiæ Pollutio, & Reconciliatio instituta est, vt paulo ante nu. 2. dicebamus, quamdiu enim actio Ecclesiæ pollutiua manet occulta, etiamsi grauiter contra loci sacri reuerentiam fuerit coram Deo; tamen coram hominibus nondum eam læsit, vnde, cum absit tale scandalum, abest etiam Diuinorum prohibitio, & Reconciliationis necessitas, cum propter illud tunc tantum voluerit Ecclesia Diuinorum celebrationem prohiberi, & Reconciliationis remedium adhiberi, quando ob actionum prædictarum in loco sacro factarũ publicitatem puritas, ac reuerentia locis sacris debita in mentibus hominum læsa fuit, vt sæpius iam diximus.

5 Colligo, licet actiones, per quas actu polluitur Ecclesia, debeant esse ex dictis publicæ, secus enim actu per eas non polluetur; tamen falsum esse, quod Ecclesiam potius vere polluat prædicta actionum publicitas, quam prædictarum actionum indecentia, ac turpitudo: vere enim Ecclesia ob hanc, & non ob illam polluitur, licet Diuinorum prohibitio, & Reconciliationis necessitas ad prædictas actiones non sequatur, nisi eæ secundum adiunctam habeant publicitatis conditionẽ, qua purificata, & adimpleta, eæ statim prædictum actualis pollutionis effectum omnino consequuntur.



DISPVTATIO QVARTA

De Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum Publicitate.

Vt publica perpetratarum in Ecclesia, Ecclesiæque Pollutiuarum Actionum notitia verè ad actualem Ecclesiæ Pollutionem ritè inducendam omnino prærequiritur, ità perfecta prædictæ Publicitatis cognitio iure ad omnes Ecclesiasticæ Pollutionis casus rectè decidendos præmitti debet: non magis enim ad id ea notitia, quàm ad hoc ipsum hæc ipsa notitiæ notitia necessaria est, vt plenè ex dicendis planum fiet.

CAPVT PRIMVM.

Quænam prædictarum Actionum Publicitas ad Ecclesiæ Pollutionem necessaria sit.

S V M M A R I V M.

Publicum *dicitur quasi Populicum à populo, num. 1.*

Publicum aliquid denominatur sex potissimum è capitibus, num. 2.

Publicum hic accipitur, prout dicit, & includit notitiam quandam in Populo de aliquo facto, num. 3.

Notum Populo aliquid esse potest tripliciter, 1. per Euidentiam, seu Notorietatem facti, vel iuris, 2. per Manifestationem, & 3. per Famam. ibid.

Publicum *est genus*; Notorium, Manifestum, & Famosum *sunt illius species. ibid.*

Publicitas quæcumque seu Notoria, seu Manifesta, seu Famosa sufficit ad actualem Ecclesiæ pollutionem inducendam, num. 4.

Publicum si aliquando aliquid dicitur, quod ad prædictas tres Publici species non reducatur, non nisi lato modo, & impropriè Publicum erit, num. 5.

1 ADuerto 1. *Publicum* dici quasi *Populicum*, à Populo enim Publicum emanat, & deriuatur, teste *Accurs. in continuat. tit. de public. iudic. Nebrissen. verb. Publica iudicia. & Cyrillo in Prax. Crimin. p. 1. de publ. iudic. §. 1. num. 2.* quia vero multipliciter aliquid à populo emanare, & deriuari potest, idcircò cum *Marc. Paul. Leone in Praxi Pœnitentiariæ in principio partis secundæ.*

2 Aduerto 2. sex potissimum è capitibus aliquid dici, denominarique posse publicum. Primo à causa efficiente, eo quod aliquid à persona publica factum sit, quomodo Instrumentum dicitur Publicum, quando confectũ est à tabellione, qui est persona publica. *Gloss. 3. in L. Comparationes, C. de fide Instrum. & in Cap. Scripta, V. per manum publicam, de fide Instrum.* Secundo à causa finali, idest à fine publico, ad quem aliquid dirigitur, quomodo Leges dicuntur Publicæ, quia ad bonũ publicum tendunt *L. 1. ff. de iudic. public. L. 2. §. Ne quid in loco pub.* Tertio ab administratione rei publicæ, seu ad rem publicam pertinente, quomodo Ratiocinia dicuntur Publica, ad quæ aliquis obligatur ex prædictarum rerum administratione *L. Officiales, 4. C. de Episc. & Cler. Goffred. in sum. tit. de obligatis ad ratiocin. num. 2.* Quarto à loco publico, quomodo Edicta dicuntur Publica, quæ apponuntur in loco publico. *Cap. 1. & Glossa ibi, de postulat. Præfect.* & fusè *Borell. de Magistratuum edictis l. 2. c. 11.* Quinto ab vsu publico, quomodo Palatium Communitatis dicitur Publicum, quia ibi negotia ad populum spectantia geruntur *L. 1. ff. de loc. et itiner. publ.*

publ. & Sexto ab attinentia, seu dependentia à populo, quomodo bona alicuius Communitatis dicuntur publica, quia eorum dominium est penes populum L. *Bona Ciuitatis*, 15. & L. *Inter publica*, 17. ff. *de verbor. significat.*

3 Aduerto 3. Publicum hic accipi debere, non quod quomodocumque à Populo emanet, vel ad Populum attineat; sed solummodo quod dicit, & includit notitiam, & cognitionem quandam in Populo de aliquo facto, ita vt hic Publicum contradistinguatur ab Occulto, quod excludit omnem noticiam, vel tam modicam admittit, vt nulla eius ratio habeatur. Vnde hic Publicum dicitur, quod Populo notum est, idest, multitudini hominum; cum autem tripliciter aliquid Populo patere possit, scilicet 1. per Euidentiam, seu Notorietatem Facti, vel Iuris, 2. per Manifestationem, & 3. per Famam, de quibus fusè inferius dicemus, propterea Publicum hic tanquam nomen genericum sumimus, & eidem tanquam generi tres subijcimus Publici species, videlicet Notorium, Manifestum, & Famosum, pro vt colligitur ex *Glossa in Cap. Manifesta*, 2. q. 1. *Abbate in Cap. Vestra*, *num*. 11. & *Cap. Tua*, *num*. 3, *de cohabit. cler. & mul. Nauar. cap*. 27. *num*. 255. *Less. de Iust. & Iur. l*. 2. *c*. 11. *dub*. 13. *num*. 73. *Leon. l. c. & Gerunda de Episc. l*. 2. *disp*. 5. *c*. 3. *num*. 4. His igitur præmissis

4 Dico quamcumque publicitatem actionũ Ecclesiæ pollutiuarum, siue Notoriam facti, vel iuris, siue Manifestam, siue Famosam sufficere ad actualem, de qua hic tantum loquimur, Ecclesiæ Pollutionem inducendam, quia, cum sub genere includantur species, & genus saluetur in vnaquaque specie, sub nomine *Publicum* venit vnaquæq. illius species *Notorium*, *Manifestum*, & *Famosum*, & hoc idem, licet sub alijs verbis, tradunt *Sylu. V. Consecratio*, 2. q. 5. *cas*. 3. *fin. Sotus in* 4. *dist*. 13. *q*. 2. *art*. 3. *arg*. 2. *dicto* 4. §. *Et est hic*, & *dist*. 32. *q*. 1. *art*. 3. *concl*. 3. *Nauar. c*. 16. *nu*. 32. §. *Quarto. Tolet. l*. 5. *c*. 8. *nu*. 8. *causa* 2. *Sà*, *V. Ecclesia n*. 19. *Suar. tom*. 3. *in* 3. *p. disp*. 81. *sect*. 4. *cas*. 3. *dub*. 2. *Sanch. de Matrim. l*. 9. *disp*. 15. *nu*. 15. *Regin. l*. 29. *c*. 9. *sect*. 5. *nu*. 183. *Fagund*. 1. *Eccles. præcep. l*. 3. *c*. 14. *num*. 33. *Rodriq. p*. 1. *sum. c*. 154. *concl*. 11. *nu*. 12. *Azor. p*. 2. *l*. 9. *c*. 5. *q*. 2. *Graff. Sayr. Victoria*, & alij cum *Persic. de Offic. Sacerd. l*. 1. *c*. 7. *dub*. 6. *num*. 57.

5 Colligo, si quomodolibet aliquando aliqua appellentur publica, quæ ad hasce tres Publici species mox à nobis allatas reduci non posse videantur; absque dubio ea non esse verè, & propriè eo modo publica, quo in rem hanc nostram publica esse opus est; sed lato modo, & impropriè tantum Publica, quod nihil contra nos facit, vt ex insequentibus clarius elucescet.

CAPVT SECVNDVM.

An ad Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum notoriam publicitatem sufficiat sola Populi præsentia sine eiusdem animaduertentia.

S V M M A R I V M.

Notorium aliquando æquiuocè refertur ad Manifestum, Euidens, Publicum, Notum, Indubitatum, & Liquidum, num. 1.

Notorium strictè, & propriè est Species Publici, & differt à Manifesto, & Famoso. ibid.

Notorium dicit notitiam, & cognitionem certam, & scientificam, quæ excludat omnem negationem, & dubitationem, & ponat euidentiam in populo. ibid.

Notitia, & cognitio prædicta scientifica ad notorium necessaria quomodo accipienda sit, num. 3.

De notorietate tantum facti sermo est in hoc capite, non de notorietate iuris, num. 3.

Ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum notoriam publicitatem non sufficit sola populi præsentia corporalis, sed necessaria est etiam eiusdem populi animaduertentia, num. 4.

Præsens propriè, & formaliter non est, qui ad aliud attendit. ibid.

Factum multis præsentibus dicitur aliquando Publicum, vel quia tacetantummodo id accipitur, vel quia nomine Præsentia intelligitur etiam animaduertentia, num. 5.

1 Aduerto 1. licet *Notorium* aliquando in iure æquiuocè referatur ad *Manifestũ*, *Euidens*, *Publicum*, *Notum*, *Indubitatum*, & *Liquidum*, vt obseruarunt *Anton. de Butrio in tract. de Notorio art*. 1. *num*. 13. *Nicol. Mil. in Repertor. vers. Notorium sumitur. Corad. in pract. crim. tit. de notorio crimine*, *num*. 7. *Capra de notorio*, *in præfat. nu*. 26. *Mascard. de Probat. tom*. 2. *concl*. 1101. *num*. 1. *Farinac. qu*. 21. *nu*. 5. vnde passim Notorij in lata illa significatione accepti noticiam, vt perutilem, ità perdifficilem omnes latentur, nec nõ multi ob ignoratam huiusce rei cognitionem in re notoria turpiter cæcutiunt; nihilominus *Notorium* hic accipi, pro vt vna ex tribus illis speciebus

S 2 est,

CAPVT QVINTVM.

An aliqua alia actio à iure non expressa Ecclesiam aliquando polluat.

SVMMARIVM.

Actiones, seu Causa aliqua, quæ à iure expressæ non sunt, ab aliquibus Ecclesiarum pollutiuæ dicuntur. n. 1.

Prędictæ Actiones, seu Causę referuntur. ibid.

Ita consuetudine aliquarum Ecclesiarum obseruari aliqui testantur, num. 2.

Prędicta consuetudo non valet, vbi ea non viget. ibid.

In aliquibus ex prędictis casibus aliqui Solemnem, alij Simplicem tantum reconciliationem requirunt, n. 3.

Nulla alia actio, vel causa Ecclesiam polluit, quam superius Disp. 3. cap. 2. *enumeratę, num. 4.*

Casus Ecclesiasticę pollutionis non sunt extendendi ad alios, etiam grauiores, à iure non expressos. ibid.

Aliquando tamen in aliquibus ex prędictis casibus à iure non expressis Ecclesia ex honestate, nõ ex necessitate, per aquę benedictæ aspersionem purganda videtur, n. 5.

1 ADuerto 1. præter duos superius *cap. 3. & 4.* allatos casus ab alijs alios recenseri, in quibus Ecclesiam pollui putant; licet eiusmodi casus in Iure expressi non sint, vt videre est apud *Hostiens. in Sum. de cõsecrat. Eccles. num. 9. Durand. l. c. Ration. cap. 6. nu. 41. Piasec. in prax. p. 1. c. 5. num. 5. Vers. Sacrilegio, Th. Del Bene de Immunit. Eccles. c. 2. dub. 11. sect. 13. per totam,* & alios, v. g. Si Hæreticorum exercitia ibi fiant, & aliquandiu vigeant: Si absq. sanguinis effusione os alicui frangatur: Si reus contra Ecclesiæ immunitatem extrahatur: Si furtum, vel alia crimina enormia patrentur, & deniq. si Ecclesia diu absq. tecto, & ianuis, omnibusq. hominum, & animalium vsibus patens sit.

2 Aduerto 2. *Abbatem in Cap. Proposuisti, num. 4. de consecrat. Eccles.* notare quidem, & *Durand. l. c. num. 41.* docere etiam ita consuetudine aliquarum Ecclesiarum obseruari; sed hoc valere in ijs tantum locis, in quibus viget talis consuetudo, pro vt bene dixit *Iordan. Var. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 5.*

3 Aduerto 3. in aliquibus ex prædictis Pollutionis Ecclesiasticæ casibus in iure non expressis Ecclesiam consecratam secundum aliquos ab Episcopo solemniter reconciliandam esse; secundum alios vero satis esse, si Episcopus eam simplici benedictione per aquæ benedictæ aspersionem reconciliet, vel Presbytero reconciliandam committat, vt videre est apud *Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 14.*

4 Dico Ecclesiam per nullam aliam Actionem, vel Causam, quam per mox enumeratas *cap. 2.* & in nullo alio casu proprie, & vere pollui: nam, cum illi tantum casus sint à iure expressi, non sunt extendendi ad alios, etiam grauiores. ita communiter DD. & omnium expressissime *Iordan. l. c.*

5 Colligo, licet in prædictis casibus Ecclesia non indigeat vlla reconciliatione; honestum nihilominus esse, si in aliquibus ex illis casibus, maxime in primo, & vltimo, Ecclesia à Sacerdote aspergatur aqua benedicta, priusquam in ea celebrentur Diuina, vt ex *Durando, Laym. & Th. Del Bene ll. cc.* abunde patet.

CAPVT VI.

Cur Sacri Canones per has Actiones potius, quàm per alias Ecclesiam pollui voluerint.

SVMMARIVM.

Quæsitum hoc cur aliquibus videri possit absurdum, vel superuacaneum, n. 1.

Hoc per Sacros Canones non temere statutum fuisse fatendum est. ibid.

In Actionibus Ecclesiæ pollutiuis generatim attendere possumus tùm ad Moralem malitiam, tùm ad Materialem earum fœditatem, num. 2.

In ijsdem Actionibus particulatim inspici quoque possunt frequentia, scandalum, periculũ, damna, modus, & similes aliæ ipsarum circunstantiæ, seu qualitates, n. 3.

Sacri Canones quomodo in his, & non alijs Actionibus Ecclesię pollutiuis statuendis attenderint maxime ad earundem Actionum Moralem, Materialemq. fœditatem, scandalum, ac frequentiam, nu. 4.

Idipsum obseruatur etiam à statuentibus Casus Reseruatos. ibid.

Actiones

Actiones Blasphemandi, Hæreses prædicandi, Eucharistiam conculcandi cur inter Ecclesiæ pollutiuas à Sacris Canonibus numeratæ non fuerint, num. 7. & 8.

Peccata aliqua, quæ alioquin videntur leuiora, censeri possunt grauiora ratione frequentiæ, & aliarum similium considerationum, num. 9.

Actioni exonerandi ventrem in Ecclesia sine necessitate, licet sit graue, & fœdissimum, sacrilegium, cur Sacri Canones Ecclesiasticæ pollutionis quasi pœnam non adiunxerint; num. 10. & 11.

Percussiones, nisi Homicidium, vel vulnus, vel sanguinis effusionem pariant, cur Ecclesiarum pollutiuæ ab Ecclesiastico iure constitutæ non fuerint, num. 12.

1 ADuerto 1. licet inquirere, cur Sacri Canones per has, & non illas Actiones Ecclesiam pollui decreuerint, absurdum, vel superuacaneum aliquibus fortasse videri possit, cum in his, quæ à libera pendent voluntate, ac arbitrio, sæpe, ac sæpius *sit pro ratione voluntas*; nihilominus, cum id non temere actum fuisse fatendum sit, propterea causas, vel cōgruentias quasdam inuestigandas esse, quas ad quæsiti huius solutionem afferre possimus.

2 Aduerto 2. Sacros Canones, vt generatim loquamur, in Actionibus Ecclesiæ pollutiuis secernendis ab alijs attendere potuisse, vel ad ipsam Actionum moralem malitiam, vel ad earundem Actionum materialem fœditatem quandam, & impuritatem, nam secundum vtrumque respectum Actio aliqua loci sanctitati, ac decentiæ repugnare potest, vt colligitur ex *Suar. tom. 1. de Religion. tr. 2. l. 3. c. 7. num. 3. & 6. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 4. Bordon. in Consil. Regular. tom. 2. res. 74. n. 5. & Persic. de Offic. Sacerdot. l. 1. c. 7. n. 45.*

3 Aduerto 3. Sacros eosdem Canones propterea, si ad magis particularia descendere malimus, respicere quoq. potuisse ad earundem Actionum, seu Casuum frequentiam, scandalum, periculum, damnum, conditionem, modum, & similes eius modi alias circumstantias, quæ tamen omnia talia sunt, vt ad prædicta duo generalia moralis malitiæ, & materialis fœditatis capita facile reduci queant.

4 Dico Sacros Canones ideo statuisse, vt per has Actiones potius, quam per alias, Ecclesia pollui censeretur, quia, attenta maximè harum Actionum morali, materialique fœditate, scandalo, ac frequentia, nisi hæ inter alias omnes prædicto modo per eadem iura in prædictis locis sacris prohibitæ, & quodammodo eliminatæ fuissent, inde nimis indecenter, & contra eorundem locorum sanctitatem actum fuisset; talium enim actionum talis prohibitio ad debitam Ecclesiæ reuerentiam, & Christifidelium ædificationem idcircò maximè expedire visa fuit, pro vt etiam in Casuum Reseruatione simillima docent *Zeccus de Cas. Reseru. in Regul. general. num. 7. Floron. ibid. p. 1. c. 1. §. 2. Homobon. ibid. p. 1. c. 3. prope mediū. Chapeauil. ibid. p. 1. c. 2. q. 12. Mazuchell. ibid. disp. 1. q. 1. diffic. 9. n. 23. & seq.* & alij communiter.

5 Dices 1. nulla malitia moralis, seclusa Ecclesię prohibitione, est in actione sepeliendi in Ecclesia, vel Cœmeterio Infidelem, vel Excommunicatum, nulla item talis malicia est in actione iuste, & ex Iudicis sententia, occidendi reum ad mortem damnatum, & in similibus actionibus fusius inferius examinandis, ergo Sacri Canones, cum per has actiones Ecclesiam pollui voluerunt, ad antecedentem talium actionum moralem malitiam, quæ nulla est, attendere non potuerunt, ergo male à nobis dictum fuit Sacros Canones in earum actionum prohibitione ad earundem moralem malitiam attendisse.

6 Respondeo, licet mox nominatæ actiones extra Ecclesiam, & Cœmeterium factæ moraliter malæ non sint; tamen eas ex se in prędictis locis indecēter omnino fieri, & moraliter, saltem leuiter, malas esse, pro vt iam clare vidimus *Disp. 1. cap. 12. num. 4. & 6.* ac proinde in argumento allato negari potest antecedens.

7 Dices 2. Si Sacri Canones ad moralem actionum malitiam attendissent, multo magis inter actiones Ecclesiæ pollutiuas numerassent Blasphemiam, Hæresum prædicationem, Eucharistiæ conculcationem, & similia scelerum monstra, quia hæc absque dubio longe maiorem malitiæ moralis grauitatem continent, quam actiones eæ, quas Sacri Canones inter pollutiuas recensent; sed Sacri Canones grauiora omiserunt, & leuiora prohibuerunt, ergo vere ad moralem Actionum malitiam nequaquam attenderunt.

8 Respondeo 1. Sacros Canones attendisse non ad solam moralis malitiæ grauitatem præcisè, & in se, ac per se tantum spectatam; sed simul etiam, & præcipuè ad substantialem, materialemque Actionum prædictarum fœditatem, & facilitatem, ac proinde frequentiam, &c. ita vt, omnibus perpensis, decentissima visa fuerit illarum prohibitio, & indecentissima earundem permissio, vel tolerantia, vt iam *num.* 4. dictum est. Præterea

9 Respondeo 2. asserendo cum *Floron. l.c.§. 1. per totum, & §. 2. num. 3.* aliqua peccata, quæ alioquin videntur minora, censeri posse grauiora ratione maioris fœditatis, vel frequentiæ, vel scandali, vel periculi, vel aliarum huiusmodi causarum, vt per se notum videtur, vnde, quia prædictæ conditiones non omnes insunt in Blasphemia, Hæresum prædicatione, Eucharistiæ conculcatione, & similibus in se quidem atrocioribus criminibus; sed non ita frequentibus generatim inter Christifideles, nec ita turpiter, vel ita permanenter locum sacrum fœdantibus, & c. idcircò Sacri Canones decreuere, vt non per scelera illa in se alias grauiora (quæ tamen à Deo grauius per alias pœnas punientur) sed per ista etiamsi alias fortasse minora; cum loci tamen sanctitate prædictarum conditionum ratione magis repugnantia, & eidem magis iniuriosa, nec non aliquando magis fœda, magisque permanentia, Ecclesia polluatur.

10 Dices 3. Si prædicta iura Ecclesiastica respexissent ad Actionū quasi substantialem, & materialem fœditatem, ac turpitudinem, cum summe fœdum, ac turpe sit exonerare ventrem sine necessitate in Ecclesia, & similia perpetrare, absque dubio istas quoq. actiones inter Ecclesiæ pollutiuas constituissent, quod tamen factum non est, ergo signum est prædicta iura non respexisse ad materialem actionum huiusmodi fœditatem, ac turpitudinem, quod in conclusione dictum est.

11 Respondeo, licet vere actiones prædictæ exonerandi ventrem sine necessitate in Ecclesia, &, si quæ sunt, similia perpetrandi, sint grauia sacrilegia, *vt Disp. 1. cap. 18. nu. 13. ex Suarez, & Thoma del Bene* iam dictum est; nihilominus Sacros Canones prædictis actionibus Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam non adiecisse, quia raro publice cum voluntaria loci sacri iniuria accidere solent.

12 Colligo percussiones item, nisi vel Homicidium faciant, vel vulnus aperiant, vel sanguinis effusioné pariant, idcircò inter actiones Ecclesiæ pollutiuas à Sacris Canonibus recensitas non esse, quia, consideratis omnibus, non adeo turpes, ac indecentes visæ fuerunt, vt hanc eandem ijs quasi pœnam apponere necessarium, vel vtile habitum fuerit.



CAPVT VII.

Cur potius hæc, quàm alia, pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna his actionibus imposita sit.

SVMMARIVM.

Quæsiti huius opportunitas, num. 1.
Quid per Ecclesiastica pollutionis quasi pœnam intelligatur, num. 2.
Cur hoc Pollutionis Ecclesiastica impedimentum, seu grauamen non absolute pœna; sed quasi pœna appelletur, num. 3.
Pœna proprie semper præsupponit culpam, ibidem.
Pollutio Ecclesiæ non semper præsupponit culpam. ibid.
Cur potius hanc, quam aliam, Sacri Canones Ecclesiastica Pollutionis quasi pœnam statuerint, duplex ratio affertur, num. 4.
Per hanc pollutionis Ecclesiastica quasi pœnam, cur nō iniuste puniri quodammodo videantur etiam innocentes, num. 5.

1 Aduerto 1. cum iam viderimus, cur hæ potius, quam aliæ actiones ex Sacris Canonibus Ecclesiam polluant, opportune hic videndum supetesse, cur his actionibus hanc quasi pœnam Sacri Canones adiunxerint, licet alijs, atque alijs modis ijdem harum actionum indecentiam, & cum loco sacro repugnantiam patefacere, & ab eo procul arcere potuissent.

2 Aduerto 2. per hanc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam hic intelligi morale illud grauamen, seu impedimentum, quod ex Sacrorum Canonum iussu prædictas actiones, quas Ecclesiæ pollutiuas dicimus, consequitur, & Diuinorum Officiorum, ac Sepulturæ vsum in Ecclesia, vel Cœmeterio, vbi eæ factæ fuerint, ante reconciliationem tollit, vel suspendit, vt ex dictis *Disp. 1. c. 2.* colligi potest.

3 Aduerto 3. licet prædictum grauamen, seu impedimentū nos hic non absolute pœnam; sed quasi pœnam appellemus, quia non est primo, & per se in pœnam à Sacris Canonibus introductum; sed ad reuerentiam, & munditiam loco sacro debitam indicandam, & indicendam; pœna enim, quatenus proprie pœna est, relationem dicit ad culpam, quā præsupponit, vt patet ex *D. Th. 2. 2. q. 108. art. 4. in solut. arg. Sot. de Iust. l. 1. q. 6. art. 5. col. 2. vers. Profecto. Couar. var. resol. l. 2. c. 8. in principio*

cipio. L. Si putator, 31. ff. ad leg. Aquil. & cap. Sine culpa, 23. de regul. Iur. in 6. pollutionis autem Ecclesiasticæ, vt videbimus infra, grauamen, seu impedimentum non semper præsupponit culpam; tamen prædictum grauamen, seu impedimentum aliquo modo pœnam esse, pro vt fusè diximus *Disp. 1. c. 19. per totum*, & clarius constabit ex dicendis suo loco.

4 Dico hanc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam idcirco his actionibus impositam fuisse, quia Sacris Canonibus hæc non immerito primo ad harum pollutiuarum actionum in locis sacris indecentiam, ac fœditatem demonstrandam, secundo etiam ad reos quodammodo puniendos, & ad populos ab his actionibus quasi absterrendos omnium aptissima, ac vtilissima visa fuit. Quod harum actionum in locis sacris indecentiam, ac fœditatem, e contrario autem Sacrorum locorum puritatem, ac sanctimoniam, debitumq. eisdem cultum, hæc pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna omnium optime patefaciat, consideranti planum fiet ex ijs, quæ superius *Disp. 1. c. 7. n. 3.* innuimus; quod autem hæc eadem Pollutionis huius quasi pœna ad illud etiam conuenientissima sit, quod secundario Sacri Canones per illam intendunt, & nos etiam secundo loco recensuimus, inde patere potest, quod sic par pari refertur, & in quo quis peccat, per hoc torqueri videtur, vt dicitur *Sapient. 11.* cum enim iustissima illa sit *ex August. l. 3. de liber. arbitr.* peccati pœna, vt amittat vnusquisq. illud, quo bene vti noluit, iustissime Ecclesia nos Diuinorum Officiorum, & Sacræ Sepulturæ vsu ibi priuat, vbi debito sibi cultu eadem antea priuata fuit.

5 Colligo, quamuis hac Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna quodammodo puniantur cum reis etiam innocentes, cum in Ecclesia polluta nemo ante illius reconciliationem Diuinorum Officiorum, & Sacræ Sepulturæ vsu frui possit; nihilominus, vt membris etiã sanis aliquando non iniustè ad corporis sanitatem tuendam dolor infligitur, ità à Sacris Canonibus per hanc pollutionis Ecclesiasticę quasi pœnam iure, ac merito mœrorem populo etiam innocenti afferri posse, vt sic locorum sacrorum sanctitati sanctè consulant: sic enim contra nocentem, ac reum, qui Ecclesiam polluit, insontes, ac innocentes alij omnes eiusdem Ecclesiæ quasi fructibus, qui populos exhilarant, priuati magis excitantur, & ad ipsius Ecclesiæ reuerentiam, ac defensionem melius animantur; rei autem contra fortius confunduntur, cum propter vnius, vt plurimum, aut certe paucorum actionem quodammodo puniantur vniuersi, pro vt in casu non omnino dissimili de Interdicto generali ob vnius aliquando delictum imposito Doctores communiter tradunt *ex Cap. Miror. 17. q. 4. & Cap. Si sententia, de senteut. Excommunic. in 6.*

CAPVT VIII.

An, qui ignorat, vel non aduertit, has actiones esse Ecclesiæ Pollutiuas, per has nihilominus Ecclesiam polluat.

SVMMARIVM.

Ignorantia quomodo excuset à pœnis impositis per ius inuincibiliter ignoratum, num. 1.

Pœnæ nomen dupliciter sumitur, proprie, seu strictè, & improprie, seu late, num. 2.

Pœna proprie dicit relationem ad culpam; non autem pœna improprie, quæ ab aliquibus Pœnalitas dicitur. ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum non est proprie pœna; licet aliquando non nisi actionibus grauiter ex se culpabilibus adiunctum sit, num. 3.

Pollutio prædicta non est proprie in pœnam culpæ præcedentis; sed in signum indecentiæ, ac turpitudinis talium actionum in tali loco. ibidem.

Per actiones Ecclesiæ pollutiuas Ecclesia polluitur, licet eæ fiant ab eo, qui ignoret, vel non aduertat eas esse Ecclesiæ pollutiuas, num. 4.

Actio Ecclesiæ pollutiua, quando culpabilis esse debet, debet tunc simul esse voluntaria; non tamen necesse est, vt voluntarius etiam sit illinc effectus, scilicet Pollutio Ecclesiæ, num. 5.

1 ADuerto 1. quia iam sæpius pollutionis huius legem pœnalem, & pollutionem ipsam quasi pœnam appellauimus, hinc dubitari posse, num ignorantia, vel inaduertentiã illius legis, seu iuris, quod hanc Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam pro his actionibus statuit, impedire possit prædictam Ecclesiæ pollutionem, ignorantia enim excusare solet à pœnis impositis per ius inuincibiliter ignoratum, siue illud sit ius commune, siue particulare, siue prohibeat actionem alio iure non prohibitam, siue prohibitam, etiamsi ignorans noui iuris prohibitionem conscius sit antiquioris prohibitionis; adhuc etenim hic solum violat ius antiquum, quod noue-

nonerat, non autem ius positiuum nonum, quod inuincibiliter ignorat, vnde solius prioris pœnam incurret, cum quantitas pœnæ commensuranda sit cum quantitate delicti, *ex Cap. Felicis, de pœn. in 6.* & maleficia voluntate, seu proposito distinguantur, *ex Cap. Cum voluntate, de sentent. excommun.* nec hic habuerit animum violandi ius nouum, nec proinde peccarit contra illud, ex quo nec illius pœnam incurrit, nam ius imponens nouam pœnam rei antea prohibitæ nouum est quo ad illam pœnam; à violatione autem noui iuris excusantur illius ignari, & consequenter etiam ab illius pœna, vt in omnibus pœnis generaliter docent *Abbas, Hostiens. Iason*, & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. de Matrim.l.9.disp.32.num.9.& 17. Angel. V. Ignorantia, num.4. Sylu. V. Ignorantia, qu. 8. dict.3.fin. Castro de lege pœnali l.2.c.14.§.Sicut dictum est. Nauar. cap.23.num.47.& cap.27. num.16.& 274. Manuel tom.1. Sum. cap.199. num.3. Laym. l.1. tr.4. c.20. num. 1. Castropal. tom. 1. tr.2. disp.1. punct.17.num.2. & Franc. de Lugo in Decurs. par. 2. cap. 4. quæst.2.nu.27. & seqq.*

2 Aduerto 2. cum pœnæ nomen dupliciter sumatur: primo propriè, & strictè, & tunc pœna est quid correlatiuum culpæ propriè dictæ, vt mox dictum est, & definitur in *L. 131. de Verbor. significat.* Peccati vitio, & noxæ vindicta: Secundo impropriè, & latè, & tunc pœna significat quodcumque malum in se absque respectu ad culpam proprie dictam, qualis est quæcumque priuatio boni, vel qualitas omnis contraria, aut disconueniens naturæ, quæ proinde ab aliquibus non pœnæ, sed pœnalitatis nomine appellatur, quomodo carere pecunia, vel fama malum quoddam homini est; licet ijs sine culpa careat, vel amiserit: idcirco, quando Pollutionis Ecclesiasticæ legem pœnalem, & pollutionem ipsam Ecclesiasticam quasi pœnam diximus, pœnæ nomen à nobis nō nisi latè, & impropriè sumptum fuisse, quatenus scilicet ea contradistinguitur à fauore, vt ex *Disp. 1. cap. 19.* abunde patet.

3 Aduerto 3. licet aliquæ ex actionibus Ecclesiæ pollutiuis, nisi grauiter culpabiles sint, Ecclesiam non polluant, vt inferius de Homicidio, & Sanguinis, ac Seminis effusione suo loco dicemus; tamen inde non fieri, vt pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, quod eas actiones in loco sacro factas consequitur, sit proprie pœna illius culpæ, quæ in prædictis illis actionibus præcessit: nō enim pollutionis huius grauamen prædictis actionibus à iure adiunctum fuit proprie in pœnam prædictæ culpæ in iisdem actionibus latentis; sed ob indecentiam tantum, ac turpitudinem earum actionum (quando etiam in se grauiter culpabiles sunt) in loco sacro, à qua subinde Sacer ipse locus morali quadam macula publice quodammodo infici, & coinquinari censetur.

4 Dico per actiones Ecclesiæ pollutiuas Ecclesiam pollui, licet eæ fiant ab ijs, qui ignorent, vel non aduertant eas actiones esse Ecclesiæ pollutiuas. Ratio autem potissimum ea est, quam iam innuimus, quia scilicet Ecclesiastica pollutio prædictas actiones in loco sacro factas subsequitur non proprie in culpæ pœnam; sed tantummodo in signum indecentiæ, & disconuenientiæ talium actionum in tali loco, pro vt iam explicuimus, ità in his ipsis pollutionis Ecclesiasticæ terminis *Tob. Coron. de Sacris Templ. p.1. cap.36. §. 1. in fin.* qui vnus omnium, quos viderim, hanc dubitationem obiter attigit.

5 Colligo, quamuis prædictarum actionum Ecclesiæ pollutiuarum aliquæ debeant esse, vt paulo ante dicebamus, grauiter culpabiles, ac proinde simul voluntariæ, & consequenter præcognitæ, vt culpabiles, & grauiter malæ ex se; alioquin per eas Ecclesia, vt suo loco demonstrabimus, nequaquam pollueretur; tamen necesse non esse, vt, qui eas actiones facit, Ecclesiæ pollutionem per eas velit, vel eas actiones esse Ecclesiæ pollutiuas cognoscat, vel aduertat; adhuc enim talis causa talem effectum producet, quia, non cessante causa, non cessat effectus; cognitio autem, vel aduertentia operantis ad prędictū Pollutionis effectum non est vere illius effectus causa: vnde prædicta ignorantia, vel inaduertētia ad prædictum effectum ad summum facit, vt iste non sit voluntarius, quod hic nihil refert, nam etiam ignorantia irregularitatis, quantumcumque inuincibilis, non impedit, quin irregularitas contrahatur; licet ignorantia culpæ aliquando irregularitatem impediat, quando scilicet irregularitas indecentiam ex culpa prouenientem prærequirit, vt videre est apud *Suar. de Censur. disp.40. sect.5. nu.9. Sanch. de Matrim. lib.9. disp. 32. nu.15. Bonac. de Censur. disp.1. q.2. punct.1. nu.13.* excusaret tamen prædicta iuris Ecclesiasticam pollutionem statuentis ignorantia à speciali culpa ex illius legis, seu iuris transgressione; nemo enim in illud ius, seu in eā legem peccat, quam ignorat; vnde nec proprie puniri quis ab Ecclesia posset ob prædictam Ecclesiastici iuris transgressionem, quia ea transgressio mere materialis, & inculpabilis quo ad hoc fuisset.

CAPVT

CAPVT IX.

An, qui ignorat, vel non aduertit locum, licet vere Sacer sit, Sacrum esse, per actiones ex se pollutiuas eum vere polluat.

SVMMARIVM.

Difficultatis huius, & praecedentis distinctio, & connexio, num. 1.

Ignorantia in Paulo inuincibilis, vel inaduertentia ad Clericatum Petri, si hae praedictae ignorantiae aequiparetur, facere potest, ne Paulus Petri percussor excommunicationem incurrat, num. 2.

Praedictus casus de Excommunicationis incursu cur nullam vim habeat in nostro de pollutione Ecclesiae, num. 3.

Per actiones Ecclesiae pollutiuas Ecclesia polluitur, quamuis eae fiant ab ijs, qui nesciant, vel non aduertant eum locum, in quo eae fiunt, sacrum esse, num. 4.

Praedicta ignorantia, vel inaduertentia quomodo excusare possit à noua formalis sacrilegij culpa. ibid.

Pollutio Ecclesiae cur propriè, & vere non sit effectus sacrilegij formalis ob irreuerentiam loci sacri; sed potius effectus turpitudinis, ac indecentiae in praedictis actionibus existentis, num. 5.

Quod de praedicta ignorantia, vel inaduertentia dictum est, multo magis de dubio ipso dicendum est. ibid.

1 ADuerto 1. cum praecedenti capite vidimus ignorantiam, seu inaduertentiam ad legem, seu Ius, quod pollutionem Ecclesiasticam pro tali actione imponit, non obstare, quin per tales actiones alioquin Ecclesiae pollutiuas Ecclesia polluatur, nunc videndum esse, num saltem ignorantia, vel inaduertentia ad sanctitatem loci, vbi actiones praedictae fiunt, praedictam inde loci pollutionem impedire possit.

2 Aduerto 2. aliquam dubitandi rationem ex eo desumi posse, quod, sicut in Paulo inuincibilis ignorantia, vel inaduertentia, ad clericatum Petri, si haec praedictae ignorantiae aequiparetur, facere potest, ne Paulus Petri percussor Excommunicationem incurrat, ita ignorantia, vel inaduertentia ad locum sacrum fortasse facere potest, ne per actiones Ecclesiae alioquin pollutiuas, si cum praedicta ignorantia, vel inaduertentia eae fiant, Ecclesia polluatur.

3 Aduerto 3. praedictam dubitādi rationem omnino nullam esse, si quis Excommunicationem, & Censuras omnes proprie poenas esse, & semper in culpae vindictam inferri animaduertat, quod in Ecclesiastica pollutione non militat. vnde quoduis argumentum à censurarum, vel aliarum quarumcumque poenarum proprie dictarum similitudine ductum semper euidentem cum huiusmodi pollutione, quae propriè poena non est, disparitatem admittet, & nihil euincet. Quare

4 Dico per actiones Ecclesiae pollutiuas Ecclesiam pollui, quamuis eae fiant ab ijs, qui ignorent, vel non aduertant eum locum, vbi eae fiunt, sacrum esse. cum enim loci Sacri pollutio sit proprie in signum moralis maculae, quam Ecclesia praeseferre vult, quoties in ea praedictae actiones fiunt, ad praedictam maculam contrahendam satis est, si eae in loco sacro fiant. vnde praedicta ignorantia impedire quidem potest nouam formalis, & specialis sacrilegij culpam, quae alioquin ob irreuerentiam praedictam in locum sacrum cognitum contraheretur; sed impedire nequit ipsius loci sacri pollutionem, quae nunquam in culpae vindictam, vt saepius asseruimus; semper autem in praedictae moralis maculae per tales actiones quo ad hominum opinionem contractae signum easdem actiones consequitur.

5 Colligo, cum inuincibilis (de qua hic tantum sermo fuit) ignorantia, vel inaduertentia ad locum sacrum excuset ex dictis à specialis, & formalis sacrilegij culpa eum, qui cum tali ignorantia, vel inaduertentia in eo loco actiones Ecclesiae pollutiuas facit, Ecclesiasticam pollutionem ex praedictis actionibus praedicto modo factis consurgentem non esse proprie, & vere effectum formalis, & specialis sacrilegij ratione loci, quia formale hoc sacrilegium ob praedictam ignorātiam, vel inaduertentiam in nostro casu non adest; sed esse effectum proprie, & vere illius indecentiae, ac turpitudinis, quae in praedictis actionibus inest, & quae ex Canonici iuris dispositione talem effectum secum affert: ab ea enim talium actionum turpitudine moralem maculam quandam locus sacer, in quo eae actiones fiunt, contrahere censetur, propter quam subinde ipsemet locus iuxta praedictā Sacrorum Canonum dispositionem adhuc quidem sacer; sed maculatus, ac pollutus haberi debet. Quod autem diximus de ignorantia, vel inaduertentia ad Canonicam praedictarum actionum pollutiuitatem, &

praedictam

prædictam loci sanctitatem, multo magis dicendum esset de dubio ipso, num tales actiones forent loci sacri pollutiuæ, vel talis locus foret sacer: si enim in prædictis nostris casibus Ecclesiæ pollutionem non impedit ignorantia, vel inaduertentia, multo minus eam impediet dubium ipsum tantum, vt ex se notum est.

CAPVT X.

An Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna alijs etiam actionibus, quam à iure statutis, ab homine imponi possit.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticę impedimentum de facto iam non incurritur, nisi in casibus à Iure Canonico expressis, num.1.

Prædictum impedimentum est inter ea, quæ latæ sententiæ esse dicuntur, & ipso facto suum sortiuntur effectum. ibid.

Summus Pontifex potest hanc Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam pro alijs etiam actionibus imponere, num.2.

Idipsum DD. de casibus irregularitatis dicunt. ibidem.

Cur etiam Episcopi, alijque Papa inferiores hanc potestatem habere videantur, num. 3.

Per delegationem, seu specialem commissionem à Papa inferiores etiam hanc potestatem habere possunt. ibid.

Solus Papa plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ; inferiores autem eidem subordinatam potestatem habent. ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna à nemine, præterquam à Papa, ordinario iure, nullo modo, & nullo in casu alijs actionibus, quam à iure statutis, imponi potest, num.4.

Pollutionis Ecclesiasticæ, & non censurarum impositionem, cur vniuersalis Pastor sibi reseruauerit; num. 5.

1 ADuerto 1. quamuis Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, pro vt alibi multoties innuimus, sed præcipuè *Disp.1.c.2. num.4. & 8. nec non Disp.3.c.5. num.4.* iam de facto non incurratur, nisi in casibus à iure Canonico expressis, & proinde illud de facto connumeretur ab Auctoribus inter ea, quæ latæ sententiæ esse dicuntur, ac ex ipso iure, seu ipso facto suum sortiuntur effectum, vt expresse constat ex *Cur. Ant. Thesauro de pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ par.2.V.Sacrilegium, c. 5. vers. Au autem*, nihilominus hic dubitari posse, num saltem de possibili prædictum pollutionis huius impedimentum ab homine alijs etiam actionibus de nouo apponi queat.

2 Aduerto 2. certum omnino esse, quod à Summo Pontifice statui possit Ecclesiæ pollutio in alijs etiam casibus, qui hactenus à iure prædicto expressi non sint, si nimirum per sententiam suam alijs etiam actionibus à iure non expressis hanc ipsam Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam imponat; vel nouos casus nouo iure instituat, in quibus talis quasi pœna vel ipso facto; pro vt in alijs iam fit, incurratur, vel certe ex Iudicis sententia inferatur. eadem enim est in vnoquoque Summo Pontifice potestas, quæ in alijs omnibus fuit, cum eorum vnusquisque censeatur eadem persona cum eo, cui succedit, & proinde in ijs, quæ de Fide non sunt; sed de iure positiuo, iustis de causis à sui ipsius sententia discedere, nec non pro temporum opportunitate, ac diuersitate nouas, & præcedentibus etiam contrarias constitutiones edere possit, pro vt hoc idem quo ad nouos Irregularitatis incurrendæ casus in iure antea non expressos docet *Suar. de Censuris disp.40. sect.4. num. 14.*

3 Aduerto 3. difficultatem superesse tantum quo ad Episcopos, & alios omnes Papa inferiores: ex vna parte enim, vt hi legem aliquando ferre possunt sub pœna Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti tàm personalis, quàm localis, quæ grauior est, ità legem etiam aliquando ferre posse videntur sub Pollutionis huius quasi pœna, quæ leuior est, pro vt libere ab ipso Pontifice fieri potest, & iam factum fuisse diximus *Disp. 1. cap. 11.* ex alia vero parte, quia hic omnes habent potestatem legislatiuam Summo Pontifici subordinatam, & assumpti sunt solum in partem sollicitudinis, non autem in plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, cum hæc soli tantum totius Ecclesiæ Capiti, ac Pastori, eiusque subinde successoribus à Christo communicata fuerit, idcirco non immerito dubitari potest, an hoc Soli Summo Pontifici, vel etiam alijs, maximè Episcopis in ordine ad proprias Ecclesias, ordinario iure concessum sit. Dixi, ordinario iure, quia per delegationem id cuinis concedi posse, nemo negare potest, cum prædicta potestas ex natura sua sit delegabilis.

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam alijs actionibus, quam à iure statutis, à nemine ordinario iure, præterquam à Papa, nullo

nullo modo, & nullo in loco imponi posse. Ratio autem est, quia ex Sacrorum Canonum iure, & Ecclesiæ totius communi vsu euidenter hoc ad Solum, & Summum vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, & Caput spectat; & de supremæ Pontificis maximi potestati inuiolabiliter reseruatis habetur.

5 Colligo argumentum iam nu. 3. allatum, & sumptum à similitudine potestatis imponendi censuras pro alijs etiam actionibus à iure non expressis, quam habent ordinario iure Episcopi, facile solui, si hanc disparitatis congruentiam afferamus, quod Ecclesiastica pollutio non fertur principaliter per modum pœnæ, vt iam diximus; sed per modum cuiusdam impedimenti, & in signum moralis maculæ à loco sacro ob talium actionum polluiuarum in eo factarum turpitudinem quodammodo contractæ, quæ res, cum ad decentiam, ac reuerentiam Sacris locis debitam spectet, ad vniuersam Ecclesiam pertinere videtur, ideoque illius iudicium, seu statutum iure, ac merito vniuersalis Pastor sibi reseruasse creditur, non autem censurarum ferendarum potestatem, quam Episcopis, & alijs ordinarijs Pastoribus traditam esse tradit *Concil. Trident. sess. 6. de Reform. c. 3. & sess. 14. c. 4. de Reformat.* & per se notum est ex vsu totius Ecclesiæ, & ex iure Canonico *Cap. Qualiter, 2. de Accusat. Cap. Transmissam, de Elect. & Cap. 1.* ac fere ex toto titulo de offic. ordinarij, præsertim *Cap. Ad reprimendam, & c.*

CAPVT XI.

An Actiones, per quas Ecclesia Polluitur, debeant esse in sua specie perfectæ, & consummatæ.

SVMMARIVM.

Actus incompletus, seu imperfectus duobus modis dicitur, num. 1.

Actus in sua specie perfectus, & consummatus, seu in ea imperfectus, & non consummatus, quid sit, num. 2.

Pœna pro delicto imposita intelligitur de delicto completo, & consummato, non de attentato, & inchoato tantum, num. 3.

Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, licet non sit proprie in pœnam delicti; tamen requirit actionem Ecclesiæ pollutiuam in sua specie perfectam, & consummatam, num. 4.

Legis odiosæ verba strictè interpretanda, & cum effecta semper accipienda sunt. ibid.

Actionis alicuius absolute, & simpliciter prolatæ nomine non venit in odiosis actio incompleta, & imperfecta. ibid.

Actio non completa in sua specie non est certo; sed dubie talis. ibid.

Delictum attentatum, & inchoatum aliquando sufficit ad pœnam ferendæ; non vero latæ sententiæ, num. 5.

1 ADuerto 1. pluribus modis posse actum aliquem externum esse imperfectum, seu non consummatum, quos quilibet videre potest apud *Suarez de Censur. disp. 4. sect. 3. n. 3.* sed præcipuè in rem nostram duobus: Primo quo ad solum terminum, seu effectum actionis physicæ, vt sic dicam, ita vt actio sit quidem ex parte agentis ad effectum intentum sufficiens, & perfecta, sed eidem tamen actioni desit adhuc vltimus effectus eius, quomodo non dicitur perfecta, & consummata actio homicidij, si quis lethali quidem vulnere quempiam percusserit, sed percussus tamen nondum interierit: Secundo quo ad insufficientiam ipsius actionis ad eum effectum, quem agens intendebat, ita vt actio attentata quidem, & inchoata fuerit ab agente; sed in re ipsa tamen non modo non perfecerit vltimum effectum ab agente intentum; verũ etiam neque aliquid effecerit, quod ad talem effectum sufficeret, quomodo in iam allato exemplo imperfecta, & non consummata dicitur actio homicidij, si quis vel nullum, vel insufficiens ad necem inferendam vulnus infixerit.

2 Aduerto 2. sermonem hic esse de actionibus in sua specie perfectis; potest enim aliqua actio in specie v. g. vulnerationis esse completa, & consummata, eo quod sit perfecta vulneratio; sed in specie homicidij eadem actio non erit perfecta, & completa, seu consummata, nisi postquam vulneratus mortem ob id obierit, quia tunc tantum erit perfectum homicidium.

3 Aduerto 3. certum quidem esse, quod vbi de crimine agitur, intelligitur de eo, quod consummatam iniuriam, & non cœptam tantum significat, maxime in ordine ad pœnam ipso facto impositam à iure ob delictũ, quæ locum non habet, nisi vbi illud fuerit cõsummatum, nec sufficiat fuisse inchoatum, & attentatum, quam communissimam esse opinionem ostendit *Tiraq. in L. Si vnquam, verb. reuertatur, nu. 354. Hippolyt. de Marsilijs in Cap. At si Clerici, nu. 56. de iudic. & Thesaur. de pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ par. 1. c. 8.* nisi aliter sit in iure expressum, pro vt videri potest

potest apud *Farinac.q.116.num.* 148. & eundem *Thesaur.l.c.*nec non *par.2. verb.Procuratio, c.1.* Verum, cum in casu nostro sermo sit de morali tantum impedimento, quod non in pœnam proprie delicti alicuius præcedentis; sed in signum moralis euiusdam maculæ per pollutiuas actiones loco sacro inflictæ impositum est, adhuc dubitari potest, num imperfectæ, & incompletæ quoque huiusmodi actiones ad prædictum Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum inferendum sufficere possint.

4 Dico Actiones Ecclesiæ Pollutiuas omnino debere esse in sua specie perfectas, & consummatas; attentatas autem, & inchoatas tantū in eadem specie ad Ecclesiæ pollutionem inducendam nequaquam sufficere, licet Ecclesiæ pollutio proprie in pœnam delicti non sit. Ratio autem vniuersalis, & euincens est, quia verba semper cum effectu sunt accipienda, *L.1.§.hæc verba, ff. Quod quisque iuris. Io. Andr.& Archidiac.in Cap.Perpetuo,de elect. in 6. D. Anton. p. 3. tit. 17. c.11. in fin. Graff. decis. aur. l. 4. c. 18. num.61. Abb.in Cap. Cum in cunctis, §. Clerici, num.3. de elect.* & ibi late *Addit. ad eum in verb. Consummatum*, & maximè in statutis pœnalibus, & legibus odiosis, qualem esse hanc ipsam Pollutionis Ecclesiasticæ legem fusè probauimus *Disput. 1. c. 19.* ac proinde etiam in actionibus Irregularitatem inducentibus, & in Casibus reseruatis, licet proprie in pœnā non sint, idipsum docent *Sayr.de Censur.l.6.c.2.nu.30. ex Couar. Sot.Medin.& alijs, Hurtad.de Irregular.disp.2. diffic.5.& 8.* diffusè *Th.del Bene de parlamentis dub.4.sect.19.subsect.31.per totam,et de Immunit.Eccles.c.2.dub.8.sect.13.num.17. Floron. de Cas.Reseru.p.1.c.1.n.31.& seqq.Homobon.ibid. p.1.cap.3.* cum multis apud ipsos. lex enim odiosa absolute loquens de aliqua actione simpliciter prolata, si ea actio non sit perfecta, & completa, dubium parit, num hæc actio sit illa, de qua lex loquitur, nec ne, vt bene dixit *Bardi de Conscientia discep. 6.c. 11. par.4. §. 3. num. 2.* in dubio autem, num hæc pollutionis Ecclesiasticæ lex odiosa includat aliquem casum, nec ne, cum ea sit strictè intrepretanda, & possessio faueat exemptioni ab obligatione, standum est contra legis obligationē, vt cū multis diximus *Disp.1.c.20.*

5 Colligo, etiamsi in atrocioribus sufficiat aliquando conatus delicto proximus ad pœnam sententiæ ferendæ, *L. si quis non dicam, ibi Gloss. & DD. C. de Episc. & Cler.* tamen ad incurrendam pœnam, seu quælibet odiosa latæ sententiæ, non sufficere; sed requiri actum, vt dixi, consummatum.

CAPVT XII.

An Actiones, per quas Ecclesia polluitur, debeant esse publicæ.

SVMMARIVM.

De actuali Ecclesiæ pollutione, non de habituali hic sermo est, num.1.

Occulta loci sacri deturpatio debitam locis sacris reuerentiam coram Deo, non coram Hominibus lædit, num. 2.

Dubitatio hæc locum habet in omnibus actionibus Ecclesiæ Pollutiuis; licet aliqui hoc de seminis effusione tantum inquirant, num. 3.

Actiones, per quas Ecclesia polluitur, debent esse publicæ, num.4.

Incongruum est, vt occultus Ecclesiasticæ pollutionis casus publico reconciliationis remedio indigeat. ibid.

Pollutio, & Reconciliatio propter hominum apprehensionem, & scandalum introductæ sunt. ibidem.

Licet ad actualem Ecclesiæ pollutionem publica pollutiuæ actionis notitia requiratur; cur tamen non hæc notitia; sed actionis ipsius turpitudo, ac fœditas, Ecclesiam polluat, nu.5.

1 ADuerto 1. nos hic loqui de actuali Ecclesiæ pollutione, per quam scilicet actu impeditur in Ecclesia Diuinorum celebratio; non autem de habituali eiusdem pollutione, de qua fusè egimus *Disp. 1. c. 16.* ad habitualem enim certum est ex ibidem dictis sufficere etiam occultas actiones, nec amplius quicquam hic ea de re dicendum video.

2 Aduerto 2. rationem dubitandi non leuem esse ex eo, quod reuerentia locis sacris debita, licet coram Deo vere lædatur per occultam irreuerentiam, vt ex ibidem allatis aperte constat; nihilominus in mentibus hominum non læditur per actus irreuerentiæ occultas: Ecclesiæ autem Pollutio, & Reconciliatio propter hominum apprehensionem introducta censetur, vt ex *Disp.1.c.7.* abunde quoque patet.


3 Aduerto 3. quamuis Doctores specialiter hoc quærant de seminis effusione, quia frequentius occurrere solet, vt sit occulta; tamen hoc limitandum non esse ad illum solum casum; sed extendendū ad omnes actiones, per quas pollui queat Ecclesia, & quæ

occultæ

occultæ esse possint, eadem enim est omnino in omnibus ratio, vt videre est apud *Nauar. in Enchir.c.27.num.256. Henriq.l.9. de Missa, c.27. num.5.* & expresse docent *Sylvest. V. consecratio, 2.q.3.* ... *Sot.in 4. dist.13. q.2. art.3. argum. 2. dicto 4.§.Et est hic notandum. Sayr.in Thesaur.l.5.c.16.num.10.Sá, V.Ecclesia, num.19.Suar.in 3.p.tom.3.disp.81.sect.4.cas.3. dub.2.Fagund.de pr.Eccles.precep.l.3.c.14.num. 32.Tolet.l.5.c.8.num.11. Cassina, V. Ecclesia, num.18. Persicus de precipuo Sacerd. offic. l. 1. c.7. dub.6. num.55. Franc. de Lugo de Sacram. p.1.l.5.c.6.q.12.num.79.& alij.*

4 Dico Actiones Ecclesiæ pollutiuas, vt actu Ecclesiam polluant, & consequenter in ea Diuinorum Officiorum, & Sepulturæ vsum impediant, debere omnino esse publicas. ita communis Doctorum sententia est, & Suar. lic. quam proinde tenent Doctores omnes mox allati, nec non *D. Antonin. Palud. Adrian. Tabien. Greg. Lopez, Graff.* & alij, quos sequitur *Sanch.de Matrim.l.9.disp.15.num.14. Bonac.de Matrim.q.4.pun.vlt.num.25. Auil.p.5. disp.7. dub.3.Coninck.q.83.num.230. Laym.l.5.tr.5. c.5.n.8.Cardin.de Lugo de Euchar.disp.10.n.55.* & passim quotquot hac de re loquuntur, quos longo agmine recensitos videre potes apud *Persic.l.c. nu.56.* Probatur hoc autem primo ex *Cap. Significasti, de Adulterijs,* vbi Alexander 3. declarat *Ecclesiam adulterio pollutam, et reconciliatione indigere, quia adultera publice delictum confessa fuerat.* vnde hinc Doctores colligunt hæc duo: Primum est, ante publicam pollutiuæ actionis in Ecclesia factæ notitiam Ecclesiam non ita pollui, vt reconciliatione indigeat: Secundum est, post prædictam notitiam e contrario ita pollui, vt reconciliatione indigeat, & in his duobus omnes conueniunt, pro vt etiam *Glossa* apertissime in *Cap. Vnic. V. polluti, de Consecrat. Eccles. in 6.* Probatur etiam hoc idem secundo ratione congruentiæ, quia, vt occulto crimini non congruit publica pœnitentia, ne peccans iniuriose diffametur, ita incongruum videtur, vt occulta pollutionis causa reconciliatione (quæ de se publica quidem est, cum fiat solemni ritu) indigeat, vnde similis diffamatio oriri potest: denique autem idipsum probari potest ex fine, propter quem Ecclesiæ Pollutio, & Reconciliatio instituta est, vt paulo ante nu. 2. dicebamus, quamdiu enim actio Ecclesiæ pollutiua manet occulta, etiã grauiter contra loci sacri reuerentiam fuerit coram Deo; tamen coram hominibus nondum eam læsit, vnde, cum absit tale scandalum, abest etiam Diuinorum prohibitio, & Reconciliationis necessitas, cum propter illud tunc tantum voluerit Ecclesia Diuinorum celebrationem prohiberi, & Reconciliationis remedium adhiberi, quando ob actionum prædictarum in loco sacro factarũ publicitatem puritas, ac reuerentia locis sacris debita in mentibus hominum læsa fuit, vt sæpius iam diximus.

5 Colligo, licet actiones, per quas actu polluitur Ecclesia, debeant esse ex dictis publicę, secus enim actu per eas non polluetur; tamen falsum esse, quod Ecclesiam potius vere polluat prædicta actionum publicitas, quam prædictarum actionum indecentia, ac turpitudo: vere enim Ecclesia ob hanc, & non ob illam polluitur; licet Diuinorum prohibitio, & Reconciliationis necessitas ad prædictas actiones non sequatur, nisi eæ secum adiunctam habeant publicitatis condicionẽ, qua purificata, & adimpleta, eæ statim prædictum actualis pollutionis effectum omnino consequuntur.



DISPVTATIO QVARTA

De Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum Publicitate.

Vt publica perpetratarum in Ecclesia, Ecclesiæque Pollutiuarum Actionum notitia verè ad actualem Ecclesiæ Pollutionem ritè inducendam omnino prærequiritur, ità perfecta prædictæ Publicitatis cognitio iure ad omnes Ecclesiasticæ Pollutionis casus rectè decidendos præmitti debet: non magis enim ad id ea notitia, quàm ad hoc ipsum hæc ipsa notitiæ notitia necessaria est, vt plenè ex dicendis planum fiet.

CAPVT PRIMVM.

Quænam prædictarum Actionum Publicitas ad Ecclesiæ Pollutionem necessaria sit.

S V M M A R I V M.

Publicum dicitur quasi Popalicum à populo, num. 1.

Publicum aliquid denominatur sex potissimum è capitibus, num. 2.

Publicum hic accipitur, prout dicit, & includit notitiam quandam in Populo de aliquo facto, num. 3.

Notum Populo aliquid esse potest tripliciter, 1. per Euidentiam, seu Notorietatem facti, vel iuris, 2. per Manifestationem, & 3. per Famam. ibid.

Publicum *est genus*; Notorium, Manifestum, *&* Famosum *sunt illius species. ibid.*

Publicitas quæcumque seu Notoria, seu Manifesta, seu Famosa sufficit ad actualem Ecclesiæ pollutionem inducendam, num. 4.

Publicum si aliquando aliquid dicitur, quod ad prædictas tres Publici species non reducatur; non nisi lato modo, & impropriè Publicum erit, num. 5.

1 ADuerto 1. *Publicum* dici quasi *Populicum*, à Populo enim Publicum emanat, & deriuatur, teste *Accurs. in continuat. tit. de public. iudic. Nebrissen. verb. Publica iudicia, & Cyrillo in Prax. Crimin. p. 1. de publ. iudic. §. 1. num. 2.* quia verò multipliciter aliquid à populo emanare, & deriuari potest, idcircò cum *Marc. Paul. Leone in Praxi Pœnitentiariæ in principio partis secundæ*

2 Aduerto 2. sex potissimum è capitibus aliquid dici, denominarique posse publicum. Primo à causa efficiente, eo quod aliquid à persona publica factum sit, quomodo Instrumentum dicitur Publicum, quando confectũ est à tabellione, qui est persona publica. *Gloss. 3. in L. Comparationes, C. de fide Instrum. & in Cap. Scripta, V. per manum publicam, de fide Instrum.* Secundo à causa finali, idest à fine publico, ad quem aliquid dirigitur, quomodo Leges dicuntur Publicæ, quia ad bonũ publicum tendunt *L. 1. ff. de iudic. public. L. 2. ff. Ne quid in loco pub.* Tertio ab administratione rei publicæ, seu ad rem publicam pertinente, quomodo Ratiocinia dicuntur Publica, ad quæ aliquis obligatur ex prædictarum rerum administratione *L. Officiales, 4. C. de Episc. & Cler. Goffred. in sum. tit. de obligatis ad ratiocin. num. 2.* Quarto à loco publico, quomodo Edicta dicuntur Publica, quæ apponuntur in loco publico. *Cap. 1. & Glossa ibi, de postulat. Præfect.* & fusè *Borell. de Magistratuum edictis l. 2. c. 11.* Quinto ab vsu publico, quomodo Palatium Communitatis dicitur Publicum, quia ibi negotia ad populum spectantia geruntur *L. 1. ff. de loc. et itiner. publ.*

publ. & *Sexto* ab attinentia, seu dependentia à populo, quomodo bona alicuius Communitatis dicuntur publica, quia eorum dominium est penes populum *L. Bona Ciuitatis, 15. & L. Inter publica, 17. ff. de verbor. significat.*

3 Aduerto 3. Publicum hic accipi debere, non quod quomodocumque à Populo emanet, vel ad Populum attineat; sed solummodo quod dicit, & includit notitiam, & cognitionem quandam in Populo de aliquo facto, ità vt hic Publicum contradistinguatur ab Occulto, quod excludit omnem notitiam, vel tam modicam admittit, vt nulla eius ratio habeatur. Vnde hic Publicum dicitur, quod Populo notum est, idest, multitudini hominum; cum autem tripliciter aliquid Populo patere possit, scilicet 1. per Euidentiam, seu Notorietatem Facti, vel Iuris, 2. per Manifestationem, & 3. per Famam, de quibus fusè inferius dicemus, propterea Publicum hic tanquam nomen genericum sumimus, & eidem tanquam generi tres subijcimus Publici species, videlicet Notorium, Manifestum, & Famosum, pro vt colligitur ex *Glossa in Cap. Manifesta, 2. q. 1. Abbate in Cap. Vestra, num. 11. & Cap. Tua, num. 7. de cohabit. cler. & mul. Nauar. cap. 27. num. 255. Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 11. dub. 13. num. 73. Leon. l. c. & Gerunda de Episc. l. 2. disp. 5. c. 3. num. 4.* His igitur præmissis

4 Dico quamcumque publicitatem actionũ Ecclesiæ pollutiuarum, siue Notoriam facti, vel iuris, siue Manifestam, siue Famosam sufficere ad actualem, de qua hic tantum loquimur, Ecclesiæ Pollutionem inducẽdam, quia, cum sub genere includantur species, & genus saluetur in vnaquaque specie, sub nomine *Publicum* venit vnaquæq. illius species *Notorium, Manifestum, & Famosum*, & hoc idem, licet sub alijs verbis, tradunt *Sylu. V. Consecratio, 2. q. 5. cas. 3. fin. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. arg. 2. dicto 4. §. Et est hic, & dist. 32. q. 1. art. 3. concl. 3. Nauar. c. 16. nu. 32. §. Quarto. Tolet. l. 5. c. 8. nu. 8. causa 2. Sà, V. Ecclesia n. 19. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 3. dub. 2. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. nu. 15. Regin. l. 29. c. 9. sect. 5. nu. 183. Fagund. 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 33. Rodriq. p. 1. sum. c. 154. concl. 11. nu. 12. Azor. p. 2. l. 9. c. 5. q. 2. Graff. Sayr. Victoria*, & alij cum *Persic. de Offic. Sacerd. l. 1. c. 7. dub. 6. num. 57.*

5 Colligo, si quomodolibet aliquando aliqua appellentur publica, quæ ad hasce tres Publici species mox à nobis allatas reduci non posse videantur; absque dubio ea non esse verè, & propriè eo modo publica, quo in rem hanc nostram publica esse opus est; sed lato modo, & impropriè tantum publica, quod nihil contra nos facit, vt ex insequentibus clarius elucescet.

CAPVT SECVNDVM.

An ad Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum notoriam publicitatem sufficiat sola Populi præsentia sine eiusdẽ animaduertentia.

SVMMARIVM.

Notorium aliquando æquiuocè refertur ad Manifestum, Euidens, Publicum, Notum, Indubitatum, & Liquidum, num. 1.

Notorium strictè, & propriè est Species Publici, & differt à Manifesto, & Famoso. ibid.

Notorium dicit notitiam, & cognitionem certam, & scientificam, quæ excludat omnem negationem, & dubitationem, & ponat euidentiam in populo. ibid.

Notitia, & cognitio prædicta scientifica ad notorium necessaria quomodo accipienda sit, num. 3.

De notorietate tantum facti sermo est in hoc capite, non de notorietate iuris, num. 3.

Ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum notoriam publicitatem non sufficit sola populi præsentia corporalis, sed necessaria est etiam eiusdem populi animaduertentia, num. 4.

Præsens propriè, & formaliter non est, qui ad aliud attendit. ibid.

Factum multis præsentibus dicitur aliquando Publicum, vel quia latè tantummodo id accipitur, vel quia nomine Præsentia intelligitur etiam animaduertentia, num. 5.

1 ADuerto 1. licet *Notorium* aliquando in iure æquiuocè referatur ad *Manifestũ, Euidens, Publicum, Notum, Indubitatum, & Liquidum*, vt obseruarunt *Anton. de Butrio in tract. de Notorio art. 1. num. 13. Nicol. Mil. in Repertor. vers. Notorium sumitur. Cõrad. in pract. crim. tit. de notorio crimine, num. 7. Capra de notorio, in præfat. nu. 26. Mascard. de Probat. tom. 2. concl. 1101. num. 1. Farinac. qu. 21. nu. 5.* vnde passim Notorij in lata illa significatione accepti notitiam, vt perutilem, ità perdifficilem omnes fatentur, nec nõ multi ob ignoratam huiusce rei cognitionem in re notoria turpiter cæcutiunt; nihilominus *Notorium* hic accipi, pro vt vna ex tribus illis speciebus

 est,

est, quas *Cap. præcedenti* sub vno genere, quod *Publicum* appellauimus, contineri diximus; vnde hic significat non quamlibet populi notitiam, seu cognitionem de aliquo facto; sed certam, & scientificam, quæ negationem, ac dubitationem omnem excludat, & euidentiam ipsam ponat in populo, qua in re Notorium differt à Manifesto, & Famoso, vt inferius videbimus. Ità *tex. Cap. Super eo, de testibus cogendis, Felin. in Cap. Si Clericus laicũ, §. num. 5. de foro compet. Rota decis.* [illegible] *Si contra, in nouiss. Mil. in Repert. vers. Notorium non potest esse.*

2 Aduerto 2. quamuis dixerimus ad Notorium requiri cognitionem, & notitiam certam, & scientificam; tamen hanc cognitionem, & notitiam nõ esse accipiendam more Philosophico, secundum quem Scientia proprie est cognitio rei per propriam causam; sed in eo tantum sensu, qui ambiguitatem excludat; ambiguitas enim notorietatem, & notorietas ambiguitatem expellit. *Cap. Cum olim, de verbor. significat. Cap. Testes, 3. q. 9. L. Testium, 17. C. de testibus, Hostien. in summ. tit. de cohabit. cler. & mulier. §. 5. Panormit. in Cap. Quanto, 8. de præsumpt. num. 3. Dec. in Cap. Ex insinuatione, de Appellat. & consil. 20. num. 79. vol. 1.*

3 Aduerto 3. sermonem hic esse de Actionũ Ecclesiæ Pollutiuarum publicitate tantum Notoria per Notorietatem Facti strictè, & propriè sumptam, pro vt ex ipso huiusce Capitis Themate facile constare potest; non autem de aliqua alia earundem actionum publicitate, v. g. per Notorietatem iuris, vel per Manifestationem, vel per Famam, à quibus hic præscindimus, quia de his alibi inferius agemus; licet aliquando hæ quoque publicitates subesse possint.

4 Dico ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum notoriam publicitatem non sufficere corporalem solam Populi præsentiam; sed necessariam simul esse eiusdem animaduertentiam. Ratio autem est, quia notorietas facti fundatur in notitia, & cognitione, quam de illo facto alij habeant, eo quod eidem facto præsentes fuerint; sed qui non animaduertunt ad illud factum, licet præsentes sint, ex tali præsentia nullam habent notitiam, & cognitionem, ergo ad prædictam facti notorietatem verè necessaria est populi præsentis animaduertentia. immò ad tale factum populus verius materialiter, quam formaliter tunc præsens dicendus esset, si propriè, & distinctè loquendum esset: cum enim palam sit corã pluribus *ex L. Palam, 33. ff. de verbor. significat.* coram autem aliquo, & eo præsente quicquã fieri non videatur, nisi is intelligat; adeo vt si is furiosus, aut infans sit, vel dormiat, coram eo id factum non censeatur *ex L. Coram Titio, 209. ff. de verb. significat.* idcircò propriè, & formaliter præsens dicendus non est, qui ad aliud attendit. Quare nec Titius proinde dici poterit publicus Homicida, eo quod in publica platea plena populo Caium occiderit, nisi populus tale homicidium à Titio perpetratum fuisse animaduerterit.

5 Colligo, licet alicubi in iure id publicum dici videatur, quod populo, vel multitudine præsente factum fuit, vt colligi videtur ex *d. Cap. 1. de postulat. prælat. & ex Ant. de Butr. in tract. de Notorio art. 2. num. 19. Bart. in L. 1. §. penult. de suspect. tutor. Panormit. in Cap. Quia omnibus, num. 11. de vsuris, & alijs*; tamen vel id lato modo tantum Publicum appellari, vel certe intelligi de multitudine, seu populo non tantum corporaliter præsente, sed simul etiam animaduerte, pro vt iam satis explicuimus.

CAPVT TERTIVM.

An ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem sufficiat populi animaduertentia ad eas quà physicas, vel requiratur eadem ad eas, quà Ecclesiæ pollutiuas.

SVMMARIVM.

Delictum, vt notorium dicatur, debet à Populo cognosci vt tale in ratione formali delicti, num. 1.

Qualitas adiuncta verbo iuxtà verbi qualitatem accipienda est. ibid.

Actiones loci sacri pollutiua, quæ peccatum prærequirunt, & peccaminosæ esse debent, dupliciter in ratione delicti considerari possunt, num. 2.

Prædictæ actiones loci sacri pollutiuæ, & peccaminosæ, vt Publicæ dici queant, cur à populo cognosci debeant, pro vt grauiter peccaminosæ sunt, num. 3.

Vt notoria actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitas sit, necessaria est populi præsentis aduertentia ad eas, pro vt sunt simpliciter, ex se, & in habitu sufficientes ad loci sacri pollutionem, num. 4.

Ad idipsum tamen opus non est, vt populus præsens aduertat, & cognoscat eas actiones, quà redu-

reduplicatiuè tales sunt, ibidem.

Prædictæ actiones, si sint populo notæ, solummodo pro vt sunt insufficientes ad habitualem Ecclesiæ pollutionem, non sunt eadem, de quibus hic agitur, quia eæ verè non sunt loci sacri pollutiuæ. ibidem.

Vt actiones loci sacri pollutiuæ sunt ex se tales; licet reduplicatiuè quà tales non cognoscantur, ità eadem publicæ fiunt; etiamsi ad eas, reduplicatiuè quà tales, populus non animaduertat. ibid.

Actiones loci sacri pollutiuæ, vt publicæ sint, debent cognosci à populo, vt consummatæ, & completæ, nec sufficit, si cognoscantur, vt inchoatæ tantum, & sic de similibus ob eandem rationem, num. 5.

1 ADuerto 1. rationem dubitandi esse, quia, sicuti ad hoc, vt delictum dicatur notorium satis non est, si physice, seu in ratione actus tale dicatur; verum etiam in ratione morali, ac delicti, vt tale cognoscatur, notoriumque sit; opus est: neque enim vere dicitur delictum publicum, quamnis materialiter sit actus ille publicus, nisi formaliter publicus sit, nempe, in quantum delictum, quia qualitas adiuncta verbo debet intelligi iuxtà verbi qualitatem, *L. in delictis, §. 1. ff. de noxalib.* vt benè docent *Nauar. in Enchir. c. 27. nu. 255. vers. Duodecimus, & 241.* vbi refert ità definitũ fuisse Romæ in Sacra Pœnitentiaria, *Sanch. de Matrim. l. 2. disp. 37. num. 11. & lib. 8. disp. 34. num. 56. & in Summa l. 2. c. 11. nu. 19. Henriq. l. 14. de irregular. c. 20. num. 4. Manuel in Bull. Cruc. §. 9. nu. 129. in fine, & 1. tom. Sum. in 2. edit. cap. 166. nu. 3. Sà in Sum. V. Episcopus, n. 35. Sayr in Thesaur. l. 7. c. 13. n. 13. Fagundez 2. Eccles. præcep. l. 8. c. 8. num. 25. & Gerunda de Episc. l. 2. disp. 5. c. 3. num. 14.* ità etiam ad hoc, vt aliqua actio Ecclesiæ pollutiua dicatur notoria, seu publica, opus esse videtur, vt populus ad eam non tantum physicè in ratione actus; sed etiam moraliter in ratione delicti Ecclesiæ pollutiui, animaduertat, & cognoscat.

2 Aduerto 2. cum actiones aliquas Ecclesiæ pollutiuas, eas scilicet, quæ peccatum prærequirunt, vt sint tales, v. g. Homicidium, & sanguinis, ac seminis effusionem, dupliciter adhuc cognoscere possimus in ratione formali delicti; primo, inquantum sunt ex se actiones vere peccaminosæ; etiamsi non essent loci sacri pollutiuæ: secundo, inquantum sunt præcisè tales, l. quatenus sunt loci sacri pollutiuæ, idcircò dubitari quoq. posse, num ad prædictarum actionum notoriam publicitatem requiratur, vt populus eas tum quatenus ex se peccaminosas, tum quatenus Ecclesiæ pollutiuas cognoscat.

3 Aduerto 3. quia prædictæ actiones debent esse peccaminosæ, ac proinde delicta esse debent; immo quia eæ loci sacri pollutiuæ non sunt, nisi grauiter peccaminosæ sint; propterea probabile mihi videri, quod eæ notoriæ, seu publicæ dici nequeant, nisi pro vt grauiter peccaminosæ cognoscuntur à populo: quando enim eæ non cognoscuntur, pro vt grauiter peccaminosæ, sicuti non generant graue, & Publicum in populo scandalum, ità nec eam moralem loco sacro maculam inurere videntur, quam publicam inde Ecclesiæ pollutionem appellamus: vnde vere tales actiones tunc non sunt illæ, de quibus hic sermo est, cum de Ecclesiæ vere pollutiuis solum loquamur: generaliter igitur

4 Dico valde etiam probabile videri, quod ad notoriam actionum Ecclesiæ pollutiuarũ publicitatem necessaria sit populi animaduertentia ad eas, pro vt simpliciter, ex se, & in habitu sufficientes sunt ad Ecclesiæ pollutionem inducendam; non tamen quà reduplicatiuè, & formaliter tales sunt. prior pars conclusionis probatur, quia, si eæ se actiones eæ sint insufficientes ad Ecclesiæ pollutionẽ inducendam, non sunt eæ actiones, de quibus hic loquimur; licet ergo eę publicę fiant, non facient inde Ecclesiam actu pollutam, quia eæ ante publicitatem habitu pollutiuæ non erant, vnde necessaria erit consequenter aduertentia ad eas actiones, pro vt vere ad prædictam pollutionem sufficientes sunt; alioquin non erunt eædem actiones, de quibus hic agitur, & quæ publicæ esse debent ad pollutionem hanc actu inducendam. Secunda pars conclusionis probatur, quia prędictę actiones, vt in habitu sufficiunt ad polluendam Ecclesiam, si sint simpliciter ex se, posita Ecclesiastici iuris determinatione, tales; etiamsi reduplicatiuè, & formaliter quà tales non cognoscantur, ita eædem fient publicę, & actu polluent locum sacrum; etiamsi quà tales non cognoscantur à præsentibus, vt ex se notum videtur.

5 Colligo, cum actiones loci sacri pollutiuę cognosci debeant à populo in eo circunstantiarum statu, in quo sint verè ex se, & in habitu pollutiuæ, vt iam dictum est; cumque actiones Ecclesiæ pollutiuæ, nisi consummatæ, & completæ sint, verè ex se, & in habitu pollutiuæ non sint, vt constat ex *Cap. 11. præcedentis disputationis*; idcircò ad notoriam actionum Ecclesiæ pollutiuarũ publicitatem omnino requiri in populo animaduertentiã, & cognitionem earundem actionum verè con-

consummatarum, & completarum; nec sufficere, si populus ad earum tantummodo inchoationem animaduertisset, & sic de similibus earundem actionum circunstantijs ad habitualem Ecclesiæ Pollutionem, necessarijs.

CAPVT QVARTVM.

An ad Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti sufficiat, si in populo duo, vel tres ad eas animaduertant.

S V M M A R I V M.

Cur hic tantum de publicitate ex notorietate facti quæstio sit, num. 1.

Duo, vel tres non faciunt populum, nec maior illius pars esse censentur, num. 2.

Certum est aduertentiam vnius tantum non sufficere ad publicitatem ex notorietate facti, num. 3.

Ad actionum Ecclesiæ Pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti, neque sufficit aduertentia duorum, vel trium tantum, num. 4.

In ore duorum, vel trium stat omne verbum, *quomodo intelligatur, num. 5.*

Duorum, vel trium aduertentia ad prædictas actiones Ecclesiæ pollutiuas in iudicio probandas, vel aliter publicandas sufficit; non autem ad eas ex notorietate facti publicas constituendas. ibid.

Licet tres sufficiant ad faciendum Collegium, cur tamen non sufficiant ad faciendam notorietatem facti in populo, num. 6. & remiss.

1 ADuerto 1. hic idcircò tantum quæri de prædictarum actionum Publicitate ex notorietati facti; quia de publicitate aliunde orta, seu ex notorietate iuris, seu ex manifestatione, seu ex famositate illarum, fusè alibi agemus, vt singula eo clarius elucescant, quo distinctius discutiuntur.

2 Aduerto 2. rationem dubitandi esse, quia ex vna parte, cum notorietas facti omnino requirat euidentiam in Populo, ita vt eiusdē facti testis sit populus ipse, & dissimulationi locus non sit, si duo, vel tres tantum in populo ad prædictas actiones aduertant, eæ non videntur esse euidentes in populo ex notorietate facti, duo enim, vel tres tantum nec populum faciunt, nec maior populi pars esse censentur; ex alia vero parte, cum iuxta Euangelicum textum allegatum in *Cap. Licet, de testibus* in ore duorum, vel trium stet omne verbum, colligi videtur quod duorum, vel trium testimonium sufficiat.

3 Aduerto 3. nullam hic fieri mentionem de aduertentia vnius tantum ad easdem actiones in populo, quia notitia vnius, & nullius idem sunt, *Cap. Admonere, 33. q. 2. Cap. Si testes, §. item vnius, 4. q. 3. Cap. Veniens, 10. in fine, & Cap. Licet, de testibus, L. Iurisiurandi religione, C. de testibus.*

4 Dico ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum Publicitatem ex notorietate facti non sufficere, si in populo duo, vel tres tantum ad eas aduertant. Ratio autem est, quia vere notitia illa, vt sic in se simpliciter considerata, cum sit duorum, vel trium tantum in populo, non facit eas actiones absolute notas populo, nec publicas, nisi eadem notitia, vt iam innuebamus, alijs etiam innotescat vel per manifestationem, vel per famositatem, vel per deductionem in iudicium, & forum externum. ita *Glossa in Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mul. in Cap. Manifesta, 2. q. 1. Specul. l. 3. p. 1. de notor. crimin. §. 5. Quid sit pene occultum. Tolet. in summ. l. 1. c. 99. Nauar. c. 18. num. 52.* & colligi potest ex omnibus fusè allegatis à *Persico de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 6. num. 57.*

5 Ad textum ergo *num. 2.* allatum respōdeo nihil inde contra conclusionem nostram erui; illud enim *In ore duorum, vel trium, &c.* significat *In depositione, seu testificatione duorum, vel trium testium in iudicio facta stare omne verbum*; non verò *In notitia duorum, vel trium stare notoriam publicitatem*, de qua hic agitur. sufficit ergo duorum, vel trium testiū notitia ad publicitatem inducendam ex notorietate iuris, si illam illi in iudicio deponant, nec non ad publicitatem ex manifestatione, & famositate, si eandem ipsi notitiam alijs in populo sufficienter manifestent, & diuulgent; sed tunc talis publicitas non est ex notorietate facti, de qua solum hic sermo est, & ad quam constituendam non sufficit duorum, vel trium tantum aduertentia, licet ad eam probandam sufficiat, ex *Glos. in Cap. Deus omnipotens, §. Quando autem, 2. q. 1. Panormit. in d. Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mulier. & in Cap. Cum in tua, de Sponsal. Specul. in rubr. de notor. criminib. num. 9.*

6 Colligo, licet tres sufficiant ad faciendum Collegium ex *L. Neratius, ff. de verb. significat.* ex hoc tamen non induci, quod faciant, & constituant notorietatem facti in populo, pro vt clarius apparebit ex subsequentibus capitibus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

An, & quandonam ad Actionum Ecclesiæ Pollutiuatũ publicitatem ex notorietate facti sufficiat, si ad eas quinque, vel sex, vel plures Personæ aduertant.

SVMMARIVM.

Quot personarum aduertentia requiratur ad facti notorietatem, adhuc sub Iudice lis est, num. 1.

Decem homines ad Populum, & Parochiam constituendam sufficiant. ibid.

Ad notorietatem facti aliqui simpliciter sex personarum tantum præsentiam satis esse indicunt. ibid.

Alij decem personarum numerum requirunt. ibidem.

Nonnulli viginti hominum notitiam necessariam esse volunt. ibid.

Multi viciniæ totius, vel maioris eius partis scientiam exigunt. ibid.

Complures etiam, vt factum toti populo, vel maiori illius parti cognitum sit, ad facti publicitatem opus esse dicunt. ibid.

Notitia diuersimodè dicitur publica, vel occulta in ordine ad diuersitatem communitatum, in quibus ea notitia est, num. 2.

In Collegio tribus personis constante, quod fit coram duobus, dici vere potest in tali Collegio notum; sed non propriè notorium, nec publicum, num. 3.

Ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti nunquam sufficit, si quinque tantum personæ ad eas aduertant, num. 4.

Ad prædictam publicitatem aliquando sufficit, si sex personæ tantum aduertant, num. 5.

Ad eandem publicitatem absolutè non semper sufficit, si sex, vel etiam decem, aut duodecim personæ aduerterint, num. 6.

Ad prædictam tamen actionum publicitatem non semper necesse est, vt in ordine ad populum quantumuis magnam maior illius pars ad eas aduerterit, num. 7.

Ad eandem actionum publicitatem aliquando satis est, si magna pars personarum talis populi, seu communitatis ad eas aduerterit, num. 8.

Quot nam personæ ad magnam prædictam populi partem constituendam sufficiunt, pro populi ipsius multitudine prudentis arbitrio statuendum est. ibid.

Quod hic de facti notorietate dictum est, cur de ipsa quoque manifestationis, vel famæ publicitate suo modo dici possit. ibid.

Ad facti notorietatem, & publicitatem in magna Vrbe quomodo sufficere videatur, si illud in vna Vicinia notorium, vel publicum sit, num. 9.

---

1 ADuerto 1. cum hic etiam supponatur id, quod *Cap. præcedenti num. 1.* aduertimus, peculiarem adhuc huiusce dubij causam eam esse, quod, ad publicitatem ex notorietate facti inducendam quot hominũ aduertentia requiratur, adhuc apud Doctores dubium videtur; cum enim *Glossa in Cap. 1. de Elect. Verbo duo*, decem homines ad populum constituendum, & *in Cap. Vnio, 4. q. 3.* totidem ad Parochiam satis esse dicat; immo *Textus* ipse in *L. Prætor, 2. ff. Vi bonorum rapt.* decem, vel quindecim personas ad turbam sufficere doceat, hinc aliqui ad prædictam ex notorietate facti publicitatem sex hominum ad illud aduertentium numerum sufficere putauerunt; inter quos est *Syluester. V. Notorium, q. 4.* eo quod sex sint maior pars numeri denarij, alij non pauciorum, quam decem personarum aduertentiam requirunt, ità *Baldus in L. Si verò, 5. §. qui pro rei qualitate, ff. Qui satis dare cogantur. Iason. ibi. Felin. in Cap. Cum oporteat, de accusat. Glos. cum Tex. in Cap. de manifesta, 2. qu. 1. Adrian. in 4. in materia Eucharistiæ ante vltimum dubium, §. oritur*, alij saltem viginti hominum notitiam necessariam esse volunt, inter quos *Bartol. in L. Scriptus, num. 2. ff. de religiof. & sumpt. fun.* alij Viciniæ totius, vel maioris partis eius scientiam exigunt, inter quos est *Panormit. in Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mul. & Specul. de notor. crim. §. Notorium, nu. 3.* & alij ad id populi ipsius vniuersi, vel certè maioris partis cognitionem requiri docent, inter quos est *Io. Andr. in d. Cap. Vestra, Ant. de Butr. de notor. art. 2. num. 13. Capra de eod. membro 2. nu. 4.* & plures apud ipsum.

2 Aduerto 2. cum publica, vel occulta facti notitia ex se dicat relationem, & respectum nõ solum ad personas eam notitiam habentes distributiuè, & seorsim consideratas; sed etiam ad eas collectiuè, & coniunctim acceptas, quatenus scilicet quandam constituunt Communitatem, seu Vniuersitatem ex pluribus, vel paucioribus personis constantem, in ordine ad quam proinde aliquid

dicitur

dicitur publicum, vel occultum, cumque prædictæ hominum Communitates, vel Vniuersitates diuersissimo personarum numero constent, fieri omnino non posse, vt quot personarum notitia in vna Communitate ad publicitatem satis est, totidem in omnibus ad eandem sufficiat, vt bene aduertit cum multis *Gerunda de Episcop. l. 2. disp. 5. c. 3. n. 10.* & ante illum *Lessius l. 2. c. 11. dubit. 13. nu. 74. et Nauarr. c. 25. num. 73.*

3 Aduerto 3. licet etiam in Collegio tribus personis tantum constante siquid fiat coram duobus, dici vere possit in tali Collegio notum, eo quod maiori talis Collegij parti notum sit; nihilominus, cum pauciores personæ, quam decem, proprie non faciant populum, propterea neque etiam proprie aliquid dici posse publicum, seu populo notorium, nisi notum sit maiori parti communitatis, seu vniuersitatis, in qua saltem decem personæ sint, ità *Anton. de Butr. l. c. Capra l. c. num. 5. Nauar. l. c. in princ. Sanch. opusc. l. 6. c. 3. dub. 3. num. 9. Angel. Supplem. Rosel.* & communiter alij apud *Syluest. l. c. & Thesaur. de Pœnis Ecclesiast. par. prim. cap. 21. conclus. 2.*

4 Dico 1. ad actionum Ecclesiæ pollutiuarũ publicitatem ex notorietate facti nunquam sufficere, si quinque tantum personæ ad eas aduertant, ità *Glos.* apertissimè *in Cap. Quis, aliquando, §. Hæc ergo, V. secreta, de Pænit. dist. 1. Nauar. l. c. & Fagund. de 2. Eccles. præcep. l. 8. c. 8. num. 23. in fin.* Ratio autem est, quia, cum numerus quinque personarum nunquam sit maior pars populi, sed ad summum pars æqualis alteri, quod est notum solummodo quinque personis, nunquam dici potest populo, aut maiori parti eius notum, nec proinde publicum ex iam traditis.

5 Dico 2. ad prædictam talium actionum publicitatem aliquando satis esse, si sex personæ ad eas aduertant, exempli causa, in congregatione, vbi decem, vel vndecim sint, ità *Nauar. ibid. Less. l. c. Syluest. & Gerunda vbi supra*, quia talis numerus in tali populo est maior populi pars, ac proinde, quod ei parti notum est, populo ipsi publicum dici potest iuxta superius dicta.

6 Dico 3. ad prædictam actionum publicitatem in quocumque populo nõ semper sufficere, si sex, aut septem, immo, aliquando etiamsi decem, vel duodecim personæ ad eas aduertetint, ità contra *Syluestrum l. c.* & alios ab eo notatos præcitati DD. sed præcipuè *Thesaur.* qui propterea factum Romæ coram decem dicit non censendum esse Romæ notorium facti, *Gerunda*, qui idcircò delictum à decem, vel duodecim cognitum in magna Ciuitate notorium esse negat; licet tale esse possit in oppido, vel in vicinia illius vrbis, & *Leb in Praxi Pœnitentiaria par. 2. de formul. dispensat. Matrimonial. §. Quid sit notorium facti, vers. Aliqui demum*, qui hoc etiam à S. Pœnitentiaria Apostolica pluries obseruatum fuisse affirmat.

7 Dico 4. ad prædictam pollutiuarum actionum notorietatem necesse non esse, vt semper in quocunque populo maior illius pars ad eas aduerteret. Ratio autem est, quia, vt bene dixit *Gerund. ibid. num. 12.* magna in Ciuitate rationi non videtur cõsentaneum ad publicitatem expectare notitiam maioris illius partis, & multo minus requirere præsentiam, & aduertentiam prædictæ maioris partis ad facti notorietatem inducendam, cum fere nihil agatur, quod maior Ciuitatis pars videat. Præterea, vt bene notauit *Syluestr. l. c. in fine num. 4.* diuidendus profecto, & computandus semper esset populus, vt sciri posset, an maior pars delictum nouerit, quod sane ridiculum esset.

8 Dico 5. ad prædictam actionum notorietatem aliquando satis esse, si magna pars personarum illius congregationis, seu populi ad eas aduerterit; hanc autem magnam partem pro communitatum ipsarum diuersitate diuersimode ad iudicantis arbitrium statuendam esse, ità *Specul. Bart. Calder. Abbas, Ant. de Butr. Capra*, & alij cum *Mascardo concl. 1101. Farinac. q. 21. num. 48. Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2. cas. 166. num. 7. Leo, & Thesaurus ll. cc. Graff. de arbitr. confess. l. 1. c. 28. num. 4. & Gerunda l. c. num. 8.* Quod autem hic dictum est de facti notorietate, idipsum etiam suo modo dici potest de publicitate ipsa, quæ ex facti manifestatione, vel fama prouenerit, vt hæc, & inferius dicenda consideranti parere poterit, nam etiã manifesta, & famosa debent populo innotescere, vt Publica dici possint.

9 Colligo, cum vna vicinia in Ciuitate videatur magna illius pars, ideo vere dictum fuisse à *Nauarro, & Gerunda vbi supra*, satis esse ad notorietatem, & publicitatem magnæ Vrbis, si in vna vicinia delictum sit notorium, vel publicum.

CAPVT

CAPVT VI.

An ad Actionum Ecclesiæ Pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti sufficiat, si complicum tantum multitudo, & non alij, ad eos aduerterint.

SVMMARIVM.

De quanam complicum multitudine hic sermo sit, num. 1.
Ratio dubitandi hic quænam sit, num. 2.
Complicum multitudo dupliciter considerari potest, vel omnes coniunctim, vel singuli seorsum, num. 3.
Ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum notorietatem sufficit in dato casu prædictus complicum numerus; etiamsi nemo alius adfuerit, vel aduerterit, num. 4.
Actio cur non bene dicatur occulta ex eo, quod non fuerit probata, vel non possit probari in iudicio, num. 5.

1 Aduerto 1. supponendum hic esse, quod complicum numerus is sit, qui in tali populo, seu communitate prudentis arbitrio, pro vt superiori capite dicebamus, sufficiens sit ad notorietatem facti inducēdam; si enim talis complicum multitudo ad id nō sufficeret, talis complicum actio sine dubio ex notorietate facti non esset publica; immo neque etiam esset vllo modo publica, nisi complices ipsi eam manifestarent, vel eam fama aliunde publicaret, vt ex iam traditis aperte colligi videtur.

2 Aduerto 2. difficultatem hanc proinde ex eo esse, quod talis actio apud non complices est omnino occulta, ita vt ob testium defectum ea probari nequeat.

3 Aduerto 3. prædictos complices posse vel coniunctim, vel seorsum sumi, i. vel pro vt omnes simul sunt veluti vnus tantum agens, à quo talis actio, nemine spectāte, prouenit, vel pro vt eorum singuli habent euidentem notitiam talis actionis, quia ei præsentes, & aduertentes fuerunt: & sic, si complices v.g. centum sint, nonaginta nouem euidenter sciunt centesimum eorum esse ex complicibus, & actoribus talis actionis inde apud eorum singulos notoriæ.

4 Dico in dato casu ad prædictam pollutiuatum actionum notorietatem sufficere prædictum complicum ipsorum numerum ad eos præsentem, & aduertentem, etiamsi nullus alius adfuerit, vel aduerterit. Ratio autem est, quia tunc omnino verum est dicere talem actionem coram aduertente populo factam fuisse, cum talis complicum numerus, coram quo, immo à quo actio facta fuit, prudentis arbitrio talis supponatur, vt ad facti notorietatem in tali populo, cuius complices pars sunt, inducendam sufficiat; licet alij ex populo illo factum ignorent. ita ex *Leone in Praxi Pænitentiariæ Apostolicæ part. 2. de formul. Dispensat. matrimonial. vers. Hic audio ab aliquo.*

5 Colligo actiones Ecclesiæ pollutiuas non idcirco desinere esse publicas ex notorietate facti, quod eas nullus in iudicio probare velit, aut valeat; sed tunc vere ex notorietate facti publicas esse, quando euidenter notæ sunt populo, in ordine ad quem notoriæ dicuntur. Quot enim delicta vere in populo notoria sunt, & tamen in iudicio probata non sunt? vnde clare paret responsio ad rationem dubitandi iam superius allatam.

CAPVT VII.

An ad conseruandum Actionum Ecclesiæ pollutiuarum actualem publicitatem ex notorietate facti sufficiat, si eæ populo actu fuerint euidenter notæ, vel requiratur, vt actu, & de præsenti euidenter notæ sint.

SVMMARIVM.

Notorium facti triplex est, facti continui, & permanentis, facti interpolati, & facti transeuntis, seu momentanei, num. 1.
Quandonam, & Quomodo notorium, & aliter publicum aliquando desinant esse notorium, et etiam publicum. ibid.
Exemplo res omnis declaratur. ibid.
Quomodo Notorium facti aliquando transire possit in Manifestum, vel Famosum, num. 2.
Vt ad inducendam actualem actionum pollutiuarum publicitatem, ita ad eandem conseruandam qualibet tàm Manifesta, vel Famosa, quàm Notoria in populo notitia sufficit, nu. 3.
Ad conseruandum actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti non sufficit, si ea populo actu fuerint

autea euidenter nota; sed requiritur, vt ea populo actu, & de præsenti sint euidenter notæ, num. 4.

Idipsum quoque dicendum est de conseruanda qualibet alia prædictarum actionum publicitate. ibid.

Tam deest mihi quod amplius non habeo, quam quod nunquam habui. ibid.

Ecclesia polluta aliquando sine vlla omnino reconciliatione fieri potest non polluta, num. 5. & 6.

Non implicat, quod aliquid à principio fuerit publicum, & tractu temporis fiat occultum, num. 7.

Nec his obstat, quod populus iuris fictione quo ad alios effectus idem sit. ibid.

1 ADuerto 1. cum notorium facti triplex esse possit, scilicet vel facti permanentis, & continui, vel interpolati, vel transeuntis, & momentanei, vt patet ex *Specul. de notor. crimin. §. Notorium, num. 8. & seq. Butrio tr. de notor. art. 2. nu. 13. Capra membr. 1. nu. 8. & seq. Mascard. conclus. 1101. num. 14. Panormit. in Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mul. Farinac. q. 21. num. 13.* propterea fieri posse, vt, quando factum non est continuum, nec permanens; sed transiens, transeat quoque talis facti notorietas, ità vt factum aliquod desinat esse non modo euidenter notum populo, si nimirum viuere desinant ij, quibus illud euidenter notum erat: pro vt adnotarunt *Specul. l. c. num. 12. Anton. de Butr. vbi supra, num. 43. Leo in Prax. Pœnitentiariæ Apost. p. 2. de formul. dispensat. matrim. §. Quid sit notorium facti, in fin.* & colligi potest etiam ex *Capra mox alleg. membr. 5. nu. 4.* sed etiam desinat esse manifestè, vel famosè notum populo, si item viuere desinant, vel aliter debitam notitiam habere cessent ij, quibus illud erat vel per manifestationem, vel per famam notum; vnde in Vicinia, seu Parochia constante v. g. ex vndecim personis, & in qua factum aliquod sit notorium eo, quod coram sex in illa illud acciderit, si ex illis sex vnus moriatur, factum prædictum desinet esse in ea Parochia notorium notorietate facti, quia non erit amplius euidenter notum tali populo, nec maiori illius parti; & sic de alijs speciebus facti publici, i. manifesto, & famoso, vt per se clarum est.

2 Aduerto 2. licet in dato exemplo tale factum adhuc posset remanere in eadem Parochia publicum, etiam post mortem vnius ex illis sex, quibus factum euidenter erat notū, si videlicet talis facti notitia iam antea per manifestationem, vel per famam sufficienter in eadem Parochia cæteris innotuisset, vel ei deinceps innotesceret; nihilominus tunc factum illud appellandum tantummodo esse publicum ex manifestatione, vel tantummodo ex fama; non autem ex facti notorietate, de qua propriè hic loquimur: vnde tunc Notorium facti propriè, & verè transiret in Manifestum, vel Famosum, vt optimè dixit *Butr. eodem num. 43.*

3 Aduerto 3. cum superius *Cap. 1.* diximus ad inducendam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem sufficere quamcumque siue manifestam, siue famosam, siue euidentem, ac notoriam facti, vel iuris in populo notitiam, proinde etiam certum omnino esse, quod etiam ad conseruandam actualem prædictarum actionum publicitatem quælibet ex prædictis publicis notitijs sufficiet.

4 Dico ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem ex notorietate facti non sufficere, si eæ euidenter populo actu notæ fuerint; sed requiri, vt eæ actu, & de præsenti sint populo euidenter notæ, & idipsum pariter dicendum est de qualibet alia earum actionum publicitate conseruanda; sicuti enim prædictarum actionum publicitas est conditio ad actualem Ecclesiæ pollutionem adeo necessaria, vt, antequam prædicta publicitas actu adsit, Ecclesia actu non polluatur, ita, postquam prædicta actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitas actu esse desijt, statim desinat etiam actu Ecclesiæ pollutio, necesse est; alioquin vel falsum esset ad Ecclesiæ actualem pollutionem necessario requiri actionum Ecclesię pollutiuarum publicitatem, quod iam verissimum docuimus *cap. vlt. praecedentis disput.* vel verum non esset tam actu deesse mihi, quæ amplius non habeo, quam quæ nunquam habui, quo nihil mihi verius videtur, vel certè assignanda erit sufficiens disparitas, quam nunc non video.

5 Dices, ergo sic posset Ecclesia actu polluta fieri non polluta absque vlla omnino reconciliatione; quam tamen ad actualem Ecclesiæ pollutionem auferendam omnino requiri dicemus in Tract. de Reconciliatione.

6 Respondeo, data consequentia, Reconciliationem omnino necessariam esse, si duret facti, per quod Ecclesia polluitur, publicitas; non vero, si ea cesset; cessante enim prædicta facti publicitate, cessat etiā actualis Ecclesiæ pollutio, quæ facti ex se pollutiui publicitatem consequitur.

7 Colligo non implicare, quod aliquid à sui origine, & principio fuerit publicum, non solum

solum manifestum, vel famosum; sed etiam notorium facti, vel iuris, & tamen tractu temporis fiat non solum nullo modo notorium, sed neque manifestum, neque etiam famosum, ac proinde vere occultum. *Cap. longinquitate*, 12. q. 2. *L. Tractat*, 2. *C. de longi temporis praescript. qua pro libertate*, & *non contra libert.* tempus enim omnia deuorat: immo talem publicitatis cessationem, & facti antea publici occultationem postea subortam saepe in ordine ad dispensandum in occultis ab Officio S. Poenitentiariae admissam fuisse testatur *Leo in Praxi eiusdem l.c.5. Quotuplex sit occultum, in fine*, licet quo ad alios effectus populus iuris fictione idem sit, *L. Proponebatur, ff. de Iudicijs. Cap. Deniq. 7. q. 1.* vt egregiè obseruauit *Butr. de notor. art. 3. num. 61.*

CAPVT VIII.

An ad actualem actionum Ecclesiae pollutiuarum publicitatem sufficiat, si eae in foro Poenitentiali tantum manifestatae sint.

SVMMARIVM.

Textum, & Glossam Cap. Significasti, de adulter. *parti affirmatiuae fauere nonnulli opinantur*, *num.* 1.

Confessarius sciens ex confessione actionem Ecclesiae pollutiuam in Ecclesia commissam fuisse, secundum aliquos debet in genere Episcopo dicere, Talis Ecclesia eget reconciliatione, *num.* 2.

Multo autem magis, si id à pluribus audiuit in confessione, num. 3.

Ad actualem actionum Ecclesiae pollutiuarum publicitatem non sufficit, si ea in foro tantum Poenitentiali manifestatae sint, num. 4.

Quod in Confessione Sacramentali cognoscitur, occultum est, ibid.

Opinio, quam num. 2. *retulimus, nulla ratione sequenda, nec admittenda est, ibid.*

Textus, & Glossa dict. Cap. Significasti, de Adulter. *quomodo rectè exponantur, num.* 5.

1 ADuerto 1. rationem dubitandi ex aliquorum opinione hic esse ex *textu Cap. Significasti, de adulter. & ex Glossa ibi in principio*, ibi enim Alexand. 3. statuere videtur, vt Ecclesia ob adulterium ab adulteris ipsis in Confessione cuidam Sacerdoti detectum reconciliari debeat.

2 Aduerto 2. his accedere, quod proinde *Hostien. in Sum. l. 5. tit. de Poenit. & remiss. num. 53. & in quo tenetur, in fine. Summa Asten. p. 2. l. 6. tit. 29. art. 3. in principio. Summa Confess. l. 3. tit. 34. q. 154. Angel. V. Confessio, 8. q. 11. sub aliqua tamen distinctione*, & alij affirmant Sacerdotem, si in confessione cognouerit delictum aliquod Ecclesiae pollutiuum in ea commissum fuisse, licet in ea adhuc celebrare possit; tutius tamen agere, si illud Episcopo manifestet in genere, v. g. dicendo *Talis Ecclesia eget reconciliatione*, ex quibus colligi videtur, quod etiam per solam manifestationem actionum Ecclesiae pollutiuarum in confessione factam Ecclesiae pollutio actualiter compleatur.

3 Aduerto 3. id etiam vlterius addi, & fortius vrgeri posse, si multi confessarij à multis idipsum in confessione audiuissent, pro vt bene insinuauit *Persic. de praecip. Sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 6. num. 63. in medio.*

4 Dico ad actualem actionum Ecclesiae pollutiuarum publicitatem non sufficere, si eae in foro Poenitentiali tãtum manifestatae sint. Ratio est, quia eae actiones aequè adhuc sunt occultae in foro externo, ac si nullo in foro detectae fuissent; quod enim in Sacramentali Confessione cognoscitur, occultum est. vnde neque sententia *num.* 2. allata vlla ratione admittenda est, cum confessarius in praedicto casu ità se gerere debeat, ac si nihil omnino sciret. ità expressè *Palud. in 4. dist. 18. nu. 11. Tabien. V. Confessio, 3. q. 13. num. 14. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 16. num. 10.* qui hoc etiam probat *argum. Cap. Cum non ab homine, de sent. Excommun. & Persic. l. c.*

5 Colligo ad *Cap. Significasti, de adulter.* respondendum esse cum *Panormit. ibi num. 5. Tabiena, & Persic. ll. cc.* vel quod Confessarius id fecerit ex consensu mulieris, quae adulterium suum confessa fuerat, vt patet ex textu, ac propterea sufficienter postea tale adulterium in populo manifestatum, indeque vt publicum praesumptum fuisse ab Alexandro III. ita vt proinde Ecclesiam fuisse pollutam, & reconciliatione indiguisse decreuerit; vel certè quod adultera ipsa citra Sacramentum adulterium suum confessa fuerit, vt dixit *Barbosa de Offic. & Potestat. Episc. alleg. 28. nu. 41. & Pax Iordanus Var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 6.*



CAPVT IX.

An ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem sufficiat, quod eæ in foro externo probari possint.

SVMMARIVM.

Aliqui male dicunt illud occultum esse, quod in iudicio probari non potest, num. 1.

Iuxta prædictam opinionem, quod notum esset quatuor, vel quinque personis tantum, non esset occultum, num. 2.

Notitia quatuor, vel quinque personarum facit delictum probabile; sed non probatum, nisi iuridicè de ea constet, num. 3.

Ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem non sufficit, quod eæ in foro externo probari possint, num. 4.

Quod pene occultum dicitur, quomodo non propterea publicum inferatur; sed adhuc occultum vere sit, num. 5.

1 ADuerto 1. quia *Rodriq. in Additionibus ad Cruciatam §. 9. num. 69. in fine. Guttier. quæst. Canonic. l. 1. c. 13. num. 27. & Angles in Flor. Theolog. p. 1. vbi de Confessione, q. 4. num. 5. diff. 6.* dicunt occultum crimen esse illud, quod in iudicio probari nõ potest, hinc inferri posse è contrario crimen illud non esse occultum, quod in iudicio probari potest.

2 Aduerto 2. iuxtà hanc doctrinam, si vera sit, consequenter crimen quatuor, aut quinque personis cognitum nequaquam dici posse occultum, quia per tres, aut quatuor testes satis, superque aliquid in iudicio probari potest.

3 Aduerto 3. cum notitia, quam de aliquo crimine habent tãtum quatuor, vel quinque, si populo manifestetur, faciat illud esse actu manifestum; licet antea non fuerit actu, sed potentia tantum tale, idcircò, si eadem notitia per tres, vel quatuor testes legitimè in iudicio deponatur, per eandem illud fieri quoque posse notorium iuris; licet crimen illud ante prædictam legitimam testium depositionem tale non fuerit. Quamobrem

4 Dico ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem non sufficere, quod eæ in foro externo probari possint. Nam, quamuis tales actiones probabiles sint, ac proinde in iudicio probari possint; nihilominus, dum adhuc non sunt iuridice ibi actu probatæ, & dum solum à quatuor, vel quinque personis sciuntur, vere nec notoriæ in iudicio, nec vllo modo publicæ sunt: sicuti enim ad actualem Ecclesiæ pollutionem actualis actionum pollutiuarum publicitas, ità ad prædictam actualem iudicij publicitatem actualis, & legitima testium depositio requiritur. ità *Nauar. Suar. Emm. Sà, Sayr. Mol. Vuald.* quos allegat, & sequitur *Sanch. de Matrim. l. 8. disp. 34. nu. 55. & in Decal. l. 2. c. 11. num. 19.* ità etiam *Fagund. de 2. Eccles. præcept. l. 8. c. 8. num. 24. Gerunda de Episcopo l. 2. disp. 5. c. 4. num. 19. Thesaur. de Pœnis Eccles. p. 1. c. 21. conclus. 1. cum Azor. Tolet.* & alijs apud ipsos, in terminis autem nostris de actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitate *Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. nu. 15. in fine. & Barbosa de offic. et Potest. Episc. allegat. 28. n. 39.*

Colligo, licet aliquando in iure, & apud Doctores sæpius, quod in iudicio probari potest, appelletur *pene occultum*, idest, *quasi occultum*, vt colligitur ex *Textu, cum Glossa Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mul. §. Cæterum;* & ex quamplurimis à *Gerunda l. c.* adductis; tamen non propterea bene colligi posse, quod vere illud sit non occultum, seu publicum: adhuc enim, quod *pene occultum* dicitur, vere *occultum*, & secretum est, vt patet ex *Specul. l. 3. de notor. crim. §. pene occultum,* sed vocatur *pene occultum*, vt distinguatur ab eo, quod est omnino occultum, & in iudicio probari non potest.

CAPVT X.

An ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem sufficiat, quod eæ ad forum externum deductæ sint.

SVMMARIVM.

Actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitas per earum deductionem ad forum externum dupliciter oriri solet, num. 1.

Prædictarum actionum deductio ad forum externum aliquãdo est populo indicium vel iure, vel iniuria sufficiens ad hoc, vt illæ eas credat, num. 2.

Notorietas iuris alia probata, alia præsumpta est, num. 3.

Eadem strictè, & propriè accepta excludit omnem dubietatem. ibid.

An

An eadem consurgat tantum ex spontanea confessione reorum in iudicio facta, & ex definitiua, & irreuocabili sententia, vel etiam ex conuictione, seu plena probatione, ibidem remiss.

Non solum notorietas iuris ex quolibet capite prædicto; sed etiam omnis alia iudicialis notitia, & probatio, quæ moralem sententiæ certitudinem inducere possit, satis est ad hanc pollutiuarum actionum publicitatem. ibid.

Ad eandem proinde ex se non sufficit, quod eæ ad forum externum deductæ tantummodo sint, nisi etiam ita probatæ, & publicatæ sint, vt prædicta moralis certitudo in populo habeatur, vel præsumatur, num. 4.

Notorium iuris, seu in iudicio, & Notum in iudicio, seu iudicialiter probatum, quomodo inter se differant, num. 5.

1 Aduerto 1. difficultatem hanc inde esse, quod prædictas actiones per deductionem ad forum externum, seu contentiosum communiter fieri videmus publicas ex duplici capite, nimirum vel ex notorietate Iuris inde secuta, vel ex diffamatione tantũ earum actionum ob talem deductionem in populo orta.

2 Aduerto 2. quo ad secundum prædictorũ caput, quando scilicet populus, habita cognitione talis deductionis ad forum externum, tales actiones ob tale indicium credit, etiamsi de ijs nondum per iudicialem notitiam ipsi constet, nihil hic dicendum esse, quia inferius, dum de publicitate prædictarum actionum ex fama sermo erit, fusè agemus.

3 Aduerto 3. quicquid sit, an ad notorietatem iuris, seu probatam, seu præsumptam, pro vt eam passim distinguunt auctores, si ca propriè, & strictè accipiatur, quatenus ambiguitatẽ omnẽ excludit, sufficiat scientia iuridica non solum ex spontanea confessione reorum in iudicio facta, vel ex sententia definitiua, & irreuocabili; sed etiam ex conuictione, seu plena probatione per legitimos testes, & c. qua de re videri possunt *Butr. de Notorio, art. 2. Capra de eodem, membro 1. & 2. Mascard. V. Notorium, conclus. 1107. Seraph. decis. 73. num. 2. & decis. 376. num. 8. Nauar. c. 25. num. 73. Molin. tom. 2. disp. 333. §. Quod vero. Tolet. lib. 5. c. 36. §. Ille dicitur. Thesaur. de pœnis Ecclesiast. p. 1. c. 21. conclus. 2. Vers. Notorium iuris. Guazzin. fil. in tract. moral. ad defens. anim. l. 2. defens. 2. c. 18. nu. 3. 8. & seq. & Leo in Praxi Pœnitentiariæ Apostol. p. 2. de formul. dispensat. matrimon. §. De Notorio iuris*, certè in ordine ad hanc actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem inducendam satis esse non modo propriam, & claram omnem iuris notorietatem; verum etiam omnem aliam probationem iudicialem, quæ ad sententiam prudenter ferendam, ac proinde ad publicam fidem faciendam, & moralem certitudinem inducendam sufficiat, pro vt communiter docent auctores cum *Franeisc. de Lugo, de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 12. num. 79. & Mazucbel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. diffic. 3. n. 35.* Hinc

4 Dico ad prędictam pollutiuarum actionũ publicitatem ex notorietate, vel notitia iudiciali non sufficere ex se, quod eæ ad forum externum deductæ tantum sint, nisi etiã ità probatæ, & publicatæ sint, vt moralis inde certitudo prędicta in populo habeatur, vel præsumatur, patet ex mox allegatis *num. 3.* & ex *Graff. decis. aur. p. 1. l. 1. cap. 13. num. 44. Viuald. in Candelab. aur. vbi de Excommunic. num. 42. Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 37. num. 12. Fagund. de 2. Eccles. præcep. l. 8. c. 8. nu. 26. & DD. Salmanticensibus apud eundem.* Dixi autem solam deductionem ad forum non sufficere ex se, quia per accidens aliquando, pro vt superius dicebamus *num. 2.* hoc indicium vel iure, vel iniuria satis erit fortasse in populo ad eas credendas, quæ populi credulitas, an ad Ecclesiæ pollutionem saltem in foro externo inducendam sufficiat, alibi inferius dicemus.

5 Colligo proinde cum *Capra de Notorio, membr. 1. num. 49. & 50.* & alijs apud ipsum, differentiam hanc esse inter Notorium iuris, seu in iudicio, & Notum in iudicio, seu probatum iudicialiter, quod illud debet esse omnino certum, & indubitatum; istud autem non ità, pro vt ex iam dictis patere potest.

CAPVT XI.

An ad prędictam actualem actionum Ecclesię pollutiuarũ publicitatem sufficiat, quod eæ sint mox publicandæ; licet nondum actu sint publicatæ.

SVMMARIVM.

Quomodo publicitas omnis pollutiuarum actionum requirat populi notitiam, vel immediatè, vel mediatè, num. 1.

Sententia

Sententia ipsa non inducit publicitatem, nisi publicè, seu in iudicio publico lata sit. ibid.

Quandonam non solum maior; sed etiam magna tantum pars populi inducat publicitatem, ex quo declaratur, quod iam cap. 5. num. 8. *dictum est, & exempla talium casuum indicantur, num. 2.*

Publica præsumuntur, quæ cum illis gesta sunt circunstantijs, vt mox moraliter certo in populi notitiam, ac credulitatem deuentura credantur, num. 3.

Licet aliquid allegari possit ad notorietatem offuscandam; sufficit tamen, si ea in communi, attento cursu regulari, & naturali, clara sit, & indubitata. ibid.

Ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem præsumendam sufficit, quod ex prudentis arbitrio mox sint moraliter certo publicandæ, num. 4.

Cum primum actio Ecclesiæ pollutiua incipit fieri publica, quid agendum sit, num. 5.

1 ADuerto 1. cum omnis publicitas absq. dubio requirat populi notitiam, & credulitatem aut immediatè ex euidentia facti, aut mediatè ex notorietate iuris, vel notitia iudiciali, seu etiam ex manifestatione, vel fama, vt apertè docet *Capra in tract. de notorio*, ante primum *membr. num. 10. & membr. 1. num. 22. Mascard. conclus.* 1102. *num.* 31. & alij apud eos, qui dicunt nec per sententiam ipsam induci notorietatē, immo nec publicitatem, nisi ea lata sit publicè, seu in publico iudicio, vt populo pareat, propterea hic etiam merito difficile videri, quomodo ante actualem prædictarum actionum publicationem per eas actualiter Ecclesia pollui possit.

2 Aduerto 2. cum tamen iam *Cap. 5. num. 8.* dixerimus ad euidentem pollutiuarū actionum notorietatem aliquādo sufficere posse, si non maior, sed tantum magna pars populi ad eas aduerterit, quando, scilicet, arbitrio prudentis inde facile, & breui ad alias fama peruasura censetur, ita vt cuiuis innotescere possit, vt euidenter patet ex adductis exemplis apud *Thesaur. de Pœnis Ecclesiast. p. 1. c. 2. concl. 2. & Gerundam de Episcopo lib. 2. disp. 5. c. 3. num.* 13. idcircò idipsum quoque fortasse hic dicendum esse, nisi disparitatis ratio sufficienter assignetur.

3 Aduerto 3. quia fama verè volat, & de proximo accingendus haberi solet pro accincto, hinc fieri, vt ea publica præsumantur, quæ cum illis gesta sunt circunstantijs, vt in populi notitiam, ac credulitatem mox deuentura prudentis arbitrio credantur; quamuis absolutè nondum actu deuenerint, pro vt egregiè docuere *Thesaur. de Pœnis Eccles. p. 1. c. 21. conclus. 2. & Gerunda de Episc. l. 2. disp. 5. c. 3. num. 12. & 13.* & explicatur à simili in notorietate tàm iuris, quàm facti: licet enim ad eam offuscandam aliquando aliquid allegari possit; tamen ad eam sufficit, quod in communi, attento cursu regulari, & naturali, ea sit clara, & indubitata, vt optimè dixerunt *Capra ibid. membr. 2. nu. 2. & Mascard. l. c. conclus.* 1101. *num.* 8. cum alijs ab vtroque adductis.

4 Dico ad prædictam actualem pollutiuarū actionum publicitatem præsumendam sufficere, quod ex moraliter certo, ad prudentis arbitrium, sint mox publicandæ; *licet* actu nondum sint absolutè publicatæ. patet ex iam dictis: vnde in tali casu earum publicitas, cum sit iam præsumptiuè præsens, præsumptiuè etiam actualem inducit Ecclesiæ pollutionem. ità apertè *Megal. Instit. Peregrina p. 1. l. 1. c. 13. num. 8. in fine.*

5 Colligo cum *Barbosa de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 28. num. 39. in fine, & Pace Iordano var. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 66.* prudenter facturum Parocum, vel alium, penes quem talis Ecclesiæ cura sit, si, cum primum actio Ecclesiæ pollutiua inceperit fieri publica, ad Episcopum negotium deferat, qui præhabita diligenti inquisitione, & commissione, determinet, an Ecclesia polluta sit habenda, & reconciliatione indigeat, sitque interim in ipsa à Diuinis Officijs abstinendum.

CAPVT XII.

An ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatē sufficiat, quod eæ sufficienter in iudicio probatæ, & publicatæ sint; licet populus eas falso probatas fuisse credat, vel contra.

SVMMARIVM.

Casus iste quomodo dupliciter contingere possit, num. 1.

Difficultas hæc omnis in duplici puncto consistere videtur, & quanam ea sint, num. 2.

Difficultas hæc locum habere potest in quacumq. notitia, quam populus habeat siue ex notorietate iuris, siue ex manifestatione, siue ex fama;

fama; non tamen ex euidentia facti, num. 3.
Ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem non sufficit iudicialis earum probatio, & publicatio, nisi populus eas actiones reipsa in Ecclesia patratas fuisse credat, num. 4.
Neque ad prædictam pollutiuarum actionum publicitatem per se sufficit sola populi credulitas, seu communis opinio, nisi etiam prædictæ actiones verè, & reipsa in Ecclesia patratæ sint, num. 5.
Interna populi credulitas, cum sit inter occulta cordium, quomodo prædictam publicitatem semper facere dubiam videatur, num. 6.
Occulta cordis credulitas quomodo exterius manifestetur, num. 7.
Vnusquisque præsumitur interius ita sentire, vt exterius loquitur. ibid.
Ad prædictam credulitatem, seu populi opinionem, quæ ad publicitatem omnem opus esse diximus, quare non sufficiat populi suspicio, & multominus dubium solum, num. 8.

1 ADuerto 1. casum hunc, pro vt in themate innititur, dupliciter contingere posse: Primo in suppositione, quod eæ actiones verè, & reipsa in Ecclesia patratæ sint, & verè proinde in iudicio probatæ, & publicatæ sint; sed nihilominus eæ à populo pro falsis habeantur, & fictæ reputentur: Secundo in suppositione, quod eæ actiones verè, & reipsa in Ecclesia patratæ non sint, & falso proinde in iudicio probatæ, & publicatæ sint; sed nihilominus eæ à populo pro non fictis habeantur, & veræ reputentur.

2 Aduerto 2. difficultatem hanc omnem propterea in duplici puncto consistere: Primum est, an ad hoc, vt factum aliquod dici possit publicum, requiratur, vt populus illud vere factum fuisse credat; vel sufficiat tantũ, quod populus factum illud narratum, seu etiam affirmatum, & probatum fuisse intelligat. Alterum verò est, an ad hoc, vt factum aliquod publicum dici possit, sufficiat tantum, quod populus id factum fuisse intelligat, & credat; vel requiratur, vt factum illud verè factum fuerit, & reipsa fictum non sit.

3 Aduerto 3. difficultatem hanc locum habere posse non solum hic, vbi proprie de notitia habita ex iudicialibus probationibus agitur; sed etiam vbicumque populus facti euidentiam non habet, & (siue probabiliter, siue improbabiliter) aliter sentit, quam facti ipsius siue fama, siue manifestatio, siue etiam iudicilis probatio exposcant, vt infra videbimus.

4 Dico 1. ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum, & verè in Ecclesia patratarum publicitatem non sufficere solam iudicialem earum probationem, & publicationem, nisi etiam populus eas ipsas actiones reipsa in Ecclesia vere patratas fuisse credat. Ratio est, quia eæ tunc non sunt verè publicæ, cum desit eis populi credulitas, seu communis opinio, quæ, vt superius etiam diximus, ad omnem omnino publicitatem necessaria est: quomodo enim publicum v. g. homicidium dici potest, quod neque factum fuisse populus putat? colligitur ex *Specul. l. 3. part. 1. de Notorijs crimin. Syluest. V. Fama, num. 2. argum. Cap. Presbyter, si à plebe, 2. qu. 5. Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 103. nu. 7. 8. & 9. Farinac. q. 47. num. 252. Sanch. consil. moral. lib. 6. c. 3. dub. 4. & Thesaur. l. c. p. 1. cap. 21. conclus. 2.*

5 Dico 2. neq. ad prædictam pollutiuarum actionum publicitatem per se sufficere solam populi credulitatem, seu communem opinionem, nisi etiam eæ actiones vere in Ecclesia patratæ sint; dixi *per se*, quia fortasse propter scandalum aliquando pro foro externo communis credulitas sufficiet, donec veritas pateat. Ratio conclusionis est, quia tunc ea populi credulitas, & communis opinio per se sine earum actionum veritate inanis, & vana omnino est: factum autem reipsa publicum esse non potest, quod reipsa factum non sit, vt melius etiam patebit ex inferius dicendis de publicitate ex fama.

6 Dices nemo certo scit occulta cordium, nec videt internam populi credulitatem, ergo, si hæc requiritur ad prædictam actionum publicitatem, prædicta earum publicitas nunquam certa erit; sed semper sub dubio: in dubio autem, num factum aliquod sit publicum, cum facti publicitas sit quid facti, nec præsumatur, nisi probetur, potius illud occultum, quam publicum censeri poterit.

7 Respondeo, licet interna mentium credulitas non sit externis hominum sensibus euidens; eam tamen sufficienter colligi saltem ex ipso aperto, & claro verborum sensu, quæ credulitatem hanc inferant, vel etiã ex tacita subintelligentia, & interpretatione hominum iuxtà communem vsum loquentium. vnde ex hoc, quod v. g. maior pars populi aliquid sic factum fuisse dicit, colligi potest, quod maior pars populi illud sic factum fuisse sentiat, nam vnusquisque præsumitur loqui, pro vt sentit, ex *Capel. Tolos. q. 38. num. 9. & Farinac. l. c.*

8 Colligo, cum suspicio solum dicat inclinatio-

nationem in vnam partem absque assensu, vt cum communi docet *Bardi de Conscientia, discept. 5. c. 1. num. 7.* requiratur autem ad prædictam actionum publicitatem,vt populus eas credat, & veras putet, ad quod assensu intellectus opus est, propterea ad eādem actionum publicitatem non sufficere, quod populus eas actiones veras esse solummodo suspicetur, & multo minus sufficere, quod populus tantum dubitet, vt per se notum est.

CAPVT XIII.

An ad prædictam pollutiuarũ actionum publicitatem sufficiat, quod vna magna pars populi eas esse veras dicat; licet alia magna pars eas esse veras neget.

SVMMARIVM.

Quandonam non sufficiat ad pollutiuarum actionum publicitatem, quod magna populi pars eas norit, & credat, num. 1.

Partes populi quam diuersimode considerari possint ad hanc rem, num. 2.

Hæ populi partes diuersæ tàm in publicitate notoria, quàm manifesta, & famosa locum habere possunt, num. 3.

Si populi medietas prædictas actiones affirmet; alia verò neget, cur actiones illæ pro publicis habendæ non sint, num 4.

Maior populi pars prædictas actiones affirmans semper sufficit ad earum publicitatem; aliquando autem minor etiam pars, num. 5.

*Quando populus diuisus est in tres partes, affirmantem, negantem, & indifferentem, semper Iudicis arbitrio relinquitur, num pars affirmans ad prædictam actionum publicitatem sufficiat, nec ne, num.*6.

*Quid dicendum sit, quando altera populi pars eas affirmat ex euidentia facti, altera ex Iudicis sententia negat, vel contra,n.*7. *&* 8.

Qui ex euidentia facti sciunt sententiam pro Ecclesiæ pollutione latam in falsitate fundari, cur non teneantur ad eam in foro conscientiæ; sed ad summum fortasse in foro exteriori. num. 9.

1 ADuerto 1. licet superius dixerimus aliquando ad prædictarum Ecclesiæ pollutiuarum actionum publicitatem sufficere, quod magna pars populi eas noucrit, quando nimirum moraliter impossibile est, quod etiam alijs non innotescant; pro vt clarè inter alios docuit *Laym.l.3.tr.3.p.2.c.3.nu.8.* qui proinde dixit in populo v.g. centum habitatorum sufficere, quod quindecim delictum intellexerint; tamen hic aliter discuttendum esse, cum simus in casu, in quo contrarius alterius magnæ partis populi sensus certam illam publicitatis, quæ alias haberi potuisset, spem, & moralem præsentiam infringit.

2 Aduerto 2. prædictas populi partes diuersimode considerari posse: Primo vel per se, solas, & singulas, vel vt coniunctas, si non re, saltem spe, cum tertia quadam populi parte, quæ nihil de talibus actionibus sciat, vel in dubio sit: Secundo vel vt numero æquales inter se, vel vt inæquales: et Tertio vel vt rationum, & auctoritatis pondere pares, vel vt impares, quod ex sequentibus conclusionibus clarius constabit.

3 Aduerto 3. hanc partium in populo prædictas actiones affirmantium, & negantium diuersitatem cõtingere aliquando posse tàm in publicitate notoria, quàm manifesta, & famosa, pro vt rem acrius intuenti planum fiet.

4 Dico 1. Si populus diuisus sit in duas partes æquales, quarum vna prædictas actiones Ecclesię pollutiuas in Ecclesia patratas fuisse sentiat; alia vero id perneget, prædictarum actionum publicitatem in prædicto casu remanere dubiam, ac proinde in dubio contra publicitatem standum esse, & contra Ecclesiæ pollutionem, quia possessio stat pro Ecclesiæ libertate à pollutionis impedimento, vt ex iam superius disputatis liquet.

5 Dico 2. Si populus diuisus sit in duas partes inæquales, & maior pars prędictas actiones in Ecclesia patratas fuisse credat, certum esse ex iam dictis, quod prædictæ partis affirmatio sufficiat ad prædictarum actionum publicitatem, quia maior populi pars populum facit, seu repræsentat; non verò minor illius pars; nisi quando minoris partis notitia in reliquum etiam populum mox deuentura speratur, & præsumitur, ita vt moraliter iam deuenisse dici possit, quod ex prędictis clarum est.

6 Dico 3. Si populus diuisus sit in tres partes, quarum vna prædictas actiones nec affirmet, nec neget; sed vel nihil sciat, vel indifferens, & dubia omnino sit, tunc Iudicis arbitrio relinquendum esse; num pars affirmans, vel pars negans (quocumque ex capite eas affirment, vel negent) ipsarum partium numero, auctoritatis, ac rationum

pondere,

pondere, & similibus inspectis, secum attractura sit partem illam neutralem, quam mox dicebamus: sicuti etiam Iudicis arbitrio remittendum diximus, quandonam ex personarum numero prædictæ actiones in populo notoriæ dicendæ sint, vel etiam (vt infra videbimus) manifestæ, vel famosæ, ac proinde tunc Iudicis sententiam expectandam esse.

7 Dico 4. Si medietas populi sciat ex euidentia facti prædictas actiones Ecclesiæ pollutiuas in Ecclesia patratas fuisse; alia verò populi medietas sciat ex Iudicis sententia legitimè, & publicè lata eas in Ecclesia patratas non fuisse (siue id ex malitia testium, siue ex ignorantia Iudicis, siue alia de causa prouenerit) hoc non sufficere ad actualem prædictarum actionum publicitatem, quia in tali casu prædictæ actiones nec sunt rigorosè, & actualiter notoriæ notorietate facti, nam vni, & soli tantum populi medietati euidenter notæ sunt, & non toti populo, nec maiori illius parti, vt suppono, nec etiam moraliter, & præsumptiuè publicæ sunt toti populo, aut maiori illius parti ex manifestatione, vel fama, quæ inde mox necessario consurgere, & eredi debeat, quia Iudicis sententia in contrarium lata hanc præsumptam verisimilitudinem, & moralem certitudinem aufert, quod reliquus populus potius alijs extra iudicium prædictas actiones affirmantibus crediturus sit, quam Iudicis sententiæ: immo, cum vnusquisq. potius præsumatur verum dicere in iudicio, & cum iuramento, quam extraiudicialiter, & libere, semper credibilior habenda est Iudicis sententia, quam quælibet alia populi assertio, vt colligitur ex *Capra de notorio memb. 4. nu. 94.*

8 Dico 5. Si medietas populi sciat ex euidentia facti prædictas actiones non fuisse in Ecclesia patratas; alia verò medietas sciat ex Iudicis sententia legitimè, & publicè lata eas in Ecclesia vere patratas fuisse, hoc non sufficere ad prædictam talium actionum publicitatem, quia ex nec actualiter creditæ sunt à maiore populi parte, nec moraliter tales reputari possunt, nam sententiæ à Iudice latæ credibilitati obstat in reliqua populi medietate, vt suppono, facti euidentia, quæ semper apud illos, qui talem euidentiam habent, contrariam quamcumq. Iudicis sententiam vanam, & nullam reddit, ex eodem *Capra ibid. num. 92.* qui enim euidenter rei veritatem cognouere, quomodo alijs potius, quam sibi ipsi credere poterunt? De populo autem in tres partes diuiso iam dictum est *num. 6.*

9 Colligo eos, qui ex euidentia facti sciunt sententiam pro Ecclesiæ pollutione latam falsitati innixam esse, vere non teneri in foro conscientiæ ad prædictam sententiam seruādam; sed ad summum fortasse in foro exteriori ob scandala, quæ inde oriri possent.

CAPVT XIV.

An ad actualem actionum Ecclesiæ Pollutiuarum publicitatem, siue Manifestam, siue saltem Famosam, sufficiat, quod eæ populo innotuerint ex scientia vnius tantū, vel etiam ex quacumq. vulgi voce.

SVMMARIVM.

Publicitas Notoria, Manifesta, & Famosa in quo conueniant, & in quo differant, num. 1.

Manifesta publicitas quomodo sit quid medium inter Notoriam, & Famosam. num. 2.

Manifestum impropriè pluribus modis accipitur. ibidem.

Ad publicitatem propriè Manifestam non requiritur scientia totius populi, aut maioris partis eius, nec sufficit tamen scientia vnius, aut alterius tantum. ibid.

Quot hominum scientia requiratur ad Manifestum proprie inducendum, Iudicis arbitrio relinquitur. ibid.

Fama quid sit, vnde procedere possit, vnde proprie, & in quo formaliter consistat, num. 3.

Ad publicitatem Famosam inducendam quot hominum numerum requiratur, Iudicis item arbitrio remittendum. ibid.

Vana vox, & rumor in populo sine verisimilium coniecturarum fundamento non debet dici, nec est vera Fama. ibid.

Ad Famosam prædictarum actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem sufficit scientia vnius tantum, si accedat publica Fama; non tamen ad Manifestam, num. 4.

Scientia trium, vel quatuor personarum aliquando sufficere potest ad publicitatem etiam Manifestam, dummodo ei accedat prædicta populi notitia ex illorum relatione, num. 5.

Ad Famosam publicitatem earundem actionum non sufficit vana vox, vel rumor inuerisimilis in populo de ijdem, num. 6.

Vana vox populi, i. sine verisimilium coniectu-

V rarum

rarum fundamento, præsumi debet non credita ab illo, num. 7.

Quid dicendum esset, si ea temere crederetur à populo, siue veritas, siue falsitas à parte rei subesset tali communi, & vulgatæ voci, ibidem.

1 ADuerto 1. licet superius dixerimus ad pollutiuarum actionum publicitatem sufficere, quod eæ à populo cognitæ, & credita fuit, siue super notorietatem facti, vel iuris, siue per manifestationem, vel famam euenerit; nihilominus adhuc videndum superesse, num omnis earum actionum Manifestatio, vel Famositas sufficiat ad prædictam earum publicitatem. cum ergo ad prædictarum actionum publicitatem, siue illa ex notorietate facti, vel iuris, siue ex manifestatione, siue ex fama proueniat, semper necessaria sit, ex iam dictis, actualiter, vel moraliter populi, vel maioris illius partis notitia, nec quo ad hoc vlla sit inter prædictas omnes publicitates diuersitas; sed tantum quo ad originem, vel modum, vnde earum actionũ notitia in populum deuenerit (Notoria enim publicitas oritur, vt iam innuimus, ex facti, vel iuris euidentia in toto, vel in maiori parte populi, quæ nulla tergiuersatione celari possit; Manifesta nascitur ex relatione plurium, qui certam scientiam habent; Famosa autem prouenit formaliter ex verisimilibus tantum coniecturis) propterea opportune hic vlterius quæritur, num ad prædictarum actionum publicitatem aliquam sufficiat quæcumque communis vulgi vox, vel etiam vnius tantum diuulgantis scientia.

2 Aduerto 2. publicitatem proprie Manifestam (Manifestum enim impropric pluribus modis accipi solet, vt videre est apud *Mascard. de prob. conclus. 1014. n. 13. & seqq.*) proinde esse quid medium inter Notoriam, & Famosam: Notorium enim consistit in euidentia, vel certa scientia totius populi, vel maioris partis, vt suo loco iam dictum est: Famosum excludit scientiam, & admittit solam diuulgationem, seu proclamationem communem: Manifestum vero admittit tum scientiam plurium, tum populi proclamationem simul, quæ processerit ab illis pluribus, & participare idcircò videtur tum ex Notorio, tum ex Famoso, vt ex se patet. Dixi *plurium*, quia, licet ad Manifestam publicitatem non requiratur scientia totius populi, vel maioris partis; alioqui nõ distingueretur à publicitate Notoria; non sufficit tamen scientia duorum, vel trium tantum, quia hic numerus, licet sufficiat ad probandum Manifestum; non sufficit tamen ad illud faciendum, alioqui Manifestum non distingueretur à Probatione, vt egregiè dixit *Mascard. loco inferius citando*, cum ergo Doctores diuersimode sentiant, quot nomine plurium veniant ad faciendum Manifestũ, & aliqui quinque hominum scientiam requirant, vt *Tolet. l. 1. c. 74.* alij sex, vel octo, vt *Specul. in tract. de notorijs crimin. §. 7. de Manifesto, in principio, & Butr. de notorio, art. 2. n. 19.* hoc relinquendum videtur Iudicis arbitrio, sicut de Notorio dictum est: Manifestum enim regulatur à Notorio, ità vt si Notoriũ requirat scientiam decem hominum, Manifestum expetat quinque; si Notorium quindecim exigit, Manifestum velit septem, & sic de cæteris pro communitatum diuersitate, iuxtà superius dicta. ità *Leo in praxi Penitentiariæ Apostol. p. 2. de formul. dispensat. Matrim. §. Quit sit Manifestum, in fine*, & ibi ab eo allegati *Bald. in L. ea quidem, C. de accusat. Menoch. de arbitrar. Iudic. l. 2. cent. 2. cas. 166. Butr. l. c. nu. 20. & Mascard. de probat. conclus. 1014. per totam.*

3 Aduerto 3. licet Fama quandoque procedat ex scientia, quandoque ex suspicione, quandoque ex certo, quandoque ex incerto auctore, & quandoque ex dicto vnius; propriè tamen procedere ex incerto auctore, & ex sola suspicione: vnde Fama proprie describi solet, quod sit Communis locutio de aliqua re ex verisimilibus coniecturis surgens, i. talibus coniecturis, quæ videantur rei veritati consentire; vana enim vox, & rumor in populo, si sit sine vllo verisimilium coniecturarum fundamento, vere Fama non est, *L. 3. §. eiusdem, ff. de testibus. Bart. in L. de minore, §. plurimum, num. 18. ff. de quæstion. Gloss. in Cap. Inquisitionis, & Cap. Cum oporteat, de accusat, Specul. & Leo ll. cc.* Famosum autem dicitur, quod fama noscitur, ideoq. de numero hominum requisito ad legitimã famam inducendam idipsum dicendum est, quod de Notorio, & Manifesto iam dictum fuit; Iudicis nimirum arbitrio id ex cõmuni sententia relinquendum esse pro personarũ, & circunstantiarum qualitatibus, nec non pro loci, vel Communitatis magnitudine, vel angustia: eadem enim ex eodem *Leone s. l. c. §. Quid sit Famosum*, militat ratio in omni publicitatis specie, vt etiam ex re ipsa notum est.

4 Dico 1. scientiam vnius tantũ, cui accedat publica fama, sufficere quidem ad Famosam publicitatem prædictarum actionum Ecclesiæ pollutiuarum; non sufficere tamen ad publi-

publicitatem propriè Manifestam, quatenus hæc propriè ab alijs publicitatibus distinguitur, pro vt superius traditum fuit, & ratio est, quia, cùm famosum non fundetur in certa scientia; sed formaliter consistat in sola communi proclamatione ex verisimilibus coniecturis orta, propterea etiam prædictum vnius tantum testimonium ad legitimam famam fundandam satis esse potest; sed, cum ad Manifestam publicitatem requiratur necessario scientia certa, non quidem in toto populo, nec in maiori illius parte, quia tunc esset Notoria publicitas; sed certè in pluribus, aut ex euidentia facti, aut ex confessione in iudicio, vel extra, aut ex legitima probatione, aut etiam ex coniecturis, & præsumptionibus à iure approbatis, idcirco sola, & simplex vnius assertio, licet sit omni exceptione maior, adhuc est nimis debilis, & veluti incerta, cum omnis homo sit mendax, vnde non sufficit ad illam certam sc. etiam, ex qua oriri debet Manifesta publicitas. ità apertè *Mascard. & Leo, vbi supra*.

5 Dico 2. licet scientia trium, vel quatuor, cui etiam famosa proclamatio accesserit, ordinarie non sufficiat ad publicitatem propriè Manifestam, pro vt ex dictis facile colligi potest, & docet expresse, *Bart. in l. Haredes palam, in principio, ff. de testam. & in L. Si vero, §. qui pro ea, ff. qui satisdar. cogant. Abbas, atque Grilland. cum Mascardo l. c. num. 8. & 9.* tamen scientiam trium, vel quatuor tantum aliquando etiam sufficere posse ad prædictarum actionum publicitatem propriè manifestam, quando nimirum populus, vel communitas aliqua constaret decem tantummodo personis; sicuti enim sex tantum tunc sufficerent ad facti notorietatem, ita tres tantum (qui sunt dimidia illorum pars, qui ad Notorium requiruntur) ad Manifestum sufficerent ex iam traditis; dummodo illorum trium, vel quatuor scientia ad maiorem saltem populi partem diuulgata fuisset, quia semper hæc publica notitia ad omnem publicitatem omnino necessaria est, vt sæpius iam admonuimus.

6 Dico 3. neque ad prædictarum actionum publicitatem famosam sufficere, quod de eis vana quædam vox, vel rumor aliquis in populo sine sufficienti verisimilium coniecturarum fundamento surrexerit, cum enim hę vanæ populi voces vere non sint vera fama ex iam dictis, idcirco prædictas actiones Ecclesiæ pollutiuas facere nequeunt famosas: vnde tales actiones, licet vere patratæ sint in Ecclesia, & licet vere prædictæ voces in populo diuulgatæ sint; si tamen hæ careant verisimilibus coniecturis, in quo Iudicis arbitrio stādum erit, adhuc vere publicitate famosa carebunt, quia nondum per veram famam publicatæ erunt, vt ex prædictis apertè inferri debet.

7 Colligo, quamuis fama sufficiat, vt prædictæ actiones dicantur, & sint vere publicæ, ex *Cap. Tua de cohabit. cler. & mul. vbi, Si vera publicum est non ex euidentia; sed ex fama*, pro vt bene aduertit *Megal. instit. peregrin. p. 3. l. 1. cap.* [illegible] quia, cum [illegible] verisimilibus coniecturis orta, & communi hominum voce proclametur, præsumendum est, quod ea etiam interius credatur à populo; nihilominus, si ea verisimilibus coniecturis careat, præsumendum esse, quod à populo non credatur, ac proinde, quod non faciat veram publicitatem, ad quam semper requiri communem populi credulitatem, seu opinionem satis, superq. diximus *cap. 12.* si autem inuerisimilis ea vox communis, licet temere; tamen vere crederetur à populo, tunc per prædictas actiones, si eæ vere in Ecclesia patratæ fuissent, vere in vtroq. foro Ecclesia esset polluta; si vero eæ in Ecclesia vere patratæ nō fuissent, & proinde communis populi vox de ijs non modo temere, & sine fundamento verisimilium coniecturarum; sed etiam falso surrexisset, tunc, etiam si ea inuerisimilis, & falsa vox à populo crederetur; tamen Ecclesia non nisi in foro externo, qui rei veritatem nesciret, & præsumptionibus niteretur, habenda esset pro polluta, donec veritas ipsa temerariam, & falsam populi credulitatem, & temerariam, ac falsam inde publicitatem exortam sustulisset, & prædictarum actionum occultationem induxisset, immo earundem negationem publicasset, pro vt etiam innuebamus *d. cap. 12. nu. 5.*

CAPVT XV.

An ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarū publicitatem sufficiat, quod eæ singulis ex populo notæ sint; licet isti ignorent eas etiam populo notas esse.

SVMMARIVM.

Actio Ecclesia pollutiua singulis ex populo innotescere potest priuatim, & publicè, nu. 1.

Quid sit esse priuatim publicum, *&* publicè publicum. *ibid.*

Quomodo id locum habere posse videatur non

solum in publicitate Manifesta, & Famosa; sed etiam in Publicitate Notoria notorietate facti, num. 2.

Cur tamen vere locum non habeat in Publicitate ex euidentia facti, nu. 3.

Ad actualem actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem requiritur, vt ea publicè publica sint, num. 4.

Ad eandem etiam cur requiratur non solum, vt populus & sciat, & credat eas tunc, quando earum publicitas asseritur, sed etiam, vt tunc ea sint publicè nota populo, nec sufficiat eas publicè notas eidem antea fuisse, num. 5.

1 ADuerto 1. factum aliquod, v. g. homicidium in Ecclesia perpetratum, posse innotescere toti populo, vel maiori illius parti, dupliciter; hoc est, priuatim, & publicè: Si enim v. g. homicida homicidium à se commissum narret priuatim amico, & amicus ille alteri eodem modo, & sic de cæteris, donec priuatim singulis ex populo, vel ex maiore illius parte prædictum homicidiũ narratum sit, tunc tale homicidium vere notum erit toti populo, vel maiori illius parti; sed priuatim, & quodammodo dici poterit *Priuatim Publicum*, quia singuli quidem illud norunt; sed tamen illud singulis notum esse singuli ignorant. Si verò singuli ex populo, vel ex maiori illius parte, non solum priuatim sciant tale homicidium in Ecclesia perpetratum fuisse; sed etiam sciant populum, vel maiorem illius partem scire homicidium prædictum, tunc vere tale homicidium erit publicè populo notum, & quodammodo *Publicè Publicum*. vnde hic quæritur, num ad prædictam publicitatem pollutiuarum actionum sufficiat; quod eæ sint *Priuatim Publica*, vel requiratur, vt sint *Publicè Publica*.

2 Aduerto 2. dubitari item ab aliquibus posse, num hæc quæstio locum habere possit non solùm in publicitate Manifesta, vel Famosa; sed etiam in Notoria notorietate facti; si enim ij, coram quibus prædictum homicidium commissum fuit in Ecclesia, essent maior populi pars, & singuli quidem ex illis ad illud homicidium aduertissent; ad aduertentiam autem aliorum non aduertissent, tunc tale Homicidium videretur quidẽ singulis priuatim notum ex euidentia facti; sed non videretur singulis publicè notum, quia illud esse etiam cæteris notum singuli nescirent.

3 Aduerto 3. cum in publicitate ex euidentia facti semper præsumptio faueat prædictæ publicitati, & eo ipso, quod eæ actiones fiunt coram populo, singuli ex tali populo præsumantur non solum ad eas, sed etiam ad ipsius populi ibi præsentis aduertentiam aduertere, quandoquidem eadem est ratio de prædictarum actionum, ac de aduertentiæ ad illas notorietate, propterea verè prædictæ huic quæstioni locum esse tantum in publicitate Manifesta, vel Famosa, in quibus aliquid esse potest alicui priuatim, & non publicè notum; non autem in publicitate ex euidentia facti, in qua factum semper publicè notum præsumitur.

4 Dico ad actualem prædictarum actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem non sufficere, quod singuli ex populo, vel ex maiori illius parte illas in Ecclesia factas fuisse priuatim sciant, & credant; sed etiam requiri, vt ijdem idipsum publice sciant, idest, vt sciant etiam eas actiones in Ecclesia factas sciri, & credi à populo ipso, alioqui prædictarum actionum notitia non erit publica; sed priuata tantum, licet ad singulos ex populo priuatim deuenerit, quod proinde ad veram prædictarum actionum publicitatem satis non est. ità *ex Gloss. in L. 3. §. eiusdem, V. consentiens, ff. de testib. Cap. Presbyter si à plebe, 2. q. 5. Cap. Si mala fama, 2. q. 5. Sanchez. Consil. moral. l. 6. c. 3. dub. 4. Leo in prax. Pœnitentiariæ, p. 2. de formul. dispens. matrim. §. Quid sit fama*, & huc faciunt tradita per *Farinac. quæst. 47. de indic. & tort. n. 253. & sequent.*

5 Colligo; cum fama includat hominum opinionem, & opinio mutari possit, ad prædictam actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem Famosam (quod etiam seruatis seruandis valere potest in Manifesta publicitate) non solum non sufficere, quod populus antea eas crediderit, nisi eodem tempore eas credat, in quo illarum publicitas asseritur; sed etiam requiri, vt populus eas eodem tempore publice sciat, & credat; licet enim eæ antea populo publice notæ fuissent; sed tunc quando earum publicitas asseritur, priuatim tantum singulis ex populo notæ essent, eo quod v.g. singuli ex populo tunc putarent falsum esse, quod eæ actiones publice alijs notæ essent, in tali casu idipsum dicendum esset, quod iam in conclusione diximus, quia notitia publica euanuisset, & priuata, quæ remansit non sufficeret, prout iam diximus.

CAPVT

CAPVT XVI.

An ad actionum Ecclesiæ pollutiuarũ publicitatem occultandam sufficiat, si pollutionis Ecclesiasticæ inde secutæ inobseruantia ab Ecclesia toleretur, ac si eæ occultæ fuissent.

SVMMARIVM.

Occulta aliquando dicuntur, quæ ab Ecclesia tolerantur, & tandiu occulta, quandiu tolerata, num. 1.

Quænam dicantur tolerari ab Ecclesia, & habeantur, vt occulta, num. 2.

Excommunicatorum cur aliqui dicantur tolerati ab Ecclesia; alij verò non tolerati. ibid.

Quomodo pro præsenti difficultate casus aliquando contingere possit, num. 3.

Ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem occultandam non sufficit, si pollutionis Ecclesiasticæ inde secuta inobseruantia ab Ecclesia toleretur, num. 4.

Textus, & Glossa Cap. Vestra, de cohabitat. Cler. & mulier. *quare conclusioni nostræ non aduersentur, exponitur*, num. 5.

Prædicta inobseruantia tolerantia intolerabilis error dicendus potius est, quam legitima tolerantia, num. 6.

1 ADuerto 1. dubitandi occasionem sumptam fuisse ex *Tex. & Glos. Cap. Vestra, de cohabitat. Cler. & mulier.* nec non *Cap. Scitote sitientibus*, 15. q. 8. vbi illa dicuntur occulta, quæ ab Ecclesia tolerantur, & tandiu reputantur occulta, licet plures sciant, quamdiu ab Ecclesia tolerantur; pro vt etiam adnotauit prædictus *Leo in Praxi Pœnitentiariæ part. 2. de Formul. dispensat. Matrimonial. §. Quotuplex sit occultum, vers. Textus autem*.

2 Aduerto 2. ea dici tolerari ab Ecclesia ex *Panormit. in d. Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mulier. col. 2. notab. vlt.* quæ non sunt deducta in Iudicium, neque sunt notoria notorietate facti. Hæc autem Ecclesiæ tolerantia operatur (ex eodem *Leone l. c.*) vt ex Ecclesiæ indulgentia delictum habeatur, ac si esset occultum: vnde propterea omnis excommunicatus ideo dicitur toleratus, nisi sit manifestus Clerici percussor vel denunciatus, quia Ecclesia adhuc tolerat, & permittit Fideles cum eo communicare, pro vt inter alios egregiè explicauit *Castropal. p. 6. disp. 2. punct. 4. num. 9.*

3 Aduerto 3. casum nostrum aliquando cótingere posse, si actio Ecclesiæ pollutiua vere in loco sacro patrata fuisset, & vero etiã ea publice populo nota, atque ab eodem credita esset; sed inde tamen pollutionis Ecclesiasticę inobseruantia publice quoque ab iis, qui eam ex officio impedire debuissent, tacitè toleraretur, non aliter, ac si eadem actio ibidem occultè tantum euenisset.

4 Dico ad actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem occultandam; siue ea sit ex euidentia facti, siue ex notorietate iuris, siue etiam ex manifestatione, vel fama sufficiente ad moralem certitudinem faciendam, non sufficere, quod pollutionis Ecclesiasticę inde secutæ inobseruantia ab Ecclesia prædicto modo toleretur, non aliter, ac si eæ occultæ fuissent. & ratio est; quia prædicta Superiorum tolerantia, cum non tollat pollutionis publicitatem, nec in ea legitimè dispenset (quód non nisi à Pontifice fieri posse suppono) nullo modo pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœnam, quæ ipso facto ad prædictarum actionum publicitatem consequitur, impedire potest.

5 Ad prædictum *Textum, & Glossam Cap. Vestra, de cohabit. Cler. & mul.* dico ibi sermonẽ esse de peccatore criminoso publico, vel occulto in ordine ad eũ vitandum in officijs, ideoque bene dictum fuisse, quod toleratus ab Ecclesia occultus reputetur; in tali enim casu nemo debet euitari, licet sit criminosus, & diffamatus, quandiu ab Ecclesia toleratur, vt benè dixit *Glos. in Cap. Quæsitum est, de cohabit. Cler. & mul. V. euitari*. vnde inde inferri non potest actionem aliquam, alioquin publicam, occultam fieri quo ad alios effectus, eo quod ea ab Ecclesia toleretur.

6 Colligo prædictam inobseruantiæ tolerantiam, si a Superioribus in hoc dispensare non valentibus, & actionum Ecclesiæ pollutiuarum publicitatem scientibus proueniat, non propriè tolerantiam; sed potius intolerabilem errorem appellandam esse, vt clarius etiam ex *Disputat. 9.* constabit.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA

De prima Pollutiuarum Actionum specie, seu primo Pollutionis Ecclesiasticę modo, hoc est, per Homicidium.

Vt inter actiones omnes Ecclesiæ Pollutiuas Homicidium ferè ab omnibus primo loco recensetur, ità etiam à nobis primo loco tractandum videtur. Quoniam autem Ecclesia non per omne Homicidium polluitur, vt ex inferius dicendis abundè patebit, idcircò, vt Homicidia Loci Sacri pollutiua à non pollutiuis dignoscamus, in primis, quæ ad id prægnoscenda erunt, digeremus.

CAPVT PRIMVM.

Per quodnam Homicidiorum genus Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Homicidium vnde dicatur, num. 1.

Homicidium largè acceptum dicitur quilibet illicitus motus ad nocendum. ibid.

Homicidium Spirituale, & Corporale quid sint. num. 2.

Detrahentes, Odientes, Furantes cur interdum Homicidæ dicantur, num. 3.

Homicidium aliud proprium, aliud improprium, seu figuratum. ibid.

Homicidium corporale, & proprium describitur. ibidem.

Homicidium Ecclesiæ pollutiuum non est, nisi Corporale, & Proprium sit, num. 4.

Licet anima sit in homine nobilior pars, quam corpus; cur nihilominus polluatur Ecclesia per huius cædem; non autem per illius spiritualem mortem, num. 5.

1 ADuerto 1. cum *Homicidium* dicatur, non ab *Homine*, & *Cado cadis*, vt aliqui arbitrati sunt apud *Farinac. q. 119. de Homicidio, num. 4.* sed ab *Homine*, & *Cado cadis*, ità vt *Homicidium* dicatur quasi *Hominis cędium*, secundum *Goffr. & Hostiens. in Summ. tit. de Homicidio*, a quibus non dissentit *Plaza in epit. delict. l. 1. c. 9. num. 4. in princip. Decian. tract. crim. l. 9. c. 18. num. 1. & 6. Carer. in pract. crim. tr. de Homicid. & assass. §. 1. num. 1.* & alij, propterea aliquando largè Homicidium dici posse quemlibet illicitum motum ad nocendum alteri, vt clarè patet ex *Can. Homicidium, de Pænit. dist. 1. ex Gloss. Can. Homicidiorum, ibidem, V. tria genera, & ex Nebrissen. V. Homicidium.*

2 Aduerto 2. cum Homo constet anima, & corpore, hinc factum, vt Homicidiorum ante omnia duplex sit genus, aliud Spirituale, aliud Corporale: per illud tollitur vita animæ; per illud vita corporis. Licet enim nemo spiritualiter moriatur, nisi propria voluntate peccando *ex D. Th. 1. 2. q. 73. art. 8. ad 4.* spiritualis siquidem mortis, quæ euenit propter peccatum mortale, nemo potest esse causa alteri per se, & sufficiens, qualis est propria peccantis voluntas; tamen esse potest alter alteri mortis spiritualis causa moralis, & persuasoria, vt benè dixit *Ghetius in Thesauro Animæ, V. Homicidium, num. 23.*

3 Aduer-

3 Aduerto 3. cum Fama, Amicitia, Facultates, & Bona temporalia sint quædam Vita Hominis similitudinaria, & metaphorica, proinde aliquando Detractionem, Odium, Furtum, dici Homicidia, vt constat *ex d. Cap. Homicidiorum, de Pœnit. dist. 1. & Gloss. in L. Aduocati, C. de aduocat. diuer. iudicior.* sed impropriè tamen, ac figuratè; proprium enim Homicidium corporale est, quod fit in proximum per separationem violentam animæ à corpore, iuxta *Can. si Homicidium, 23. qu. 5. & L. Qua actione, §. occisum, ff. ad leg. Aquil*, & describi potest *Animati corporis humani peremptio violenter ab Homine perpetrata, qua anima à corpore seiungitur*, pro vt placuit *Ayrer. in repet. L. Vt vim, in princip. Rubr. de tripl. gener. Homicid. num. 89. & seq. ff. de iust. & iur. & Farinac. l. c. num. 3. in fin.*

4 Dico Homicidium Ecclesiæ pollutiuum non esse, nisi sit Corporale, & Proprium, cum enim Iura de Homicidio loquantur, & simus in re odiosa, verba propriè accipienda, & de homicidio corporali, & proprio tantum intelligenda sunt. Accedit, quod Homicidium Spirituale in Ecclesia commissum, & quoduis homicidium improprium non videtur habere eam fœditatem, ac indecentiam in loco sacro, quam secum affert corporale, & proprium Homicidium, & ob quam pollui censetur Ecclesia, pro vt supernis diximus.

5 Colligo, licet nobilior, & vndequaque dignior pars hominis sit Anima, quam Corpus, nihilominus hic nomine Homicidij venire nō debere spiritualem animæ mortē, quia hæc in communi vsu loquendi, & iuxtà propriam verborum significationem in iure, & maximè in odiosis, Homicidium non dicitur, nec Odia sunt extendenda.

CAPVT SECVNDVM.

An per lethale nocumentum homini in Ecclesia illatum, non secuta morte, Ecclesia polluatur.

S V M M A R I V M.

De quonam lethali nocumento hic sermo sit, explicatur, num. 1.

Posita sufficienti ad Homicidium causa, cur positum videatur quicquid ad Homicidium requiritur, num. 2.

Ad Homicidium tum Homicidij sufficiens causa, tum mors inde secuta requiritur, num. 3.

Quomodo Homicidium consummatum differat ab attentato, vel inchoato tantum Homicidio, ibid.

Per lethale tantum nocumentum Homini in Ecclesia illatum, non secuta inde morte, Ecclesia non polluitur, num. 4.

Licet regulariter delicta, etiam non consummata, puniantur aliqua pæna extraordinaria; cur tamen Ecclesiæ pollutio nunquam per Homicidium non consummatum imponatur, num. 5.

1 Aduerto 1. sermonem propriè hic esse de Homicidij causa, quæ non aliunde, quam ex Homicidio, Ecclesiæ pollutiua sit, qualis esset v. g. mortifera cæsio, seu percussio; ex qua tamen mors actu secuta non esset: Si enim eadem actio aliunde esset Ecclesiæ pollutiua, qualis esset v. g. lethalis vulneratio, tunc certè, etiam non secuta morte, saltem per vulnerationem ipsam Ecclesia pollueretur, nam etiam ex vulnere, vel sanguinis effusione Ecclesia polluitur, vt inferius fusè dicemus; sed adhuc dubium hoc ipsum inde superesset, num etiam ex ipsamet actione, vt Homicidij causa tantum, Ecclesia polluta esset, quamuis inde mors secuta non fuisset, quod hic disputamus.

2 Aduerto 2. licet nos *Disp. 3. c. 11.* dixerimus in genere actiones, per quas Ecclesia polluitur, debere esse in sua specie perfectas, & consummatas; tamen in præsenti quæstione peculiarem adhuc apparere difficultatem ex eo, quod, posita sufficiente ad Homicidium causa, positum videtur quicquid ad Homicidij complemētum requiritur: mors enim deinde naturaliter ad talem causam per se sequi videtur, sicuti ad vulnerationem naturaliter sequitur, & per se formalis, si nō materialis, sanguinis effusio, vt suo loco explicabimus.

3 Aduerto 3. aliud esse, quod ad Homicidium causa sufficiens omnino sit; aliud autem esse, quod Homicidium ipsum completum, seu consummatum sit: fieri enim aliquando potest, vt, etiamsi posita sit causa ad Homicidium verè sufficiens; non ponatur tamen verè ipsum Homicidium, cum hoc sit quid ab ea distinctum, & non solum necis causam, sed necem ipsam inde secutam comprehendat, vt verè consummatum dici, & ab attentato, vel inchoato tantum homicidio distingui possit.

4 Dico per lethale tantum nocumentum homini in Ecclesia illatum, non secuta inde morte, Ecclesiam non pollui, quia cum illud

illud nocumentum non fit verum Homicidium consummatum, de quo iura loquuntur, nec aliunde Ecclesiæ pollutiuū, vt suppono, propterea nullo modo per illud Ecclesia polluitur: quod autem iura hic loquantur de Homicidio per mortem inde secutam consummato, clarè patet ex eo, quod loquuntur de Homicidio, pro vt distinguitur à Vulnere, & Effusione sanguinis, quod patet ex *Disp.* 3. *c.* 2. & hanc eandem conclusionem docent expressè *Durand. in Ration. l.* 1. *c.* 6. *num.* 41. *Abbas in Cap. Proposuisti, num.* 4. *de consecrat. Eccles. Tabien. V. Consecratio,* 2. *§.* 5. *num.* 6. *Armilla, ibid. num.* 5. *Nauar. c.* 27. *num.* 256. *vers. Sanguinis. Graff. decis. aur. p.* 1. *c.* 48. *num.* 24. *in fin. Rodriq. in Sum. p.* 1. *c.* 154. *concl.* 6. *num.* 7. *Nald. in Summa, V. Ecclesia, num.* 28. *Tolet. l.* 5. *c.* 8. *num.* 7. *causa prima, in fin. Auil. de censur. p.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *proposit.* 2. *cas.* 1. *Suar. tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 81. *sect.* 4. *cas.* 1. *Azor. p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 13. *& p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 1. *cas.* 2. *in fin. Reginald. l.* 29. *c.* 9. *sect.* 5. *nu.* 181. *Fagund. de* 1. *Eccles. præcep. l.* 3. *c.* 14. *nu.* 13. *Pesic. de præcip. Sacerd. Offic. l.* 1. *c.* 7. *dub.* 1. *nu.* 3. *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 28. *nu.* 23. *Mazuchell. de cas. rescru. disp.* 2. *c.* 6. *q.* 1. *diffic.* 1. *num.* 2. & DD. omnes communiter.

5 Collige, licet regulariter delicta etiam non consummata, si non ordinaria, saltem extraordinaria aliqua pæna puniantur; tamen, cum pænæ extraordinariæ non sint à iure latæ, nec proinde ipso facto incurrantur, propterea pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum, quod semper à iure tantum imponitur, nunquam in attentato, vel inchoato; sed solum in completo, & consummato Homicidio locum habere.

CAPVT TERTIVM.

An Ecclesia per Homicidium quomodolibet in ea commissum, polluatur.

SVMMARIVM.

Homicidium quomodo tripliciter committatur, Animo, Lingua, Opere, num. 1. *&* 5.

Prædicta Homicidia cur parili pæna puniri dicantur, num. 2. *&* 5.

Homicidæ nomen quam latè aliquando in vtroq. iure extendi videatur, num. 3.

Ecclesia per Homicidium in ea opere non commissum non polluitur, num. 4.

Extensio Homicidij Ecclesiæ pollutiui ad Homicidium mente, vel lingua tantummodo in Ecclesia commissum nullo ex iure colligitur, num. 5.

Homicidij nomine non venit causa physica ex se sufficientissima, & efficacissima mortis, si mors, etiamsi ex miraculo, non sequatur, num. 6.

Cur multo minus Homicidij nomen mereatur moralis tantum Homicidij causa, ibid.

1 ADuerto 1. cum *Augustinus ad Hilarium,* quod etiam refertur in *Cap. Periculosè, de pænit. dist.* 1. dicat *Periculosè decipiuntur, qui existimant eos tantum Homicidas esse, qui manibus homines occidunt, & non potius eos, per quorum consilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur,* inde DD. docuisse Homicidium tripliciter committi, Animo, Lingua, Opere, vt videre est apud *Mascard. de probat. vol.* 2. *concl.* 864. *num.* 1. *Carer. in pract. crim.* §. 4. *incipien. Homicidiū, num.* 1. *Leonem in Prax. Pænitent. p.* 3. *de irregularitate, vers. Homicidium, & mutilatio. Albert. Crotium de perfecto Clerico, c.* 20. *nu.* 5. *& Decian. tr. Crim. l.* 9. *c.* 19. *nu.* 3.

2 Aduerto 2. difficultatem etiam augeri ex eo, quod dicebat B. Petrus, vt refertur in *Cap. Homicidiorum, de pænit. dist.* 1. & habetur ex *Epist.* 1. *Clementis ad Iacobum,* prædictorum scilicet Homicidiorum pœnam parilem fore: hoc est, pari, & æquali pæna esse punienda, pro vt benè explicat *Nauar. in d. Cap. Homicidiorum, num.* 3.

3 Aduerto 3. idipsum quoque desumi posse ex Iure tàm Canonico, quàm Ciuili; nam Homicidæ nomen adhuc per *Cap. Si quis viduam,* 50. *dist.* extenditur ad præcipientem, defendentem, & c. per *Cap. Sicut dignum, de Homicidio,* ad exhortantem, comitantem, & quoquomodo adiuuantem, per *Cap. Quanta, de sent. excommunic.* ad nō defendentem, & per *Glossam d. Cap. Si quis viduam,* ad ratū habentem. vnde per *Cap. Mulieres, de sent. excommunic.* non solum feriens Clericum; sed etiam mandans, vel consulens est excōmunicatus, & per *Cap. Excommunicatus, de Hæreticis, & Cap.* 2. *eod. tit. & Cap.* 1. *Bullæ in Cæna Domini,* non solum Hæretici sunt excommunicati; sed etiam consulentes, receptatores, defensores, & fautores eorum. Lex autem Iulia maiestatis, & Lex Cornelia de sicarijs, & veneficijs, quæ sunt latæ contra perduelles, & sicarios, non solum includunt facientes perduellionem, i. sumentes arma aduersus Patriam, vel Principem; sed etiam volentes, & tentantes sumere, & consulentes. *L. Si quis, & L. Quisquis, C. Ad Leg. Iul.*

ratione ... & eos, qui occidendi animo tela ferunt, *L. 1. ff. Ad Leg. Cornel. de sicar.* pro vt bene aduertit *d. Nauar. in d. Cap. Periculosè, de pœnit. dist. 1. n. 2. & 3.* Nihilominus

4 Dico Ecclesiam per Homicidium in ea opere non cōmissum non pollui, & ratio est; quia Homicidium in Ecclesia commissum tantum animo, & lingua, propriè non est Homicidium illud, de quo Iura hic loquuntur, & per quod Ecclesiam pollui docuerunt; licet Homicidium ipsum, quod animo, & lingua tantum in Ecclesia commissum fuerit, extra illam opere, & facto ipso vere consummatum fuisset. *Ita Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. nu. 10. vterq. Angus, Cardinalis scilicet de Eucharist. disp. 20. num. 53. & Franciscus de Sacram. p. 2. l. 5. c. 6. q. 7. n. 48. Thomas del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 11. sect. 2. num. 3. Persic. de Sacerd. Offic. lib. 2. c. 7. dub. 8. num. 2. Tobias Corona de Sacris Templ. p. 1. cap. 36.* & communiter alij apud istos.

5 Ad opposita igitur respondendum est, Primo, qui lingua, seu animo tantum Homicidium committunt, dici Homicidas ex quadam iuris fictione, & per iuris interpretationem, quia nimirum tēdunt in eundem finem Homicidij; non esse vero proprie Homicidas, quia vere non committunt Homicidium externum, quod solummodo pollutiuum est, & de quo tantum hic iura loquuntur, vere enim hoc non committitur, nisi vbi opere consummatur, vel causa physica, & ad illud per se sufficiens effectiuè ponitur, & ex ea postea mors ibidem, vel alibi sequatur, vt clarius ex sequentibus apparebit. Secundo pœnam prædictorum Homicidiorum, seu facto, seu verbo, seu mente commissorum parilem dici quantum ad Deum, vt ait *Glossa in d. Cap. Homicidiorum, V. parilem*, quia omnes prædicti Homicidæ peccant mortifere, sicut & is, qui manibus proprijs occidit, vnde æqualiter per vnumquodq. prædictorum Homicidiorum amittitur gratia Dei, & pro vnoquoq. illorum similiter æterna pœna imponitur. Tertiò verò leges, & earum pœnas ideò aliquando extendi ad delinquentes lingua, v.g. ad Homicidium mandantes, quando Legislator in ipsamet lege, qua imponit pœnam facienti, vel in alia, pœnam extendit ad alios prædictos, vel certe aliter constat de legislatorum mente, vt patet in exemplis nu. 3. adductis, & optime dixit idem *Nauar. in d. Cap. Periculosè, num. 3. & sequent.* quod tamen in nostro casu locum non habet, cum à iure talis extensio in Pollutionis Ecclesiasticæ lege ad Homicidium lingua, vel mente tantummodo commissum non habeatur.

6 Colligo, si nomine Homicidij in Ecclesia commissi non venit causa physica ex se sufficientissima, & efficacissima mortis, nisi mors ex eadem sequatur, vt *præced. cap.* diximus; etiamsi mors ex miraculo tāttum non sequatur, vt bene dixit acutissimus *Ianuarius de Castro Rescrip. resolut. 66. num.* 5. multo minus venire sub Homicidij nomine causam illius moralem tantum, quæ per se neq. sufficiens, neq. efficax est ad mortem proximè, & propriè inferendam, quale est mandatum, vel consilium, vel sententia mortis, si hæc in Ecclesia fiant.

CAPVT QVARTVM.

An Ecclesia, intra quam Homicidij causa tantum data sit; extra illam autem mors euenerit, per illud polluatur.

S V M M A R I V M.

Præsentis dubij causa exponitur, num. 1.
Casus, in quo præsens difficultas locum habeat, affertur, num. 2.
Doctorum sententiæ de hac quæstione referuntur, earumque defensores indicantur, num. 3.
Ecclesia cur etiam per homicidium in ea tantum causatum, licet in eadem non consummatum, polluatur, num. 4.
Ad essentiam, & malitiam homicidij per accidens se habet, quod mors in hoc, vel in illo loco sequatur, licet non sit consummatum, nisi mors sequatur, num. 5. & 6.
Quamuis pollutionis Ecclesiastica lex sit odiosa, & pœnalis, ac proinde restringenda; cur tamen ità restringi iam non debeat, vt homicidium, nisi in Ecclesia consummatum sit, Ecclesiæ pollutiuum non sit, num. 7. & 8.
Quam dura sequantur ex opposita sententia, num. 9.

1 ADuerto 1. licet vere homicidium non dicatur consummatum; nec vere homicidium sit, nisi mors hominis ex sufficiente homicidij causa sequatur, vt paulo antea, *cap. 2. num. 3.* dixi; tamen, quia prædicta mors euenire potest, vel eodem tempore, & loco, quo homicidij causa posita fuit, vel alibi, & alio tempore, idcirco dubitari hic posse, num Ecclesia per homicidium in ea vel causatum tantummodo, & non consummatum, vel consummatum tantummodo, & non cau-

ſatum polluatur. de homicidio in Eccleſia cauſato, & in ea non conſummato hic ſermo eſt; in ſequenti vero capite de homicidio in ea conſummato, ſed in ea non cauſato agemus.

2 Aduerto 2. huiuſce dubij caſum contingere poſſe ſolummodo, quando prædicta mortis cauſa non eſſet ſanguinis effuſiua, nec proinde de ſe Eccleſiæ pollutiua abſq. homicidij conſummatione, qualem refert, *Diana part. 6. tr. 6. reſol. 26.* de quodam, qui in Eccleſia Regularium fuit arenæ ſacculis ita acriter contuſus, vt poſt tres dies extra illam mortuus ſit.

3 Aduerto 3. duas hic eſſe Doctorum ſententias, affirmantem, & negantem, quarum prima plures, ſecunda pauciores habet defenſores; multi tamen ex primis ſecundos quoq. probabiliter agere non negant, & aliqui in vtramque opinionem quodammodo propendent. negatiuam expreſſe docent, *Suar. tom. 3. in 3. p. diſput. 81. ſect. 4. caſ. 1. Reginald. l. 29. c. 9. ſect. 5. num. 181. Prapoſit. 3. part. qu. 83. artic. 3. dub. 2. num. 152. Dian. l. c. Mazuchel. de Caſ. Reſeru. diſp. 2. c. 6. diffic. 1. num. 6. & Stephanus à S. Gregorio de diuinæ pietatis vinculis l. 3. cap. 21. num. 14.* affirmatiuam verò *Gloſſa* cõmuniter recepta in *Cap. Vnic. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. in 6. Nauar. Graff. Rodriq. Henriq. & Vgolin. apud Barboſ. de poteſt. & Offic. Epiſc. allegat. 28. num. 23. Gambacur. de Caſib. Reſeru. caſ. 6. num. 8. Coninch. qu. 83. num. 327. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 8. Marchin. de Ordin. tr. 3. part. 3. cap. 10. num. 7. Fagund. de 1. Eccleſ. præcept. l. 3. c. 14. num. 13. Naldus, Tolet. Auila apud Perſicum de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. num. 5. vterque Lugus, Io. quidem de Euchar. Sacram. diſput. 20. num. 53. Franciſcus autem de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 47. Iordan. elucubr. tom. 2. l. 11. tit. 3. num. 330. Antonel. de regim. Eccleſ. Epiſc. l. 1. c. 16. n. 6. & alij paſſim*, cum quibus

4 Dico Eccleſiam, intra quam homicidij cauſa tantum data ſit; extra illam autem mors euenerit, per illud pollui. Ratio potiſſima eſt, quia quamuis homicidium vere conſummatũ fuerit extra Eccleſiam; nihilominus cauſa mortis, & completa homicidij malitia conſummata fuit in illa; vnde peccatum homicidij vere commiſſum fuit in Eccleſia, poſita enim ea cauſa, mors, quæ poſtea euenit, naturaliter euenit, & propterea tale delictum cenſetur vere patratum in Eccleſia, cum à ſua cauſa denominetur, & non à morte poſtea ſubſecuta, licet hæc etiam ad homicidij conſummationem requiratur, cum per eandem, & non aliter de homicidio conſtet, vt optime dixit *Barboſ. l. c.*

5 Dices 1. cauſa homicidij non polluit Eccleſiam; ſed homicidij conſummatio, ergo hæc homicidij conſummatio debet fieri in ipſamet Eccleſia.

6. Reſpondeo, licet Eccleſia non polluatur per homicidium non conſummatum, vt mox *c. 2. num. 4.* dictum fuit; tamen nullibi haberi, quod illud debeat in Eccleſia conſummari: vnde per accidens ſe habet ad eſſentiam, & malitiam homicidij, quod mors in hoc, vel in illo loco ſequatur, parumq. refert ad irreuerentiam, ob quam polluitur Eccleſia, quod anima ſeparetur à corpore intra Eccleſiam, vel extra illam, ſi vere in Eccleſia totalis, culpabilis, & exterior cauſa illius necis poſita fuit, vt egregie aduertit, *Franciſcus de Lugo l. c.*

7 Dices 2. pollutionis Eccleſiaſticæ lex, cum ſit odioſa, ſtricte interpretanda eſt, & in dubio potius Eccleſiæ libertati, quam pollutioni eiuſdem fauendum eſt, vt patet ex ſupradictis *diſp. 1. c. 19. & 20.* ergo per homicidium Eccleſiæ pollutiuum intelligere debemus homicidium tantum in Eccleſia ipſa conſummatum.

8 Reſpondeo nomine homicidij in Eccleſia facti, de quo Canones hic loquuntur, venire quidem proprie homicidium conſummatũ, & ad hoc tantum proinde pænalem pollutionis Eccleſiaſticæ legem merito reſtringendam eſſe; ſed, cum locus conſummationis homicidij ſit quid omnino tali homicidio, eiuſq. conſummationi accidentariũ, nullam ſuppetere rationem, cur iam prædicta lex accidentariam hanc loci circunſtantiam etiam in conſummatione homicidij neceſſario exigere debeat, vel poſſit, cum de ea nec verba ipſa legis mentionem vllam faciant, nec ad id vlla aliunde neceſſitas cogat.

9 Colligo, cum ex contraria ſententia omnino ſequatur, quod, ſi quis reſti ſtrangularet, vel ſuffocaret quempiam in Eccleſia, & antequam ſtrangulatus, vel ſuffocatus expiraret, extra Eccleſiam raperetur, ibique ſtatim moreretur, Eccleſia non eſſet polluta, id iure, ac merito non ſolum *Fagund. l. c.* durum admodum videri, ſed à pleriſque omnino falſum cenſeri, vt vel ex hoc ipſo ſententiæ noſtræ veritas compertiſſima reputetur.

CAPVT

CAPVT V.

An Ecclesia, intra quam mors quidem ex homicidio euenerit; sed extra Ecclesiam eius homicidij causa data fuerit, per illud polluatur.

SVMMARIVM.

Hoc idem dubium locum habet etiam in vulneratione, & quomodo, num. 1.
Affirmatiuam sententiam nemo hucusq. tenuisse visus est, num. 2.
Homicidium, & Mors quantum inter se differant, num. 3.
Per mortem solam, quæ in Ecclesia contigit; etiamsi ex homicidio prouenerit, si eius homicidij causa extra Ecclesiam data sit, Ecclesia non polluitur, num. 4.
Licet Homicida sit intra Ecclesiam, dum foris existentem occidit; non tamen inde Ecclesia polluitur, num. 5.
Polluitur tamen contra Ecclesia, in qua quis occiditur; licet à foris existente occidatur. ibidem.

1 ADuerto 1. similem quæstionem posse etiam institui de vulnere, si extra Ecclesiam alicui inflictum fuerit; sed sanguis intra illam effusus sit; de qua proinde inferius suo loco agemus, vnde lux aliqua huic etiam difficultati accedet.

2 Aduerto 2. licet non defuerint, quod mox vidimus, qui ad Homicidium Ecclesiæ pollutiuum dixerint opus esse, vt mors etiam ipsa intra, & non extra Ecclesiam contigerit; tamen hucusque neminem à me visum fuisse, qui Ecclesiam ex sola morte ibi secuta pollui docuerit, si alibi eius Homicidij causa data sit.

3 Aduerto 3. Homicidium, ac Mortem multum hic proinde inter se differre, etiamsi de eiusdem Homicidij morte sermo sit: Homicidium enim significat iniustam, ac violentam actionem illam, ex qua per se, & re ipsa hominis Mors sequatur; Mors autem est separatio animæ à corpore: vnde, quamuis illud non sit perfectum sine ista; ista tamen non semper est cum illo: immo illud semper ex se continet actionem moralem, ac peccaminosam; ista verò ex se effectus est naturaliter, posita tali causa, proueniens, ac proinde, etiam quãdo cum Homicidio coniungitur, non facit; sed supponit, peccatum; vt per se clarum puto.

4 Dico Ecclesiam, intra quam mors quidem ex homicidio euenerit; sed extra Ecclesiam ipsam data sit eius homicidij causa, per illud non pollui. Ratio est, 1. quia licet per homicidium intra Ecclesiam perpetratum Ecclesia polluatur; nullibi tamen habetur, quod per solam mortem, etiamsi ex homicidio illa prouenerit, & intra Ecclesiam contigerit, nihilominus polluatur, præcipuè cum simus in diuersis, & in odiosis, in quibus ab vno ad aliud nullam esse illationem nemo non videt. 2. quia in nostro casu peccatum externum homicidij extra Ecclesiam commissum est, vnde non delictum Ecclesiæ iniuriosum in Ecclesia commissum censetur; sed delicti potius effectus naturaliter eueniens in Ecclesia contigit, quod vel nullam, vel certè non Ecclesiæ pollutiuam culpam continet. ità DD. communiter cum *Glossa in Cap. vnic. de Consecrat. Eccles. vel Alt. in 6. V. sanguinis. Palud. in 4. dist. 18. qu. 8. art. 1. Durand. in Ration. Diu. Offic. l. 1. c. 6. nu. 40. Antonin. 3. p. tit. 12. c. 6. §. 4. Angel. V. Consecratio Ecclesia, §. 5. Syluest. ibi, 2. q. 5. Tabien. ibi §. 5. num. 6. Armil. ibi nu. 23. Nauar. Graff. Vinald. Rodriq. Sayr. Piasec. & alij apud Persic. de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. n. 2.* qui idipsum docet. *Tolet. l. 5. c. 8. nu. 7. causa 1. Sà, V. Ecclesia, num. 13. Azor. p. 1. c. 10. l. 10. c. 26. q. 13. §. Quæres, & p. 2. l. 9. c. 5. q. 2. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 81. sect. 4. cas. 1. Auila de censur. p. 5. disput. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 1. Reginald. in prax. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 180. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 8. Mazuchel. de cas. reseru. disput. 2. c. 6. quæst. 1. diffic. 1. num. 5. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 23. Cassina in Mystagogica Regular. Catech. tit. 7. num. 9. Stephan. à S. Gregor. de diuina piet. vinc. l. 3. c. 25. num. 14. Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dub. 11. sect. 3. nu. 3. Iordan. Elucubr. diuers. tom. 2. l. 11. tit. 3. num. 330. Io. Bapt. Gargiar. de aquis, c. 12. nu. 2.* & nouissimè *Fran. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 45.*

5 Colligo, iuxta prædicta Ecclesiam quidem pollui, si quis extra illam existens telo, saxo, aut etiam lancea, vel gladio aliquem intra illam iniustè occidat, quia verè externum homicidium illud in Ecclesia commissum censetur; eam tamen contra non pollui, si quis intra illam existens telo, saxo, aut etiam lancea, vel gladio aliquem extra illam iniustè occidat, quia secundum hoc homicidium verè non in Ecclesia: sed extra illam perpetratum est: quod notandum dixit *Iordanus*

lic. tom. 1. l. 5. tit. 13. nu. 13. & 16. quia, inquit, prima facie, multi contrarium responderent; idipsum tamen apertissimè docent communiter DD. *Tabien. V. Consecratio, 2. §. nu. 7. Vivald. in Candelabr. c. 3. de interdict. nu. 49. Nauar. in Manual. c. 27. nu. 256. ad fin. Marti Ledesm. Sayr. Azor. Auila, Reginald. & alij apud Persic. l. c. num. 6.* necnon ferè omnes, quos superiore numero iam recensuimus.

CAPVT VI.

An Ecclesia polluatur ex homicidio intra illam causato, si mors non nisi post multum tempus euenerit.

SVMMARIVM.

Huc spectat etiam quæstio illa, num polluatur Ecclesia, si actio Ecclesiæ pollutiua non nisi post longum tempus publicetur, num. 1.

Potissima dubitationis huius ratio affertur, num. 2.

Alia etiam subiungitur ratio, quæ ex Disp. 4. cap. 7. *colligitur, num. 3.*

Ecclesia per se polluitur ex homicidio intra illam verè causato; etiamsi mors non nisi post longum tempus subsecuta sit, num. 4.

In dubio, num homicidium à tali causa prouenerit, nec ne, Iudex quomodo arbitrari debeat, ibidem.

Persici dictum quo pacto intelligendum sit in hac quæstione, num. 5.

Temporis diuturnitas inter actionem Ecclesiæ pollutiuam, & eiusdem actionis publicitatem non impedit, quin Ecclesia, secuta publicitate, polluatur, ibidem.

Quandonam secus arbitrandum videatur. ibid.

Cassinæ opinio hic omnino reprobatur. ibidem.

1 ADuerto 1. propositæ huic difficultati valde affinem illam esse, in qua disputatur, num Ecclesia polluatur per homicidium, vel aliam Ecclesiæ pollutiuam actionem, si talis actio non nisi post longum tempus publicetur, de qua fortè alibi etiam sermo erit.

2 Aduerto 2. dubitandi causam maximè videri, quia, quando mors post longum tempus succedit, aliquibus non videtur prouenire ex illa causa, quæ longo tempore præcessit; ac proinde secundum illos tunc non videtur commissum homicidium, quando causa illa data fuit, quos videre potes apud *Farinac. de homicidio q. 127. p. 2. à num. 28. vsque ad 49.*

3 Aduerto 3. fieri etiam posse, vt, quando mors post homicidij causam in Ecclesia datam succedit, ob longi temporis interpositionem inter homicidij causam, & mortem, causa in obliuionem hominum abierit; sed propterea tunc actio illa actu Ecclesiæ pollutiua esse desineret, quia euaderet occulta, prout colligi potest ex supradictis *Disp. 4. c. 7.* non quia vere talis actio per se, & propriè homicidij causa non esset, prout hic suppono.

4 Dico Ecclesiam per se pollui ex homicidio intra illam verè causato; etiamsi mors non nisi post longum tempus subsecuta sit. Dixi, *per se pollui*, quia, si actio occisiua, & Ecclesiæ pollutiua non facta esset occulta, quando mors succedit, Ecclesia per accidens non pollueretur ex publicitatis, non actionis, defectu. Dixi, *vere causato*, nam, si mors ideo non nisi post longum tempus subsecuta fuit, quia vere ex illa causa, quæ intra Ecclesiam data fuerat, non processit, tunc sumus extra casum propositum. in dubio autem, num occisio à tali causa prouenerit, non tam ex longi, vel breuis temporis interpositione à tali causa data vsque ad subsecutam necem, quam ex peritiorum, & probatiorum Medicorum iudicio Iudex arbitrabitur, vt benè docuit cum multis *Farinac. l. c. num. 50. & sequen.*

5 Colligo iuxtà allatam doctrinam non male, licet non clare, dictum fuisse à *Persico de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 5.* Ecclesiam non pollui ex homicidij causa intra illam data, si post multum tempus mors extra Ecclesiam contingeret: quando scilicet inde causæ prædictæ insufficientia ad necem inferendam probabiliter colligeretur; melius tamen, & clarius dictum fuisse à *Francisco de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. n. 84. Antonell. de regim. Eccles. Episcopal. l. 1. c. 16. nu. 6. & ab alijs,* si causa per se sufficiens ad mortem data sit in Ecclesia, morte secuta, quamuis extra templum, & post plures menses, Ecclesiam censendam esse pollutam. Immo idipsum dicendum puto de temporis diuturnitate interposita inter actionem Ecclesiæ pollutiuam, & eiusdem actionis publicitatem, militat enim per se eadem ratio in multo, quæ in paruo tempore; vnde etiamsi post plures annos pollutiua Ecclesiæ actio reuelaretur, & interim Missa, ac alia Diuina Officia peracta fuissent, adhuc Ecclesia illa per aduenientem pollutiuæ actionis publicitatem pollueretur. Solòmè tamen fidelium

scan-

scandalum vel sublatum, vel temperatum ex longi temporis lapsu fuisset, tunc ex facti circunstantijs prudens Episcopus arbitrari posset, num prætermittenda reconciliatio, & contraria sententia amplectenda, nec ne; prout aduertit *Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 70.* Sed nullo prorsus modo illud admittendum puto, quod *Cassina in Mystag. Regul. Catech.* audacter definit *tit. 7. num. 20.* Mensem videlicet esse longam illam temporis moram, quæ, si post actionem Ecclesiæ pollutiuam, sed occultam, subsequatur, facit, vt, licet deinde post prædictum mensem ea actio Ecclesię pollutiua publicetur; Ecclesia nihilominus per talem publicationem non polluatur.

CAPVT VII.

An Ecclesia per homicidium in ea causatum, & sine vlla omnino sanguinis effusione consummatum, polluatur?

SVMMARIVM.

Tam homicidia, quam vulnera Ecclesia polluitiua per sanguinis effusionem aliquando generice induuntur, num. 1.

Licet vulnus semper videatur sanguinis effusiuum; cur tamen non semper tale sit homicidium, num. 2. & 5.

De homicidio hic sermo est, quod nec in Ecclesia, nec extra illam sanguinem fuderit, vel effusiuum fuerit; num. 3.

Ecclesia per homicidium ibi causatum, & absq. vlla sanguinis effusione consummatum, omnino polluitur, num. 4.

De ratione, & essentia vulneris esse potest sanguinis effusio, vel verè quod sit semper sanguinis effusiuum: & tamen non ideirco sequitur, quod etiam homicidium semper sanguinis effusiuum esse debeat, num. 6.

1 ADuerto 1. cum Ecclesię pollutio siue per homicidium, siue per vulnera soleat tum à Sacris Canonibus, tum etiam à multis Doctoribus quasi genericè explicari, ac sępe innui per sanguinis effusionem, vt videre est in *Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. & Cap. Si Ecclesia, de consecrat. Eccles.* & etiam apud Auctores hac de re loquentes; inde factum esse, vt dubitari possit, num ad Ecclesiæ pollutionem requiratur semper sanguinis effusio tam in homicidio, quàm in vulnere.

2 Aduerto 2. huc accedere, quòd sicuti vulnus Ecclesiæ pollutiuum secundùm multos, vt inferius suo loco videbimus, esse debet saltem ex se sanguinis effusiuum, licet actu & per accidens non effundatur; ita etiam homicidium, vt sit Ecclesiæ pollutiuum, fortasse esse debebit saltem ex se sanguinis effusiuum, ne omnino inepte sub sanguinis effusione aliquomodo venire videatur.

3 Aduerto 3. nos hic proinde loqui de homicidio, quod nec in ipsamet Ecclesia, vbi homicidij causa data est, nec extra illam sanguinem effuderit, nec sanguinis effusiuum fuerit; quale esse solet homicidium per meram suffocationem, & similia.

4 Dico Ecclesiam per homicidium ibi commissum, & absque vlla sanguinis effusione consummatum, omnino pollui; v. g. si quis in Ecclesia violenter, & iniuriosè suspenderetur. Ratio autem est, quia in *Cap. Si motũ, de consecrat. dist. 1. in Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles. vel Alt. & in Cap. vnic. eodem tit. in 6.* simpliciter statuitur Ecclesiam propter homicidium violari, nec quicquam additur de sanguinis effusione. Ita notat *Glossa in Cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. & in d. Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Panormit. in d. Cap. Proposuisti, num. 2. Durand. in Ration. Diuin. Offic. l. 1. c. 6. nu. 40. Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 1. Angel. Syluest. Tabien. & Armil. cum Persico de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 2. Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. ad 2. dicto 4. Nauar. in Manuat. c. 27. num. 256. verb. Dixi, aut mortis. Graff. p. 1. decis. l. 2. c. 48. num. 21. & 24. fin. Vinald. in Candelabr. tract. de Interdicto, tit. 9. num. 14. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 16. num. 12. Tolet. in Summa l. 5. c. 8. nu. 7. causa 1. Henriq. l. 9. de Missa, c. 27. num. 5. K. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. capu 1. Sà, V. Ecclesia, num. 13. Azor. in Summa p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. Reginald. l. 29. c. 9. sect. 5. nu. 180. Fagundez in pr. Eccles. præcep. l. 3. cap. 14. num. 9. Riccius in Praxi for. Eccles. p. 3. resolut. 258. num. 3. Cassin. in Mystag. Regul. Catech. tit. 6. num. 8. Piasec. in prax. p. 1. c. 5. num. 9. Antonel. de Regim. Eccles. Episc. p. 1. l. 1. c. 16. 1. nu. 6. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 45. Alarius in Canon. confitent. l. 2. V. Ecclesia, nu. 8. Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 11. sect. 3. nu. 4. Stephan. à S. Gregor. de Diuina piet. vinc. l. 3. c. 21. num. 14.* & alij passim.

5 Ad rationem dubitandi respondetur, quia plerumque solet in homicidijs, ac vulneribus sangui-

sanguinis effusio interuenire, idcircò solere etiam aliquando tàm homicidia, quàm vulnera Ecclesiæ pollutiua per sanguinis effusionem indicari, prout in prædictis Canonibus factum fuisse constat; vnde verum nullo modo est, homicidium debere esse sanguinis effusiuum, vt fit inde Ecclesiæ pollutiuum.

6 Colligo, quamuis de ratione, & essentia vulneris esse possit sanguinis effusio, vel saltē quod fit ex se sanguinis effusiuum; nihilo tamen minus hoc non esse necessario etiam de essentia homicidij, cum omnino verum homicidium esse possit absque eo, quod sit sanguinis effusiuum, nec in hoc grauem vllam difficultatem videam.

CAPVT VIII.

An Ecclesia per homicidium inculpabile polluatur.

SVMMARIVM.

Culpa in genere quid sit, num. 1.
Culpa quomodo differat à Casu, ibid.
Quandonam Casus ipse desinat esse fortuitus, ibidem.
Culpa alia Theologica, alia Iuridica, & quid vtraque sit, num. 2.
Theologica culpa in Mortalem, ac Venialem; Iuridica verò in Latam, Leuem, ac Leuissimam diuiditur, ibid.
Culpa lata varijs etiam nominibus alijs apud auctores appellatur, ibid.
Culpa Leuis est quasi medium quid inter Latam, & Leuissimam, tanquam inter grauem, & leuem, ibid.
Nulla Culpa Iuridica propriè est Dolus, num. 3.
Lata culpa cur dolo proxima dicatur, & in foro externo, præterquam in delictis, dolus præsumatur, ibid.
Ecclesia per homicidium prorsus inculpabile, & mero casu commissum non polluitur, num. 4.
Per homicidium Theologicè tantum, & graui, ac mortali culpa culpabile Ecclesia polluitur; nec vlla ad id merè Iuridica culpa sufficit, num. 5.
Licet Ecclesiæ pollutio aliquando sequatur ex opere nulla Theologica culpa culpabili; cur nihilominus non nisi ex homicidio Theologicè, & moraliter culpabili sequatur, num. 6.

1 ADuerto 1. Culpam in genere ex *Laym. in summa l. 3. tr. 4. c. 7. num. 2.* esse Discessum ab eo, quod bonum, ac debitum est, hominisque diligentia præstari potest. Differt autem Culpa à Casu, quia iste est rei inopinatæ euentus, qui neq. à diligentissimo caueri potest, aut debet, iuxtà *Cap. Ioannes, 23. & Cap. vlt. vbi Gloss. de homicidio*, cum enim casus fortuiti supra omnem hominum prouidentiam plerumque incidant, veluti mors, rapina, incendia, ruinæ, naufragia, &c. in ijs nihil est, quod in homine reprehendatur; nisi fortè aliquando casus ipse desineret esse fortuitus ex eo, quod dolus, vel culpa præcedens ordinata fuisset ad subsequentem casum fortuitum, vel certè illius causa fuisset. *L. Capitalium, §. incendiarij, ff. de pœnis. L. Si seruus seruum, §. si fornicarius, ff. ad L. Aquil. L. Qui petitorio, §. 1. ff. de rei vend. L. Eum, qui, §. an pater, ff. de furtis Instit. Quibus modis re contrah. oblig. §. item is, cui.*

2 Aduerto 2. Culpam aliam esse Theologicam, aliam Legalem, seu Iuridicam, vel Ciuilem. Theologica semper peccati malitiam continet, cum semper Dei offensiua sit, ac proinde semper voluntatis vitium est; Legalis verò semper quidem contra artem, ac industriam est; sed non semper contra Deum, cum aliquando coram illo excusata sit, ac proinde non voluntatis, sed intellectus propriè error est. Theologica diuiditur in mortalem, seu grauem, & in venialem, seu leuem; Iuridica vero culpa ex receptissima doctrina *Glossæ in Cap. vnic. Verb. de leuissima, de commodat.* alia est Lata, alia Leuis, & alia Leuissima. Culpa lata ex *Bartol. in L. Quod Nerua, ff. depositi, num. 17. prope fin.* est discessus, seu deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam communiter adhibent homines, qui sunt eiusdem conditionis, & professionis: Latæ ergò culpæ proprium est non facere id, quod omnes eiusdem professionis, & conditionis faciunt: vocatur autem culpa Lata ab alijs etiam Magna culpa, magna Negligentia, dissoluta, & nimia negligentia, lata negligentia, manifesta negligentia, stultitia, imprudentia, crassa negligentia, supina ignorantia, deperdita, & nimia securitas, grauior culpa, & similibus aliquot nominibus, vt videre est apud *Decian. tract. crimin. l. 2. c. 6. nu. 11.* Culpa leuis est Deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quā adhibent communiter homines diligentes. Culpa denique leuissima est Deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam adhibent communiter homines diligentiores, & diligentissimi, licet autem hæc Iuridicæ culpæ distinctio satis bene culpæ omnis legalis grauitatem, vel leuitatem, vel etiam mediocritatem

culpatem quandam aperire videatur, vt acutè adnotauit *Gibalin. de Irregularit. c. 4. qu. 2. num. 3. Verf. Ex his colliges*; nihilominus hæc certis doctrinæ præceptis tradere, & tanquã cuiusque culpæ magnitudinem metiri difficile est; vnde Iudicis etiam ingenio, & prudentiæ relinquenda dixit *Conanus Comment. Iur. Ciuil. l. 7. c. 4.*

3 Aduerto 3. nullam culpam Legalem propriè Dolum esse: illa enim semper ab insciente, & imprudente committitur; hæc à volente, & sciente: illa in delictis nunquam annumeratur; hic semper: vnde idipsum etiam, quod in Lata culpa summum est, videlicet, non intelligere, quod omnes intelligunt, seu non nosse, quæ omnes norunt, licet tunc nihil ad culpæ latitudinẽ addi posse videatur; attamen hominis adhuc ignorantia excusari potest, itá vt summa, & latissima quidem culpa committatur; & nec ad minimam tamen adhuc doli malitiam perueniatur. Hinc Lata culpa Dolo proxima dicitur, quia ea latæ culpæ negligẽtia adeo crassa est, vt quæsita, & affectata videatur, ac proinde malitiæ coniuncta. Immo hac de causa in foro externo lata culpa dolus præsumitur, & dolo æquiparatur, præterquam in delictis: nisi enim ita constitutum esset, facilè quiuis, *ait Conan. l. c.* malitias suas, & fraudes ignorantiæ velo obtenderet, & tanquam adumbraret, nec vnquam stolidiores expergisci, & tam stolidam desidiam excutere discerent.

4 Dico 1. Ecclesiam per homicidium prorsus inculpabile, & mero casu commissum non pollui. v. g. si lignum, vel lapis casu de superioribus cadens hominem in Ecclesia occidat, aut si quis fulmine ibi percussus moreretur. Ratio est, quia ille actus, quatenus hominis mortem infert, non est humanus, nec proinde sacrilegus, qualis esse debet hominis occisio, vt fit Ecclesiæ pollutiua, quod clarius etiam ex alijs inferius dicendis constabit, itá *Syluest. V. Consecratio, num. 5. Nauar. in Manual. c. 27. num. 256. Cassinus tit. 7. num. 9. Gambarupt. de Cas. Reseru. c. 15. cas. 6. num. 9. Alter. de Censur. tom. 2. disp. 3. de Interdict. c. 1. Vgolin. de Potest. Episc. c. 29. §. 1. verf. Locum non habet. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 13. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 28. num. 3. Persic. de precip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 8. Th. del bene de Immunit. Eccles. c. 2. dubit. 11. sect. 2. num. 33. & seq. Fagnd. de 1. Eccles. precepto lib. 3. cap. 14. num. 8. apud quem Suarez, Graff. & communiter omnes.*

5 Dico 2. per homicidium non quacumque merè Iuridica, sed Theologica tantum, & graui duntaxat, ac mortali culpa culpabile, Ecclesiam pollui; siue hæc Theologica culpa mortalis ex lata, siue ex leui, ac leuissima negligentia orta fuerit; hæc enim triplicis culpæ legalis distinctio aptanda erit ad culpam Theologicam mortalem, aut venialem, quam aliqua ex illis negligentijs coniunctam habuerit, quod optimè in simili casu monuit *Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 2. num. 3. verf. Secundo, hæc culpa Theologica.* Patet verò hæc conclusio ex eo, quod Iura tantum loquuntur de homicidio per rixas, & contentiones commisso: vnde communiter DD. ea interpretantur de homicidio Theologicè, & grauiter peccaminoso, vt expressè docent *Hostiens. Palud. Astens. Bacbon. Nauar. Ledes. Sotus, & alij cum Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 16. n. 12. Suar. Coninck, & Henriquez cum Laym. in Sum. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 8. Th. del bene l. c. num. 31. Maxuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 2. & 13. Francisc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. nn. 44.* & plures apud ipsos.

6 Colligo, licet Ecclesiæ pollutio aliquando imponatur etiam ob factum aliquod sine aliqua culpa Theologica, & fortasse sine legali, vt superius innuimus, & inferius explicabimus, dum de Infidelis, vel Excommunicati non tolerati sepelitione ignoranter, & prorsus inculpabiliter in Ecclesia facta agemus; tamen non licere argumentari ab vna actione Ecclesiæ pollutiua ad aliam: ita enim in aliquibus pollutionis casibus culpam grauem requirunt; in alijs verò nullam: quod, vt ijs liberum fuit, itá à nobis necessario obseruandum est.

CAPVT IX.

An Ecclesia per homicidium in ea commissum, de quo dubitetur, num grauiter culpabile sit, polluatur.

SVMMARIVM.

Quotuplex esse possit dubium de Homicidio, n. 1. Ecclesia cur in nullo foro censenda sit polluta, quando dubium est de occisione ipsa. ibid.

Theologica culpa in homicidio saltem indirectè voluntario quomodo possit ex communi sententia leuis esse ratione subreptionis, & inaduertentia, num. 2.

Quo in casu præsentis capitis quæstio vsuuenire possit, num. 3.

Per

Per homicidium in Ecclesia commissum, de quo dubitetur, num grauiter, vel leuiter tantum culpabile fuerit, ea præsumenda non est polluta, num. 4.

In delictis lege Diuina, ac naturali prohibitis, quale est homicidium, lex iustè dolum præsumit. ibidem.

Per eam hominis cædem, de qua dubitetur, num graui, vel leui, vel etiam nulla culpa culpabilis fuerit, quare Ecclesia, cum æquales sunt probationes, & coniecturæ, præsumenda sit non polluta, num. 5.

Diuersitas assignatur inter primum, & secundum casum, propter quam diuersa in ijs decisio data est, num. 6. & 7.

In dubio facta, & verba in bonum sensum interpretanda sunt ità, vt excludatur delictum, num. 7.

Si probationes, & coniecturæ in secundo casu potiores essent pro delicto, potius item delictum, & Ecclesiæ pollutio præsumenda essent, saltem in foro externo, num. 8.

Aliquando cædes hominis, quæ in foro interno grauiter culpabilis censetur, in foro externo vel leuiter, vel etiam nullo modo culpabilis est, & contra. ibid.

Licet probationes, & coniecturæ per contrarias tollantur, vel æquiparentur; tamen ad excusandum, vel purgandum dolum, qui alioqui præsumitur in actu naturaliter malo, quale est homicidium in primo casu allatum, vehementes coniecturæ requiruntur. ibid.

Si adessent in primo etiam casu coniecturæ tales, quæ præsumptum alioqui dolum purgarent; idem dicendum esset in illo, quod in secundo casu diximus. ibid.

1 ADuerto 1. cum dubium de homicidio esse possit, vel circa conditionem subiecti, in quo commissum est delictum, vel circa eius perpetrationem, vel circa personam delinquentem, & delictum perpetrantem, vt colligitur ex *Præposit. in 3. p. q. 5. de Irregularit. num. 61. & ex Gibalin. loco inferius citando num. 16. prope fin.* hic, dubium non esse quo ad primam, nec quo ad secundam dubitandi rationem, hominis enim cædem hic consummatam, ac certam suppono; sed dubitari tantum de culpæ in tali cæde commissæ grauitate, ac proinde quo ad delinquentem. Si enim etiam cædes ipsa incerta esset, ac proinde dubium esset de occisione ipsa, v. g. si non constaret, neque post adhibitam debitam diligentiam comperti quicquam haberi posset, num cadauer inimici hominis ab alio quopiam extincti, in quod postea Titius sæuijt in Ecclesia, reuera adhuc spiraret, vel si in Ecclesia lethaliter percussus alio abijsset, neque resciri posset, an reuera interijsset, &c. tunc Ecclesia in nullo foro censenda esset polluta per tale homicidium taliter incertum, ac dubium; Iura enim de homicidio Ecclesiæ pollutiuo loquentia, semper loquuntur in casu, in quo iam constat de vero homicidio, & hominem reuera interijsse certum est. Hoc autem à fortiori colligitur ex dictis à *Gibalino de Irregularit. c. 4. q. 1. num. 17. & 22.* nam neque Ecclesiæ pollutio, non secus ac Irregularitas ipsa, de qua ipse loquitur, alibi, quam in casibus à iure expressis, asserenda est.

2 Aduerto 2. Theologicam culpam in homicidio saltem indirectè voluntario posse ex communi sentẽtia esse leuem ratione subreptionis, & inaduertentiæ, quæ minuat voluntarium, & liberum sufficiens ad peccatũ mortale; licet enim homicidij actus versetur circa grauissimam materiam (nam quocũque modo mors contingat, semper grauissima censebitur, & erit iactura vitæ) si tamen indeliberatus sit, & non perfectè humanus, quis dicat actum vsque adeo imperfectum, & vix humanum fore grauiter peccaminosum, & æterna proinde pœna plectendum? & hæc est ratiocinatio *Bann. 2-2. qu. 64. art. 8. 2. p. dub. 2. concl. 5. & Gibalin. l. c. q. 2. p. 2. num. 5. vers. Tertio, culpa Theologica*, qui de consimili materia loquuntur.

3 Aduerto 3. Casum nostrum contingere posse, si dubitetur, num ad tale homicidium adfuerit ea deliberatio, quæ sufficiens sit ad mortale peccatum, vel ea tantum deliberationis imperfectio; quæ mortalem quidem; sed non venialem culpam excludat, pro vt mox dicebamus.

4 Dico 1. Ecclesiam in dato casu per homicidium in ea commissum, de quo dubitetur, num grauiter, vel leuiter tantum culpabile fuerit, præsumendam esse pollutam. Ratio est, quia, cum homicidium sit omnino ex se graue delictum, & quidem lege Diuina, ac naturali prohibitum; lex in eo iustè præsumit dolum: vnde, qui illud committit, scienter, & dolosè illud commisisse præsumitur, quia effectus causam demonstrat, prout cum multis tradit *Menoch. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 3. num. 45. & seq.* & *Caball. de omni genere homicidij num. 280. & seq.* omne enim maleficium praue factum præsumitur, nisi contrarium probetur; & consequenter in prædicto dubio præsumitur homicidium grauiter culpabile, ac Ecclesiæ subinde pollutiuum fuisse, vt ex prædictis necessario infertur.

5 Dico 5. Ecclesiam per eam hominis cædem ibi commissam, de qua dubitetur, num graui, vel leui, vel nulla etiam culpa culpabilis fuerit, cum æquales sunt probationes, & coniecturæ, præsumendam esse non pollutam. Sicuti enim, quando dubium est, an quis culpam commiserit, vel non, condemnari is non debet; sed absolui, vt post *Baldum, Oldradum, & Alexandrum* respondit *Crauet. in consil. 151. num. 19. & Decian. in consil. 29. num. 34. lib. 1.* apud *Menoch. l. c. num. 138.* ita, quando probationes dubiæ fuerint tàm pro delicto, quàm contra illud, contra delictum standum est, & consequenter per tale delictum dubium in Ecclesia factum ea non est præsumenda polluta, quod etiam in simili casu diximus supra num. 1. quando enim dubitatur, num talis cædes hominis fuerit licita, vel illicita, dubitatur exinde simul, num fuerit tunc commissum homicidium, nec ne, in quo dubio iam patet ex dictis Ecclesiam non pollui.

6 Dices. Ecclesia ex dictis *num. 4.* præsumenda est polluta, quando dubitatur, num homicidium in ea commissum grauiter, vel leuiter culpabile fuerit, ergo idem etiam dicendum est, quando dubitatur, num occisio ibidem facta grauiter culpabilis, vel prorsus inculpabilis fuerit.

7 Respondeo negando consequentiam; disparitas autem est, quia in primo casu actus supponitur ex suo obiecto, & materia mortalis, ac proinde homicidij nomine appellatur; sed dubium solummodo est de illius grauitate ob indicia imperfectæ deliberationis: in tali autem dubio standum est pro delicto, quod possidet, & præsumendum ea omnia adfuisse, quæ ad illud requiruntur; in secundo verò casu nullum supponitur delictum; sed sola cædes, quæ ex paribus probationibus potest esse vel sine delicto, vel cum illo: vnde in hoc dubio possidet fauor, seu immunitas à delicto, cum facta, & verba in bonum sensum in dubio interpretanda sint ita, vt excludatur delictum *L. Merito, ff. pro socio, & L. In ambigua, ff. de legibus*.

8 Colligo, si probationes, & coniecturæ in secundo casu non essent pares; sed potiores pro delicto, tunc potius ibidem grauem culpam, & Ecclesiæ pollutionem præsumendam esse in foro saltem externo. Dixi, *in foro saltem externo*, quia fieri aliquando potest, vt cædes hominis, quæ in foro externo grauiter culpabilis censetur, in foro interno non nisi leuiter, quin etiam nullo modo culpabilis sit, vel contra: licet autem probationes, & coniecturæ per contrarias tollantur, vel æquiparentur; tamen ad excusandum, & purgandum dolum, qui alioqui præsumitur in actu naturaliter malo, quale est homicidium in primo casu allatum, vehementes coniecturæ requiruntur, vt respondit *Aretin. in consil. 80. num. 2.* & adnotauit *Menoch l. c. num. 123.* quæ si adessent, etiam in primo casu tunc idem dicendum esset, quod in primo.

CAPVT X.

An Ecclesia per homicidium quodcumque grauiter culpabile in ea commissum polluatur.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium committi potest tum contra Iustitiam, tum contra Charitatem, num. 1.*
2 *Qui non subueniunt extremè indigenti, latè tantum Homicidæ dicuntur, num. 2.*
3 *Homicidij nomine, quando in Iure absolutè ponitur, intelligitur illicita hominis cædes contra Iustitiam, num. 3.*
4 *Ecclesia non polluitur per vllam hominis occisionem in ea factam, nisi fuerit contra Iustitiam, num. 4.*
5 *Iniuria quid sit. ibidem.*
6 *Iniuriosum homicidium esse debet, vt sit Ecclesiæ pollutiuum. ibidem.*
7 *Cur omnis illicita, & peccaminosa hominis cædes sit contra Ecclesiæ reuerentiam, si in Ecclesia fiat; sed non semper Ecclesiam polluat, num. 5.*

1 ADuerto 1. homicidium committi posse tum contra Iustitiam, tum contra Charitatem tantum, vt præclare constat ex *Soto de Iustit. & Iure l. 5. q. 1. art. 3. ad prim. Molin. tr. 3. disp. 76. num. 3. & 4. Filliuc. tom. 2. tr. 29. c. 3. num. 41. Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 9. dub. 21. num. 136. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. num. 2. à S. Faustio de restitut. disp. 25. q. 10. Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 7. num. 125. Regin. tom. 1. l. 10. c. 22. num. 324. Chapeauil. de Cas. Reseru. c. 3. de Homicid. q. 2. vers. Quinto neque illam. Belloch. de Cas. Reseru. p. 2. q. 6. num. 44. Megal. Instit. peregr. p. 3. l. 7. c. 2. num. 75. Marc. Serio de restitut. disp. 5. diffic. 2. qu. 3. num. 6. Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 1. n. 8. & q. 2. n. 4.* ac alijs apud allatos.

2 Aduerto 2: quamuis, qui non subueniunt proximo extremè indigenti, quando solum ad id tenentur ex Charitate, late dicantur

homicidæ (quo genere loquendi sæpe vtuntur Sancti Patres) peccant enim contra debitam conseruationem vitæ proximi; tamen propriè nô dici homicidium vllam hominis occisionem, nisi sit iniusta, prout egregiè docent *Rebell. de obligat. Iust. p. 1. l. 3. q. 11. num. 1. & seq. Valent. in Sum. tom. 3. disput. 5. qu. 8. punct. 1. assert. 3. Castropalao de Censur. disp. 6. punct. 15. §. 7. num. 1. Bonac. de Irregularit. disp. 7. q. 4. punct. 8. num. 37. Floron. de Cas. Reseru. p. 2. cas. 4. num. 1.* & propemodum ij omnes, quos superiore numero adduximus.

3 Aduerto 3. *ex Gibalin. de Irregularit. c. 4. qu. 1. nu. 8 & 25.* homicidij nomine, quando absolutè in iure ponitur, intelligendam esse cædem illicitam contra quintum Decalogi præceptum, hoc est, contra Iustitiam, & non tantum contra Charitatem. Quare

4 Dico Ecclesiam non pollui per hominis occisionem ibi factam, nisi hæc fuerit contra Iustitiam, ac proinde verè, & propriè homicidium fuerit; iura enim, per quæ hæc Ecclesiæ pollutio inducitur, de homicidio, non de quacumque hominis occisione loquuntur, & cum legem inducant odiosam, nullo modo extendenda sunt, vt ex iam dictis patet. idipsum autem colligitur etiam ex Doctoribus passim, qui homicidium, vt Ecclesiæ pollutiuum sit, iniuriosum esse volunt: iniuria autem propriè non dicitur, nisi fuerit contra Iustitiam, cum nihil aliud ea sit, quam alieni Iuris violatio. Ità *Glossa in Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. in principio. Abbas in Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles. num. 2. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ, nu. 4. Syluest. V. Consecratio 2. q. 5. casu 1. Tabien. ibi §. 4. num. 5. Armil. 16. num. 5. Victor. in Sum. Sacram. qu. 99. de Eucharist. Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. ad 2. dicto 4. Nauar. in Manual. c. 27. num. 256. Verbo, iniuriosè. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. conclus. 6. nu. 7. Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 48. num. 23. Viuald. de Interd. tit. 3. num. 10. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 4. Tolet. l. 5. c. 5. num. 7. casu 1. Henriq. l. 9. de Missa, c. 27. num. 5. Comment. litt. I. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. Aula p. 5. de Censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 1. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. casu 1. & 2. Reginald. in praxi l. 29. c. 9. sect. 5. nu. 180. Fagnud. primi Ecclesiæ præcepti l. 3. c. 14. nu. 8. Persic. de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 12. Barbos. de Potest. & Offic. Episc. alleg. 28. nu. 2. Corona de Sacr. Templ. p. 1. c. 36. Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 53. Coninch. q. 83. num. 22. Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 11. sect. 3. num. 32. Stephan. à S. Gregor. de Diuina piet. vinc. l. 3. c. 21. num. 14. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 43.* & cæteri communiter.

5 Colligo, licet hominis occisio quæcumq. peccaminosa, etiam contra Charitatem tantum, sit aliquomodo etiam contra reuerentiam Ecclesię debitam, si in ea fiat; tamen inde inferri non posse, quod sit propterea Ecclesiæ pollutiua: cum enim lex loquatur de occisione iniusta, hoc est, de Homicidio, comprehendere non debet occisionem, quæ iniusta non sit, quamuis multipliciter, & grauiter aliundè mala fuerit, quod melius adhuc clarebit ex cap. sequenti.

CAPVT XI.

An Ecclesia per homicidium quodcumque grauiter iniustum in ea commissum polluatur.

SVMMARIVM.

Per homicidium quatuor personarum differentijs iniuria infertur, & quibusnam, num. 1.

Quomodo vera iniuria contra verum Iustitię Ius irrogari possit per homicidium Deo, & Homini, num. 2.

Si hominis occisio sit tantum contra loci sacri reuerentiam, & non aliunde iniusta, cur non sit Ecclesia pollutiua, num. 3.

Neque etiam si illa occisio prohibita fuerit ab Ecclesia ex dominio Iurisdictionis. ibid.

Ecclesia non polluitur per homicidium, nisi illud non solum Deo; sed etiam homini verè iniuriosum, & iniustum fuerit, num. 4.

Quacumque hominis illicita occisio videtur contra Ius Dei in vitam hominum; sed non semper contra Ius hominum. ibid.

Homicidium Ecclesiæ pollutiuum proinde verè debet esse tum voluntarium, tum iniuriosum, seu contra verum Ius hominum, num. 5.

1 ADuerto 1. per homicidium, hoc est, per iniustam hominis occisionem, iniuriam quatuor personarum differentijs irrogari, vt benè inter alios aduertit *Homobon. de Cas. Reseru. p. 2. c. 3. in principio.* Primo Deo, qui habet absolutum dominium vitæ, & necis hominum, cum hi sint eius quædam quasi possessio. Secundo toti Reipublicæ, quia hæc per hominis cædem membro, & quasi parte aliqua sui priuatur contra commune illius bonum. Tertio Familiæ, & alijs, in

in quorum potestate erat occisus, vel quibus vtilis esse poterat, & debebat. & Quarto ipsi occiso, cui vita eripitur, & tanto bono spoliatur.

2 Aduerto 2. quomodo per homicidium iniuria propriè contra verum ius alterius irrogari possit & Deo, & Hominibus, egregiè explicari ab ingeniosissimo *Sfortia Pallauicino Assert. Theologic. l. 4. c. 12. num. 100.* dicente supremum Dei dominium constare cum dominio Creaturæ in hoc, quod licet earundem rerum, quarum est dominus Deus, possit esse domina Creatura: Deum tamen habere dominium adæquatum, & independens, vt potè potentem iustè disponere perfectè, & absolutè de re in omni casu citra voluntatem Creaturæ, cum e conuerso nemo possit de illa disponere citrà voluntatem Diuinam: Creaturam verò posse disponere non in omnes vsus; sed solum in non vetitos à Deo, tanquam domino proprietatis: & rursus Creaturam habere Ius, vt nemo alius possit vti re illa contra voluntatem ipsius Creaturæ dominæ, nisi id specialiter concedatur à Deo.

3 Aduerto 3. licet per homicidium in Ecclesia perpetratum videatur iniuria quodammodo inferri etiam Ecclesiæ, eo quod illud sit contra reuerentiam loco sacro debitam; tamen hoc non esse rigorosum iustitiæ Ius; sed ortum ex Religione obligans nos tantum ad reuerentiam, & cultum, qui per abstinentiam à talibus actionibus in loco sacro illi præberi debet: ac proinde, nisi actio illa aliunde sit iniusta, iniusta non fiet ex eo tantum, quod sacrilege in loco sacro fiat. Sicuti nec iniusta fiet aliqua actio ex eo, quod ab Ecclesia prohibeatur ex dominio Iurisdictionis, quia talis Ecclesiæ prohibitio non faciet eam actionem sic prohibitam esse cõtra Iustitiam; sed contra Obedientiam, nisi, vt dixi, aliunde etiam iniusta fuerit.

4 Dico Ecclesiam non pollui per homicidium, nisi verè illud non solum Deo; sed etiam Homini iniuriosum fuerit. Probatur, quia quando occisio hominis dicitur iniusta, ex communi vsu loquendi non habetur respectus ad perfectissimum, & supremum Dei dominium, nec ea dicitur homicidium, seu cædes iniusta, quod sit contra prædictum Dei dominium, vel Deo iniuriosa, quod Diuinum proprietatis Ius in vitam hominũ lædat; sed solum attenditur Ius hominum, & ea occisio intelligitur iniusta, quæ non Dei tantum, sed hominum etiam Ius ad propriam vitam conseruandam, & tuendam lædit. Alioqui nulla fortasse hominis occisio dici posset contra Charitatem, & non contra Iustitiam; nam semper omnis quomodocumque illicita occisio videtur contra Ius Dei in illius hominis occisi vitam, vt rem acrius intuenti patebit.

5 Colligo homicidium Ecclesiæ pollutiuum debere verè, ac propriè esse tum grauiter peccaminosum, ac proinde voluntarium, tum grauiter iniuriosum; ac propterea iniustum, contra ius rigorosum iustitiæ alterius hominis. Quænam verò occisiones ob defectum alterutrius ex prædictis homicidij conditionibus, vel etiam ob aliam causam futuræ sint loci sacri pollutiuæ, vel non, ex peculiaribus aliquibus casibus inferius decidendis abunde colligi poterit.

CAPVT XII.

An per homicidium quomodolibet voluntarium Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Voluntarium tribus modis accipitur, num. 1.
Voluntarium quomodo definiatur, ibid.
Vt actio aliqua sit voluntaria, quænam requirantur, num. 2.
Homicidium voluntarium aliud directè, aliud indirectè tale est, & quid vtrumque sit, num. 3.
Homicidium voluntarium non ità accipitur à Theologis, vt à Iurisperitis, & in quo differant. ibid.
Homicidium explicitè, seu implicitè volitum quomodo à directè, seu indirectè volito distinguatur. ibid.
Quodnam Homicidium à Concil. Trident. dicatur ex proposito, per industriam, per insidias, *& ab alijs* ex dolo, & culpa. *ibid.*
Homicidium formaliter, vel interpretatiuè volitum quid sit. ibid.
Per homicidium siue directè, siue indirectè voluntarium Ecclesia polluitur, num. 4.
Homicidium intentum in causa per se, quatenus est causa productiua talis effectus, est directè voluntarium, num. 5.
Sæpissimè in foro externo homicidium, quod verè est indirectè tantum voluntarium, cur directè voluntarium præsumatur. ibid.

1 ADuerto 1. voluntarium tribus modis accipi: Primò latissimè, prout idem est, ac spontaneum, & omnibus cognoscentibus, etiam brutis conuenit. Secundò ma-

homicidæ (quo genere loquendi sæpe vtuntur Sancti Patres) peccant enim contra debitam conseruationem vitæ proximi; tamen propriè nō dici homicidium vllam hominis occisionem, nisi sit iniusta, prout egregiè docent *Rebell. de obligat. Iust. p. 1. l. 3. q. 11. num. 1. & seq. Valent. in Sum. tom. 3. disput. 5. qu. 8. punct. 1. assert. 3. Castropalao de Censur. disp. 6. punct. 15. §. 7. num. 1. Bonac. de Irregularit. disp. 7. q. 4. punct. 8. num. 37. Florou. de Cas. Reseru. p. 2. cas. 4. num. 1.* & propemodum ij omnes, quos superiore numero adduximus.

3 Aduerto 3. *ex Gibalin. de Irregularit. c. 4. qu. 1. nu. 8 & 25.* homicidij nomine, quando absolutè in iure ponitur, intelligendam esse cædem illicitam contra quintum Decalogi præceptum, hoc est, contra Iustitiam, & non tantum contra Charitatem. Quare

4 Dico Ecclesiam non pollui per hominis occisionem ibi factam, nisi hæc fuerit contra Iustitiam, ac proinde verè, & propriè homicidium fuerit; iura enim, per quæ hæc Ecclesiæ pollutio inducitur, de homicidio, non de quacumque hominis occisione loquuntur, & cum legem inducant odiosam, nullo modo extendenda sunt, vt ex iam dictis patet. idipsum autem colligitur etiam ex Doctoribus passim, qui homicidium, vt Ecclesiæ pollutiuum sit, iniuriosum esse volunt: iniuria autem propriè non dicitur, nisi fuerit contra Iustitiam, cum nihil aliud ea sit, quam alieni Iuris violatio. Ità *Glossa in Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. in principio. Abbas in Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles. num. 2. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ, nu. 4. Syluest. V. Consecratio 2. q. 5. casu 1. Tabien. ibi §. 4. num. 5. Armil. 16. num. 5. Victor. in Sum. Sacram. qu. 99. de Eucharist. Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. ad 2. dicto 4. Nauar. in Manual. c. 27. num. 256. Verbo, iniuriosè. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. conclus. 6. nu. 7. Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 48. num. 23. Viuald. de Interd. tit. 3. num. 10. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 4. Tolet. l. 5. c. 5. num. 7. casu 1. Henriq. l. 9. de Missa, c. 27. num. 5. Comment. litt. I. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. Auila p. 5. de Censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 1. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. casu 1. & 2. Reginald. in praxi l. 29. c. 9. sect. 5. nu. 180. Fagund. primi Ecclesiæ præcepti l. 3. c. 14. nu. 8. Persic. de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 12. Barbos. de Potest. & Offic. Episc. allegat. 28. nu. 2. Corona de Sacr. Templ. p. 1. c. 36. Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 53. Coninck. q. 83. num. 22. Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 11. sect. 3. num. 32. Stephan. à S. Gregor. de Diuina piet. vinc. l. 3. c. 21. num. 14. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 43.* & cæteri communiter.

5 Colligo, licet hominis occisio quæcumq. peccaminosa, etiam contra Charitatem tantum, sit aliquomodo etiam contra reuerentiam Ecclesię debitam, si in ea fiat; tamen inde inferri non posse, quod sit propterea Ecclesiæ pollutiua: cum enim lex loquatur de occisione iniusta, hoc est, de Homicidio, comprehendere non debet occisionem, quæ iniusta non sit, quamuis multipliciter, & grauiter aliundè mala fuerit, quod melius adhuc clarebit ex cap. sequenti.

CAPVT XI.

An Ecclesia per homicidium quodcumque grauiter iniustum in ea commissum polluatur.

SVMMARIVM.

Per homicidium quatuor personarum differentijs iniuria infertur, & quibusnam, num. 1.
Quomodo vera iniuria contra verum Iustitię Ius irrogari possit per homicidium Deo, & Homini, num. 2.
Si hominis occisio sit tantum contra loci sacri reuerentiam, & non aliunde iniusta, cur non sit Ecclesiæ pollutiua, num. 3.
Neque etiam si illa occisio prohibita fuerit ab Ecclesia ex dominio Iurisdictionis. ibid.
Ecclesia non polluitur per homicidium, nisi illud non solum Deo; sed etiam homini verè iniuriosum, & iniustum fuerit, num. 4.
Quæcumque hominis illicita occisio videtur contra Ius Dei in vitam hominum; sed non semper contra Ius hominum. ibid.
Homicidium Ecclesiæ pollutiuum proinde verè debet esse tum voluntarium, tum iniuriosum, seu contra verum Ius hominum, num. 5.

1 ADuerto 1. per homicidium, hoc est, per iniustam hominis occisionem, iniuriam quatuor personarum differentijs irrogari, vt benè inter alios aduertit *Homobon. de Cas. Reseru. p. 2. c. 3. in principio.* Primo Deo, qui habet absolutum dominium vitæ, & necis hominum, cum hi sint eius quædam quasi possessio. Secundo toti Reipublicæ, quia hæc per hominis cædem membro, & quasi parte aliqua sui priuatur contra commune illius bonum. Tertio Familiæ, & alijs,

in

in quorum poteſtate erat occiſus, vel quibus vtilis eſſe poterat, & debebat. & Quarto ipſi occiſo, cui vita eripitur, & tanto bono ſpoliatur.

2 Aduerto 2. quomodo per homicidium iniuria propriè contra verum ius alterius irrogari poſſit & Deo, & Hominibus, egregiè explicari ab ingenioſiſſimo *Sfortia Pallauicino Aſſert. Theologic. l. 4. c. 10. num. 100.* dicente ſupremum Dei dominium conſtare cum dominio Creaturæ in hoc, quod licet earundem rerum, quarum eſt dominus Deus, poſſit eſſe domina Creatura: Deum tamen habere dominium adæquatum, & independens, vt potè potentem iuſtè diſponere perfectè, & abſolutè de re in omni caſu citra voluntatem Creaturæ, cum è conuerſo nemo poſſit de illa diſponere citrà voluntatem Diuinam: Creaturam verò poſſe diſponere non in omnes vſus; ſed ſolum in non vetitos à Deo, tanquam domino proprietatis: & rurſus Creaturam habere Ius, vt nemo alius poſſit vti re illa contra voluntatem ipſius Creaturæ dominæ, niſi id ſpecialiter conceſſdatur à Deo.

3 Aduerto 3. licet per homicidium in Eccleſia perpetratum videatur iniuria quodammodo inferri etiam Eccleſiæ, eo quod illud ſit contra reuerentiam loco ſacro debitam; tamen hoc non eſſe rigoroſum iuſtitiæ Ius; ſed ortum ex Religione obligans nos tantum ad reuerentiam, & cultum, qui per abſtinentiam à talibus actionibus in loco ſacro illi præberi debet: ac proinde, niſi actio illa aliunde ſit iniuſta, iniuſta non fiet ex eo tantum, quod ſacrilege in loco ſacro fiat. Sicuti nec iniuſta fiet aliqua actio ex eo, quod ab Eccleſia prohibeatur ex dominio Iuriſdictionis, quia talis Eccleſiæ prohibitio non faciet eam actionem ſic prohibitam eſſe cōtra Iuſtitiam; ſed contra Obedientiam, niſi, vt dixi, aliunde etiam iniuſta fuerit.

4 Dico Eccleſiam non pollui per homicidium, niſi verè illud non ſolum Deo; ſed etiam Homini iniurioſum fuerit. Probatur, quia quando occiſio hominis dicitur iniuſta ex communi vſu loquendi non habetur reſpectus ad perfectiſſimum, & ſupremum Dei dominium, nec ea dicitur homicidium, ſeu cædes iniuſta, quod ſit contra prædictum Dei dominium, vel Deo iniurioſa, quod Diuinum proprietatis Ius in vitam hominū lædat; ſed ſolum attenditur Ius hominum, & ea occiſio intelligitur iniuſta, quæ non Dei tantum, ſed hominum etiam Ius ad propriam vitam conſeruandam, & tuendam lædit. Alioqui nulla fortaſſe hominis occiſio dici poſſet contra Charitatem, & non contra Iuſtitiam; nam ſemper omnis quomodocumque illicita occiſio videtur contra Ius Dei in illius hominis occiſi vitam, vt rem acrius intuenti patebit.

5 Colligo homicidium Eccleſiæ pollutiuum debere verè, ac propriè eſſe tum grauiter peccaminoſum, ac proinde voluntarium, tum grauiter iniurioſum; ac propterea iniuſtum, i. contra ius rigoroſum iuſtitiæ alterius hominis. Quænam verò occiſiones ob defectum alterutrius ex prædictis homicidij conditionibus, vel etiam ob aliam cauſam futuræ ſint loci ſacri pollutiuæ, vel non, ex peculiaribus aliquibus caſibus inferius decidendis abunde colligi poterit.

CAPVT XII.

An per homicidium quomodolibet voluntarium Eccleſia polluatur.

SVMMARIVM.

Voluntarium tribus modis accipitur, num. 1.

Voluntarium quomodo definiatur, ibid.

Vt actio aliqua ſit voluntaria, quænam requirantur, num. 2.

Homicidium voluntarium aliud directè, aliud indirectè tale eſt, & quid vtrumque ſit, num. 3.

Homicidium voluntarium non ità accipitur à Theologis, vt à Iuriſperitis, & in quo differant. ibid.

Homicidium explicitè, ſeu implicitè volitum quomodo à directè, ſeu indirectè volito diſtinguatur. ibid.

Quodnam Homicidium à Concil. Trident. dicatur ex propoſito, per induſtriam, per inſidias, *& ab alijs* ex dolo, & culpa. *ibid.*

Homicidium formaliter, vel interpretatiuè volitum quid ſit. ibid.

Per homicidium ſiue directè, ſiue indirectè voluntarium Eccleſia polluitur, num. 4.

Homicidium intentum in cauſa per ſe, quatenus eſt cauſa productiua talis effectus, eſt directè voluntarium, num. 5.

Sæpiſſimè in foro externo homicidium, quod verè eſt indirectè tantum voluntarium, cur directè voluntarium præſumatur. ibid.

1 ADuerto 1. voluntarium tribus modis accipi: Primò latiſſimè, prout idem eſt, ac ſpontaneum, & omnibus cognoſcentibus, etiam brutis conuenit: Secundò ma-

gis propriè, prout ob intellectualis substantiæ voluntate prodit, siue id sit necessarium, quomodo Beati voluntariè, sed necessario (quod ex *Sfort. Pallauic. Assert. Theologic. l. 1. nu. 48.* est perfectissimum voluntarium) Deum amant clare visum, siue sit liberum. Tertiò communiter, & propriissimè, prout ex rationis deliberatione procedit, quomodo peccatum dicitur malum voluntarium, & hoc voluntarium ab *Aristot. 3. Eth. cap. 5.* definitur. Cuius principium est in agente cognoscente singula. Hinc

2 Aduerto 2. vt actio aliqua voluntaria sit, requiri, vt clare docet *Francisc. de Lugo Decurs. praeuij p. 2. in proloq. capitis 1.* Primo, vt procedat ab intrinseco principio, non ab extrinseco. Secundo, vt, quod agitur, ab agente cognoscatur. Tertio, vt cognoscantur singula, i. omnia essentialia, ex quibus actio dependet, v. g. si Petrus ense Patrem occidat, vt voluntarium Parricidium sit, requiritur, vt Petrus sciat, quem occidit, esse hominem, & esse Patrem, & ensem esse ad id aptum, ac sufficientem.

3 Aduerto 3. homicidium voluntarium apud Theologos aliud esse directè voluntarium, quod scilicet aut directè in se, aut in sua causa proxima, & inseparabili, atque vt tali cognita, volitum est; aliud autem indirectè voluntarium, quod scilicet præuisum fuit secuturum contingenter ex aliqua actione, & causa, quæ liberè, non obstante illa præuisione homicidij inde fortassis secuturi, posita est: quod enim omnino præter intentionem, & præuisionem agentis accidit, omnino casuale, & fortuitum est, de quo iam actum est. Dixi, *apud Theologos*, cum enim Theologi culpam duntaxat attendant, omne homicidium culpabile, seu peccaminosum, voluntarium vocant, quocumque modo voluntarium sit; quod autem expers culpæ est, quamuis obiectiuè, & materialiter iniquum sit, casuale, & fortuitum dicunt: at verò Iurisperiti illud tantum voluntarium homicidium nominant, quod est directè volitum siue in se, siue in sua causa proxima, necessaria, & inseparabili, atque vt tali cognita; qui enim vult eam causam ponere, necessario, & eadem voluntate vult homicidium ab ea inseparabile, nam vtrumque directè vult, causam expressè, seu explicitè, effectum verò implicitè: illam primario; hunc autem secundario; totum tamen obiectum vna formaliter indiuisibili actione intendit, licet expressè de effectu fortè non cogitet, atque hoc homicidium à *Concil. Trident. sess. 14. c. 7.* appellatur *Ex proposito*, *Per industriam*, *Per insidias*, & ab alijs vocatur *Ex dolo, & culpa*. homicidium verò indirectè tantum voluntarium à Iurisperitis dicitur Casuale, Fortuitū, & Inuoluntarium, non simpliciter; sed directè, quia præter intentionem operantis illud accidit, & interpretatiuè tantum, seu indirectè volitum fuit, quæ tamen indirecta, & interpretatiua intentio sufficit, vt effectus tribuatur intendenti, & ponenti causam, atque vt illi culpa imputetur. quæ est doctrina sapientissimi *Gibalin. de Irregularit. c. 4. qu. 1. num. 2. & 3.* qui mihi omnium optimè rem hanc perdifficilem explicasse visus est.

4 Dico per homicidium siue directè, siue indirectè voluntarium (si enim neq. directè, neque indirectè voluntarium esset, tunc casuale, ac fortuitum homicidium esset, de quo iam superius dictum fuit) Ecclesiam pollui. Ratio est, quia homicidium etiam indirectè tantum voluntarium semper est culpabile, licet eo modo loquendi Iurisperitorum casuale nominetur, qui enim vult causam, vult etiam causæ effectum, *L. 1. ff. si vsus fruct. pet.* vnde directè, & indirectè voluntarium non mutat speciem peccati, & qui indirectè voluit homicidium, tàm verè est homicida, quàm qui illud directè intendit, vt expressè docuit *Gibaln. l. c. q. 2. num. 2.* in terminis autem nostris ità sentiunt communiter DD. apud *Suar. de Relig. tom. 1. tract. 2. l. 3. c. 2. num. 2.* cum enim ius simpliciter loquatur de homicidio contentioso, seu peccaminoso, tale autem sit homicidium, si propter indirectam voluntatem culpabile sit, idcircò etiam homicidium indirectè voluntarium sufficiet ad effectum polluendi Ecclesiam. & ità intelligenda est *Glossa in Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. & Panormit. in Cap. Proposuisti, de Consecrat. Eccles. num. 2.* qui eodem modo loquuntur. idipsum porro dicunt *Durand. in Ration. Diuin. Offic. l. 1. c. 6. num. 40. Antonin. Angel. Syluest. Tabien. Armilla, Sotus, Rodriq. Graff. Sayr.* & alij quamplures cum *Persico de praecip. Sacerdot. Offic. lib. 1. cap. 7. dub. 1. num. 8. & Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 15.*

5 Colligo, licet verum sit, quando actio aliqua est causa tantum per se; sed non necessaria, nec inseparabilis ab effectu, v. g. ab homicidio, tunc (nisi illa causa intendatur quatenus est productiua talis effectus) non intendi directè illum effectum, v. g. homicidium, quamuis cognoscatur, & præuideatur futurus in sua causa; sed intendi directè causam, & indirectè effectum; tamen sæpissimè in foro externo, quod vtitur præsumptione, prædictum homicidium censeri directè

rectè voluntarium, quia præsumitur intentum formaliter, & non interpretatiuè tantū, in causa per se illius libere posita. Vnde, qui percussit alterum, & occidit, etiamsi non intenderit illius occisionem, & à mortali vulnere (quod tamen errante manu intulit) cauere voluerit, reuera homicidium commisit indirectè tantum voluntarium, ac proinde in iure Casuale dictum; sed, cum eius voluntas animo lateat, mortem ipsam intendisse præsumetur, & homicidium illud directè voluntarium censebitur, & in iure Voluntarium simpliciter appellabitur, vt preclare monuit *d. Gibalin. l. c. q. 1. num. 3.*

CAPVT XIII.

An Ecclesia polluatur, si in ea ex errore Petrus occidatur à volente occidere Paulum.

SVMMARIVM.

Dupliciter propositus casus contingere potest, num. 1.

Si volens occidere Paulum aberret inculpabiliter à scopo, & occidat Petrum proximè stantem, per hanc Petri occisionem cur non polluatur Ecclesia. ibid.

Eadem ratio militat etiam in secundo casu, si bene perpendatur, num. 2.

Nunquam actio exterior dicitur voluntaria, nisi directè, vel indirectè procedat ab intentione, ità vt vel formaliter, vel virtualiter intendatur, num. 3.

Si volens occidere Paulum, occidat Petrum, quem certo existimabat esse Paulum, & inuincibiliter ignorabat esse aliam personam, per hanc Petri occisionem non polluitur Ecclesia, num. 4.

Neque incurreretur in prædicto casu excommunicatio Can. Si quis suadente, & c. *quamuis tàm Petrus, quàm Paulus Clerici essent, ibidem.*

Si volens occidere Paulum, occidat Petrum, vel alium, quem vincibiliter ignorabat ibi fortasse subesse, per hanc Petri, vel alterius occisionem Ecclesia polluitur, num. 5.

Si quis antea intendisset occidere Petrum, & Paulum; sed, dum actu occidit Paulum, certo existimasset se occidere Petrum, & contra, ita vt inuincibiliter ignorasset sub alterius persona alterum subesse, per neutram ex his occisionibus Ecclesia pollueretur, num. 6.

1 ADuerto 1. dupliciter casum contingere posse: primo, si volens occidere Paulum aberret inculpabiliter à scopo, & occidat Petrum Paulo vicinum; secundo, si volens occidere Paulum, percutiat Petrum, quem ex errore existimat esse Paulum. In primo casu omnes communiter concedunt Petrum mere casualiter, ac verè fortuito occisum fuisse à volente occidere aliam personam, i. Paulum; quia, inquiunt, actio illa externa, prout attingit aliam personam ab intenta, est omnino inuoluntaria, & inculpabilis, supponimus enim à percutiente vel non cognitum fuisse periculum aberrandi, & percutiendi aliam personam ab intenta, vel adhibitam fuisse debitam diligentiam, ne aliam personam ab intenta percuteret, ideoque Petrum non voluntariè, & per consequens neque peccaminosè percussum fuisse à volente percutere Paulum: vnde neque Ecclesia per prædictam Petri occisionem habenda erit polluta, cum non nisi per hominis cædem voluntariam, ac iniuriosam polluatur, vt iam vidimus. Quare difficultas, & quidem non leuis, est in secundo casu, de quo in vtramque partem acriter à DD. disputatur; sed

2 Aduerto 2. in secundo etiam casu, si bene perpendatur, eandem militare rationem, quæ in primo ob clariorem personarum diuersitatem clarius elucescit; siue enim periculum fuerit, ne ictus, si forrasse à Paulo aberraret, in vicinam aliam personam quampiam, puta in Petrum, caderet, de quo in primo casu agitur; siue periculum fuerit, ne ibi subesset alia persona, nisi intenta, puta Paulus, quod in secundo casu tractatur, certè in vtroque casu, cum effectus, vt sit voluntarius in sua causa, ex qua ille sequitur, debeat esse in ea præuisus, & præcognitus, vel vincibiliter, & culpabiliter ignoratus, in vtroque, inquam, casu Petri occisio esse poterit in sua causa iuxta occidentis intentionem, præuisionem, & cautelam, vel negligentiam voluntaria, vel non voluntaria, ac subinde Ecclesiæ pollutiua, vel non, vt inferius statuemus. Quare

3 Aduerto 3. nunquam actionem exteriorē dici voluntariam, nisi eadem vel directè, vel indirectè procedat ab intentione operantis, & vel formaliter, vel virtualiter intendatur; vt satis ex iam dictis erui potest, & expresse tradit *Suar. de Censur. disput. 22. sect. 1. num. 54. ac Fagund. de 2. Eccles. præcep. l. 4. c. 15. num. 15.*

4 Dico 1. Si volens occidere Paulum intendebat occidere tantum Paulum, & non alium,

alium, quia scilicet certò existimabat talem hominem esse Paulum, & inuincibiliter, ac inculpabiliter ignorabat sub talis hominis persona subesse aliam personam, quæ non esset Paulus, dico, inquam, per occisionem Petri sic à volente occidere Paulum factam non pollui Ecclesiam, quia hæc Petri occisio non fuit vllo modo voluntaria volenti occidere Paulum tantum, non fuit enim illi voluntaria directè, quia hoc iam certissimum supponitur, nec etiam indirectè, i. in ipsa actione, quia, quamquam hæc ex se, & materialiter apta erat tendere, & terminare, tàm ad Petrum, quàm ad Paulum; effectus tamen nunquam est voluntarius in causa, vt dixi, nisi in ea sit præuisus, vel culpabiliter ignoratus; in nostro autem casu volens occidere Paulum non præuidit hunc effectum, i. Petri occisionem, ex tali causa, i. ex sua ipsius actione, qua volebat occidere Paulum, nec vlla illi subijt de tali effectu non intento cogitatio, vel dubitatio, quando causam posuit, immo nec cogitauit se debere dubitare, aut vlterius hac de re cogitare; vel certè, si dubitauit, & prædicta cogitauit, adhuc certò existimauit se habere eam certitudinem de persona Pauli, quæ excluderet post adhibitam debitam diligentiam omne periculum vincibilis, & culpabilis ignorantiæ circa omnem aliam personam, & propterea talis effectus, Petri videlicet occisio, fuit omnino non voluntarius volenti modo prædicto occidere Paulum, ità *Suarez l. c.* vnde merito *Merolla tom. 1. disp. 1. c. 2. num. 71.* & alij eum pro hac sententia citant, quicquid *Bardi discept. 6. de conscient. c. 8. §. 2. num. 3.* hac de re in contrarium dixerit. ità etiam clarissimè *Th. del bene de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 31. coroll. 2. ac seq. & subsect. 33. coroll. 7. nec non de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 4. sect. 17. num. 4. Portel. in Dub. Regul. V. Manus violentæ, num. 9. Fragos. tom. 2. l. 1. disp. 2. §. 1. num. 36. Dian. p. 9. tr. 4. resolut. 31.* & nouissimè *Gregor. Caraffa de duello, pag. 430.* qui grauissimorum Theologorũ sententiam hanc esse affirmat, omnes autem prædicti DD. per præfatam Petri occisionem proinde nec excommunicationem (etiamsi tàm Petrus, quàm Paulus Clericus fuisset) incurri senserunt, & in terminis nostris de Ecclesiæ pollutione conclusionem hanc ipsam tradunt *Fagund. l. c.* qui hanc communem hodie doctrinam esse dicit, & *Francisc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. num. 44.*

5 Dico 2. Si volens occidere Paulum, licet directè intenderet occidere tantum Paulum, & non alium; tamen cognouit, vel vincibiliter; & proinde culpabiliter ignorauit sub persona Pauli, i. eius hominis, quem is putabat esse Paulum, fortasse subesse aliam personam distinctam à Paulo; quia scilicet is habuit notitiam, vel dubium, vel scrupulum, vel aliam cogitationem obligantem eum vel ad rei veritatem magis indagãdam, vel ad prædictam actionem omittendam, per quam Paulum occidere directè intendebat, & nihilominus talem actionem sic exercuit, dico, inquam, per occisionem Petri, vel alterius sic à volente occidere Paulum factam, pollui Ecclesiam, quia hæc actio sic occidentis Petrum fuit illi voluntaria, non quidem directè, directè enim ferebatur tantum in Paulum; sed indirectè, & in causa ipsa, quæ voluntariè posita fuit, & in qua etiam Petri occisio præcognita, vel saltem culpabiliter ignorata fuit: voluntaria autem ignorantia voluntarium facit effectum ex ea pendentem, vt per se patet.

6 Colligo, etiamsi antea intẽdisset quispiam occidere Paulum, & Petrum; sed, dum actu occidebat Paulum, certò existimasset se occidere Petrum, &, dum occidebat Petrum, certò item existimasset se occidere Paulum, ità vt inuincibiliter ignorasset sub persona vnius alterum subesse, per neutram ex illis occisionibus Ecclesiam pollui, quia vtraque talis externa Petri, & Pauli occisio fuisset occisori non voluntaria, prout ex prædictis consequenter infertur, & expressè docuit *Th. del bene l. c. de Parlamentis.*

CAPVT XIV.

An Ecclesia per hominis interfectionem ibi ex ioco, vel ludo secutam polluatur.

SVMMARIVM.

Iocus, & Iocosa actio quid sint, num. 1.

Iocosa actio quomodo, si postea in iurgium, & rixam excreuerit, faciat cædem inde secutam esse Ecclesiæ pollutiuam, num. 2.

Ex actione iocosa communiter non nisi casualis cædes sequi solet, num. 3.

Aliquando tamen ex ea sequitur etiam homicidium culpabile. ibidem.

Ecclesia per hominis interfectionem ibi ex ioco, vel ludo secutam non polluitur, nisi actio, & causa eius interfectionis fuerit talis, vt effectus in ea voluntarius moraliter censeri debeat, num. 4.

Siue

Siue iocus, & ludus, ex quo secuta est hominis occisio, fuerit licitus, vel illicitus, num. 5.
Cap. Continebatur, de homicidio volunt. vel casual. *ità explicatur, vt nihil contra prædicta vrgeat. ibid.*

1 ADuerto 1. cum iocum vocemus contrarium serio, per iocosam actionem eam intelligi debere, quæ ioci gratia fiat. Quamuis autem hominis cædes ex actione per iocum, vel ludum secuta inter casuales communiter computanda videatur; tamen aliquos hac de re multipliciter dubitasse video, vt videre est apud *Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 15.* Quamobrem

2 Aduerto 2. nos hic non loqui de actione, quæ à principio fuerit iocosa, & postea in iurgium, & veram rixam excreuerit, indeq; secuta sit hominis cædes, cum enim hæc non merè casualis; sed verè voluntaria fuerit, per hanc certum est Ecclesiam pollui, vt benè aduertit *Durand. in Rational. Diuin. Offic. l. 1. c. 6. num. 40. Fagund. l. c. & Persicus de præcip. Sacerd. Offic. lib. 1. c. 7. dub. 1. num. 10.* sed sermo hic erit de hominis occisione, quæ ex actione propriè iocosa secuta sit, circa quam tamen adhuc

3 Aduerto 3. rationem dubitandi esse, quia, licet ex iocosa actione non nisi casualis omnino cædes, & nullo modo nec directè, nec indirectè voluntaria sequi soleat, vel quod in actione iocosa prædicta nullum prænideatur cædis secuturæ periculum, vel quod ad illud vitandum, & cauendum debita adhibeatur diligẽtia; nihilominus actio ipsa iocosa tam imprudens aliquando, & periculosa est, vt è conuerso homicidium inde secutum indirectè in ea voluntarium censeri possit, prout benè monuit *Suarez l. c. Reginald. in Prax. l. 29. num. 180. & Mazuchell. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 14.* propterea

4 Dico Ecclesiam per hominis interfectionem ibi ex ioco, vel ludo secutam non pollui, nisi actio & causa talis fuerit, vt effectus in ea voluntarius moraliter censeri debeat, prout iam explicatum est. ità *Glossa in Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. notabil. 1. Syluest. V. Consecratio, 2. num. 5. Nauar. cap. 27. num. 256. Henriquez, Azor.* & alij plerique apud *Fagund. l. c. Rodriqu. Graff. & Martin. Ledesm. cum Persico l. c. Sayr. l. 5. Thesaur. c. 16. num. 4. Tolet. in Sum. l. 5. c. 8. num. 7. causa 1. Mazuchel. l. c. Th. del bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastic. c. 2. dub. 2. sect. 3. num. 34. & seq. & Steph. à S. Gregor. de Diu. piet. vinc. l. 3. c. 21. num. 15.*

5 Colligo, etiamsi ludus, aut iocus, vnde secutum est homicidium, non fuerit honestus, sed fuerit actio iniuriosa Ecclesiæ, qualis esset repræsentatio tragœdiæ inhonestæ; tamen idipsum dicendum esse, quod mox in conclusione num. 4. diximus, quia talis actio non est mortalis in genere homicidij contra quintum Decalogi præceptum, qualis esse deberet ad hoc, vt in illa illud voluntarium dici posset, & propterea illud est omnino casuale non secus, ac si secutum fuisset ex ioco, vel ludo licitè, honesteque facto, & non periculoso. idemque colligetur ex ijs, quæ inferius dicemus de seminis effusione præter intentionem secuta in Ecclesia ex causa in alio genere peccaminosa. ità nobiscum sentiunt *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. casu 2. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 15. Mazuchel. de Casib. Reseru. disput. 2. c. 6. diffic. 2. nu. 15. Thom. del bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. c. 2. dubit. 2. sect. 3. num. 40. Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 54. & frater eius Francisc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. nu. 44.* contra *Nauar. Rodriq. Sayr. & Azor. apud Persicum de præcip. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. nu. 11.* qui istorum sententiam probabiliorem appellat, eamque nouissimè secutus est *Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 41. & seq.* neque *Cap. Continebatur, de homicid. volunt. vel casual.* quod pro se ab aduersarijs affertur, contra nos est, quia Diaconus ibi irregularitatis damnatur ob non adhibitam debitam diligentiam in cauendo homicidij periculo, quod in eo genere ludi erat, siquis falce, aut cultro succinctus luderet, vt benè aduertit *Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 2. consectar. 1. num. 12.*

CAPVT XV.

An Ecclesia per homicidium in ea à puero ante vsum rationis, vel ab amente, vel à furioso, vel ab ebrio, vel à dormiente, vel à phrenetico, & c. factum polluatur, & quid in dubio tantum.

SVMMARIVM.

Homicidium à prædictis factum quomodo esse possit aliquando in causa voluntarium, nu. 1.
Homicidium non fit in ebrietate voluntarium, & grauiter culpabile ex eo tantum, quod homi-

homicida peccauerit se inebriando, num. 2.

Nec ex eo tantum, quod illud ille præuidere debuerit ex ebrietate secuturum. ibid.

Neque etiam tale erit, si illud in ea imperfectè tantum præuisum, & per venialem tantum culpam maior consideratio prætermissa, vel in eo vitando leuis solummodo negligentia, vel ebrietas ipsa non mortalis fuerit, num. 3.

Ecclesia per homicidium in ea à puero ante rationis vsum, vel ab amente, &c. factum non polluitur, nisi illud verè fuerit grauiter in genere veri homicidij culpabile, num. 4.

Et nisi præuisum fuerit quà secuturum in Ecclesia ipsa, num. 5.

In dubio puer præsumitur rationis impos ante exactum septimum annum; secus verò post eam ætatem. ibid.

Amentia, ebrietas, & similia non præsumuntur, nisi probentur. ibid.

In dubio de grauitate, vel leuitate talium defectuum standum est prudentis Iudicis arbitrio. ibidem.

1 ADuerto 1. cum ex superius dictis homicidium Ecclesiæ pollutiuum debeat esse grauiter culpabile, proinde, si in prædictis casibus graue peccatum non esse certo supponatur, certum etiam esse, quod per nullum eiusmodi homicidium Ecclesia polluatur, vt doctè, ac diffusè ostendit *Io. Bapt. Gargiar. de aquis vc. 1 2. num. 2.* cum prædicta tamen homicidia videri possint aliquando in suis causis voluntaria, v.g. si ea præuisa fuissent ab homicidis ipsis ante ebrietatem, vel ante somnum, &c. nec ad ea cauenda debitam adhibuissent diligentiam, vel certè cum hac de re dubium esse possit, propterea hic etiam certi aliquid statuendum videri, vt dubijs omnibus, quà possumus, occurramus.

2 Aduerto 2. adhoc, vt homicidium ex ebrietate secutum dicatur voluntarium in causa, satis non esse, quod homicida peccauerit se inebriando: aliud enim est peccatum ebrietatis, aliud homicidij, neque ebrietas est causa necessaria, & inseparabilis ab homicidio, vt ex se liquet. immo neque satis ad id esse, quod ille ad homicidij inde fortè secuturi periculum aduertere, & illud præuidere debuerit, id enim imputari voluntati non potest, cuius nulla præcessit cognitio, vel actualis aduertentia, cum voluntas cæca sit, nec feratur in incognitum; sed opus esse, vt aliqua cogitatio, seu dubitatio intercesserit, quæ illum ad inquirendam maiorem notitiã euentus, vel periculi obligaret, nec enim debitum præuidendi viget, dum nulla subit cogitatio, vnde præuideri possit, prout egregiè docuit cum multis *Franc. de Lugo Decurs. præu. p. 2, c. 2. q. 1. num. 6. & seq.* quomodo enim volitum censeri potest, quod nullo modo cognitum est?

3 Aduerto 3. neque prædictum homicidium in sua causa, v. g. in ebrietate grauiter peccaminosum fore, si illud imperfectè in ea præuisum, & per venialem tantum culpam maior consideratio prætermissa, vel negligentia in eo vitando leuis solummodo, aut etiam ebrietas ipsa non mortalis fuerit: cum enim tale homicidium in sola causa voluntarium supponatur, nequit illud maiorem culpam habere, quam causa, vel defectus considerationis, vel negligentia ipsa in eo vitando habuerit, prout præclare monuit *Less. l. 4. c. 3. num. 28. & seq.*

4 Dico Ecclesiam per homicidium in ea à puero ante rationis vsum, vel ab amente, &c. factum non pollui, nisi illud vere fuerit in sua causa modo iam dicto voluntarium, & grauiter in genere veri homicidij peccaminosum. Patet hæc conclusio ex prædictis, colligitur ex *Franc. de Lugo, & Less. ll. cc.* atque in primis ex *Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 3. consectar. 2. num. 13. vers. Tertio dormiens,* & expressè traditur à *Squillant. de obligat. Cleric. p. 5. num. 88. Franc. Ferrar. de Consecrat. Eccles. c. 37. Cassina tit. 7. num. 9. Sayr. de Censur. lib. 5. c. 16. num. 13. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 6. Fagund. Azor. Regin. & alijs cum Pexsic. de p. æcip. Sacerdot. Offic. l. 1. c. 7. dub. 1. nu. 8. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. lib. 5. c. 6. q. 7. num. 44. Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. q. 1. diffic. 2. nu. 11. Castilemo in Theol. Moral. V. Consecratio Ecclesiæ, diff. 4. conclus. 2.* & communiter à Doctoribus.

5 Colligo 1, vt prædictum homicidium sacrilegum, & Ecclesiæ pollutiuum sit, necesse esse, vt illud præuisum fuerit secuturum in Ecclesia ipsa; alioqui non foret voluntarium quà sacrilegum; sed tãtum quà homicidium, & sic ad Ecclesiam polluendã non sufficeret. 2. in dubio puerum ante exactum septimum annum præsumẽdum esse rationis impotem, secus autem post eam ætatem; neminem tamen in dubio præsumẽdum esse amentem, ebrium, &c. nisi talis defectus in eo probetur per indicia, & coniecturas apparentes, vt clare docuit in terminis nostris *Barbos. l. c. n. 8. & Iordan. Eluenbrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 34.* qui ambo ibidem subdunt, quod in dubio, num talis defectus, v. g. ebrietas, verus, & grauis, vel leuis, & simulatus fuerit, Episcopi arbitrio standum erit, ad quod faciunt tradita per *Mascard. de probat. conclus. 578. & Menoch. de Arbitrar. cas. 325.*

CAPVT XVI.

An Ecclesia per homicidium in ea à nolente, vel inuito, vel coacto factum polluatur.

SVMMARIVM.

Violentia, Ignorantia, & Passio appetitus sensitiui ea sunt, quæ rationem Voluntarij, & Liberi impedire possunt, num. 1.

Passio metus, & concupiscentia circa quæ versentur. ibid.

Inuoluntarium positiuè, vel negatiuè, simpliciter, vel secundum quid, seu conditionaliter, & Non voluntarium quomodo differant. ibidem.

Violentia, seu coactio alia est propria, alia impropria, & quid vtraque sit, num. 2.

Quandonam Violentia, Metus, Ignorantia, & Concupiscentia constituant actionem vel omnino Inuoluntariam, vel secundum quid, vel Non voluntariam, vel etiam Minus voluntariam tantum. ibid.

Ignorantia Antecedens, Consequens, & Comitans qualiter differant, & conueniant, nu. 3.

Ignorantia Comitans cur iuxtà diuersam operantis cum ea dispositionem, vel habitualem tantum, vel actualem, vel generalem diuersimodè à culpa vel excuset, vel accuset, tàm interaum, quàm externum opus. ibid.

Ecclesia, si quis in ea occidatur ab eo, qui absolutè ad id coactus fuerit, per prædictam occisionem, quà talem, non polluitur, num. 4.

Quomodo eadem ipsa occisio esse possit aliunde Ecclesiæ pollutiua, num. 4.

Siquis in Ecclesia occidatur ab inuito, qui ad id per metum, vel concupiscentiam impropriè tantum coactus, vel illectus fuerit, Ecclesia per tale homicidium polluitur, nisi passio talis fuerit, vt libertatem ad mortale peccatum requisitam abstulerit, num. 5.

Siquis autem in Ecclesia per ignorantiam, ac proinde à nolente occidatur, ea non polluitur, nisi ignorantia fuerit occisori voluntaria, vel directè, vel indirectè, num. 6.

Decalogi præceptum non occidendi omnibus impositum est, & omnes obligat, nisi occisio indirectè, & per accidens fiat, num. 7.

Quomodo priuatus homo, & Respublica ipsa aliquando licitè occidant. ibid.

Ob metum mortis directè occidere, cum semper sit peccatum, nunquam licet, quicquid in contrarium aliqui dixerint. ibid.

1 ADuerto 1. cum Violentia, Ignorantia, & Passio appetitus sensitiui ea sint, quæ rationem voluntarij, & liberi impedire communiter dicuntur, vt videre est apud *Filliuc. tr. 21. nu. 65. & Sfort. Pallauicin. Assert. Theolog. l. 1. c. 5. nu. 49.* qui Passiones quidem, quæ sunt erga malum imminens, *Metus*; quæ vero sunt erga voluptatem propositam, *Concupiscentiæ* nomine appellat, proinde, quando eorum aliquid interuenit semper videndum esse, num illud actionem constituat Inuoluntariam negatiuè, idest, Non voluntariam, vel Inuoluntariam positiuè, idest contra voluntatis inclinationem, quæ iterum esse potest vel omnino inuoluntaria positiuè, vel inuoluntaria secundum quid tantum, seu cōditionaliter. Sic proiectio mercium in mare ex metu naufragij est simpliciter, & absolute voluntaria; sed inuoluntaria secundum quid, quæcumq. enim volumus, magis volumus, quam nolumus, adeoq. sunt magis voluntaria, quam inuoluntaria; licet, præscindendo à præsentibus conditionibus, & circumstantijs maioris mali imminentis, secundum se ea forent nobis omnino inuoluntaria.

2 Aduerto 2. per violentiam absolutè, propriè, & simpliciter dictam constitui actionem omnino Inuoluntariam, & inculpabilem, dummodo agens tàm ex parte voluntatis quàm exteriorum facultatum violentiam ipsam nolit, & eam propulset, quantum potest, & debet; per Vim, & coactionem impropriam, conditionalem, & secundum quid tantum, qualis est quicumque metus, constitui regulariter actionem Inuoluntariam solummodò secundum quid: per Ignorantiam, nisi sit vincibilis, vel affectata, idest nisi ipsamet ignorantia sit directè, vel indirectè volita, actionem constitui tantummodo Non voluntariam, seu Inuoluntariam negatiuè: per Concupiscentiam denique regulariter actionem non nisi minus voluntariam fieri, quatenus ea rapit voluntatem modo illi indebito, immediatè illam trahendo ad obiectum delectabile, & reddit operationem minus ab intrinseco, quam si fieret à sola cognitione obiecti sine illicio concupiscentiæ, vt egregiè docuit, *Pallauic. l. c. num. 51.* vnde eam efficit consequenter minus liberam. Dixi *regulariter*, quia aliquando passio, siue sit metus, siue concupiscentiæ, est adeo vehemens, vt vel totaliter, vel magna ex parte impediat vsum rationis, & tunc vel omnino impedit libertatem, vel eam saltem, quæ ad peccatum mortale requiritur.

3 Aduerto 3. cum certum apud omnes sit, quod Ignorantia Antecedens, & Consequens

in eo differunt, quod illa non est volita, & est causa actus; hæc vero cõtra: conueniunt antem in eo, quod in vtroque casu, si adesset scientia, actus non fieret, in quo à Concomitante differunt, & dubium tantum videri possit, num Ignorantia Concomitans excuset prorsus opus externũ à malitia sic inuincibiliter ignorata, nec ne: v. g. num, qui proiecit sagittam in hostem, quem inuincibiliter existimabat esse feram, sit nec ne homicidij reus, quia ità dispositus erat, vt libentius eundem occisurus esset, si hostem agnouisset: idcircò iuxtà diuersam operantis cum ignorantia concomitanti dispositionem diuersimodè dubium resoluẽdum esse; si enim occisor prædictus feræ habuit dispositionem habitualem tantum ad occidendum hostem, & dum sagittam proiecit, hostis non meminit, in tali casu nec externum, nec internum homicidium commisit, per dispositionem enim habitualem non peccatur formaliter, donec illa prodeat in actum; Si verò habuit dispositionem actualem ad hostem occidendum, ac proinde cum volitione proijciendi sagittam in existimatam feram habuit etiam cupiditatem actualem occidendi hostem; tunc commisit homicidium internum tantũ; non autem externum; nam actus externus non fuit imperatus à prædicto prauo occidendi hostis affectu; sed à sola voluntate feram occidendi, quæ homicidij culpã nullam continet. Quod si dispositionem habuit generalem, & proijciendo sagittam actualem habuit volitionem occidendi quicquid erat in eius conspectu, siue illud esset homo, siue fera, tunc, licet putaret esse feram, commisit homicidium internum, & externum, quia sub illa generali dispositione actuali occisoris continebatur actualiter hominis occisio, licet illam secuturam ignoraret, nam voluntas illa actualis, & generalis fecit actum subsequentem voluntarium, cum in ea sagittarius sufficienter cognouerit, vel cognoscere potuerit, & debuerit occisionem inimici, quam consequenter voluit in sua causa. quæ omnia suppono ex tractatu de Voluntario, & inuoluntario, & videri breuiter possunt apud *Molfesium in Sum. tom. 1. tr. 8. c. 2. Sanch. in Decal. l. 1. c. 16. num. 13. & seq. Bonacin. de peccat. disp. 2. q. 5. punct. 3. num. 34. Regin. l. 1. num. 20. & Franc. de Lugo p. 2. Decurs. prau. c. 4. q. 1.* His autem præiactis

4 Dico 1. Ecclesiam, siquis in ea occidatur ab eo, qui absolutè, simpliciter, & propriè coactus ad id fuerit, per prædictam occisionem, quà talem, non pollui. Patet ex iam dictis *num.* 2. ea enim occisio, quà talis, est omnino inuoluntaria. Dixi tamen *quà talis*, quia, si prædicta vis, & coactio voluntariè, & liberè illata fuisset prędicto homini coacto ab alio homine cogente, verè tunc eadem occisio, quà cogenti voluntaria, & libera, esset verum homicidium Ecclesiæ pollutiuũ non secus, ac si ad illud ipsum homicidium ille idem, qui coacto vsus est, tanquam instrumento ad illud patrandum, alio inanimato instrumento, v. g. sagitta, vsus fuisset, vt per se patet. Dixi *ab alio homine voluntariè, & liberè cogente*, quia, si prædicta vis, & coactio prædicto coacto homini illata fuisset ab amente, vel ebrio, &c. tunc talis occisio nec quà immediatè à coacto facta, nec quà mediatè à cogente volita, & effectiuè obtenta, esset verum homicidium, neque subinde Ecclesia pollueretur.

5 Dico 2. Ecclesiam, siquis in ea occidatur ab inuito, qui ad id scilicet impropriam tantum coactionem, vel illectionem ex metu, vel concupiscentia (libertatem tamen non tollente) passus sit, verè inde pollui. quia voluntas sic coacta, vel illecta, adhuc est voluntas, & tale homicidiũ simpliciter loquendo voluntarium fuit, licet aliquid inuoluntarij admixtum habuerit, vel minus voluntarium fuerit, quam alias sine prædictis passionibus fuisset, vt constat ex prædictis.

6 Dico 3. Ecclesiam, siquis in ea per ignorantiam, ac propterea à nolente occidatur, non pollui, nisi ignorantia occisori fuerit voluntaria vel in se, vel in causa, ac proinde in generali, & actuali dispositione illa, de qua *num.* 3. abundè dictum fuit.

7 Colligo, cum ex *Caramuele in Theolog. Moral. lib. 4. de v. Decal. praecept. num.* 1597. quintum Decalogi præceptum non occidendi sit omnibus impositum, ità vt nemo possit vllo prætextu, aut titulo ab illius obligatione eximi, nunquam proinde ob quemcumque metum licere directè hominem occidere, nisi indirectè, & per accidens id fiat, quomodo priuatus homo, cum habeat ius se defendendi, potest id facere etiam cum inuasoris excidio, si aliter nequeat, quod etiam à fortiori Reipublicæ concedendum est, vt ex insequentibus apertissimum erit: nam ob nullum metum peccatum fieri debet, vt habetur in *Cap. Sacris, de his, quæ vi*. cum malum culpæ, quantumuis leue, excedat quodlibet malum pœnæ, quantumis grauissimum: vnde neque ob tuendam vitam licet hominem directè occidere, quam Catholicam esse sententiam dicit *Castropal. l. infra citando,* quia talis actio, posito etiam mortis metu, adhuc praua est, & nullo pacto licere potest,

id

id enim metu mortis facere non eſt maius malum vitare, vt affirmare videtur *Euſtratius ſuper 3. Eth. c. 1. Gloſſa in L. penult. ff. ſi familia furtum feciſſe dicatur, Iaſon. Inſtit. de Actionib. §. ſi minus, num. 17. Cynus in L. 1. C. vnde vi, q. penult. Salicet. ibi, & Bart. in L. ſi ſeruus, ff. de noxalib. action.* ſed admittere, cum maius malum ſit quodlibet peccatum ipſa morte, vt expreſsè docet *Auguſt. relat. Cap. Primum, & Cap. Nequis, 22. q. 2. D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4. & q. 125. art. 4.* quem ſequuntur Theologi, & Iuriſtæ communiter. Videantur *Caſtropal. tom. 1. tr. 2. diſp. 1. punct. 13. n. 4. Azor. tom. 1. l. 1. c. 10. q. 12. Sanch. de Matrim. l. 4. diſp. 1. num. 6. & in Decal. l. 1. c. 18. num. 1. Bonacin. de peccat. diſp. 2. q. 8. punct. 2. nu. 7. Salas 1. 2. tract. 3. diſp. 3. ſect. 1. num. 29. & Dian. p. 3. tr. 6. reſol. 48.* vnde, quænam ob metum aliquando, vel nunquam licere queant, abundè haberi poterit.

CAPVT XVII.

An, ſiquis liberè, & culpabiliter alterius occiſionem impedire omiſerit, Eccleſia per illam, quà talem, ibi ſecutam polluatur.

SVMMARIVM.

Duobus modis aliquis ab alio occidi dicitur; per commiſſionem, & per omiſſionem, nu. 1.

Quid neceſſario ſupponendum ſit in hoc caſu propoſito. ibid.

Ad effectum ex omiſſione voluntarium DD. communiter tria requirunt, vt omittens ſciat, poſſit, & debeat effectum illum impedire, num. 2.

Effectus mihi eſt phyſicè, ſeu quaſi phyſicè voluntarius; etiamſi eum vitare non tenear. ibidem.

Non erit tamen mihi imputatiuè, ſeu culpabiliter voluntarius, niſi eum vitare tenear. ibid.

Quomodo inconueniens non ſit peccata dici Deo indirectè, & quaſi phyſicè; nullatenus tamen culpabiliter voluntaria. ibid.

Quando effectus ex culpabili noſtra omiſſione ſequitur, peccamus contra eam virtutem, cuius præcepto tenebamur effectum illum impedire, num. 3.

Eccleſia nunquam polluitur per hominis occiſionem in cauſa tantum negatiua, & in pura omiſſione culpabilem, nu. 4.

Pura omiſſio non eſt vera, & propria homicidij cauſa; ſed impropria, metaphorica, & per æquiualentiam quandam tantum. ibid.

Nuda, & ſimplex non defenſio, ſeu pura non impeditio homicidij non facit idcircò aliquem Irregularem. ibid.

Neq. polluitur Eccleſia, etiamſi prædicta omiſſio fuerit contra iuſtitiam, & in vindictam, ac proinde ex intentione occiſionis inde ſecutura, num. 5.

Homicidium Eccleſiæ pollutiuum debet eſſe voluntarium ſaltem in cauſa poſitiua, & phyſica phyſicè, & poſitiue influente in illud; non autem in ſola cauſa morali. ibid.

Cur, ſi quis ſciens omiſit grauiter debitam diligentiam in actione ſua grauiter periculoſa homicidij, per tale homicidium inde ſecutum polluatur Eccleſia; non autem per homicidium ex alia omiſſione ſuperius dicta, num. 6.

1 ADuerto 1. cum ex *Filliuc. tr. 29. c. 8. num. 124.* duobus modis aliquis ab alio occidi dicatur: Primo commiſſione, ſeu per exceſſum, quando quis verè, & poſitiuè actione ſua in homicidium influxit: Secundo omiſſione, ſeu per defectum, quando non fecit aliquid, ex cuius omiſſione ſecuta ſit mors alterius: in hoc noſtro propoſito caſu ſupponi, quod prædicta occiſio non fuerit aliunde culpabilis, nec proinde Eccleſiæ pollutiua, niſi fortè ex prædicta omiſſione. Exempli cauſa. Si ea facta fuiſſet ab amente; ſed eam alius ſanæ mentis impedire potuiſſet, & noluiſſet, quo in caſu occiſio prædicta, niſi fortè quà ex voluntaria, & culpabili impeditionis omiſſione proueniens, quod hic in quæſtione eſt, Eccleſiæ pollutiua non eſſet.

2 Aduerto 2. cum *Franc. de Lugo p. 2. decurſ. prauij, c. 2. q. 2. num. 18.* licet communiter DD. apud *Io. Sanch. diſp. 21. num. 5.* ad effectum ex omiſſione voluntarium requirant, vt omittens non ſolum cognoſcat, & poſſit; ſed etiam debeat talem effectum impedire; alioquin, inquiunt, peccata omnia eſſent Deo voluntaria, cum ea impedire poſſit, & non impediat; nihilominus effectum poſitiuum in cauſa præuiſum, nec intentum, quem vitare non teneor; eſſe mihi voluntarium indirectè, non quidem moraliter, imputatiuè, & culpabiliter; ſed phyſicè, ſeu quaſi phyſicè. nec puto eſſe inconueniens, ſicut permiſſio peccatorum Deo ſimpliciter voluntaria dicitur, ſic ipſa peccata cum tali permiſſione connexa, dici Deo voluntaria indirectè, quaſi phyſicè; ſed nullatenus imputabiliter, ſeu culpabiliter. fauent etiam huic doctrinæ *Valent. tom. 2. diſp. 2. q. 1. punct. 1. Salas* cum multis *1. 2. tr. 3. diſp. 1. ſect. 4 num. 45. & 46.* eamque apertiſſimè tenet *Filliuc. tr. 21. c. 2. n. 72.*

3 Aduerto 3. quando effectus ex omiſſione

secutus nobis est imputabiliter voluntarius, tanquam causæ morali illius effectus, tunc nos peccare contra illam virtutem, cuius præcepto tenebamur effectum illum impedire; si tamen deliberatè noluimus illum impedire, Vnde, qui tenetur ex iustitia impedire, contra iustitiam peccat non impediendo; qui ex charitate, contra charitatem, &c.

4 Dico 1. Ecclesiam nunquam pollui per hominis occisionem ibi factam, quæ in causa tantum negatiua, & in pura omissione; non autem in positiua illius causa, & positiuè influente in occisionem ipsam, culpabilis fuerit. Ratio autem est, quia cum Ecclesiastica pollutio non imponatur ab homine; sed ipso iure incurratur, cumque omnes textus, qui prædictam pollutionem statuunt ex homicidio, loquantur de homicidio per rixas, & contentiones, & positiuè facto, quod puræ, & simplici omissioni, aut non defensioni conuenire non potest, consequenter hominis occisio ex nuda, & simplici omissione, & omnis actionis carentia secutus, & in ea solummodo culpabilis, non est homicidium illud, de quo Iura pollutionem statuentia loquuntur: Iura autem pœnalia, & odiosa amplianda non sunt, neque eorum voces in laxiori, & minus propria significatione accipiendæ, ita vt homicidium dicamus voluntarium in causa; licet hæc impropriè tantum, & solummodo per quandam æquiualentiam homicidij causa fuerit, qualis est pura omissio, & non impeditio homicidij, de qua hic loquimur. vnde propter eandem rationem nunquam, vt benè *Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 1. num. 41.* docuit, pura, & simplex non defensio iniuriæ proximi, quamuis occidatur, aut mutiletur, facit eum, qui non defendit, irregularem, nisi accedat aliqua actio positiua, siue physica, siue moralis, per quam non defendens positiuè influat in eam occisionem, aut mutilationem.

5 Dico 2. etiamsi prædicta non impeditio occisionis, seu omissio defensionis, ex qua occisio in Ecclesia secuta est, fuisset non solum contra charitatem; sed etiam contra iustitiam culpabilis, eo quod omittens impeditionem occisionis ad eam occisionem impediendam, & ad occisi defensionem ex contractu, vel ex officio, ac proinde ex iustitia teneretur, immo etiamsi prædictus non impediens, & omittens prædictam defensionem id fecisset in vindictam iniuriæ ab eo, qui occidendus erat, acceptæ, ac proinde non impediisset eam occisionem ex intentione eiusdem occisionis secuturæ; adhuc per eam occisionem, si in prædicto non impediente tantummodo culpabilis fuit, vt suppono, Ecclesiam non pollui, quia, licet prædictus non impediens censeri fortasse possit causa moralis occisionis inde secuturæ; tamen verè non fuit causa positiua positiuè influens in prædictam occisionem, vt animaduertit idem *Gibalin. l. c.* homicidium autem Ecclesiæ pollutiuum, de quo iura loquuntur, non dicitur voluntariè, liberè, & culpabiliter factum in Ecclesia, nisi illud voluntarium, liberum, & culpabile fuerit vel in se, vel saltem in causa illius physica; non autem in sola morali, vt in terminis hisce nostris præclare dixit *Francisc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. n. 48.* quod antea notauerat *Cardinal. de Lugo*, & nos superius innuimus *disput. 5. c. 3. nu. 6. & c. 10. num. 2.*

6 Colligo, quamuis is, qui sciens omisit grauiter debitam diligentiam in actione sua grauiter periculosa homicidij, secuto homicidio, verè dicatur fecisse homicidium indirectè saltem voluntarium, & subinde Ecclesiæ pollutiuum, vt colligitur ex *Disput. 5. c. 14. num. 4.* tamen non proinde Ecclesiam pollui per homicidium ex omissione tantum culpabili secutum, facta enim actione verè periculosa homicidij, & secuto inde homicidio, iam constat de homicidio verè, & propriè facto, vnde tunc solum dubitari potest, num fuerit voluntarium in faciente, & voluntarium asseritur, quia ponens veram, & physicam homicidij causam, & effectum culpabiliter non impediens per debitam diligentiam ad eum vitandum requisitam, verè, & propriè influit in homicidium per commissionem, & non per nudam, & simplicem omissionem, vt egregiè docuit *Vasquez c. 2. disp. 101. n. 14. & disput. 119. c. 2.*

CAPVT XVIII.

An Ecclesia per homicidium polluatur, si plures causæ in illud influxisse videantur; sed voluntarium fuerit in vna tantum.

SVMMARIVM.

Omnis influxus, & cooperatio ad homicidium ad causam Efficientem, Materialem, Formalem, & Finalem reduci potest, num. 1.

Homicidium Ecclesiæ pollutiuum non est, nisi sit voluntarium, & grauiter culpabile in causa positiua, physica, & efficiente. ibid.

Facere

Facere quinam verè dicantur in iure, & quinam interpretatiuè tantum. ibid.

In odiosis facere non dicuntur, qui interpretatiuè tantum faciunt. ibid.

Causa physica positiuè influens in homicidium, alia totalis, alia partialis, & quid vtraque sit, num. 2.

Duæ personæ quintupliciter esse possunt vnius homicidij efficientes causa, nu. 3.

Homicidium non est Ecclesiæ pollutiuum, nisi voluntarium, & liberum sit saltem in causa hic, & nunc sufficiente ad illud, nu. 4.

Quandonam, qui vult causam, verè dicatur velle in ea effectum. ibid.

Si duo in Ecclesia lethaliter, & eodem tempore percutiant Titium, qui ob eas percussiones certo lethales moriatur, licet percutientium alter mentis impos sit; nihilominus polluitur Ecclesia, nu. 5.

Si prædicti percussores, alter scilicet sanæ mentis; alter autem mentis impos, vnus post alium lethaliter Titium percutiant, & mentis impos sit vltimus percussor, post cuius percussionem Titius statim intereat, Ecclesia non polluitur, num. 6.

Quid si Titius in dato casu non statim intereat? ibidem.

Quid si sanæ mentis percussor sit vltimus? ibid.

Si prædictorum percutientium alter certo lethaliter; alter verò non lethaliter, vel dubiè Titium percutiant, indeq. percussus moriatur, homicidium præsumitur causatum à percussione certo lethali, & per illud polluitur Ecclesia, si lethaliter percutiens sanæ mentis sit, num. 7.

Secus verò dicendum est, si lethalis percussio à mentis impote illata sit. ibid.

Si neutrius percussoris percussiones, nec singillatim, nec coniunctim sumptæ constituant vnam causam ex prudenti Medicorum iudicio sufficientem ad homicidium, etiamsi percussus moriatur, Ecclesia non præsumitur polluta, nu. 8.

Si prædictarum percussionum neutra singillatim; sed vtraq. tantum simul sumpta, sint causa sufficiens ad homicidium, ita vt inde mors secuta censeatur, Ecclesia non polluitur, nisi percussor sanæ mentis tale periculum in talibus circunstantijs ex tali consortio præcedentis, vel concomitantis causæ præuidere, vel præcauere grauiter neglexerit, num. 9.

In foro tamen externo, & in tali casu facile talis negligentia præsumetur. ibid.

Quid si sanæ mentis percussor tale periculum præuidere potuit ex consortio subsequentis causæ ab alio ponendæ? ibid.

Si vtriusq. percussoris prædicti percussiones, etiam simul sumptæ, post adhibitam debitam diligentiam, dubiæ adhuc censeantur, num sint ambæ simul vna causa sufficiens ad mortem Titio inferendam, tunc, etiamsi hic obierit, nec alia appareat prædicti obitus causa, cur Ecclesia tamen inde polluta censeri non debeat, nu. 10.

In dubio mors à vulnere, seu percussione causata præsumitur, alia causa non apparente. ibid.

1 ADuerto 1. cum ex *Socin in Cap. Ad audientiam, de homicid. volunt. & casual. num. 327. Nauar. in Manual. c. 27. num. 219. & Megal. Instit. peregrin. p. 3. l. 7. c. 2. num. 82.* omnis hominum influxus, seu concursus, & cooperatio in homicidium ad quatuor causas à Philosophis enumeratas reduci possit, nimirum ad Efficientem, Materialem, Formalem, & Finalem: ad Efficientem enim causam spectat, qui facit, vel iubet, vel mandat, vel iuuat: ad Materialem, qui sciens dat arma, vel venenum adhibendum, vel deducit aliquem ad locum homicidij: ad Formalem, qui instruit, vel docet, vel suggerit, aut adhortatur, vel consilium dat ad homicidium: ad Finalem deniq. qui præmium, vel receptationem, vel defensionem homicidæ pollicetur, satis clare hinc patere Ecclesiam non pollui per homicidium in ea factum, nisi illud fuerit voluntarium, & grauiter culpabile, non solum in causa illius positiua, & Physica, quod ex præcedenti capite constat; sed etiam efficiente; *Cap.* enim *Proposuisti, De consecrat. Eccles.* loquitur de homicidio per contentiones, & rixas facto; in iure autem non dicuntur verè agere, seu facere, nisi ij, qui faciunt; idest exercent, seu exequuntur actionem illam, de qua iura loquuntur; cæteri verò, consulentes scilicet, fauentes, & c. moraliter, vel interpretatiuè tantum facere dicuntur, qui proinde, maximè in odiosis, facientium nomine non veniunt, vt videre est apud *Caiet. V. excommunicatio*, paulo post principium, *vers. & personas, Tabien. V. Excommunicatio, 5. cas. 49. num. vlt. Nauar. in Sum. c. 27. num. 51. Henriq. l. 13. de Excommunicat. c. 17. nu. 2. in fine, & c. 21. num. 1. in Comment. lit. G. Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 7. num. 142. Sanch. de Matrim. l. 7. disp. 48. nu. 3. Auil. p. 2. de Censur. c. 5. disp. 3. dub. 2. Vgolin. de Simon. tab. 4. c. 8. nu. 4. & Suar. de Censur. disp. 4. sect. 3. num. 5.*

2 Aduerto 2. causam physicam, & efficientem homicidij dupliciter ad illud se habere posse, & in illud positiuè influere, vel vt totalem, vel vt partialem: partiales causas hic eas appello, quarum nulla per se sufficiens sit ad tale homicidium; Totales autem, quarum vnaquæq. ad illud satis sit.

3 Ad-

3 Aduerto 3. causas ipsas totales in homicidium influentes posse, vel simul agere, idest eodem tempore, vel diuerso tempore, ita vna alij præcedat; licet omnes in idem homicidium semper tendant. Immo concausæ istę efficientes homicidium possunt esse ad illud hic, & nunc sufficientes; in alijs autem casibus insufficientes; quæ omnia clarius patebunt, si dicamus duas v.g. personas quintupliciter posse esse efficientes causas vnius homicidij; Primo, si coniunctim percutiant; Secundo, si diuisim: Tertio, si ambæ certo lethaliter: Quarto, si neutra lethaliter, vel dubiè tantum: & Quinto, si altera lethaliter; altera verò non lethaliter, vel dubiè: quibus positis,

4 Dico 1. in vniuersum homicidium non esse Ecclesiæ pollutiuum, nisi illud voluntarium, & liberum sit, saltem in causa hic, & nunc sufficiente ad mortem inferendam. Si enim insufficiens hic, & nunc sit ad homicidium efficienter, & effectiuè causandum, talis causa hic, & nunc non habet eam connexionem cum homicidio, quæ necessaria est ad hoc, vt tale homicidium voluntarium verè sit in sua causa: tunc enim, qui vult causam, dicitur etiam velle in ea effectum, quando is ità cum ea connexus est, vt ab ea vel semper, vel saltem frequenter, vel vt plurimum dependeat, ità in proprijs terminis nostris *Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. nu. 48.*

5 Dico 2. Si duo lethaliter eodem tempore percutiant Titium in Ecclesia, & ob eas percussiones certo lethales moriatur; licet alter percutientium mentis impos sit, ac proinde prædictum homicidium non fuerit voluntarium respectu illius; sed respectu tantum alterius ex percutientibus, qui sanæ mentis supponitur; nihilominus tale homicidium esse Ecclesiæ pollutiuum. quamuis enim percussor sanæ mentis in prædicto casu non nisi causa partialis videatur talis homicidij, eo quod non fuerit absque consortio alterius causæ; verè tamen fuit causa sufficiens per se ad illud homicidium, adeo vt, ablata etiam quacumq. alia causa efficiente, influeret efficaciter in tale homicidium, & talem homicidij effectum, saltem præsumptiuè, obtineret. Vnde patet, quomodo vnusquisq. ex lethaliter percutientibus fuerit verè, & propriè causa totalis homicidij, vt optimè in simili argumento dixit *Ouiedo in Physic. controuers. 7. punct. 7. num.* 14. vnde bene habebis, num duplex causa possit in eundem effectum totaliter influere.

6 Dico 3. si prædicti duo percussores, alter sanæ mentis; alter verò mentis impos, Titium singuli diuerso tempore, idest vnus post alium, lethaliter percutiant, percussus autem statim post vltimi percussoris lethalem percussionem intereat, & mentis impos fuerit vltimus percussor, in tali casu per talem Titij interitum Ecclesiam non pollui. Exemplo res clarior fiet: Si enim Caius sanæ mentis vir Titium lethaliter percussisset, ità vt Titius verè tandem ex ea percussione moriturus esset; sed Sempronius mentis impos postea Titio caput amputasset, certè percussio à Caio illata, licet lethalis fuerit, in dato casu non diceretur mortem Titio intulisse; sed Sempronij actio, postquam statim Titij mors secuta fuit. cum ergo Sempronij actio peccaminosa non fuerit, nam is mentis impos supponitur, cumq. prima percussio à Caio mentis impote illata, & si Titiū peremptura erat, reuera tamen illum non interemerit, nec ex illa percussione mors secuta fuerit, quod ad verum, & consummatum inde homicidium omnino requiritur, consequenter nec per prędictum homicidium, nec per lethalem præfatam percussionem Ecclesia polluetur. Dixi, *Si percussus post vltimi percussoris lethalem percussionem statim intereat*, quia, si non statim post eam percussionem percussus obijsset, tunc idipsum ex eadem ratione præsumendum, & dicendum esset, quod in 2. *conclus.* asseruimus. Dixi etiam, *Si mentis impos fuerit vltimus percussor*, quia, si sanæ mentis vltimus percussor fuisset, tunc, siue statim, siue non statim percussus obijsset, Ecclesia per tale homicidium polluta fieret, quia adfuisset tum causa physica, & totalis homicidij, tum effectus ex ea secutus, & nihil defuisset ad homicidium Ecclesiæ pollutiuum, vt ex superius explicatis abundè colligi potest, & præcipuè ex *Zasio apud Couar. in Clement. Si furiosus, 2. p. §. 2. n. 3. Auila 7. p. disp. 6. sect. 3. dub. 4. Coninck disp. 18. num. 60. Bonac. de Irregularit. disp. 7. q. 4. punct. 8. num. 33. & Gibal. de Irregularit. c. 4. q. 1. consect. 9. num.* 28. ad quæ etiam faciet; quod mox inferius dicemus *cap. sequen. &* 21.

7 Dico 4. Si prædictorum percutientium alter certo lethaliter; alter vero, vel dubiè, vel non lethaliter Titium percusserit, indeque Titius mortuus fuerit, cum in hoc casu habeatur certa, & sufficiens causa subsecuti homicidij, homicidium præsumendum esse ab ea causatum; non autem à causa dubia, & multo minus à causa per se non sufficienti, qualis fuit percussio non lethalis, & propterea, si lethaliter percutiens fuerit sanæ mentis, per prædictum homicidium Ecclesiam pollutam fuisse; si vero lethaliter percutiens mentis impos fuerit, secus dicendum esse

ob

ob prædictam rationem.

8 Dico 5. Si neutrius percussoris percussiones, nec per se singulæ, nec ambæ simul vnitæ, constituant ex prudenti Medicorum iudicio vnam causam ex se sufficientem ad mortem Titio inferendam, licet postea Titius obierit; tamen Ecclesiam per talem Titij obitum non esse pollutam, quia talis Titij obitus ex alia infirmitate, vel causa, & vel ipsius, vel medicorum, vel medicamentorum, vel certè aliorum culpa secutus præsumitur: vnde, cum obitus non præsumatur in hoc casu ex prædicta causa voluntaria secutus, præsumendum non erit homicidium voluntarium, seu à prædictis percussoribus perpetratum, prout à Iudice, à cuius arbitrio hæc pendent, ità iudicandum esse docet *Menoch. de arbitrar. cas. 275. num. 11. & seq.* nec Ecclesiæ pollutiuum erit.

9 Dico 6. Si prædictarum percussionum neutra per se sit lethalis; sed vtraq. tamen simul verè habeatur causa sufficiens, ac totalis, ita vt inde mors secuta censeatur, Ecclesiam per prædictum homicidium non pollui, nisi percussor sanæ mentis tale periculum ex tali consortio præcedentis, vel concomitantis causæ præuidere, vel cauere grauiter neglexerit, quod vltimum tamen facilè præsumetur in foro externo, cum prædictum homicidium percussor in talibus circumstantijs præuidere, ac vitare debuerit. Dixi, *non pollui*, quia, cum sanæ mentis percussor partialem tantum, & ex se insufficientem causam posuerit, homicidium ex ea secutum dicere non debemus, vt supra vidimus. Dixi, *ex consortio præcedentis, vel concomitantis causæ*, quia, si sanæ mentis percussor prius percusserit, quam mentis impos; licet præuidere potuerit inferendam ab alio percussionem, non idcircò Homicidium ex prima percussione secutum dicetur, vt patet ex dictis *nu. 6.*

10 Colligo si vtriusque percussoris percussiones, etiam simul sumptæ, post adhibitam, quod semper suppono, debitam diligentiam, ità fuissent dubiæ, & dubium adhuc fuerit, num ex ambæ simul constituissent vnam causam totalem, & sufficientem ad mortem Titio inferendam, licet Titius obierit, tunc, alia non apparente prædictæ mortis causa, vtramque quidem percussionem simul sumptam præsumendam esse sufficientē prædicti homicidij causam, in tali enim dubio mors à vulnere, seu percussione causata præsumitur; sed Ecclesiam per tale homicidium præsumendam non esse pollutam, quia, cum percussio, quam sanæ mentis percussor intulit, non totalis; sed ex dictis partialis tantum, & causa per se nō sufficiens ad homicidium supponatur, in ea sola ex se homicidium prædictum præsumendum non erit voluntariū, nec proinde Ecclesiæ pollutiuum, vt rem acrius intuenti clarum fiet.

CAPVT XIX.

An Ecclesia polluatur per homicidiū volitum in causa, quæ ad illud, vel per accidens, vel remotè, vel instrumentaliter, vel dubiè tantum concurrerit.

SVMMARIVM.

Homicidij causa alia per se, alia per accidens, & quid vtraq. sit, num. 1.

Causa homicidij periculosa quanam sit. ibid.

Causa homicidij per accidens potius est occasio, quam causa. ibid.

Casus dicitur id, quod raro, seu in paucioribus solet accidere. ibid.

Causa quatuor modis dicitur proxima, totidemq. remota, num. 2.

Quanam sit causa proxima, & remota homicidij. ibid.

Voluntas nec directè, nec indirectè fertur in id, quod per accidens sequitur. ibid.

Instrumentum in quo differat à causa proxima. ibid. & num. 7. ac 8.

Instrumentalis causa homicidij quanam sit, num. 3.

Ecclesia non polluitur per homicidium volitum in causa illius tantum per accidens, num. 4.

Effectus non censetur voluntarius in causa, nisi is ex ea plerumque proueniat. ibid.

Periculum, & peccatum homicidij voliti in causa tantum per accidens leue, & veniale est, vulgoque tantum periculi nomine venit. ibid.

Periculum homicidij propriè dictum quodnam sit. ibid.

Non tenemur ex Iustitia vitare sub mortali periculum homicidij ex opere nostro per accidens secuturi, nisi fortè ex Charitate. ibid.

Per tale homicidium non pollueretur Ecclesia, etiamsi illud fuisset in tali causa intentum. ibidem.

Iura Irregularitatem statuentia in aliquibus casibus, in quibus videtur leue homicidij periculum, cur nihil vrgeant contra prædicta. ibid.

Neque polluitur Ecclesia per occisionem volitam in causa dubia, num fuerit causa per se, vel per accidens prædictæ occisionis, num. 5.

Homici-

Homicidium dubiè voluntarium non venit in odiosis nomine homicidij absolutè voluntarij. ibidem.

Cur effectus non sit voluntarius in causa dubia, licet positio causæ ipsius sit illam ponenti voluntaria. ibid.

Homicidium volitum in causa illius dubia, licet & inde secutum sit, cur non sit mortale peccatum contra iustitiam, nisi affectiuè, vel contra charitatem. ibid.

Intentio sola non facit opus iniustum. ibid.

Effectum æque frequenter prouenire, ac non prouenire ab aliqua causa signum est, talem effectum non prouenire ex natura, et conditione talis causæ. ibid.

Ecclesia non polluitur per homicidium volitum in causa tantum remota illius, num. 6.

Causa remota non imputatur ad homicidium, aut aliud delictum. ibid.

Causa remota dicitur ficta, & impropria causa. ibidem.

Quod est causa causæ, est causa causati, non strictè; & propriè; sed quodammodo, & interpretatiuè tantum. ibid.

Causa remota est per se insufficiens ad homicidium. ibid.

Causa remota quomodo aliquando sit vna, eademq. cum causa proxima. ibid.

Neq. Ecclesia polluitur per homicidium volitum in causa tantum instrumentali, num. 7.

Causa instrumentalis operatur tantum virtute causæ efficientis, & per se est insufficiens ad homicidium. ibid.

Instrumentum propriè non agit liberè; sed necessario. ibid.

Causa proxima aliquando, sed impropriè, dicitur causa remota instrumentum. ibid.

Agens liberum quomodo aliquando fieri possit instrumentum propriè dictum. ibid.

Aliquid quinque modis dici potest instrumentum, num. 8. remiss.

Quænam sint verè instrumenta Homicidij, & quænam sint verè causa efficientes eiusdem. ibidem.

Mors homini illata à bruto non est propriè homicidium. ibid.

Homicidium non fit per omissionem negatiuam, secus autem per actionem proximè priuatiuam, ex qua necessario, & naturaliter sequatur mors. ibid.

1 ADuerto 1. cum causa homicidij alia sit ex natura sua ordinata ad illud, quæ proinde causa per se illius dicitur; alia verò ad illud ex se non ordinata, quæ idcircò homicidij causa per accidens appellatur, causam per se homicidij eam esse, ex *Megal. Instit. peregrin. 1. 2. l. 3. c. 1. nu. 1.* quæ ex natura rei habet, vt ipsa posita, semper, vel vt plurimum homicidium euenire soleat, quæ propterea etiam propriè dicitur causa periculosa homicidij, vt videre est apud *Caietan. in 2. 2. q. 150. art. 1. ad 2. & Less. l. 2. c. 9. num.* 106. causam verò per accidens homicidij, quæ verius occasio dicenda esset, quam causa, eam esse, ex qua raro, seu in paucioribus sequi soleat homicidium: casus enim dicitur id, quod raro, seu in paucioribus solet accidere, quod benè explicat *Azor. p. 3. l. 2. c. 14. §. Tertio, & Quarto notandum. Mazuchel. de cas. reseru. di. p. 2. c. 4. num. 90. & Tamburin. in Method. expedit. confess. l. 3. c. 3. §. 1. & seq.*

2 Aduerto 2. licet in vniuersum causa quatuor modis dici possit proxima, totidemque remota, quos videre potes apud *Azor. tom. 1. l. 1. c. 21. q. 6. & Filliuc. tr. 20. c. 4. nu.* 106. tamen in hac nostra materia de causa proxima, vel remota homicidij per causam proximam intelligi eam, ex qua immediatè, & per se sequatur homicidium, & non per accidens (in id enim, quod per accidens sequitur, nullo modo fertur voluntas nec directè, nec indirectè) vt optimè tradit *Floron. tr. de cas. reseru. p. 2. cas. 4. num. 14. & seq.* ad quod facit *Cap. de occidendis 23. q. 5. & S. Th. 1. 2. q. 26. art. 1.* per causam verò remotam, seu mediatam intelligi eam, ex qua non immediatè, nec per se sequatur homicidium; sed mediante alia causa, quæ proximè agat, & non solum ex virtute causæ remotæ; sed etiam ex propria virtute, in quo differt à causa instrumentali, vt mox patebit.

3 Aduerto 3. per causam homicidij instrumentalem, idest, per verum, & proprium instrumentum, eam intelligi, quæ non virtute propria; sed tantum causæ principalis, & vt ab illa mota, concurrit ad homicidium, quæ cum satis per se clara sint,

4 Dico 1. Ecclesiam non pollui per homicidium in causa illius tantum per accidens. Ratio est, quia, enim effectus ex *Less. ibid. nu.* 110. voluntarius in causa non censeatur; nisi is ex ea plerumq. proueniat (qui enim raro prouenit, non magis in ea contineri, quam non contineri, immo potius minus contineri videtur) & cum à causa per accidens, nec semper, nec vt plurimum talis effectus proueniat, quod in se causæ inefficacitatem, & insufficientiam arguit, ea dicenda non est vera, & totalis causa illius homicidij, & illud proinde non tàm à causa per accidens, quàm aliunde prouenire credendum est: vnde, cum non fuerit, vt suppono, volitum, nisi in hac causa, quæ ad illud ex se sufficiens non est, nullo

modo

modo illud voluntarium erit, nec consequenter Ecclesiæ pollutiuum; etiamsi nulla adhibita fuerit diligentia ad vitandum periculum illud, quod secum affert homicidij causa per accidens, quia tale periculum, & peccatum, saltem contra iustitiam, tunc ex se leue est, & vulgo tantum periculi nomine venit: graue enim periculum, quod propriè, & veluti per antonomasiam periculum appellatur sub mortali semper vitandum, si sufficienter prævideatur, non est nisi in ea causa, quæ semper, vel plerumque effectum suum sortitur. Dixi nuper, *saltem contra Iustitiam*, quia, qui aduertit ex opere suo secuturum per accidens homicidium, fortè tenetur sub mortali cauere, ne sequatur, si commodè potest; sed tale homicidium, seu verius talis occisio, saltem non erit peccatum mortale contra Iustitiam; sed contra Charitatem, vt egregiè docuit *Less.l.c. & Sotus, ac Lopez* apud ipsum, quod satis non est ad Ecclesiæ pollutionem. immo neq. ea pollueretur, si homicidium in causa per accidens fuisset intentum: fuisset enim homicidium mentale, non externū contra Iustitiam, nec verè fuisset voluntarium; sed volitum tantum in ea causa, quod satis non est ad Ecclesiæ pollutionem. Nec huic doctrinæ obstant aliquot iura Irregularitatem statuentia in aliquibus casibus, in quibus leue tantum homicidij periculum fuisse videtur, dicendum enim est, aut ibi verè interuenisse verum homicidij periculum, eo quod plerumq. inde illud proueniret, vt sentit *Less. d.l.2.c.9.num.106.* aut per legem fuisse Irregularitate punitam talem actionem propter qualecumque illud homicidij periculum, quia ita legislatori iustis de causis placuit; etiamsi talis actio verè adiunctam non habuerit rigorosam homicidij malitiam; sed hoc non esse extendendum ad Ecclesiæ pollutionem, quæ non prouenit ex homicidio, nisi illud fuerit voluntarium in se, vel in causa illius per se, vt doctè dixit *Filliuc. tr. 20. num. 82.*

5 Dico 2. Neque Ecclesiam pollui per occisionem volitam in causa dubia, num fuerit causa per se prædictæ occisionis, vel causa tantum per accidens eiusdem: eo quod v. g. ex tali causa talis effectus æque frequenter sequi, atque non sequi soleat. Ratio autem potissima videtur, quia, cum talis effectus nec semper, nec vt plurimum sequatur à tali causa (quod est signum, ex quo colligitur dependentia talis effectus à tali causa) nec talis effectus dici potest absolutè pendens à tali causa, nec talis causa dici potest causa per se talis effectus; sed, cum modo videatur causa per se, modo videatur causa per accidens, immo, cum modo sit causa, modo non sit causa, saltem totalis, illius effectus, proinde talis effectus absolutè in tali causa voluntarius esse nequit, & inde secuta occisio consequenter absolutè voluntaria non erit in tali causa, nec per eam occisionem polluetur Ecclesia: licet enim hæc polluatur per homicidium voluntarium; nequaquam tamen per homicidium dubiè tātum voluntarium, quia hoc in Iure expressum non habemus, & nomine homicidij voluntarij, & proprij in odiosis venire non debet homicidium dubiè tantum voluntarium, seu verius, occisio dubia, num sit propriè homicidium, ne ne, vt ex alibi dictis planum est. Cum ergo ante hoc dubium, i. ante hanc occisionem, de qua dubium est, num causata per se, vel per accidens fuerit in Ecclesia, Ecclesia possideret suam libertatem, & impollutionem, ei certò possidenti semper fauendum erit, ne Iuri certo Ius incertum prævalere videatur, vt fusius videre est in hoc eodem tractatu *disput. 1. c. 20.* nec ex eo, quod quis liberè possit ponere, vel non ponere prædictam causam dubiam, inferri potest, quod is per id liberè etiam possit ponere, vel non ponere effectum, ita vt is etiam in ea causa sit voluntarius eam ponenti, nam, cum talis effectus à tali causa non semper, nec plerumque proueniat; sed modo proueniat, modo non proueniat, in tali causa non absolutè voluntarius; sed volitus tantum esse potest, ideoque eum in ea volens, seu eam voluntariè ponens, peccare quidem aliquando poterit contra charitatem; sed non contra Iustitiam (nisi fortè affectiuè) quia intentio sola non facit opus iniustum, cum opus externum numquam sit peccatum iniustitiæ, nisi illud cum circunstantijs tale sit, vt ex eo sequatur damnum vt plurimum, seu ex natura, & conditione operis ipsius, & non aliunde, vt præclare repetit *Less.d.l.2.c.9.dubit.16.n.111. & 113.* in nostro autem casu homicidium, vt suppono, à tali causa nec vt plurimum prouenit, nec dici potest ex natura, & conditione causæ ipsius dubiè prouenire, cum talis effectus æque frequenter etiam ab ea non proueniat, quod effectum illum ex illius causę natura non prouenire non obscurè indicat, & his maximè fauet doctrina *Caramuel. in Theolog. Regul. disp. 70. num. 1056. & seq.*

6 Dico 3. Ecclesiam non pollui per homicidium volitum in causa tantum remota illius? Patet autem apertissimè, quia, cum talis effectus neque in tali causa voluntarius esse possit; sed tantum volitus, ob eandem rationem, quam in superiori conclusione dicebamus, homicidium propterea in tali causa

volitum; sed non voluntarium, Ecclesiæ polluiuum esse nequit, vnde in specie, quod causa remota nō imputetur ad homicidium, aut aliud delictum, tradit abundè *Tiraquel. in tr. Cessante causa, cessat effectus, limit.* 20. *nu.* 7. causæ enim nomine venit tantum causa proxima ex *Panorm. in Cap. Quia diuersitatem, de concess. præben. & in Cap. Discretionem, de eo, qui cognou. consang. vxor. suæ. Felin. in Cap. Solitæ, de maiorit. & obedien.* & alijs apud ipsos, nec euentus causæ remotæ; sed proximæ attribuitur, & immediatæ ex *Bald. consil.* 136. *l.* 2. cum causa proxima sit vera, & propria; remota autem ficta, & impropria ex *Cepol. caul. crim. consil.* 2. *Vers. Et quod hoc sit verum*, licet autem, quod est causa causæ, communiter dicatur causa causati; id tamen verum est solum interpretatiuè, non strictè, nec propriè, cum causa remota sit per se insufficiens ad homicidium, ità vt proinde homicidium in ea volitum, non voluntarium esse, nec subinde per illud Ecclesia pollui possit. Si tamen causa remota ità coniuncta esset cum proxima, vt, illa absente, ista effectum non produceret, tunc vna non esset discreta, aut distincta, vel separata ab alia; sed ambæ essent vna, eademque causa proxima; nisi enim vtraque esset causa proxima, vtraque effectui non assisteret necessario, eodemque tempore, vt optimè monuit *Tiraquel. l. c. num.* 20.

7 Dico 4. neque Ecclesiam pollui per homicidium volitum in causa tantum instrumentali, quia certum est causam instrumentalem non esse per se sufficientem ad Homicidium causandum, cum non nisi virtute causæ efficientis, & quidem necessario; non autem liberè operetur; alioqui non esset propriè instrumentum; sed potius causa proxima, vt ex iam dictis, & ex inferius etiam dicendis clare constare potest; quamuis aliquando causa proxima vulgo; sed impropriè, instrumentū dicatur causæ remotæ, maximè quando proxima moraliter mouetur à remota, quomodo mandatarius dicitur instrumentum mandantis; licet ille non sit verum instrumētum; sed verè causa sponte, & virtute sua propria agens, & effectiua homicidij. Potest tamen agens liberum aliquando ità violenter ab alio moueri, vt illud fiat merum, & proprium Homicidij instrumentum, vt superius *c.* 16. *num.* 2. & 4.

8 Colligo, quamquam aliquid qoinque modis dici potest instrumentum, prout docet *Vasquez in* 1. *p. tom.* 2. *disp.* 176. *nu.* 24. & 25. & in iure pluribus modis accipitur, prout tradit *Petrus de Vrzola tr. de instrument. p.* 3. *num.* 1. tamen hic à nobis ea omnia dici homicidij instrumenta, quæ non agunt se ad talem effectum; sed aguntur vel extrinsecè per violentiam ab alio, vel intrinsecè, & naturaliter à propria, & innata vi impulsiua, qualis est in grauibus ad tendendum deorsum: dici verò non instrumenta; sed causas efficientes homicidij ea omnia, quæ seu liberè, seu spontanee, proximè, & immediatè agunt se, vel instrumenta sua ad homicidium causandum, quales sunt homines, & bruta, licet mors à bruto homini illata propriè non sit homicidium, cum hoc ab homine fieri debeat, vt alibi dicetur. Quando ergo diximus per omissionem non fieri homicidium, intelligi debet de simplici omissione pure negatiua; non autem de actione proximè priuatiua, per quam aliquis ab alio priuatur ijs, ex quarum priuatione, absque causalitate alterius causæ efficientis, necessario, & naturaliter sequitur mors violenta, quod exemplis inferius afferendis omnino clarum fiet.

CAPVT XX.

An Ecclesia polluatur per homicidiū secutum ex percussione ibi illata à volente percutere tantum, & nullo modo occidere.

SVMMARIVM.

Causæ vtrinque dubitandi afferuntur, num. 1.
Quanam supponenda sint in prædicto casu, nu. 2.
Vndenam petenda sit totius difficultatis resolutio, num. 3.
Si percussio à percussore intenta, & illata fuit vel semper, vel vt plurimum causatiua mortis, homicidium etiam inde secutum in dato casu Ecclesiæ pollutiuum fuit, num. 4.
Si prædicta percussio non fuit causa necessaria, nec per se mortis prædicta, per id polluta non fuit Ecclesia, num. 5.
Neque polluta esset, si volens leuiter percutere ex inculpabili errore grauiter percussisset, ità vt inde percussus obijsset, num. 6.
Secus dicendum esset, si percussor culpabiliter nō præuidisset, vel non prouidisset prædicto grauioris percussionis periculo. ibid.
In foro externo talis occisio facile præsumeretur indirectè voluntaria, & Ecclesia pollutiua, ibidem.
Si quis intendisset grauiter, vel quomodocumque posset, percutere, licet nihil de occisione cogitasset; tamen, secuta graui percussione, et inde percussi morte, per id Ecclesia pollueretur, n. 7.

Quidsi

Quid si percutiens nec de percussionis grauitate, vel leuitate, nec de nece inferenda quicquam cogitasset; sed percutere tantum intendisset? ibidem.

1 ADuerto 1. cum in prædicto casu occisio non fuerit directè voluntaria, vt ex terminis ipsis apparet, dubium proinde tantum esse posse, num ea saltem indirectè voluntaria percussori fuerit: pro affirmatiua enim parte facit occisionis euentus ex prædicta percussione; pro negatiua verò stat percutientis intentio, quæ occisionem inde non intendit, immo excludit.

2 Aduerto 2. hic supponi, quod percussor sufficienter præcognouerit ipsum occisionis periculum ex tali percussione, nec sufficientem adhibuerit diligentiam ad illud cauendum: si enim nullo modo, vel insufficienter tantum id præuidisset, vel certè eidem sufficienter prouidisset per eam cautionis diligẽtiam, quæ periculum abstulisset, certum etiã simul esset, quod per prædictam occisionem, vt potè non grauiter culpabilem, Ecclesia non esset polluta, vt colligitur ex dictis *c. 8. nu. 5. c. 13. n. 4. & 5. & c. 14. n. 3.*

3 Aduerto 3. reliquum propterea id vnum esse, vt videamus, num voluerit grauiter, vel leuiter percutere, & num re vera prædicta percussio fuerit per se, vel per accidens coniuncta cum morte, i. num fuerit semper, vel vt plurimum causatiua mortis, vel non, & occasio potius, quam causa prædictæ occisionis iuxtà iam explicata *cap. praced. num. 1.* Hinc

4 Dico 1. Si prædicta percussio, quam percussor intendit, & intulit, fuit causa necessaria, & semper causatiua, vel saltem causa per se, & vt plurimum causatiua mortis, per homicidium inde secutum Ecclesiam fuisse pollutam, quia tale homicidium fuit verè in causa voluntarium: vnde impertinenter se habuit illa mortis exclusio, cum impossibile sit velle, & intendere omnia necessaria ad homicidium, & nolle homicidium. ità *Fillius. tr. 29. c. 8. num. 121.* qui exemplificat in homicidio secuto ex percussione cum fuste in capite animo tantum percutiendi, & non occidendi. *Gambarup. de cas. reseru. cas. 7. Floron. loc. inferius citando, & Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 7. num. 107. & 115.*

5 Dico 2. Si prædicta intenta, & illata percussio non fuit causa necessaria, neque per se causatiua mortis, licet percussus mortuus fuerit, Ecclesiam inde pollutam non fuisse, quia mors inde per accidens secuta cẽsetur, & per inculpabilem occisionem Ecclesia non polluitur ex iam dictis, ità ex *Mazuchel. ll. cc. Graff. in Pract. l. 1. c. 14. num. 63. & Floron. tr. de cas. reseru. p. 2. cas. 4. num. 14. & seq.* colligitur, & expresse in terminis nostris traditur ab ijs omnibus, quas superius *cap. 8. nu. 4.* retulimus.

6 Dico 3. idipsum, quod in prædicta secunda conclusione diximus, dicendum etiam omnino esse in casu, quo volens leuiter percutere ex inculpabili errore grauiter percussisset, ità vt inde percussus obijsset. Dixi *ex inculpabili errore*, quia, si culpabiliter non preuidisset, vel non prouidisset prædicti erroris, & grauis percussionis periculo, tunc secus dicendum esset, in tali enim casu talis occisio taliter percutienti indirectè voluntaria esset, vt satis ex superioribus liquet, & talis in foro externo facile præsumeretur, ac proinde Ecclesiæ pollutiua, quia percussor id euenire posse cogitare debuerat. vt colligi potest ex *Cap. fin. de homicid. in 6.* licet ibi sermo sit de Irregularitate, vt bene monuit *Gibalin. de Irregul. c. 4. q. 1. num. 12. in fin.*

7 Colligo, si quis grauiter percutere intendisset, vel certè quomodocumque posset, licet nihil de occisione cogitasset; tamen tunc, illata graui percussione, & secuta morte, per id Ecclesiam pollui, quia tale homicidium in causa voluntarium reputaretur: immo, etiãsi percutere tantum intendisset, & nihil de grauitate, vel leuitate percussionis, nec de morte inferenda cogitasset, adhuc idipsum præsumeretur, quod iam diximus, quia tum grauis percussio, tum mors inde secuta ad idipsum præsumendum vrgerent, nisi de veritate in contrarium constaret, ità ex *Mazuchel. l. c. num. 108.* qui tale homicidium voluntarium dicit, & multo magis ex *Gamb. & Belloch. apud ipsum*, qui illud simpliciter voluntarium, & reseruatum putarunt.

CAPVT XXI.

An Ecclesia polluatur, si quis ex percussione ibi accepta certò moriturus, vel moribundus fulmine feriatur, moxq. moriatur.

SVMMARIVM.

De quanam percussione hic sermo sit, num. 1.

Ad homicidium non sufficit posuisse causam sufficientem, & necessariam mortis, nisi ex ea causa mors secuta sit, num. 2.

Valde differunt esse ex percussione certò moriturum,

rum, & esse mortaliter percussum, num. 3.
Quomodo differant esse certo moriturum, & esse vere moribundum. ibid.
Si lethaliter in Ecclesia percussus, & certo moriturus fulmine feriatur, vel alio casu moriatur, per talem occisionem illa non polluitur, nu. 4.
Si verò prædictus ibi percussus verè fuisset moribundus, per prædictam occisionem cur pollueretur Ecclesia. ibid.
Quid in dubio dicendum esset, num. 5.

1 ADuerto 1. suppositis ijs, quæ *Cap.* 18 *et* 19. dicta sunt, supponendum hic esse, quod in Ecclesia percussus grauem, & per se lethalem percussionem acceperit, nec non à sanæ mentis percussore, ità vt percussio fuerit verè voluntaria, & grauiter culpabilis; si enim ex se ea non lethalis, vel leuiter tantum culpabilis fuisset, secus dicendum esset ex prædictis.

2 Aduerto 2. cum ad homicidium non sufficiat causam posuisse sufficientem, immo & necessariam mortis, nisi mors ex illa secuta fuerit, vt iam diximus *Cap.* 18. *num.* 6. & in nostro casu mors ex fulminis ictu secuta videatur; idcircò prædictam occisionem videri posse Ecclesiæ non pollutiuam, & hunc casum omnino similem illi, quem iam *l. c.* decidimus. Verum

3 Aduerto 3. cum *Mazuchel. de casib. reseru. disp.* 2. *c.* 7. *num.* 111. *& Belloch. de ead. mat. p.* 2. *q.* 6. *num.* 20. magnum esse discrimen non solum inter lethaliter percussum, & certo ex lethali percussione moriturum (mortiferè enim percussus consequi potest valetudinem, immo hoc sæpius contingit ex robusta percussi complexione, & c. quod non verificatur in eo, quem constat ex percussione esse moriturum) sed etiam inter certo ex percussione Moriturum, & verè Moribundum, cuius mors sit moraliter præsens, & in fieri, & cadauer potius, quam homo videatur. Vnde

4 Dico Ecclesiam, Siquis ex culpabili, & lethali percussione ibi accepta certo moriturus fulmine feriatur, vel alio casu moriatur, per talem occisionem non pollui, quia, vt *l. c.* dicebamus, talis occisio non ex lethali illa percussione culpabili præcedenti; sed ex subsequenti casu secuta est, ac proinde prædicta percussio mortem quidem intulisset percusso, si is superuixisset, & tunc fuisset culpabile homicidium consummatum, quale ad Ecclesiæ pollutionem requiritur; sed de facto mortem non intulit, ac proinde idem fuit, ac si mors impedita fuisset, etiam miraculo, quo in casu nulla esset dubitatio secùndum omnes; Siquis autem ex prædicta percussione ità moribundus, vt superiori num. dictum est, eodem casu periisset, tunc per tale homicidium Ecclesiam pollui, quia effectus ille mortis ab illa priore causa; non autem à secunda manare diceretur, & fulminis ictus cadaueri potius, quam homini inflictus videretur, quod apertissimè colligitur ex *d. Mazuchel. l. c. num.* 112. cum quo etiam ibidem

5 Colligo in dubio, num ex præcedenti percussione, vel ex subsequenti casu, percussus obijsset, potius ex hoc, quam ex illa obijsse dicendum esse, sicuti etiam facilius quis præsumitur moriturus, quam moribundus, vt per se patet.

CAPVT XXII.

An polluta sit Ecclesia, siquis ibi leuiter percussus ob carentiam, vel imperitiam Medicorum, vel medicamentorum, vel similem ob causam à percussore præuisam inde obierit.

SVMMARIVM.

Cur hic non agatur de Medentium, vel curantium culpa in leuiter percussum commissa; sed de inculpabili eorum defectu, quem percussor prænuiderit, num. 1.
Percussio ex se leuis, & alioqui non lethalis aliquando fit lethalis, & grauis ob infirmitatem, vel debilitatem percussi, num. 2.
Si leuiter percussus ex propria incontinentia, vel alia quapiam simili accedente causa perierit, percussio non totalis causa; sed occasio tantum subsecutæ mortis habetur, num. 3.
Etiamsi percussor voluisset illum occidere, ideoq. percussisset. ibid.
Ecclesia in Themate proposito cur polluatur, num. 4.
Similes alij casus, in quibus ea polluitur, recensentur. ibid.
Medicorum Iudicio standum est, cum dubitatur, num percussio fuerit sufficiens causa superuenientis mortis, vel quidpiam aliud percussioni extrinsecum, num. 5.
In dubio vero, num prouenerit sufficienter à prædicta percussione, vel alia etiam causa item apparente, hoc secundum præsumi debet; vnde Ecclesia inde non polluitur; licet percussor fieret irregularis. ibid.

1 Aduer-

1 Aduerto 1. sermonem hic non esse de negligentia, vel malitia Medicorum, Chirurgorum, vel Pharmacopolarum ad percussi occisionem concurrentium, hoc enim in serius disputabitur; sed de præuisa carentia, vel ineptitudine earum rerum, quæ ad prædictam percussionem ex se leuem curandam necessariæ, vel certè sufficienter aptæ forent, si adessent. Dixi *prauisa*, quia, si percussor prædictam tantum leuem percussionem intendisset, & intulisset, & prædictum rerum ad id necessariarum, vel idonearum defectum inculpabiliter ignorasset, vel non aduertisset, subsecuta mors inde illi merè casualis fuisset, & nequaquam per talem percussi obitum Ecclesia pollueretur.

2 Aduerto 2. certum esse apud omnes, quod percussio ex se, & alioqui non lethalis, & leuis, aliquando grauis, & lethalis fit ob debilitatem, vel infirmitatem percussi: vnde percussio ægrotanti inflicta facilius erit mortalis, &, secuta inde morte, per eam polluetur Ecclesia, licet ea percussio in corpore sano non fuisset mortalis, vt bene docent *Bart. in L. Si rixa, versic. Datis suis regulis ff. de Sicar. Angel. de Aret. consil.* 58. *quod est in* 2. *volum. paru. impress. diuers. consil. criminal. Ludouic. decis. Lucen.* 62. *num.* 22. *& Actius tr. de infirmit. p.* 2. *V. Vulnus, num.* 1. dummodo tamen ea percussio inflicta fuisset à sciente percussi statum, & percussionis periculum præuidente, quod in foro externo præsumi solet. contra verò

3 Aduerto 3. si prædictus leuiter percussus ex propria incontinentia, aut alia quapiam simili accedente causa perijt, per id non polluã Ecclesiam, quia non censetur talis mors à tali percussione, tanquam à causa sufficiente illius manasse; sed ad summum tanquam ab occasione, cui nunquam effectus tribuitur; sed semper causæ proximæ, vt ex alibi dictis satis clarum puto, etiamsi taliter percutiens voluisset percussum occidere, quia hic non attenditur solus animus; sed etiam effectus, qui in prædicto casu sufficiens non fuit ad homicidium, quod proinde aliunde secutum fuisse dicitur.

4 Dico Ecclesiam per homicidium in proposito casu descriptum pollui, quia percussio alias non lethalis fit in talibus circunstantijs bene præuisis lethalis, eique tribuendum est homicidium, quod inde secutum est. vnde siue prædictus percussus obierit, eo quod neq. Medicus; neque medicamentum, neque vlla apta curatio prædictæ percussioni alioquin non lethali adhiberi potuerit, siue eo quod percutiens impedient, ne ea adhiberetur, siue eo, quod percussio sensim ex se facta sit lethalis, siue etiam eo quod febris inde (quamuis Medici, quicquid erat artis, contulerint) aliaque eiusmodi consectaria alias non lethaliter percusso omnino lethalia impediri nequiuerint, semper is taliter percussi obitus erit verum, & Ecclesiæ pollutiuum homicidium, semper enim ille à tali percussione, tanquam à causa physica sufficienti, & totali secutus censetur.

5 Colligo Medicorum iudicio standum esse, vt sciatur, num percussio fuerit superuenientis mortis causa proxima, & sufficiens, an quidpiam aliud percussioni extrinsecum, pro vt bene dixit *Molin tr.* 3. *disp.* 32. *num.* 4. *& Gibalin. de Irregularit. c.* 4. *q.* 1. *cõ, cl-ar.* 10. *n.* 31. in dubio autem, num mors ex percussione, vel alia de causa, quæ item appareat, reipsa prouenerit, nequaquam à prædicta nõ lethali percussione sola, tanquam à causa proxima, & totali; sed omnino ex alia etiam prædicta causa prouenisse præsumenda est, ac proinde tunc Ecclesiam inde non pollui dicendum erit. licet autem in tali dubio percussor fieret irregularis, ad Irregularitatem enim incurrendam sufficit occisioni causam partialem tantum, vel moraliter etiam influentem dedisse, & in prædicto dubio eam incurri patet apertissimè ex *Cap. Ad audientiam, de homicidio*; tamen ad Ecclesiæ pollutionem ex homicidio non sufficit homicidij dubium, cum nullum ad id cogentem textum habeamus, qualem in Irregularitate vidimus.

CAPVT XXIII.

An polluatur Ecclesia, si quis ibi leuiter ægrotans obierit ex incuria, vel malitia medentium, vel curantium, vel etiam ex ægrotantis incontinentia.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius occasio, & cum superiori connexio exponitur, num. 1.

Medicorum, cæterorumque ægrotantem curantium incuria, vel malitia dupliciter admitti potest, num. 2.

Quod de Medicis, alijsue dictum est, quomodo idipsum de ægrotante ipso dici possit, num. 3.

Quandonam à Medicis, alijsue prædictis fiat homicidium Ecclesia pollutiuum, & quando non, num. 4.

Quando certò constat causam positiuam, et apparentem

ventem non fuisse per se sufficientem ad homicidium, tunc illud ex alia causa, licet non apparente, secutum præsumitur. ibid.

Quando verò dubium est, num causa positiua, et apparens fuerit ad illud sufficiens, tunc illud potius causa prædictæ, quam alteri non apparenti tribuendum est. ibid.

Medicus, alijque prædicti, licet in prædictis casibus ferè semper Irregularitatem contraxerint; cur tamen homicidium Ecclesiæ pollutiuum ferè nunquam commiserint, num. 5.

Quandonam Medicus, vel alij per mala medicamenta verè sufficientem homicidij causam ponere dicantur, & quando non, ibidem remissiuè.

1 ADuerto 1. sicuti superius dubitabamus, num Ecclesia pollueretur per mortem eius, qui, cum non lethaliter ibi percussus fuisset, tamen ob rerum ad curationem necessariarum defectum periérat, ità hic dubitari, num eadem polluatur per mortem eius, qui, cum leuiter in Ecclesia ipsa ægrotaret, ob incuriam tamen, vel malitiam medicantium, vel etiam ob propriam incontinentiam interijt: vt enim in eo casu ex culpabili percussione homicidium manasse videbatur, sic in isto ex culpabili Medicorum, vel aliorum incuria, vel malitia secutam videri potest.

2 Aduerto 2. prædictam incuriam, vel malitiam potuisse dupliciter committi, vel negatiuè tantum, non adhibendo ea, quæ ægrotanti salutem attulissent, aut afferre potuissent, vel positiuè adhibendo contraria, & positiuè influendo in ægrotantis perniciem.

3 Aduerto 3. quod diximus de Medicis, alijsque ægrotanti damnum pro salute afferentibus, idipsum dici posse de ipsomet ægrotante, si sibi ipse, vel negatiuè, non sumendo debita medicamenta, &c. vel positiuè nociua adhibendo, & c. mortem compararit. Quamobrem consequenter ad ea, quæ iam sæpius explicata fuere,

4 Dico, si Medici, alijue, aut etiam ægrotans ipse superuenientis mortis causam physicam, positiuam, proximam, & saltem in talibus circumstantijs reipsa sufficientem voluntariè in Ecclesia apposuerint, Ecclesiam inde pollui, quia sic in ea ab ijs verè factum fuit tale homicidium, quale ad Ecclesiæ pollutionem iura requirunt, vt ex superius explicatis facile dignosci potest: Si verò ijdem, vel merè negatiuè, ac proinde moraliter tantum, vel certe physicè, sed vere insufficienter ad subiecutæ mortis causationem influxerint, Ecclesiam inde nequaquam pollui, quia subsecuta mors tunc occultæ etiam alij causæ tribuenda est; modo tamen certo constet prædictam illam non fuisse sufficientem prædictæ illius mortis causam; si enim de hoc etiam dubium esset, cum tunc effectus potius causæ positiuæ apparenti, quam non apparenti tribuendus sit, pro vt etiam dicebamus *Cap. 18. num. 10.* in tali casu polluta præsumenda esset Ecclesia, quia prædicta causa dubia tunc, alia positiua non apparente, præsumeretur verè in talibus circunstantijs sufficiens, vt sæpius in similibus dictum fuit.

5 Colligo, quamquam Medicus, alijq. prædicti in prædictis casibus fortasse Irregularitatem incurrerunt, vt videre est apud *Gibalin. de irregul. c. 4. qu. 1. consectar. 14. num. 44. versic. Decimo*, nam ad eam incurrendam satis est posuisse moralem, vel physicam aliquam, & partialem cooperationem in subsecutum inde ægrotantis interitum; nihilominus præfatum ægrotantis interitum non fuisse verum, voluntarium, & Ecclesiæ pollutiuum homicidium, nisi à Medico, alijsue prædictis talis reuera apposita fuisset illius causa, qualem mox describebamus, ad quam sufficienter apponendam, an requiratur, quod v. g. Medicus medicamentum ægrotantis saluti contrarium præscripserit, aut confecerit, aut exhibuerit, aut etiam in ægrotantem immiserit, vel quod ægrotans ipse illud sibi ministrarit, patebit ex sequenti capite, vbi de venenante alium in Ecclesia sermo erit.

CAPVT XXIV.

An per homicidium veneno factum Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Reginaldus, & Io. Maria de Castilento *quo sensu negent Ecclesiam pollui per homicidium veneno factum, nu. 1.*

Venenare cur non videatur idem, quod occidere, nec Venefici idem, quod Homicidæ. ibid. & num. 6.

Statutum loquens de homicidio, cur non extendatur aliquando ad mortem veneno illatam. ibidem.

Obstetrices consulto dantes mulieribus mala medicamenta, ita vt inde perierint, secundum Grassium *non sunt homicidæ, nu. 1.*

Quandonam, & à quibusnam verè, & propriè homi-

homicidium veneno fiat, ibid. & num. 5.

Venenum modo pro bono, modo pro malo accipi potest; licet communis vsus loquendi illud accipiat tantum pro malo, nu. 2.

Communis vsus loquendi, etiam in materia odiosa, verborum proprietati præferri debet. ibid.

Homicidium veneno factum dicitur à pluribus proditorie factum. ibid.

Grauius est veneno, quam gladio occidere. ibid.

Cur venenum propriè, & verè sit merum instrumentum venenantis, & non propriè, nec verè causa efficiens mortis inde subsecuta, nu. 3.

Per homicidium veneno factum Ecclesia polluitur, si illud ibi fiat, num. 4.

Veneno non fit propriè homicidium, nisi ab eo, qui sit talis homicidij causa physica, & sufficiens, num. 5.

Quinam sint prædicta homicidij prædicti causa. ibidem.

Veneficus, siue seipsum, siuè alium modo iam dicto occidat, verè homicidium facit, nu. 6.

Idipsum dicendum de homicidio facto ab eo, qui peste, vel simili lue infectus alium voluntariè, & iniuriosè per physicam actionem, v. g. contactu suo, in Ecclesia inficiat, & occidat, num. 7.

ADuerto 1. licet *Reginaldus in Praxi tom. 2. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 18.* dixerit Ecclesiam non pollui in casu, quo Petrus in ea vino consecrando immiscuisset aliquid veneni, vt ex illius haustu Paulus Sacerdos moreretur, si veneno ibi hausto domum rediens mortuus fuerit, quod etiam ex parte probabile nouissime visum est, *Io. Maria de Castilento in sua Seraphic. Polyanth. V. Consecratio Ecclesiæ, diffic. 4. versic. Consimiliter.* tamen, cum prædicti Auctores id dixerint, quia putarũt prædictum homicidium, vt pote consummatum extra Ecclesiam, non fuisse Ecclesiæ pollutiuum, quod iam superius confutatum à nobis est, idcirco nihil inde noui ad quæstionem hanc elucidandam erui posse; sed omnem huiusce quæstionis difficultatem ex eo esse, Primo, quod venenare secundum aliquos non videtur occidere, nec venefici propriè dicuntur homicidæ, vndè statutum de homicidio loquẽs non extenditur ad mortem veneno illatam secundum *Butrig. in L. 1. C. de Malef. & Mathem. Salicet. Cuman. Decium, Foller. & alios apud Farinac. Crimin. q. 122. num. 9.* indeque *Graff. in prox. cas. reseru. l. 1. c. 14. num. 66.* propriè homicidas esse negat obstetrices dantes mulieribus consulto mala medicamenta, & illa offerentes eis, ita vt inde perierint, licet causam mortis præstiterint: secundo, quia dato etiam, quod homicidium verè, & propriè veneno committi possit, dubium adhuc est, non solum à quonam illud reuera committatur, verum scilicet ab eo, qui venenum conficit, vel qui cibo, aut potui illud admiscet, vel qui venenatum cibum, aut potum sumpturo exhibet, vel denique, qui cum violentia extrinseca ita porrigit, vt extrinsece quis coactus sit in Ecclesia venenum sumere, sed etiam quandonam illud verè fiat; num scilicet, cum venenum corpori venenando admouetur, vel cum venenum corpori læsionem facit. Quocirca

2 Aduerto 2. veneni nomen, quamuis accipiatur modo pro bono, seu non malo veneno, quale est poculum amatorium, vel somniferum, quæ non sunt composita ad necãdum, pro vt docet *Grilland. de sortileg. c. 5. num. 7. Alex. consil. 203. l. 2. & consil. 116. l. 3. Romul. super L. 1. ff. de acquiren. poss. nu. 38. & seq.* & patet *ex L. Qui venenum de verb. signif.* modo pro malo veneno, quod ad hominem necandum factum est, vt aduertit *Baiard. ad Clar. q. 68. n. 121.* tamen hic à nobis cum communi vsu loquendi (qui etiam in materia odiosa verborum proprietati præferri debet *ex d. Romulo l. c. num. 41. Suar. de Legib. l. 6. c. 1. nu. 9. & Vericell. qq. moral. & legal. tr. 8. q. 27. num. 6.*) accipi pro malo veneno, quod propriè venenum dicitur, & quo homicidium committitur tam graue, detestabile, execrandum, & horribile, vt proditorium à multis reputatum fuerit, vt videre est apud *Farinac. Crimin. q. 28. n. 74. Peregrin. de Immunit. Eccles. c. 7. num. 6. & Molfes. in Sum. tom. 1. tr. 11. c. 19. num. 36.* In iure enim grauius est quempiam veneno necare, quam gladio occidere, vt constat *ex tex. in L. 1. C. de Malef. & Mathem.* quod fuse probat, & explicat *Caball. de omni genere homicidij nu. 550. & seq. & Ianuar. loco inferius citando.*

3 Aduerto 3. venenum, cum naturaliter, & necessario agat, nec possit liberè non agere, verè, & propriè venenantis instrumentum esse, non autem veram, & propriam subsecutæ inde mortis causam, ex doctrina tradita à *Capra reg. 80. nu. 18. & 19.* tunc enim, inquit, faciens mediante tali instrumento verè dicitur facere, & non ficte, vt cum emittitur lapis, vel sagitta: vndè ita loquitur *L. Item Mela, ff. ad L. Aquiliam,* & ità sentit *Bartol. in L. Si vnus, §. Seruus meus, ff. de iniur. & famos. libel.* ac *Nauar. in Sum. c. 27. nu. 51.* quibus præhabitis,

4 Dico 1. per homicidium veneno factum Ecclesiam pollui. ità in propriis hisce terminis *Viuald. in Candelabr. p. 2. de Interdict. num. 66. Stephan. à S. Gregor. de Diuin. piet. vinc. l. 2. c. 21. num. 14.* & fusius nouissimè *Persic. de pri-*

mo,

mo, ac pracip. Sacerd. Offic. l. 2. c. 7. dub. 1. nu. 7. talis enim occisio in Ecclesia est verum, & proprium homicidium, non secus ac si ferro fuisset, vel fuste factum, vt constat ex traditis à *Suar. de Censur. disp. 44. sec. 3. num. 5. Molfes. l. c. num. 35. Homobon. de cas. reseru. p. 2. c. 3. circa medium, Versic. Quarto, qui veneuum. Marchel. cod. tr. disp. 2. c. 7. nu. 102. Floron. tr. item eod. p. 2. cas. 4. §. num. 12. Sperell. decis. tom. 1. decis. 26. & Ianuar. de cas. reseru. resolut. 54. num. 36.*

5 Dico 2. licet multo plures esse possint cooperatores prædicti homicidij veneno facti; tamen, quia propriè, & verè illud non fit nisi ab eo, qui est causa physica, proxima, & sufficiens homicidij illius, ac proindè non tantum fit ab immittente venenum violenter, vt voluit *Castrlent. l. c.* in venenandum, prout jam superius *num. 1.* explicauimus, vel à voluntariè illud hauriente, qui tunc verè sui ipsius homicida esset, vel fortè ab vtroq. si vterq. in tale homicidium vtroq. modo aliquando concurrat, sed etiam à porrigente illud alteri inscie sumpturo, propterea homicidium veneno factum non fore Ecclesiæ pollutiuum, nisi fuerit in prædictis sic in illud positiuè, physicè, & efficaciter influentibus volūtarium, ij enim tantum sunt causa physica, proxima, & sufficiens (saltem in talibus circunstantijs) prædicti homicidij, vt expressè videre est in homicidio per verum aliud instrumentum facto: neq. enim proximè, & propriè homicidium fieri dicitur ab eo, qui v. g. gladium conficit, vel illum occisori dat; sed ab eo, qui vel violenter illum agit in viscera, vel alterius, vel sui ipsius, ità vt indè secuta sit vulnerati mors, vel certè positiuè, physicè, & proximè facit, vt quis inscie se se agat in gladium, & indè violenter occidatur, vt inferius etiam dicemus ex quo etiam patet, quid ad secundum dubium *nu. 1.* allatum dici debeat.

6 Ad primam autem dubitandi rationem *eodem num.* positam dicendum est Veneficos non solere Homicidas dici, quia veneficium supra homicidium addit qualitatem proditionis cuiusdam (si illud veneficus in aliam personam exerceat) longè abominabiliorē, quam sit simplex homicidij reatus; non autem, quia venenans verè, & propriè non sit occisor, & homicida, siuè alium, siuè seipsum venenet: sicut sacrilegium, licet verè, & propriè quandoque sit furtum, tamen dici non solet simpliciter furtum propter qualitatem sacrilegij furto superadditam, quæ non aufert à furto furti malitiam; sed ipsam furti malitiam noua Sacrilegij malitia cumulat, vt propterea non amplius furtum; sed Sacrilegium, vel certè Sacrilegum furtum appellari consueuerit. Statutum ergo de homicidio loquens tunc tantum extendi non debet ad homicidium veneno factum, quando Statutum esset in fauorem homicidę; secus verò in ijs, quæ respiciunt homicidij odium, nam tunc fit sinè dubio talis extensio, quæ tamen verius inclusio est, vt benè dixit *Ianuar. l. c.* quod similiter de Parricidio dixit *Farinac. Crimin. q. 120. inspect. 1.* & etiam de homicidio ipso per venenum *q. 122. p. 1. num. 11.* videatur *Diaz. in Prax. Crim. Canonic. c. 98. et ibi Addit. Salzed.* vbi multa mite in hanc rem.

7 Colligo idipsum dicendum esse de homicidio in Ecclesia facto à peste, vel simili lue correpto, si alium ibi voluntariè, & iniuriosè per actionem physicam, v. g. contactu suo, venenet, seu peste inficiat, & occidat: per illud enim homicidium pollueretur Ecclesia, non secus ac si quis toxico, vel alio veneno se, vel alium ibi physicè occidisset.

CAPVT XXV.

An polluatur Ecclesia per homicidiū ex abortu ibi factum.

SVMMARIVM.

Aborsus, & Abortus quomodo differant, nu. 1. remiss.

De abortu tantum culpabili sermo hic esse potest. ibidem.

Abortum tripliciter quis causare potest, vel efficiendo, ne fœtus concipiatur, vel ne conceptus animetur, vel vt animatus immature ab vtero eijciatur. ibid.

Per tertium tantum abortionis modum in Ecclesia factum hac aliquando polluitur. ibid.

Quo in sensu Sancti PP. & Canones aliqui nonnunquam abortionem primi, & secundi generis vocent homicidium. ibid.

In dubio, num fœtus abortiuus fuerit animatus, vel inanimatus, quid præstandum sit, num. 2.

Animationis tempus in masculis est dies quadragesimus; in fœminis autem sexagesimus, vel octuagesimus secundum communiorem, fortasse tamen non veriorem opinionem. ibid.

Medicamenta abortum efficientia duplicia sunt; alia enim directè, alia indirectè ad id tendunt, & quid vtraq. sint, nu. 3.

Medicamenta prædicta primi generis nunquam licent; secundi verò aliquando. ibid.

Homicidium ex abortu per medicamenta primi generis in Ecclesia causato semper ex se est Ecclesiæ

...clesia pollutiuum; sed non semper tale est, si fit est abortu per medicamenta secundi generis. num.4.

Siue prædictum homicidium factum fuerit à prægnante ipsa per talium medicamentorum susceptionem, siuè ab alia persona, quæ talia medicamenta in Ecclesia prægnanti porrexerit. ibid.

Quandonam homicidium ex abortu in Ecclesia per medicamenta secundi generis causato pollutiuum Ecclesiæ sit, & quando non. ibid.

Quidsi medicamenta æque tenderent ex natiua proprietate, & eorum institutione ad matris salutem, ac ad fœtus necem? ibid.

In pari dubio cur semper melior sit conditio matris, quam fœtus. ibid.

Quidsi ea essent paulo directiora ad abortionem fœtus, quam ad sanitatem matris? ibid.

Ad homicidium iniustum requiritur non solum formalis; sed etiam materialis læsio iustitiæ. ibidem.

Quid dicendum, si is, cui in Ecclesia propinatum fuit poculum ad amorem, vel iram, aut odium, indè pereat? nu.6.

Quid deniq. si abortiens ipsa ex abortu in Ecclesia causato intereat? ibid.

1 ADuerto 1. licet hic sermo nobis iuxta prædicta non nisi de abortu, vel aborsu (quorum discrimen videre potes apud *Ghetium in Summa, V. Aborsus, num.* 1. cum quo tamē vtrumq. hic pro eodem accipio) voluntario, & culpabili esse possit; cum tripliciter tamen iste, vel à matre ipsa, vel ab alio causari possit, efficiendo scilicet, vel ne fœtus concipiatur, vel ne conceptus animetur, vel denique vt animatus immature ab vtero abigatur, idcirco videndum iam esse, an per hos omnes voluntariæ, & grauiter peccaminosæ abortionis modos homicidiū committi possit Ecclesiæ pollutiuum, cum tamen certum sit non conceptum, vel non animatum fœtum hominem non esse, certum hinc etiam erit fœtus non concepti, vel non animati corruptionem nequaquam ex se homicidium esse posse, vt communissimè tradunt *DD. apud Nauar. c.27. num.* 222. *Couar. in Clem. si furiosus,* 2.*p.§.*3.*num.*1. *Azil.p.*7.*disp.*6.*sect.*4. *concl.*2. *Molin. tr.*3.*disp.*27.*num.* 6. *Suar. de Censur. disp.* 44. *sect.*2. *nu.*13. *& Summistas omnes V. Abortus*, ac subindè per tertium tantum abortionis modum Ecclesiam aliquando pollutam fieri, licet *Tertull. in Apologet. c.*9. *Minutius in Octauio num.*33. *& Hieronym. epist.*22. etiam primum, & secundum abortionis modum *Homicidij festinationem, futuri hominis extinctionem, & nec dum fati hominis homicidium* & Canones aliqui non formaliter; sed metaphoricè tantum, & ad sceleris enormitatem facto loquendi modo appellauerint, eo videlicet sensu, quo tunc fœtus ille dicitur esse homo in potentia, aut in semine suo.

2 Aduerto 2. in dubio, num fœtus per abortum eiectus animatus fuerit, nec ne, cum in tali casu verè non constet de homicidio, tunc iuxta doctrinam superius à nobis traditam Ecclesiam censendam esse non pollutam; possidet enim tunc Ecclesiæ libertas, non autem delictum Ecclesiæ pollutiuum, quod etiam ad irregularitatem vitandam valere censuit *Bardi de conscientia, disept.*6.*c.*7.*§.*4. *num.*3. qui tamen rectè monet adhibendam esse moralem diligentiam ad sciendum, num fœtus ille eiectus per abortum fuerit masculus, vel fæmina, & quandonam conceptus fuerit; tunc enim, si prædicta cognitio habeatur, fœtus post præsumptum animationis tempus animatus; sed antè illud inanimatus, præsumi debebit, quod iuxta laxiorem, & communiorem opinionem; non tamen fortasse veriorem, in masculis est dies 40. in fæminis 60. aut 80.

3 Aduerto 3. cum medicamenta, seu media, & instrumenta abortum efficientia alia sint directè tendentia ad occidendum fœtum, seu per se ad illum ab vtero expellendum instituta, qualia sunt venenum, dilacerationes, percussiones, & similia; alia verò directè tendentia, ac per se instituta ad curationem matris, qualia sunt sectio venæ, balnea, pharmaca ventris purgatiua, &c. quæ tamen indirectè, & per accidens abortum etiam causare possunt, Medicamenta primi generis nunquā licere, nisi ad fœtum iam mortuum ab vtero abigendum, nullo enim in casu hominem directè occidere licet, vt superius diximus; Medicamenta autem secundi generis aliquando licere, vt bene docuit *Molfes. in Sum. p.*1.*tr.*11. *c.*19.*num.*191. cum alijs ab eo citatis, præcipuè vero *Mazuch. tr. de casib. reseru. disp.*2.*c.*3. *diffic.*3.*nu.*12.

4 Dico homicidium ex abortu per medicamenta primi generis in Ecclesia causato semper esse ex se Ecclesiæ pollutiuum; non semper verò ex abortu per medicamenta secundi generis: illud enim semper est verum homicidium, seu à prægnante ipsa factum sit, seu ab alia persona, quæ prædicta medicamenta prægnanti porrexerit in Ecclesia, prout præcedenti capite dictum fuit de venenante se ipsum, vel alium, & docent communiter DD. in *Cap. Sicut* 2. *de Homicid. Nauar. in Man. c.*27. *num.*223. *§. sexto infertur. Sylu. V. Abortus nu.* 1. *&* 2. *Henriq. l.*14.*c.*15.*num.*6. *Tolet. l.*1.*c.*81.

reg.1.caf.6.& alij. vndè, quod abortum in Ecclesia committens, vel in propria persona, vel in alia committat verum homicidium sacrilegum, tradidit expressè *Ioseph. de Ianuar. de casib. reseru. resolut.* 64. *num.*37.*ex L.Si mulierem, ff.de Sicar. Can. Consuluit* 2.q.5. *& arg. tex.in L.Cicero, ff.de pœnis, & L.1.ff.ad L.Pompon.de parric.& penult.C.de Sicar.* quod autem prædictum homicidium fit Ecclesiæ pollutiuum, expressissimè dixit *Persic. de præcip. Sacerd.offic.l.c.c.7. dub.1.num.*16. Homicidium verò ex abortu indirectè secuto, cum aliquãdo per accidens sit, proindè aliquando ex superius dictis Ecclesiæ pollutiuum non erit; cum aliquando tamen secus sit, nam medicamenta ipsa indirectè abortum causantia non licent, nisi concurrentibus duabus hisce conditionibus, idest dummodo eadem ad matris salutem omnino necessaria sint, & dummodo nulla adsit probabilis spes fore, vt matre ab ijs medicamentis abstinente, fœtus in lucem prodire possit; secus enim ea non ad matris salutem; sed ad abortum sumpta præsumerentur, & peccaretur contra charitatem, quæ obligat ad præferendam corporali matris vitæ vitam spiritualem infantis fortè nascituri, & nondum baptizati, vt docent *Armil.V.defensio, num.*3.*Less.l.*2.*c.*31.*dubit.*6.*nu.*33.*Sanch.de Matrim.l.*9.*disp.*20. *num.*17. *Mazuchel.l.c.num.*13.*&* 14.*Laym.l.*3.*tr.*3.*p.*3.*c.*4. *Dian.to.*2.*tr.*5.*resol.*11. & alij apud eos, quam veriorem dixit *Thesau.decis. Pedemont.*12. *nu.* 11.*& Nepos eius in Prax.Ecclesi.p.*2. *V. Abortus, num.*5.*limit.*3.idcirco etiam homicidium ex abortu per medicamenta secundi generis secuto aliquando erit Ecclesiæ pollutiuum, si videlicet desit prima conditio, vt colligi potest ex *Moffel.l.c.num.*196.*& alijs apud ipsum num.* 191. non tamen, si desit tantum secunda, quia cum tunc peccetur (si tamen casus iste moraliter possibilis sit, quod negat *Sanch. loco mox citando num.* 17. ob rationem ibi allatam) tantum contra charitatem, non committitur homicidium iniustum, quod solum Ecclesiæ pollutiuum est iuxta superius à nobis disputata. patent autem prædicta ex eo, quod, quando prægnans prædictis secundi generis medicamentis ad suam vitam tuendam omnino indiget, habet potius ius ad ea sumenda cum morte fœtus, quam fœtus ad ea impedienda cum morte matris; hic enim à matre, non mater ab hoc pendet, vt benè adnotauit *Sanch. de Matrim. l.*9.*disp.*20. *num.* 14.*& Molf. l. c. num.* 1.*q.*7. & mater ijs tunc vtens nemini facit iniuriam, quia vtitur iure suo; secus verò esset, si ea ijs non indigeret, careret enim prædicto iure, & proindè fœtui tunc iniuriam faceret, si ea medicamenta sumeret: immo etiam si ea medicamenta ex eorum institutione, & natiua proprietate æque tenderent ad matris salutem, ac ad fœtus abortionem; adhuc, si prægnanti præbeantur, vel à prægnante sumantur, vt ad illius vitam conseruandam necessaria, fœtus occisio indè secuta non erit iniusta, quia talia tunc adhibens vtetur iure suo, & in pari dubio semper melior erit conditio matris, quæ est in possessione conseruãdi suam vitam iam existentem in rerum natura, vt clarè docuerunt *Sanch.& Molfes ll.cc. Mazuchel. ibid.num.* 16.*& Villalob. in Summ.tom.*2.*tr.*12. *dub.* 13. *num.* 2. nec proindè per talem occisionem polluetur Ecclesia, cum non polluatur per homicidium, nisi sit iniustum, vt dictum est. & idipsum dico, quamuis etiam medicamenta essent paulo directiora ad abortum, quam ad matris sanitatem; dummodo adhuc sisteretur vtrinq. intra probabilitatem, maiorem scilicet, vel minorem ab una parte, quam ab alia, vt ex alibi dictis constat: nec operantis intentio sola sufficeret ad eam occisionem iniustam reddendam; nisi forte affectiuè tantum, & non effectiuè: ad homicidium enim iniustum requiritur non solum formalis; sed etiam materialis læsio iustitiæ, quæ secunda læsio in vsu medicamentorum secundi generis, immo etiam in æque directis ad vtrumq. effectum deest, dummodo (quod hic suppono) ea ad prægnantis salutem necessaria probabiliter censeantur, quia semper tunc melior est conditio prægnantis.

5\. Colligo, si ille, cui in Ecclesia propinatũ est poculum ad amorem, vel etiam ad iram, aut odium, indè pereat, per talem occisionem regulariter non pollui Ecclesiam, quia ea medicamenta, ex quibus illud confectum est, solent esse talia, vt absq. valetudinis damno ex prudenti Medicorum iudicio illud hauriri possit, vndè cædes indè secuta omnino casualis, & inuoluntaria censeri solet, pro vt bene animaduertit *Gibalin. de Irregularit. c.*4. *q.* 2. *consectar.*5.*num.*16.*Versi.Mihi tamen.* Si autem ex poculo abortionis in Ecclesia hausto pereat ipsa abortiens, etiam indè regulariter Ecclesia polluetur, quia, cum abortio fiat præter leges naturæ, violenter, & coactè (nam corruptiua fœtus sunt venenata, & humanæ naturæ inimica) abortio ex se est matri periculosa. Vndè qui causat per talia medicamenta abortum etiam fœtus inanimati, si indè pereat abortiens, vix à voluntario homicidio excusari potest, ex eodem *Gibalin. l.c.num.*17.

CAPVT

CAPVT XXVI.

An Ecclesia, si quis ibi fame necetur, polluta fiat.

SVMMARIVM.

Fame in Ecclesia pereuntis mors, si fuerit culpabilis tantum in mera, ac simplici negatione, seu omissione subuentionis, non est homicidium Ecclesia pollutiuum, nu. 1. & 4.

Mera, & nuda negatio, seu simplex omissio, quid sit, num. 2.

Ea, quà talis, non influit positiuè in necem vllius. ibidem.

Si tamen non sit nuda negatio, & mera omissio; sed habeat adiūctam positiuam aliquam actionem, qualis est subtractio, seu retentio, aut spoliatio alieni iuris, tunc omissio, quà talis positiuè, in homicidium influere potest. ibid.

Quando omissio est contra iustitiam, fere semper adiunctam habet actionem positiuam. ibid.

Quomodo omissio contra iustitiam fere semper habeat adiunctam retentionem, seu subtractionem iuris alieni. ibid.

Cur prædicta subtractio, seu retentio iuris alieni omissionis, vel alterius negationis nomine nuncupetur. ibid.

Prædicta retentio iuris alieni est tamen causa tantum moralis subsecuti homicidij; licet verè sit causa illius positiua, nu. 3.

Ecclesia sufficienter polluitur per hoc, quod quis ibi quempiam per actionem aliquam positiuam, physicam, & sufficientem necauerit; non autem per solam actionem positiuam moralem, nu. 4. & 5.

Dictum illud, Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti, *qualiter explicandum sit. ibidem.*

An diues teneatur ex charitate, vel ex iustitia succurrere extremam necessitatem patientibus. ibid.

Quod dictum est de non subueniente fame pereunti, dicendum est de non subministrante ægrotanti necessaria, & de similibus. ibid.

1 ADuerto 1. præhabitis, & perpensis, quæ superius *cap.* 17. diximus, facilius hic decidi posse, quod disputandum proponitur: cum enim ibi statuerimus Ecclesiam non pollui per vllam hominis occisionem in causa tantum negatiua, & in pura, ac nuda omissione culpabilem, etiamsi prædicta omissio fuisset occiso iniuriosa, ac consequenter contra iustitiam, proindè idipsum hic dicendum videtur, si famescentis nex fuerit culpabilis in nuda, ac simplici tantum negatione, seu omissione subuentionis, cum eadem mihi ratio vtrobique militare videatur.

2 Aduerto tamen 2. quod, licet prædicta illa mera, nuda, & simplex omissio impeditionis homicidij, de qua *d. c.* 17. locuti sumus, seu hæc ipsa negatio subueniendi fame morienti, de qua hic agitur, verè, cum importet carentiam omnis actionis, quà talis nunquam propriè sit causa positiua positiuè influēs in prædictam occisionem; tamen, si adiunctam habeat (vt fere semper habet, quando omissio est contra iustitiam, vt benè obseruat *Nauar. in Cap. Non in inferenda, 22. q. 3. num. 33. Maiol. de Irregul. l. 3. c. 48. §. 5. num. 3. & Gibal. tr. eod. c. 4. q. 1. nu. 35. & 39.*) quandam dolosam subtractionem, seu aliam actionem positiuam, quæ positiuè in homicidium influat, tunc, quà talis, esse poterit positiua subsecuti homicidij causa: quomodo autem omissio desensionis, seu subuentionis prædictæ fere semper habeat sibi necessario coniunctū substractionem, siuè retentionem, aut spoliationem alieni iuris, & rei debitæ, quæ sit actio positiua, indè patet, quod sicut retentio rei alienæ non est pura negatio, nec mera omissio (quamuis eam nominemus non restitutionem, quia per eam violatur lex affirmatiua restituēdi) ità etiam subtractio actionis debitæ ex iustitia est violatio positiua iuris veri, proprij, & rigidi, quod alter habet in eam actionem, non secus atque in pecuniam, aut quampiam aliam rem suam: vndè si eam actionem, quam ex iustitia debeo, non exhibeo, dum alter eam pro iure suo postulat, sua illi bona subtraho, & retineo, prædictæq. actionis omissio, seu non exhibitio in tali casu non est mera, & simplex omissio; sed est actio verè positina, prohibita à iustitia, quam actionem idcirco omissionis, seu alterius negationis nomine compellamus, quia rei, & actionis ex iustiria exhibendæ, seu ponendæ non exhibitionem, seu non positionem includit, vt egregie docuit *Gibalin. l. c. n. 42. vers. Respondetur secundo.* Sed

3 Aduerto 3. retentionem hanc iuris alieni, quā secum fere semper habet ex dictis omissio defensionis, seu subuentionis alteri ex iustitia debitæ, esse quidem actionem positiuam, vt benè dictum est; sed moralem tantum ex *Gibal. l. c. nu. 44. vers. duodecimo*, & non physicam, nec physicè propterea influentem in mortem subsecutam, ac proindè occisionem in tali causa positiua quidem; sed morali tantum, & non physica voluntariam, non

esse verum homicidium, de quo hic agimus, Vndè adhuc

4 Dico Ecclesiam per hoc, quod quis ibi fame quempiam per actionem aliquam positiuam, physicam, & sufficientem necauerit, pollutam fieri: talis enim occisio est verum, & proprium homicidium, vt expresè dixit *Molfes.in Sum. tr. 11.c. 19. num. 35.* & cum eo communiter omnes, nec assignari potest sufficiens vlla ratio, cur Ecclesiæ polluti non sit, æque ac quodlibet aliud homicidium ferro, veneno, vel similibus commissum; non fiet autem polluta, vt *num. 1.* innuebamus, per hoc, quod quis ibi alium fame perire mere negatiuè permiserit, licet ei subuenire commode potuisset, vel etiam ex eo, quod positiuè quidem; sed moraliter tantum, concurrerit, quia per hoc ea famescentis mors, vel non fuisset occisio contra iustitiam effectiuè, vel voluntaria non fuisset in causa physica, nec proindè fuisset verum homicidium, vt ex prædictis satis apertum est, & expresè omnino colligitur ex *d.Gibalin.l.c.num.44. vers.vndecimo*. Quod verò ab *Ambrosio* relato *in Cap. Pasce, dist.86.* dictum, & à *S.Th.2.2.q.32.art.5.* tactum fuit, *Pasce*, scilicet *fame morientem, si non pauisti, occidisti*, vel per exaggerationem intelligendum est, vel quo ad peccatum, & opus internum tantum, quod quidem iniustum est iuxta probabilem illorum sententiã, qui diuitem ex iustitia teneri succurrere extremam necessitatem patientibus asseruerũt: *Aragon.2.2.q.32. art.6.Nauarra l.3.c. 1. num. 343.Laym.l.1.tr.2.c.3.num.8.Sarmient.de reddit.Eccles. p.3.c.4. nu.3.* sed verius ex sola tantum charitate eum teneri docent *Nauarrus c. 24.num.7.Malder.2.2.q.32.art.6.dub.3. Lorca ibi disp.39.num.46.Vasq.de Eleemos.c 3.dub.3. num.37.Molin.tr.2.disp. 144.Sot.l.5. de Iust.q. 3.art.4.Torres 2.2.disp.82.dub.3. Reginal.l.4.n. 264.Filliuc.tr.28.num.83.Bonac.de Decal. disp. 3.3.q.4.punct.6.num. 29.Suar.de Charit. disp.7. sec.6.nu.2.& alij passim.*

5 Colligo, licet prædicta, v. g. mariti actio positiua contra iustitiam non subueniẽdi vxori fame in Ecclesia morienti, erga quam ille obligabatur, fit ex se, & vt sic, positiua subsecutæ necis causa, ac proindè tale homicidium verè fuerit voluntarium culpabile, & iniustum in causa prædicta positiua; tamen Ecclesiam per illud homicidium, qua in tali causa tantum voluntarium, verè non pollui, eo quod non fuerit voluntarium in causa positiua, & physica. Quod autem dixi de marito non subueniente vxori fame morienti, idipsum dicendum erit de eodem non subministrante ex dolo, & malitia vxori in Ecclesia ægrotanti alia ad salutem necessaria, cum possit: immo de quibuslibet alijs ex iustitia obligatis ad subueniendum alteri; etiamsi ex omissione talis subuentionis ille alter moriatur, pro vt iam explicatum est.

CAPVT XXVII.

An Ecclesia polluatur, siquis ibi technico præcipitio, aut simili artificio decipiatur, & pereat.

SVMMARIVM.

Casus iste quam multipliciter contingere possit, num.1.

Si technica instrumenta voluntariè, & physicè ab aliquo moueantur, & indè per se, seu necessario, ac naturaliter sequatur iniusta alicuius cædes, cur per id polluatur Ecclesia nu.2.

Idemq. dicendum, tam siquis per talem positiuã, physicam, & iniustam talium instrumentorum motionem se ipsum, quam si alium voluntariè, siuè directè, siuè indirectè occiderit. ibid. & num. 4.

In quonam casu, & cur potissima sit difficultas, num. 3.

Etiamsi prædictum homicidium voluntarium, & iniustum fuerit tantum in technici præcipitij artifice; nihilominus cur aliquando sit Ecclesiæ pollutiuum, nu.4.

Si caeco ad me currenti ego immotus gladium punctim opposui, quo se transfixit, æq. ego cæcum occidi, ac si ad illum concurrissem, & gladium in illius viscera immisissem. ibid.

L. Item si obstetrix, ff. ad Leg.Aquil.& L.de pecoribus, C.de Leg. Aquil. *quomodo intelligenda. ibid.*

Similes aliquot casus referuntur, & deciduntur, num. 5.

1 Aduerto 1. casum hunc multipliciter contingere posse iuxta multiplicitatem technarum, quæ alicui ad necem in Ecclesia inferendã tendi possunt: ità enim res omnes ibi malitiosè præparari, & disponi aliquando possunt, vt vel ex alto deorsum præceps quis ruat, vel trabe desuper cadente opprimatur, vel in offendiculum impingat, vel simili alio modo in decipulam dolosè præparatam cadat, & pereat, nam verè mille nocendi artes, & mille mortis inferendæ modi sunt, vt quotidie luce meridiana clarius apparet.

2 Aduerto

2 Aduerto 2. certum in primis esse, si ea technarum instrumenta ex physica, & immediata alicuius hominis operatione moueantur, ac proinde ab illius impulsu, vel alia eiusdem actione positiua, & physica pendeant, tunc, cũ physica, & sufficiens talis homicidij causa sit home ille, à quo physicè talia instrumenta, quoquomodo aguntur, consequenter prædictum homicidium, dummodo sit in prædicta causa voluntarium, esse Ecclesiæ pollutiuum, vt ex superioribus liquet. Idemq. dico, si quis ibi se ipsum voluntariè, & physicè egisset in tale præcipitium, vel technicum artificium, & indè perijsset: idem enim fuisset, ac si gladio se iugulasset.

3 Aduerto 3. difficultatem potissimum esse, quando instrumenta ipsa technici artificij, vel præcipitij non ab alio mota fuerunt, quam ab ipsomet decepto, qui talium technarum inscius vel pede, vel manu, vel quocumq. alio modo physicè ea mouit, vel in ea incidit, vnde vel corruit deorsum, vel desuper opprimitur, vel quomodolibet ità ab inanimatis rebus illis læditur, vt propterea intereat, etiamsi ea instrumenta tunc, vt dixi, à nemine alio physicè agantur; sed ea indè se se naturaliter tantum agant. In tali enim casu ex vna parte tale homicidium videri potest omnino casuale, immo occisus se ipsum casu occidisse videtur, dum talia instrumenta inscie mouit, vel in ea cecidit, quibus fauere etiam creditur *L. Item obstetrix*, *ff. ad Leg. Aquil.* ex altera vero parte videri etiã potest homicidium verè voluntarium, vel in artifice ipso technarũ, qui ibi talia ad talem effectum dolosè disposuerat, vt supponimus, vel in ipso etiam occiso, qui talem effectum in tali causa fortasse præuidere, & subinde cauere potuit; sed culpabiliter ignorauit.

4 Dico Ecclesiam per prædictum homicidium in ea factum pollui non solum, si illud voluntarium fuerit in occiso ipso vel directè, de quo iam diximus *num.* 2. vel indirectè, de quo hic propriè sermo est (tam enim indirectè, quam directè in causa physica, & sufficienti voluntarium homicidium Ecclesiæ pollutiuum est, si iniustum sit, vt superius asseruimus) sed etiam si voluntarium tantum fuerit in artifice prædicto, is enim prædicta ibi artificia præparando, & disponendo posuit physicè obicem saluti eius, qui occisus est, ità vt ille fuerit vere physica, & sufficiens causa in talibus circumstantijs subsecuti homicidij: vnde, cum homicidium fuerit in eo voluntarium, fuit inde verum homicidium vere in sua causa positiua, physica, & sufficienti voluntarium, & subinde Ecclesiæ pollutiuum ex prædictis. cum ergo ea dici non possit, vt alibi vidimus, causa per accidens homicidij, ex qua illud vt plurimum sequitur, prout in casu nostro suppono, inde fit subsecutam in hoc vltimo casu occisionem videri quidem, vt ità loquar, per accidens, seu improuisam (vt melius dicam) respectu occisi, qui nihil inde tale cogitabat; sed eam tamen vere secutam esse ex causa physica, & per se, eamq. omnino voluntariam, culpabilem, ac iniustam fuisse respectu occisoris, idest eius, qui prædictarũ ibi technarũ dolosus artifex fuit: ex quibus patet, quid ad rationes dubitandi *superiore numero* allatas responderi queat, quæ tamen æq. militant contra superiores conclusiones alias de veneno, vel medicamentis ad abortum alicui nihil tale cogitanti, eaq. alacri animo ignorantet haurienti datis, ac contra præsentem; sed quis earum vanitatem non videat, & rideat, si ob eas quis inferat cæcum, cui ad me recta, & cursim venienti immotus ego gladium voluntarie, & punctim opposui, quo se nisi transfixit, à me occisum non esse? an mea illa actio non fuit in ijs circunstantijs causa positiua, physica, & sufficiens ad necem illam inferendam? non obstat autem prædicta *L. Item si obstetrix*, *quo ad §. 1.* supponit enim ibi, quod mulier sibi ipsamet mortem intulerit, eo, quod, pro vt *Glossa ibi* subdit, ea sibi venenum voluntarie ministrarit. nec quo ad *§. Si quis hominem fame*, quia forte loquitur de nece secuta vel ex mera, & nuda omissione subuentionis, vel ex actione quidem positiua; sed morali, & non physica: sicuti contra in *L. de pecoribus*, *C. de L. Aquil.* de positiua, & physica actione ad fame necandum sufficiente sermo est, pro vt etiam adnotasse videtur ipsa *Glossa*, *§. In factum ad prædict. L. Item si obstetrix*, *ff. ad L. Aquil.*

5 Collige ob eandem rationem idipsum dicendum esse (Ecclesiam scilicet pollui) si quis cæco, vel certè non aduertenti, & in Ecclesia pontem aliquem, factum v. g. ad ædificandum, transeunti tabulam aliquam subtrahat, vndè ille deorsum corruens occidatur: aut si quis columnam aliquam, cui tectum innititur, instar Sampsonis subtraxerit, vndè quis in Ecclesia obtritus sit: aut si quis his similia fecerit, cum enim talia subtrahens, vel faciens voluntarie, culpabiliter, iniuste, positiue, physicè, sufficienter, & efficaciter id fecerit, ex quo postea naturaliter, seu necessario, & per se secuta est hominis cædes, homicidium indè voluntarium, ac iniustum, nec non consequenter Ecclesiæ pollutiuum factum est, si id in Ecclesia factum fuit.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

An Eccleſia polluatur, ſiquis ibi à bruto occidatur, quod ad eam occiſionem ab aliquo culpabiliter inſtigatum, vel concitatum fuerit.

SVMMARIVM.

Hominis occiſio à bruto facta non homicidium; ſed pauperies dicitur, nu. 1.

Pauperies, & Damnum quid ſint, & quomodo propriè inter ſe differant. ibid.

Is, qui brutum ad hominis occiſionem inſtigauit, vel concitauit, non fuit cauſa proxima; ſed remota, & occaſio potius, quam cauſa talis occiſionis, nu. 2.

Cur ebrius eſſe poſſit cauſa proxima phyſica, & ſufficiens homicidij in ea voluntarij; non autem brutum, nec bruti inſtigator, nu. 3.

Eccleſia non polluitur per hominis occiſionem à bruto ibidem factam, licet brutum quiſpiam ibidem culpabiliter ad eam concitarit, num. 4.

Inſtrumentum propriè eſt vna, eademque cauſa cum cauſa efficiente illud mouente, vel adhibente, nu. 5.

Si occiſio fiat mediãte re animata, hæc non eſt inſtrumentum regulariter; ſed cauſa occiſionis: ſi fiat mediante re animata, hæc ſemper eſt inſtrumentum, & nunquam cauſa occiſionis. ibidem.

1 ADuerto 1. ſi homo à fera, vel bruto animali occidatur, talem occiſionem, prout etiam innnimus *c. 19. nu. 8.* propriè non eſſe homicidinm; ſed dici pauperiem, vt conſtat ex *toto tit. ff. & Inſtit. Si quadrupes pauperiem fec. dic. & Caball. tr. de omni genere homicidij num. 1.* eſt enim pauperies ex *Vlpiano in L. 1. ff. cit.* damnum ſine iniuria facientis datum, & differt ex *Nebriſſen. V. Pauperies* à Damno propriè ſumpto, quod hoc fit cum animo iniuriandi, vel ab habente animum iniuriandi, licet non vtatur. cum ergo animal rationis expers, vt bene dixit *Cuiac. ad ff. prædict.* iniuriam facere non videatur, pauperiem tantum; etiam ſi quempiam occiderit, feciſſe dicetur, vndè prædicta occiſio, quã facta à prædicto animali, abſq. dubio Eccleſiæ pollutiua non erit. Vt ſciamus autem, num eadem ſaltem Eccleſiæ pollutiua eſſe poſſit, quã culpabilis in eo, qui prædictum animal ad eam inſtigauit,

2 Aduerto 2. cum ex dictis *d. cap. 19. num. 8.* homines, & bruta ipſa, ſi quempiam occidant, regulariter ſint talis occiſionis cauſæ efficientes, & non inſtrumenta, niſi fortè impropriè, & lato modo, pro vt ibidem explicauimus *num. 7.* idcirco eum, qui in propoſito noſtro caſu canem, vel aliud animal brutum in Eccleſia inſtigauit, vel concitauit ad hominis alicuius occiſionem, non niſi cauſam remotam ſubſecutæ occiſionis prædictæ fuiſſe, ſicuti is etiam non niſi cauſa remota, & occaſio potius homicidij, quam cauſa dicendus eſt, qui quempiam quomodolibet (non tamen propriè cogendo) ad alterius occiſionem incitat, & inſtigat, vt ex præhabitis patet.

3 Aduerto 3. licet *cap. 15.* dictum ſit Eccleſiam pollui poſſe per homicidium in Eccleſia ab ebrio commiſſum, ſi illud fuerit homicidæ voluntarium ante ebrietatem; nihilominus idipſum dici non poſſe de occiſione facta ibidem à bruto (quamuis tunc æque ebrius, ac brutum nemini iniuriam propriè faciant) quia ibi homicidium eſt voluntarium in cauſa proxima, phyſica, & ſufficiente ad illud; hic autem occiſio à bruto facta voluntaria non eſt, niſi in cauſa remota, & in occaſione tantum, ideſt in concitante, & inſtigante brutum ad occiſionem, quod ex dictis ad homicidium Eccleſiæ pollutiuum non ſatis eſt. Hinc ergo

4 Dico Eccleſiam non pollui, ſiquis ibi à cane, vel alio bruto animali occidatur, licet canem, vel brutum illud animal ad prædictam occiſionem faciendam quiſqiam ibidem culpabiliter inſtigarit, vel concitarit. claret autem hæc concluſio ex iam explicatis, cum talis occiſio nec in ſe, nec in ſua cauſa proxima fuerit voluntaria, & colligi etiam aperte poteſt ex doctrina tradita *cap. 16. num. 4.* quare, ſi ad prædictam occiſionem, quæ in hoc caſu immediate à bruto, & mediate ab homine brutum ad eam incitante facta fuit, mẽtis impos, vel expers ſimilem aliam animantem concitaſſet, ſubſecuta inde occiſio tam immediate, quam mediate, ideſt tam in cauſa proxima, quam remota, omnino non voluntaria fuiſſet, vt ex ſe patet.

5 Colligo, cum inſtrumentum, ſi propriè accipiatur, vna, eademq. cauſa proxima ſit cum cauſa principali, efficiente, & inſtrumentum mouente, ſeu vtente, & nunquam propriè, per ſe, & vere dici poſſit cauſa v. g. homicidij per ipſum inſtrumentum facti; ſed tunc eius homicidij cauſa proxima is ſit, qui immediate inſtrumento ipſo ad talem effectum vſus eſt; contra vero con efficiens cauſa,

ſa,

ia, si propriè sumatur, nunquam vere dici possit instrumentum, nisi moraliter aliquando, & metaphorice tantum, pro vt alibi declarauimus; propterea; quotiescumq. homo à rebus animatis occiditur, semper res eas animatas vere, & propriè dicendas esse proximam talis occisionis causam; nisi forte eædem per meram, & propriam coactionem, seu violentiam ab extrinseca quapiam, & potentiore causa, non secus, ac alia instrumenta, motæ ad id fuissent; quotiescumque autem per res inanimatas occiditur, nūquam res eas inanimatas dicendas esse veram talis occisionis causam; sed mera instrumenta causæ efficientis, & animatæ, quæ ab intrinseco se se; instrumenta autem ab extrinseco mouerit: ex quo decidi facile potest dubiorum huiusmodi numerus innumerus.

CAPVT XXIX.

An Ecclesia polluatur, siquis ibi ad vitæ, vel corporis sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem occidat.

SVMMARIVM.

Quid hic per vitæ, vel corporis defensionem intelligatur, nu. 1.
Non incurritur irregularitas ex occisione cum moderamine inculpatæ tutelæ facta ab aggresso ad euitandum quodcumq. graue corporis nocumentum, vel deformationem. ibid.
Quænam sit iusta, vel iniusta defensio, & de quanam hic sermo sit. num. 2.
Naturale Ius defensionis aliquando ob commune Reipublicæ bonum tollitur. eod. nu. 2.
Occisio ad defensionem facta cur vulgo dicatur homicidium necessarium, & coactum, num. 3.
Ecclesia non polluitur ex occisione ibi facta ab eo, qui cum moderatione inculpatæ tutelæ iustè se defendit, nu. 4.
Qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam. ibid.
Homicidium prædictum necessarium cur non sit Ecclesiæ pollutiuum, etiamsi intrinsece factum fuerit ex vindicta, & prauo animo iniuriam inferendi, vel polluendi Ecclesiam, nu. 5.
Nec Excommunicatio in tali casu incurreretur, etiamsi Clericus eo prauo animo à iuste se defendente occideretur. ibid.

1 Aduerto 1. per vitæ, vel corporis defensionem hic intelligi defensionem susceptam ad euitandum non solum sui occisionem, sed etiam sui mutilationem, quæ partialis quædam mors est, vel graue vulnus, vel grauem percussionem, vel aliquam grauem vultus deformationem, & similia, in quibus, ac similibus omnibus eadem omnino militat ratio, vt colligi potest ex *Enriq. l. 14. c. 10. nu. 3. Suar. de Censur. disp. 46. sect. 2. num. 6. Villalob. tom. 1. tr. 21. diffic. 24. num. 7. Sayr. de Censur. l. 6. c. 17. num. 4. Salon. 2. 2. q. 64. art. 8. controu. 2. concl. 1. Hurtad. disp. 2. de Irregularit. diffic. 1. num. 36. Bonac. de censur. disp. 7. q. 4. punct. 6. nu. 8. Dian. p. 4. tr. 2. resol. 6. Gibalin. de Irreg. c. 4. q. 3. num. 13.* & alijs doctis recentioribus, qui licitam esse dicunt in talibus casibus occisionē, nec in ijs irregularitatem vllam incurri, ita enim se defendens reipsa vitam suam tuetur, cum id ad vitę ipsius consistentiam pertineat, vt bene dixit *Dian. l. c.* vel ad honoris conseruationem, de quo inferius agemus.

2 Aduerto 2. sermonem hic esse de occisione ad sui defensionem iustam, in qua nimirum verè quis contra iniustum aggressorem vtitur, vt mox dicemus, iure suo; siquis enim eo careat, indeque iniusta sit eius defensio, quia nimirùm ea contra Iudicem, ac iustitiæ ministros iuste agentes fit, tunc iniusta quoq. talis erit ex iniusta prædicta defensione occisio, & hæc inde sine dubio simul erit Ecclesiæ pollutiua, si in Ecclesia fiat; ius enim, & facultas tuendi se, licet sit naturalis; tamen ob commune Reip. bonum tolli potest, ex *Azor. tom. 3. l. 2. c. 1. q. 11. & Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 2. num. 3.* nisi fortè ij quoq. essent formaliter iniusti, ac proindè illicite eum, qui se defendit, vexarent, quo in casu idem de ijs, ac de quibuscumq. alijs iniquis aggressoribus dicendum esset, vt constat ex doctrina tradita à *Sot. de Iust. & Iur. l. 5. q. 1. art. 8. Syluest. V. Bellum, 2. num. 7. Couar. 1. var. resol. c. 2. num. 13. Molin. tract. 3. disp. 15. num. 3. Petr. Nauar. l. c. de restit. c. 3. nu. 262. Gibalin. l. c. nu. 29. & Azor. p. 3. l. 2. c. 1. q. 6. & 9.*

3 Aduerto 3. occisionem ad sui defensionem factam dici vulgo solere homicidium necessarium, & coactum, non quia illud simpliciter non sit liberum, & verè per actionem humanam, ac voluntariam factum; sed quia, qui sic alium occidit, inuitus, & necessitate quadam adactus, idest, vt se defendat, id facit; licet malit aggressorem occidere, quam ab illo occidi, quo modo supra diximus mercium proiectionem ad exonerandam nauim ità ex naufragij metu libere eligi, vt voluntaria quidem; sed simul etiam necessaria sit.

4 Dico Ecclesiam non pollui ex occisione ibi facta ab eo, qui cum moderatione inculpatæ

patæ

patæ tutelæ iuste se defendit. Ratio autem euidens est, quia talis occisio nemini iniuriosa est, & ex se culpa caret, vndè ea Ecclesiæ pollutiua propterea non est: qui enim sic se defendit, facit opus, quod ex se tunc primo, & principaliter tendit non ad occisionem aggressoris; sed ad naturalem aggressi defensionem, quæ, si iusta sit, vnicuiq. tam Clerico, quam Laico contra quemcumq. tam Superiorem, quam inferiorem quocumq. in loco semper ex omni lege conuenit. vndè sic se defendens, cum vtatur iure suo, vt patet ex *tex. L. Vt vim vi, ff. de instit. & Iur. Cap. Significasti, 2. de homicidio, Cap. Dilecto, de sent. Excommunic. in 6. D. Th. 2. 2. q. 64. ar. 7. Sot. de Inst. & Iur. q. 1. art.* 8. & cæteris communiter, nemini facit iniuriam, *argum. tex. in L. Proculus, ff. de damno infecto, & in Cap. Cum Ecclesia, 31. de Elect. ex Mascard. de probat. concl.* 1051. *num.* 31. *Surd. consil.* 374. *num.* 17. *Paris. de resignat. tom. 2. l. 13. q. 1. num. 164. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num.* 16. qui in terminis nostris loquitur, & ità communissime nobiscum sunt in prædicta conclusione nostra *Glossa in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. in principio. Abb. in Cap. Proposuisti, eod. tit. nu. 2. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ num. 4. Syluest. V. Consecratio 2. q. 5. casu 1. Tabien. eod. §. 4. nu. 5. Armil. eod. num. 5. Victoria q. 99. de Eucharist. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 3. ad 2. dict. 4. Nauar. in Sum. c. 27. num. 256. Verb. Iniuriosè Rodriq. in Summa p. 1. c. 154. concl. 6. num. 7. Graff. p. 1. decis. l. 2. c. 48. num. 93. Vinold. de Interd. tit. 3. nu. 10. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 16. num. 4. Tolet. l. 5. c. 8. num. 7. cas. 1. Enriq. l. 9. de Miss. c. 27. nn. 5. comment. lit. I. Seraph. Razz. casu 49. Seb. Medic. in Sum. peccat. p. 2. tit. 9. q. 10. Zecch. de cas. resern. cas. 11. vers. Secundo, & de Sacrament. vbi de Missa, c. 7. vers. Secundo loco. Azor. p. 1. l. 10. c. 16. q. 13. & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. Auil. p. 5. de censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 1. Suar. tom. 3. in 4. p. disp. 81. sect. 4. casu 1. & 2. Reginald. in prax. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 180. Fagund. l. 3. primi Eccles. præcep. c. 14. num. 8. Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. num. 4. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 4. c. 6. num. 50. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 2. nu. 54. Vener. in Exam. Episc. l. 9. c. 36. num. 4. Megal. in Prompt. Theol. V. Cœmeterium, num. 5. Th. del Bene de Immunit. & Iurisd. Eccles. p. 1. c. 2. dub. 2. sect. 3. num. 35. Mazzol. in Regul. Confess. p. 2. num. 249. Scarsella in Summa p. 3. c. 87. num. 3. Iordan. diuers. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 37. Vgolin. de Offic. & potest. Episc. c. 29. §. 1. nu. 1. Antonel. de regimin. Eccles. Episcopal. p. 1. c. 16. §. 1. num. 13. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. vlt. num. 20. Ricc. in prax. p. 1. resol. 479. Steph. d S. Gregor. de diuin. pietat. vinc. l. 3. c. 21. nu. 14. & Castilent. in Polyanth. Seraph. V. Consecratio Ecclesiæ, diffic. 4. vers. Secus tamen.*

5 Colligo neque homicidium cum moderamine inculpatæ tutelę ad iustam defensionem factum Ecclesiæ pollutiuum esse, etiamsi sic se defendens tunc prauum simul animum habuisset, v.g. vindicandi iniuriam acceptam, satisfaciendi odio, quo aggressorem prosequebatur, vel etiam polluendi Ecclesiam ipsam, & c. quia, cum semper opus externum in tali casu sit non iniuriosum, nunquam esse poterit homicidium Ecclesiæ pollutiuum, nisi affectiuè tantum, & mere intentionaliter, quod non facit opus ipsum externum inde esse iniustum, nec consequenter esse Ecclesiæ pollutiuum, vt superius etiam dictum est: & hoc clare etiam apparet in Excommunicatione, quæ in tali casu non incurritur ab eo, qui sic se defendens Clericum percussit, quocumq. animo id fecerit, vt apertè docuit *Fillinc. tr. 15. c. 1. nu. 17.*

CAPVT XXX.

An Ecclesia polluatur, siquis in ea cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidat ad defensionem vitæ, vel corporis proximi sui.

SVMMARIVM.

Vndenam huiusce capitis difficultas oriatur, num. 1.

In prædicto casu aliqui irregularitatem incurri dixerunt; sed verius alij negarunt. ibid.

De proximo innocente, & iniuste aggresso hic sermo est, nu. 2.

Licet quis peccauerit dando iniuste causam inuasioni; tamen cur non peccet, si iniuste inuasus se defendat. ibid.

Proximi nomine iniuste in vita inuasi quis hic accipiatur, nu. 3.

Iuri, quod in vitam vniuscuiusq. Deus, & Respublica habet, cur verè nullus hominum cedere possit. ibid.

Ecclesia non polluitur per occisionem, quæ ad innocentis, & iniuste in vita inuasi proximi defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ facta sit, nu. 4.

Occisio prædicta ad defensionem facta cur non sit iniusta. ibid.

Ex quo capite licitum sit Rempublicam, quæ bellum iustum cōtra aliam gerit, coadiuuare. ibid.

Melior

Melior hic est innocentis iniuste aggressi, quam iniusti aggressoris conditio, nu. 5.

Vnusquisq. vita sua propria conseruationem præferre potest, secundum ordinem charitatis, alterius vitæ, & aliquando etiam debet, num. 6.

Idipsum dicendum est, licet iniustus aggressor amissurus sit vitam æternam, si occidatur, num. 7.

Vitam spiritualem proximi debere præponi vitæ corporali propriæ quomodo verum, vel falsum esse possit. ibid.

Nec Ecclesia pollueretur, etiamsi in ea iniustus aggressor, cuius vita ex lege Charitatis præferenda esset sub lethali culpa propriæ vitæ, ab aggresso, vel ab alio aggressi partes suscipiente occideretur, nu. 8.

1 ADuerto 1. suppositis hic ijs, quæ de defensione sui ipsius *cap. præced.* dicta sũt, difficultatem hanc esse ex eo, quod, cum æque diligenda sit vita vnius proximi, ac alterius, propositum *in hoc cap.* homicidium videri potest illicitum, & aliquando occiso iniuriosum, ac proinde Ecclesiæ pollutiuum; vndè in tali casu irregularitatem quoque ab occidente incurri docuerunt *Syluest. Armil. Nauar. Maiolus, & alij* apud *Couar. in Clement. de Homicid. p. 3. §. vnic. num. 5. & Suarez de Censur. disp. 46. sect. 3. num. 1.* quod tamen falsum est, vt fuse probant *Turrian. de Cens. l. 9. disp. 65. dub. 4. Conimb. ibid. disp. 18. num. 88. & de Irregularit. disp. 2. num. 36. Tanner. 3. p. disp. 6. q. 10. dub. 11. num. 210. Filliuc. tr. 20. c. 5. num. 159. et Sayr. cum multis alijs l. 6. de Censur. c. 17. num. 21.*

2 Aduerto 2. nos hic verba facere de proximo, qui sit in vita iniuste inuasus, ac proindè innocens, & iuste se defendere possit, siue per se, siue per alium, etiamsi fortasse aggressori iniuste dederit causam inuadendi, dummodo ab ea danda cessauerit; adhuc enim prædictus inuasus in actu suæ defensionis est innocens, & licet peccauerit dando iniuste causam inuasioni; nihilominus non amisit naturale ius se defendendi casu, quo iniuste inuadatur, vt hic supponimus.

3 Aduerto 3. nomine proximi iniuste in vita inuasi accipi à nobis hic non solum, qui nobis sanguine iunctus sit; sed etiam extraneum quemcumq. qui nec petat à nobis opem, nec velit à nobis defendi; sed exclamet se iure suo cedere, & sponte velle ab inuasore occidi. nunquam enim is idcirco desinit esse proximus noster, & semper iniuste inuaditur, cum semper iniuria inferatur saltem Reipublicæ, & Deo, quorum iure cedere nemo potest, cum nemo sit absolutus, & totalis dominus vitæ suæ; sed vel vsuarius, vel custos tantum, vt alibi fusius explicabimus.

4 Dico Ecclesiam per occisionem ad defensionem proximi innocentis, & iniuste in vita inuasi factam non pollui, dummodo adhibita fuerit inculpatæ tutelæ moderatio, quod hic supponimus. fauent DD. omnes *præced. cap. num. 4.* allati; sed ij maximè, qui absolute dicunt Ecclesiam non pollui per occisionem iustæ defensionis causa factam. Ratio autem conuincens ea est, quia talis occisio non est iniusta, nec proinde Ecclesiæ pollutiua: iniustam non esse, immo licitam patet, quia, sicut quisque potest tueri vitam suam, ita etiã proximi, qui charitatis, & naturæ nexu ipsi coniunctus est, vt ait *Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 9. dubit. 13. num. 87.* fas est enim cooperari ad bonum, & ad id, quod est licitum, ideoq. in omnibus euentibus, in quibus licite occidere possumus iniustum aggressorem vitæ, vel corporis nostri, in ijsdem licite potest etiam tertius proximi sui aggressorem occidere, nam hoc est innocentem coadiuuare, partesque illius suscipere, prout ex eodem capite licitum est Rempublicam, quæ bellum iustum contra aliam gerit, coadiuuare, partesque illius de eius consensu suscipere, vt egregie tradidit *Molin. tr. 3. disp. 18. nu. 1. Ant. Gomez tom. 3. var. resol. c. 3. nu. 21. Couar. Clem. Si furiosus, p. 3. §. 1. num. 5. Caiet. V. Homicidium, & DD. communiter.*

5 Ad rationem autem dubitandi superius *num. 1.* allatam patet responsio, eo quod melior sit innocentis iniuste aggressi conditio, quam iniusti aggressoris, vnde consequens est, vt eum æquali damno temporali iniusti aggressoris, & innocentis inuasi defendere licite possimus, & aliquando etiam teneamur innocentem, etiam iniustum aggressorem occidendo, quando aliter innocentis vitam defendere non possumus, vt videre est apud *Molin. l. c. n. 6. & Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 3. nu. 20.* & alios passim.

6 Colligo 1. cum ordine charitatis vnusquisque vitæ suæ propriæ conseruationem præferre possit alterius vitæ, immo etiam aliquando teneatur, quando scilicet ex propriæ vitæ amissione sequeretur maximum malum Reipub. vel vxoris, ac filiorum, quos alere tenetur, & is iniuste ab alio non æq. vtili inuaditur, cumq. nobis iure naturali id efficere liceat, quod alterius nequitia effectum est medium necessarium ad vitæ nostræ propriæ conseruationem, etiamsi opus sit ab illo alio vitam auferre, propterea, quotiescumque quis iniuste alterius vitam ità in discrimine

constituit, vt nulla alia tunc via ad eam à tali periculo liberandam pateat, nisi illum occidendo, qui alterius vitam in prædicto discrimine constituerit, cum licite occidi posse vel ab eo ipso, cuius vita periclitatur, vel ab alio, qui taliter periclitantis partes suscipiat contra illum, à quo proximus in tali periculo constitutus fuit, vt ex prædictis colligi potest, & apertissimè traditur à *Molin.l.c.disp. 12.nu.2.* proinde Ecclesiam pollui.

7 Secundo idipsum dicendum esse, etiamsi in Ecclesia iniustus aggressor occidatur, qui amissurus sit æternam beatitudinem, eo quod tunc præsumatur esse in lethali peccato; aggressus autem verisimiliter existat in gratia: licet enim vita spiritualis proximi ex lege, ac ordine charitatis præponenda sit vitæ propriæ corporali; id tamen intelligitur, quando vita propria corporalis proximo ad suam spiritualem ità necessaria est, vt, nisi propria à nobis mortis periculo exponatur, proximus æternam consequi, aut tueri non possit; non vero quando vita nostra corporalis non est prædicto modo ad spiritualem proximi vitam necessaria, eo quod ipse per se possit illam consequi, ac tueri; sed ex sua nequitia nolit id facere, prout accidit in prædicto nostro casu, in quo aggressor potest, & debet ab aggressione desistere; sed non vult: tunc enim lege charitatis non tenemur spiritualem proximi vitam præponere nostræ propriæ, aut proximi iniuste inuasi vitæ corporali, immo vero, vt inferius dicemus, neque nostro honori, aut bonis nostris externis, si ista proximus iniuste velit à nobis auferre, vt acute dixit *Caiet.2.2.q.54.art.7.Sotus de Iust. & Iur. l.5.q.1.art.8.* & recentiores communiter contra *Gerson.in tr.de Euchar.Richard.de S.Victore in opusc.de charitate, August.de Ancona de Auctorit.Ecclesia, & alios relatos ab Abulens.in cap.5.Matth.q.109.*

8 Tertio, licet aliquando contingere possit, vt aggressus teneatur lege Charitatis potius mortem pati, quam in sui defensionem occidere iniustum aggressorem, quando v. g. aggressor talis esset, cuius vita multum Reipublicæ interesset, vt docuit *Molin.l.c.disp. 14.n. 1.concl.2.& Sot.l.c.* cum lege charitatis teneatur aggressus tantum Reip. bonum præferre suæ propriè vitæ; tamen, etiamsi aggressus talem aggressorem occidat, per talem occisionem Ecclesiam non pollui, quia talis occisio non fuit verum homicidium contra iustitiam: sed tantum contra Charitatem, quod ex dictis *cap. 10.n.5.* non est Ecclesiæ pollutiuum, etiamsi factum fuisset à tertio iniuste aggressi partes suscipiente, vt ex prædictis patet.

CAPVT XXXI.

An polluatur Ecclesia, si quis ibi à iuste defendente bona sua externa cum moderamine inculpatæ tutelæ occidatur.

SVMMARIVM.

Iusta vitæ defensio facit, vt iusta sit etiam rerum ad vitam necessariarum, vel conducentium defensio, num.1.

De quibusnam bonis hic sermo sit. ibid.

Quanam bonorum quantitas habenda sit magni, vel parui momenti ad effectum, vt pro illius defensione licitè fures occidi possint, variæ DD. sententiæ referuntur, nu.2.

Debet esse res magni momenti vel ex se, vel in suo pretio, vel ex suo consequente. ibid.

Furtum aliquod potest esse leuis momenti in ratione intrinseca furti, & grauis in ratione extrinseci damni alteri illati. ibid.

Quantitas notabilis sufficiens ad mortale in genere furti debet esse vna, & eadem in se determinata, nec debet desumi per comparationem ad personas. ibid.

Furtum prohibetur septimo Decalogi præcepto, non quia hic, & nunc semper inferat graue damnum extrinsecum; sed ex eo, quod, si grauiter non prohiberetur, inferret etiam extrinsece graue damnum. ibid.

Prædicta quantitas furti notabilis nota est Deo, licet nobis facile non sit determinare, quanta sit. ibid.

Ea furti quantitas moraliter considerata, quæ sufficit ad sustentationem, seu expensas pro vna die vnius personæ honestæ, seu non miseræ, cur mihi videatur notabilis absolute, & respectiuè ad omnes. ibid.

Eadem quantitas ablata Regi, aut à Filio, vel vxore, vel Religioso Patri, Marito, Religioni cur facile excuset à mortali. ibid.

Prædicta tamen quantitas neq. in prædictis casibus excusaret, si domini essent grauiter inuiti, sicut rationabiliter esse possunt Rex, & Pater; sed non æq. Maritus, & Religio. ibid.

Vxor quomodo non improbabiliter possit expendere, inuito marito, singulis annis vigesimam partem lucri annualis ex dote. ibid.

Furtum, vt culpa grauis sit, duo postulat, materiæ grauitatem, & dominum grauiter inuitum. ibid.

Quantitas bonorum sufficiens ad furtum graue fortasse non improbabiliter videri potest alicui suffi-

sufficiens etiam ad iustam eius quantitatis defensionem cum quanto opus fuerit furis damno, quia tale furtum notabiliter lædit ius alterius. ibid.

Pro defensione rei non magni momenti furem occidere videtur contra Charitatem, & Iustitiam; licet aliqui de hoc dubitarint. ibid.

Etiamsi res, quæ furto aufertur, facile postea recuperari possit v. g. in Iudicio; cur tamen tam à Sæculari, quam à Clerico, & à Religioso iuste, & licitè defendi possit, etiam furem interficiendo, si aliter rei oblatio impediri nequeat, num.3.

Ecclesia non polluitur, si quis ibi occidatur à domino ob iustam defendensionem bonorum suorum, seruato moderamine inculpatæ tutelæ. num. 4.

Bona nostra externa quandonam anteponenda sint ex ordine Charitatis vitæ proximi, num. 5. & 6.

Fur non est in extrema necessitate; sed in peruersa voluntate; nec ei teneor dare centum, qui vult se ipsum occidere, nisi ea ei dem, num.6.

Vnusquisque habet ius defendendi non solum ea, quæ possidet propria, sed ea etiam, quæ possidet in communi, vel quorum vsus, aut custodia ipsi est commissa, quod etiam Religiosis cõuenit, nu.7.

Defensio prædicta rerum iusta, & licita est in omnibus locis, & aduersus omnes illas personas, in quibus, & aduersus quas est iusta, & licita vitæ ipsius defensio. ibid.

Quomodo prædicta valeant tam in cæde diurni, quam nocturni furis. ibid.

1 ADuerto 1. sermonem hic esse non tantum de ijs fortunæ bonis, quæ ad vitæ conseruationem necessaria sint, qualia videntur esse arma transeunti per latrones, vel hostes, nec non alia quæcumq. hic, & nunc ad vitam conducentia, in his enim omnes conueniunt, & dicunt, cum tunc vita ipsa talia possidentium ex talium bonorum externorum amissione periclitetur, vnicuique taliter quo ad ea inuaso licere pro eorum defensione inuasorem quemcumque occidere, dummodo inculpatæ tutelę moderamen seruetur, vt videre est apud *Azor. p.3 l.2.c.1. q.19.* sed etiam de omnibus alijs fortunę bonis nõ parui momenti; licet nemini necessaria sint.

2 Aduerto 2. circa quantitatem prædictorum bonorum, quænam dicenda sit quantitas magni, vel parui momenti ad prædictum effectum, varias esse DD. sententias, aliqui enim putant pro valore duorum, aut trium aureorum non esse licitum hominem occidere, ità *Sotus de Iust. & Iur. l.5.q.1. art.8. Aragon. in 2.2. q.64. art. 7. Binsfeld. de Iniurijs, & damno dato c.1. q.6. concl. 1.* alij contra docent, quod, si quis iniustè aggrederetur vsurpare rem, etiam valoris vnius aurei, vel minoris adhuc valoris, resistente domino, aut custode illius, certè neque ad culpam, neq. ad pœnam auderent condemnare eum, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ iniustum aggressorem. ita expresse *Molin. tr.3. disp.16. num.7. & Bonac. de contractib. disp.2. q. vlt. sect.1. punct.* [illegible] nonnulli asserunt hoc non posse absolutè taxari in vniuersum; sed spectandam esse conditionem personarum, & varietatem locorum; eadem enim bonorum fortunæ quantitas, quæ in vno loco, & respectu vnius personæ potest esse grauis, & magni momenti, in alio loco, & respectu alterius personæ potest esse leuis, & non magni momenti. ità *P. Nauarra l.3. de restitut. num. 39. & Io. Med. C. de restit. q.10.* nec desunt, qui affirment non posse in hac vita non solum attingi certo punctum indiuisibile, ad quod si summa valoris perueniat, sit quantitas grauis, & infra quod sit leuis; sed neq. certam, & infallibilem regulam tradi posse. ità *Barthol. à S. Faust. de restit. disp.2. q.18. num. 22. & Lanfranch. opusc. moral. 15. c.1. num.4.* ego tamen pro certo in primis credo satis esse, si res sit magni momenti vel ex se, vel in suo pretio, vel ex suo consequente, pro vt docent *Stronersdorf. de Iust. & Iur. in 2.2. D. Th. q.64. art.7. conclus. 3. & Dian. p.5. tr.4. resol. 18.* ac proindè satis esse, si sit magni momenti vel in ratione intrinseca furti, vel in ratione extrinsecæ incommoditatis, seu alterius damnificationis possessori legitimo illatæ. vndè in ratione quidem furti res erit leuis momenti, si auferatur v.g. acus à paupere opifice, qua vtitur ad sustentãdam familiam, vel vnus obolus à mendico, si indè sequatur eum mendicum tota die non comedere; sed tamen erunt singula hæc furta grauis momenti in ratione extrinsecæ damnificationis alteri illatæ, vt per se patet. Sed quęnam erit assignabilis quantitas, quæ sit ex se grauis momenti in ratione intrinseca furti? mihi quidem persuasum est quantitatem notabilem sufficientem ad mortale in genere furti debere esse vnam, & eandem in se determinatam, nec debere desumi per comparationem ad personas, quod etiam senserunt *Tolet. l.5. c.16. num.3. Barth. Med. 1.2. q.88. art. 4. & Less. l.2. c.12. dubit.6. num.29. 31. & 32.* furtum enim grauiter prohibetur septimo Decalogi præcepto, non quia hic, & nunc semper inferat extrinsece graue damnum isti personæ; sed ex eo, quod, si grauiter non

prohiberetur, inferret etiam extrinsece graue damnum: independenter ergo à comparatione personarum dari debet aliqua quantitas, saltem nota Deo, ex cuius ablatione, si non esset grauiter prohibita, sequeretur graue incommodum in Communitate. dixi *saltem nota Deo*, quia nobis non est ità facile determinare, quanta sit; putarim nihilominus cum *Rebell.p.1.de obligat. Iust.l.3.q.15.sect.1.num.3. Megal.* [illegible] *l.2.c.1.q.3.num.*15. & pluribus [illegible] esse illam quantitatem moraliter consideratam, quæ sufficit ad sustentationem, seu expensas vnius diei pro persona honesta, non misera: sequeretur enim magna perturbatio, si non esset grauiter prohibitum priuare proximum sustentatione vnius diei. nec refert, quod furtum in prædicta quantitate facile excusetur à mortali, si ea quantitas auferatur v. g. Regi Hispaniarum, vel certè à Filio, aut Vxore, aut Religioso Patri, Marito, Religioni, &c. id enim fit, non quia quantitas de se non sit sufficiens; sed quia domini non censentur grauiter inuiti, Rex quidem ratione magni excessus in diuitijs; Pater verò, Maritus, & Religio propter maximam coniunctionem cum Filio, Vxore, & Religioso. Vndè, si de facto Rex esset grauiter inuitus, sicut rationabiliter esse potest etiam circa prædictam quantitatem, tunc esset peccatum mortale eam quantitatem illi furari, quod tamen non sequeretur, si quantitas furti notabilis desumenda esset per comparationem ad personas, tunc enim Rex non posset esse ex dominio proprietatis rationabiliter grauiter inuitus circa prædictam quantitatem: & idem dico de Patre respectu Filij; licet fortasse idem dicendum non sit de Religione, & Marito respectu Religiosi, & Vxoris, quia iste per paupertatem Religiosam obligat se solum ad ea, quæ sunt rationabilia, & communiter recepta, vndè in hoc spectanda est consuetudo vniuscuiusq. Religionis, ista verò, cum attulerit rationabilem dotem, cuius verè est domina, licet eius vsusfructus lege humana pertineat ad Maritum, non improbabiliter secundum multos potest, quantumlibet inuito marito, expendere singulis annis vigesimam partem lucri annualis ex sua dote. videatur *Sanch. in Consil. l.1.c.6.* cum ergo furtum, vt culpa grauis sit, duo postulet, & materiæ ablatæ quantitatem notabilem, & quod hæc auferatur ab inuito domino, primum, idest notabilis materiæ quantitas, semper facit ex se culpam grauem respectiuè ad quascumq. personas, dummodo ab inuito auferatur; quando autem eadem quantitas non facit culpam grauem, id oritur ex defectu animi inuiti in legitimo possessore; non autem ex defectu materiæ ipsius ablatæ, quasi hæc sit respectu vnius domini quantitas notabilis, & respectu alterius parua. Remanet igitur adhuc decidendum, num eadem quantitas, quæ est notabilis in ordine ad furtum graue, sit etiam sufficiens ad hoc, vt pro illius defensione licitum sit iniustum vsurpatorem, seu acceptorem occidere, seruato semper inculpatæ tutelæ moderamine: fortasse autem affirmatiuè non improbabiliter quis respondere potest, notabile enim furtum necessario dicit notabilem iniuriam proximo illatam, cum tale furtum notabiliter lædat ius alterius, scilicet ius defendendi propria bona, ac proindè sit mortalis iniustitia, quando autem res est aliquanti momenti, vt vel notabile damnum indè domino sequatur ex illius rei amissione, quod expresse docuit *Vasq. opusc. de Restitut. c. 2.§.1.dub.8.num.31.* vel saltem notabiliter lædatur in altero ius defendendi propria bona, quod expressissimè tradit *Ianuar. de casib. reseru. resolut. 65. num.* 15. tunc licet pro eius rei defensione, seruato semper moderamine inculpatæ tutelæ, furem interficere. Dixi *notabiliter lædatur ius defendendi propria bona, &c.* quia pro defensione rei non magni momenti furem occidere non solum culpa grauis videtur contra charitatem; sed etiam contra iustitiam, ac idcirco verum homicidium, nam pro re minima non videtur concessum ius defensionis cum tanto alterius malo. ità *Less. l.2. c.9.dub.11.nu.68. & Marc. Serio de restitut. disp. 5. diffic. 2.q.3.num.4.* licet aliqui de hoc dubitent, vt videre est apud *Farinac. qq. Crim. 125. num. 239.* eo quod iura absolutè loquantur, & vniuersaliter de defensione rerum suarum.

3 Aduerto 3. licet communiter omnes ad licitam furis interfectionem requirant, vt res, quam fur aufert, non possit aliter recuperari, v. g. per Iudicem, nisi fur occidatur; tamen prædictam furis necem, seruato inculpatæ tutelæ moderamine, à rerum suarum defensore siue sæculari, siue Clerico, siue Religioso factam non solum non esse contra Iustitiam, nec consequenter esse verum homicidium, etiamsi res postea per iudicem facile, & sine magnis molestijs recuperari posset, cum enim inuasor nullum ius iustitiæ habeat, vt, me inuito, res meas accipiat; sed iniustè eas inuadat, ego iustè eas defendere possum cum quanto opus fuerit detrimento vitæ inuasoris, ità *Caiet. 2.2. ad q.64. art.7. Rebell. l.1.q.2.num.10. Mazucb. de Cas. Reseru. disp. 2.c.7.nu. 68.* & alijs; sed neq. videri contra Charitatem; quamuis enim Charitas dictet, vt cum minimo malo proximi rem meam saluem; tamen

hoc

hoc procedit in casu necessitatis; in hoc autem casu sumus extra casum necessitatis, cum inuasor possit se ipsum eripere è tali periculo desistendo ab acceptione, seu vsurpatione rei alienæ, quo in casu iuste occidi non posset, vt per se patet. Videtur hoc de mente *Caiet. l.c. Aragon. in Commentar. de Iust. & Iur. q.64. art.7.* clare autem traditur à *Megal. 1.2. l.3.c.1.q.1.num.8.* qui remedium recuperandi bona in iudicio dicit non esse ordinatum ad repellendam vim, quam de iure naturæ tunc repellere licet, quando infertur, sed esse ordinatum ed recuperandam rem, cessante violentia, pro vt etiam infra dicemus de fuga, quam quis arripere potest, vt se ab inuasore defendat. nouissimè verò idem sentit *Strouersdorf l.c.* quia vnusquisq. inquit, habet ius non solum recuperandi; sed custodiendi, & retinendi, quod suum est.

4 Dico Ecclesiam non pollui, siquis ibi occidatur à domino iuste defendente bona sua cum moderamine inculpatæ tutelæ; & ratio est, quia talis cædes non est iniusta, vt *num.2.* iam vidimus, ac proinde non est homicidium Ecclesiæ pollutiuum, nec subijcitur Irregularitati ob culpam indictæ, cum in ea occisione nulla culpa cõmittatur, vt videre est apud *Castropal. de Censur. disp.6. punct.15. num.7. & Ioseph. de Iannar. de Cas. reseru. resolut. 65. nu.1.* qui in terminis nostris proprijs loquitur cum *Carolo de Baucio in Casib. singularib. casu 325. in respons. ad 4. petit. & alijs ibid. cit.*

5 Dices, ordo Charitatis postulat, vt vita proximi anteponatur bonis meis, nam vita est altioris ordinis, quam fortunæ bona, vnde hæc ordinata sunt ad illam; non autem illa ad hæc, ergo non possum proximum pro cõseruatione bonorum meorum occidere, prout docuere *Accursius, & alij à Nauarro citati c.15. in Manual. Archidiac. & Panormit. apud Syluestrum V. Homicidium 1.q.4.10. Gerson in tr. de Eucharistia, Augustin. de Ancona opusc. de authorit. Eccles. Abulen. in c.15. Matth. & Felin. in Cap.2. de homicidio, post num. 4.* qui affirmat de Iure Canonico non licerè furem pro rebus seruandis occidere.

6 Respondeo prædicta valere, quando proximus est in morali necessitate amittẽdi vitam, nec inde per se exire potest; non verò, quando solum est in mortali prauitate, & obstinata voluntate accipiendi aliena inuito domino, pro vt est in casu nostro; vnde deordinatio non prouenit ob occidente furem; sed à fure anteponente occidentis bona propriæ vitæ, cum furanti notum sit occidentem ius habere sua defendẽdi etiam cum furantis exitio, si ea aliter defendere nequeat: ità *Megal. & Iannar. ll.cc.* & cæteri recentiores passim, alioquin teneremur tribuere cẽtum v.g. proximo minanti sibi ipsi propriam mortem, nisi tribueremus ei illa centum: & dare cibum auaro constituto in extrema necessitate cibi, si auarus cibum habeat, & nolit de suo edere; sed de meo, quæ quam falsa sint, nemo non videt.

7 Colligo, sicut diximus prædictam bonorum defensionem prædicto modo vnicuique licere, etiam Religiosis ipsis, cum vnusquisq. habeat ius defendendi non solum ea, quæ possidet propria; sed etiam ea, quæ possidet in communi, vel quorum vsus, aut custodia ipsi est commissa, vt egregiè docuit *Dian. p.5. tr.4. resol.17. cum Tanner. Syluio, Malder. et alijs ibid. citatis*, & aduersus omnes illas personas, aduersus quas est iusta vitæ ipsius defensio, vt expresè tradidit *Antonin. p. 3. tit.4. c.3. §.4.* ità eandem earundem rerum defensionem in quocumq. loco licere, si ità defensionis prædictæ necessitas exigat, ob eandem rationem, ob quam vitæ propriæ defensio vbique licet, vt superius dictum est, & clare docet *Azor. p.3. l.2.c.1.q.4.* nec obstat, quod Iura, & S. Script. *Exod.* 22. distinguant inter furem nocturnum, & diurnum, permittantque occidi nocturnum; non verò diurnum, nisi iste se telo defendat; loquuntur enim prædictę leges iudiciales, & permissiuæ de foro externo tantum, quod ideò præsumere solet culpam homicidij potius in cæde furis diurni inermis, quam nocturni, quia diurni fures plerumque possunt repelli à furto faciendo absq. cæde, nisi quando ij res ablatas telo, & armis defendunt; nocturni verò fures vix arceri possunt sine periculo. Cæterum, si à neutro res nostras defendere possimus, nisi furem occidendo, vtriusque occisio licita erit: pro vt aperte dicunt *Molin. de Iust. & Iur. tr.3. disp. 16. num. 8. & Gibalin. de Irregularit. c.4. q.3. nu.14.* ac proindè prædicta tam diurni, quam nocturni furis occisio ad prędictam rerum defensionem non erit homicidium Ecclesię pollutiuum, vt clare ex dictis patet.

CAPVT XXXII.

An Ecclesia polluatur, siquis ibi à iuste defendente bona externa proximi cum inculpatæ tutelæ moderamine occidatur.

SVMMARIVM.

Illicitum, & iniustum est tueri proximi bona nece aggressoris, si proximus cedat iure suo ad illa,

illu, quod vtique facere potest, num. 1.

Si vnus tantum ex pluribus dominis vnius rei cedat iure suo ad illam, adhuc aggressor rei illius iustè, & licitè occidi potest à defendente illam, quia violat ius aliorum, nu. 2.

Ad iustum proximi defensionem Parentes occidere contra pietatem esset, non contra iustitiam, nu. 3.

Non polluitur Ecclesia, siquis ibi à iuste defendente bona proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ occidatur, num. 4.

In omnibus euentibus, in quibus licitè quis posset se, aut sua defendendo aggressorem suum occidere, in ijsdem potest licitè idem facere proximum, aut proximi bona defendendo. ibid.

Siuè proximus bonorum dominus sit præsens, siuè sit absens. ibid.

Aliquando ad id ex Charitate, & aliquando etiã ex iustitia tenemur. ibid.

Quamuis proximus nos non vocet ad defensionem rerum suarum; sed taceat: dummodo sciamus eum non cedere iure suo ad illu, nu. 5.

1 ADuerto 1. nos hic loqui de proximo nõ solum innocente, & iniustè inuaso; sed etiam de eo, qui non cedat iure suo ad bona externa: si enim proximus, qui est verè dominus bonorum suorum, sponte cederet iure suo ad ea, pro vt facere potest, & indè cæteris nulla inferretur iniuria, nec damnum, tunc aggressor non esset nocens, nec posset à nobis pro defensione alterius occidi, quia nulla ibi defensione opus esset, immo iniustè tunc aggressor occideretur.

2 Aduerto 2. Si bona externa v. g. Petri coniuncta sint cum bonis v. g. Pauli, ità vt ex furto eorum bonorum notabilis læsio in bonis Pauli sequatur, nisi etiam Paulus iure suo ad sua illa bona cedat, semper aggressorem esse iniustum, licet Petrus iure suo cesserit, quia adhuc violatur per tale furtum ius Pauli, vt per se patet, idemq. dicendũ in ablatione honoris.

3 Aduerto 3. sicuti ipsamet nobis vitæ nostræ defensio per aggressoris occisionem non licet, quando id vergeret in graue damnum Reip. quia magnum Reip. bonum priuatorum vitæ anteponendum est; ità nec proximi defensionem posse suscipi cum nece aggressoris, si proximi aggressor sit Parens occidentis; licet enim bonum publicum præferatur etiam Parentis bono; semper tamen parentum bonum præferendum est proximi bono, vndè ad iustam proximi defensionem parentes occidere, non contra iustitiam; sed contra pietatem esset; quæ maior est, quam Charitas in proximi vitam, honorem, & bona. ità *Less. l. 2. c. 9. dubit. 13. num. 29. Filliuc. tr. 29. c. 3. num. 57. & Molfes. in sum. tr. 11. c. 19. num. 118.*

4 Dico Ecclesiam non pollui, siquis ibi à iustè defendente bona proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ occidatur. Ratio est eadem, quam sæpius adduximus, quia talis cædes iniusta non est, nec proindè verum homicidium; sed licita, vt apertè dicunt *P. Nauar. de restitut. l. 2. c. 3. num. 419. Su in Aphor. V. Homicidium, Floron. de cas. reseru. p. 2. c. 4. §. 6. num. 4. & Portel. in dub. Reg. V. Homicidium nu. 34.* vndè, sicuti quis potest iustè bona sua eo modo defendere, vt *præcedenti cap.* dictum est, & iuste etiam potest socios ad repellendum iniustum inuasorum vocare, vt habet *Sayr. in Thesaur. l. 6. c. 17. num. 14.* ità iure naturę, & lege charitatis licitum est eodem modo vnicuiq. quoscumq. defendere, quando actu per vim inuaduntur, & hoc in omnibus ijs euentibus, in quibus aliquis se, aut sua defendendo posset licitè aggressorem suum occidere: immo id licet non solum in præsentia domini eum adiuuando; sed etiam in illius absentia ex præsumpta illius voluntate bona illius defendendo, quoniam fas est cooperari ad bonum, & innocentem adiuuare ad id, quod bonum est, nec nõ illius partes de illius consensu suscipere, vt habetur *ex Cap. Dilecto, de sent. Excommunic. in 6.* & tradunt *Ant. Gom. 3. tom. var. resol. c. 3. num. 21. Couar. Clem. si furiosus, p. 3. §. 1. num. 5. Caiet. V. Homicidium, & Dian. p. 5. tr. 4. resolut. 20. cum Molin. tr. 3. disp. 18. num. 1.* immo ad proximi bona ab iniusto aggressore tuenda Charitatis lege obligamur, si id facere commode possimus, & aliquando etiam ad id ex iustitiæ lege tenemur, si ad proximum, & eius bona defendenda ratione officij, vel alterius obligationis adstringamur, vt fuse videre est apud *Molfes. l. c. num. 117. & Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. num. 5.* qui hanc communem tam Ciuilistarum, & Criminalistarum, quam Theologorum sententiam esse testantur.

5 Colligo cum *Sayr. in Clau. reg. l. 7. c. 10. num. 36. §. cæterum.* quamuis proximus non vocet nos ad defensionem rerum suarum, sed taceat quacumq. de causa, dummodo sciamus eum non cedere iure suo; sed pati inuoluntarium, & iniuriam, nos posse illi defensionem nostram præstare, indeq. proximi iniustum aggressorem licite à nobis cum moderamine inculpatæ tutelæ occidi posse.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

An polluatur Ecclesia, siquis ibi occidatur cum moderamine inculpatę tutelæ à iuste defendente Honorem, vel famam, vel suipsius, vel proximi.

SVMMARIVM.

Honor, & fama pluris valet, & æstimatur, quam bona alia fortunæ, num. 1.

Honor, & fama, de quibus hic sermo est, debent esse non parui momenti, num. 2.

In bonis honoris, & famæ cur non detur vniuersim vna quantitas notabilis determinata; sed tantum spectata personarum, & circunstantiarum ratione. ibid.

Felicitas humana quo pacto non consistat in indiuisibili; sed habeat magis, & minus. ibid.

Fama, & Honor quid sint, an differant inter se, & quomodo vnum lædi possit sine alio, num. 3.

Detractio, & Contumelia quomodo distinguantur. ibid.

Ecclesia non polluitur, siquis ibi occidatur à quocumq. etiam Religioso iuste, & cum moderamine inculpatæ tutelæ defendente honorem, vel famam suam, num. 4.

Proximum tueri possumus eo modo, quo nos, nam proximi malum nostrum reputamus. ibid.

Neque polluitur, siquis ibi occidatur modo iam dicto à quocumq. defendente honorem, vel famam proximi, num. 5.

Vita, honor, & bona innocentis cur semper præferantur, cæteris paribus, vitæ nocentis inuasoris, vel furis, num. 5.

Non polluitur Ecclesia per cædem factam cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defensionem pudicitiæ propriæ, vel proximi. ibid.

Nec per cædem factam ad vitandam cum prædicto moderamine ignominiam non parui momenti, quæ alio modo repelli non possit. ibid.

Nec per cædem prædicto modo factam ad rem parui momenti à fure repetendam, quando probrosum esset eam illi non extorquere. ibid.

Pollueretur tamen Ecclesia, si maritus in ea occideret vxorem adulterari volentem, licet vxor per adulterium honorem mariti lædat. ibidem.

Non pollueretur autem, si maritus in ea occideret intra inculpatæ tutelæ limites inuasorem honoris suæ coniungis, etiamsi ipsa defendi nollet. ibid.

Vndenam honoris læsio notabilis censenda sit, itemq. ad quos, & ad qualiter coniunctos ea iniuria pertingat. ibid.

Si cum inculpatæ tutelæ moderamine occidatur, qui baculo, alapa, pugno, vel similibus percutere, vel barbam vellere, aut alia huiusmodi ad ignominiam inferendam facere nititur, probabilius est Ecclesiam non pollui. ibid.

Idem dico, si prædicto modo occidatur, qui contumeliose vel per verba, vel signa tãtum agat, dummodo contumelia sit atrox, & nullo alio modo depelli possit. ibid.

Quid siquis occidatur ad vitandam iniuriam, quæ infertur per verba Tu mentiris, *vbi hoc valde probrosum est? ibid.*

1 ADuerto 1. Honorem, & famam pluris valere, & æstimari, quam bona alia fortunæ ex *Cap. Suam, iuncta Glossa in verb. Modestiæ, de pœn. & Gloss. in Extrauag. Ad conditorem, §. rursus, in verb. Honori. de verb. significat.* & ad hoc facit illud *prouerb. 22.* sicuti iniuria personæ maior est, quam amissio fortunatum, *L. si seruorum, ff. de pœn.* quod omnes communiter asserunt, cum honor, & fama pretiosiora sint bonis externis, & pluris habeantur, vt videre est apud *Rodriq. in Summ. p. 1. c. 187. & Io. Sanch. in Select. disp. 35. nu. 12.*

2 Aduerto 2. sicuti bona fortunæ, de quibus superius dictum est, debent esse non parui valoris, ità etiam honorem, & famam, de quibus hic sermo est, debere esse non parui momenti ratione personarum, & circunstantiarum concurrentium, alioquin iniusta erit ad illius defensionem inuasoris occisio, tũc enim recta ratio dictat pluris vitam inuasoris ipsius, quam talis honoris conseruationem æstimari debere, & proindè ad prædicti honoris defensionem à nemine vitam auferendam esse. dixi *ratione personarum, &c.* quia in his bonis honoris, & famæ non datur vna quantitas notabilis determinata; sed debet spectari conditio personarum: vnde dicere detrahẽdo de viro sanctissimo, quod sit mendax, peccatum mortale erit; leue autem, si dicatur de viro communi. Ratio autem disparitatis, cur in bonis fortunæ dixerimus notabilem quantitatem non desumi à comparatione personarum; in bonis autem honoris, & famæ hic dicamus notabilem quantitatem statuendam esse pro personarum, & circunstantiarum diuersitate, erui debet ex natura singulorum bonorum, cum enim bona fortunæ non sint pars felicitatis humanæ; sed solum instrumenta ad felicitatem, hoc est, ad commoda vitæ præsentis comparanda, neq. propterea sint per se expetibilia; sed solum

in

in ordine ad aliud, vt iam dictum est, propterea illa quantitas in his bonis est notabilis, quæ conducit ad notabilem partem commoditatis, seu felicitatis humanæ, cuiusmodi videtur esse victus, & sustentatio congrua vnius diei pro viro honesto; at vero in bonis honoris, & famæ, cum hæc sint pars felicitatis humanæ, & bona per se in hac vita expetibilia, illa quantitas est notabilis, quæ continet notabilem partem felicitatis; hæc autem notabilis pars felicitatis non potest spectari secundum se; sed per comparationem ad personas, quia humana felicitas non consistit in indiuisibili; sed habet magis, & minus, & vnus quidem aspirat ad felicitatem perfectiorem; alter verò contentus est imperfectiore. Hinc ergo fit, vt sanctissimus, & optimæ famæ vir, qui aspirat ad perfectissimam felicitatem, patiatur notabile damnum, si priuetur fama veracitatis; alter verò vir ordinarius, qui non curat de tanta felicitate, patiatur solum notabile damnum, si priuetur fama castitatis, vel iustitiæ: idemq. dico de alia quacumque ablatione famæ, vel honoris, si iniusta sit, vt etiam ex alijs exemplis inferius differendis patebit.

3 Aduerto 3. famam esse quid diuersum ab honore: fama enim est multorum existimatio de vita, & moribus alicuius; honor verò est restificatio externa reuerentiæ internæ, quam habemus erga alterum propter eius excellentiam: fit autem hæc testificatio aliquibus signis ad libitum institutis, vt genuflexione, aperitione capitis, & c. hinc autem paret posse aliquem lædi in honore, & non in fama: si enim non aperiam caput coram Superiore, vel Principe, lædo eius honorem; & tamen non propterea detraho eius famæ, quæ læditur occulta, & iniusta denigratione, seu infamatione: dixi verò *occulta*, nam siquis coram Petro eundem audientem infamet, iam non est simplex famæ denigratio, seu *detractio*; sed est *contumelia*, quæ supra detractionem addit læsionem in honore. his positis,

4 Dico 1. Ecclesiam non pollui, siquis ibi occidatur à quocumq. etiam Religioso iuste, & cum moderamine inculpatæ tutelæ defendente honorem, vel famam suam. patet ex eadem ipsa ratione, quam toties retulimus, quia nimirum talis cædes non iniuste fit, & est inculpabilis, nec proinde nomine homicidij hic venire debet, vt expresse docent *Valent.tom.3.disp.5.q.8.punct.4.vers. Porro*, cum *Caiet. Syluest. Nauar. & Sot. Tannerus tom. 3. disp.4.q.8.dub.4.nu.37. cum Nauarra, Bannes, Aragon. & Salon. Dian.p.5.tr.4. resol. 9. cum Turrian. & Azor. & Molin. & Gibalinus de Irregul.c.4.q.3.num.14. cum Suar. Coninch. Gordon. Præposit. & Hurtad.* contra *Syluium in 2. 2. D. Th.q. 64.ar. 7. Binsfeldium de Iniur. & damn. dat. c. 1. q. 5. concl. 8. & Gail. obseruat. 100. num. 8.*

Dico 2. neque pollui Ecclesiam, siquis ibi occidatur à quocumq. iuste cum moderamine inculpatæ tutelæ defendente honorem, vel famam proximi, quia adhuc talis cędes non iniusta est: si enim ea non iniusta est, vt *præced. cap.* vidimus, pro defendendis bonis fortunę proximi, multo minus, iniusta erit pro defendendo honore, vel fama proximi, quę fortunę bonis multo pretiosiora sunt, & vitę merito æquiparantur. ità *Vasq. de Restit. c. 2. §. 1. dub. 10. concl. 3. Fillinc.tr.29.c.3.num.33. Molfesius tr.11.c.19.num.117. & Gibalin.cum alijs multis l.c.num.18.* cum enim, inquit, proximi malum nostrum reputemus, illum tueri possumus eo modo, quo nos.

5 Colligo vitam, honorem, & bona innocentis cęteris paribus semper pręferri vitę nocentis inuasoris, vel furis, quia potiores sunt semper partes innocentis, cui me socium adiungo in defensionem aduersus vim ipsi illatam. vt constanter docent ex Iurisconsultis *Clar.§.Homicidium, num. 27. & 28. Mascard. de probat.concl.98. Decian. Farinac. & alij cum Molfes.l.c.* apud quem idem sentiunt ex Theologis *Antonin. Syluest. Salon. Lopez. P. Nauar. Molin. Sayr. Less. Reginald. Megal. & alij*: nec per cędem ergò ad defensionem pudicitię proprię, vel proximi cum moderamine inculpatę tutelę factam, vt expresse tradit *Vasq. de restit.c.2.§.1.dub.9. num. 42. & Gibalin. l. c. num.18.* nec ad vitandam non parui momenti ignominiam, quę alio modo repelli non possit, ex *Mazuchel. de cas.reseru.disp.2.c.7.nu. 70.* immo nec ad rem parui momenti à fure repetendam, quando dedecus esset, & probro verteretur, nisi ea furi extorqueretur, ex *Less. l.2.c.9.num.68. & Mazuchel.l.c.num.61.* Ecclesia pollueretur, quia semper talis cędes esset licita; si tamen maritus vxorem adulterari volentem occideret in ea, licet per adulterium vxor mariti honorem lędat, Ecclesia pollueretur, quia maritus potest honoris sui lęsionem aliter impedire, quam per vxoris cędem, vnde illam occidendo non seruaretur debitum tutelę moderamen, vt inferius dicetur: non pollueretur autem Ecclesia, si in ea maritus cum moderamine inculpatę tutelę occideret inuasorem honoris, vel vitę suę coniugis, etiamsi ipsa defendi nollet, quia iniuria illata vxori redundat etiam in maritum, cuius iure cedere nequit vxor sola, vnde tunc

tunc maritus adhuc iuste sic defenderet honorem suum, quod etiam pro similibus casibus diligenter aduertendum est. Quænam vero sit notabilis læsio famæ, vel honoris, & ad quos, & ad qualiter coniunctos ea iniuria pertingat, cum hæc omnino pendeant à personarum qualitatibus,& cæteris locorum, temporum, & communis æstimationis circunstantijs, vniuersim definiri non potest, vt bene monuit *Molin.tr.3.disp.2.num.4.* Vnde, siquis seruato tutelę moderamine occidat inuasorem, qui baculo verberare, vel alapam impingere, vel pugno percutere, vel barbam vellere, vel similia facere nitatur ad ignominiam inferendam, ab aliquibus homicidium probabiliter asseritur, ab alijs autem probabilius negatur,vt videre est apud *Gibalin.l.c.n.15.* & *Dian.p.5.tr.4.resol.3.* ac proindè tunc non pollueretur Ecclesia. idemq. dico de eo, qui hoc defensionis iure vtatur aduersus illum, qui contumeliose siue per verba, siue per signa agat, etiamsi non percutiat, nec armis vtatur; dummodo tamen contumelia sit atrox, & nullo alio modo depelli possit, vt suppono, & ratio est, quia naturalis ratio dictat licitam esse eam defensionem, quæ necessaria sit ad contumeliam depellendam, & comprimendam; daretur enim alioqui improbis ansa contumelijs quibuscumque optimos quosque vexandi. & ità senserunt *P.Nauarra l.2.c.3.num.376.Mazucb.l.c.nu.72.* licet contrarium tutius dicat. *Io. de Escobar p.1.de puritate, & nobilitate probanda q.1.gl.4.num.14.* & nouissimè *Baldell.in Theol. moral. l.3. disp.24.num.24.* Immo *Struuerſdorf de Iust. & Iur. in 2.2.D.Th. q.64.art.7. conclus.5. apud Dian.l.c.resol.13.* potest etiam,ait,interfici,qui virum honoratum baculo, vel pugno conatur percutere, si nequeat aliter impediri; quin dicere, *Tu mentiris*,sed cõtradicit *Azor.tom.3. l.2.c.2.q.17.* An idipsum vero dicendum sit de cæde ibi facta per duellum ad honoris defensionem, dicetur *cap. seq.*

CAPVT XXXIV.

An Ecclesia ex hominis cęde ibi à iuste defendente vitam, vel honorem, vel fortunas suas cum moderamine inculpatæ tutelæ per Duellum ad prædictam defensionem necessario susceptum, vel oblatum facta polluatur.

SVMMARIVM.

Cur cædes, de qua hic sermo est, videri possit tum iusta, tum iniusta, num.1.

Duellum, Graecè Monomachia, vnde dicatur, & quid tam propriè, quam impropriè sit, num.2.

Duelli propriè sumpti duæ sunt species, Publicum, seu Solemne, & Priuatum: & in quo differant. ibid.

Assignatio loci, & temporis in omni Duello prohibito sunt de formali conceptu, & essentia illius. ibid.

Duellum propriè sumptum num aliquando licitum sit, nec ne, ab Auctoribus acriter disputatur, num.3.

In Duello distinguenda est duplex formalitas, altera quodammodo vnicè propria, & mere interna; altera non tam propria, & quasi externa; vtraq. autem assignatur.ibid.

Ecclesia non polluitur ex hominis cæde ibi à iuste defendente vitam, honorem, vel fortunas suas cum moderamine inculpatæ tutelæ per Duellum ibidem ad prædictam defensionem necessario susceptum, vel oblatum factā, num.4.

Prior Duelli formalitas, de qua præcedenti numer. *satis dictum est, semper illicitum facit esse Duellum ibid.*

Quomodo aliquando inuitare ad Duellum non sit inuitare ad malum; sed ad minus malum, & non inuasio; sed defensio, num.5.

Conclusio num. 4. *allata valet, etiamsi prædictus iniustus inuasor vitæ, honoris, & bonorum meorum cogeret me ad duellum ineundum non secum; sed cum alio tertio. ibid.*

Idipsum assero, etiamsi iniustus aggressor non armis; sed lingua me inuaderet, v.g. apud Iudicem inique accusando, & c. dummodo nulla alia adsit via ad effugiendam condemnationem mihi alioqui imminentem, num.6.

Natura concedit ea media, quæ ad propulsandam iniuriam necessaria fuerint. ibid.

Si is, cum quo mihi Duellum necessario ineundum est in prædictis casibus, non inuadat me, iniuste illum occido. ibid.

Quandonam aggressoris cædes in Duello esse possit Ecclesiæ non polluitiua; licet illicita. ibid.

Si necessitas me defendendi; licet cogat me ad aggressorem occidendum, non cogat tamen me ad illum in Ecclesia occidendum, adeo vt alibi eum occidere possim, iniuste eum in Ecclesia occidam, & inde polluetur Ecclesia. ibid.

Cur licita videatur acceptatio, immo etiam oblatio Duelli ad vitandam honoris iacturam, quæ alioqui imminere credatur, num.7.

Duelli acceptatio, vel oblatio non licet mihi, quando aliter defendere me possum, & quomodo id, ordinarie loquendo, possim, quando inuitor tantum, & non cogor ad Duellum acceptandum, vel offerendum, num.8.

Aliquando etiam aliter me defendere posse non videor. ibid.

Quando Duellum licet, illud potius est mera, & necessaria defensio, quam verum, & proprium Duellum. ibid.

Duelli praxis etiam in prædictis casibus, in quibus licere videtur, cur sit valde difficilis, & nonnisi prudentissime admittenda. ibid.

Quando quis potest occulte iniuriosum aggressorem, seu calumniatorem occidendo se defendere sine Duello, cur videatur ad Duellum prætermittendum teneri, num. 9.

Cur vere non teneatur, num. 10.

Quamuis Duellum in alijs etiam casibus liceat; in omnibus tamen habet rationem tantum iustæ, & inculpatæ defensionis prædictæ, num. 11.

Semper illud licitum esse potest in Ecclesia, si prædictæ defensionis necessitas ad id omnino cogat, nec Ecclesia polluitur, si inde hominis cædes ibidem ob prædictam defensionem iuste sequatur. ibid.

Polluitur tamen, si prædicta necessitas vel occidendi aggressorem, vel certe in Ecclesia eum occidendi, à tali cæde abfuerit. ibid.

1 ADuerto 1. cum ex superius dictis vnicuique ad iustam prædictorum defensionem, seruata inculpatæ tutelæ moderatione, iniustum inuasorem, vel furem vbique occidere liceat, nec inde polluatur Ecclesia, idcirco dubitari hic posse, num vnicuique ad prædictam defensionem fas quoque sit Duellum ibidem acceptare, vel etiam offerre, si tunc ibi hoc vnum Duelli remedium ad prædictam defensionem omnino necessarium sit, & consequenter, num, si prædictorum defensor cum moderamine inculpatæ tutelæ in Ecclesia alium occiderit in prædicto Duello, ex tali cæde Ecclesia polluatur: ex vna enim parte talis cædes videtur vere iusta, quia videtur ad iustam defensionem, vt suppono, necessario facta; ex alia vero parte videtur omnino iniusta, quia acceptatio, vel oblatio Duelli non videtur propriè defensio, cum tunc desit aggressio; extra casum autem defensionis hominem voluntarie interficere semper iniustum est, vt constat ex prædictis.

2 Aduerto 2. licet *Duellum*, quod Græce *Monomachia* dicitur, sit quasi duorum bellum, & large, generaliter, ac impropriè significet quamcumq. pugnam inter duos, seu quodcumq. singulare certamen vnius cum altero sponte susceptum, siue sit cum periculo occisionis, aut mutilationis membri, aut vulneris, siue non, vt dixit *Turrecremat. in Cap. Monomachiam, 2. q. 4. num. 4. Anan. Graff. & alij cum Peregrin. de Duello, in Præmiss. num. 1. & 2.* tamen strictè, & propriè sumptum, prout hic à nobis accipitur, esse Pugnam duorum, vel plurium ad cædem, seu vulnera institutã, ex condicto, idest, ex pacto inuicem inito, certo pugnantium numero constituto, atque tempore, locoq. pugnæ designato, vt docuit cum communi DD. sententia *Lanfranch. Opusc. moral. 5. De Duell. c. 1. num. 1. & seq.* eiusq. duas esse species tradunt quicumque de Duello agunt: alterum enim dicitur Solemne, & Publicum; alterum vero Priuatum, & non solemne: illud fit interpositis quibusdam publicis conditionibus, præcedentibus scilicet denunciationibus, & chartulis cum electione, & securitate loci, determinatis armis, statuto tempore, & cum interuentu Patrinorum, vel Sociorum; istud autem assumitur ex conuentione quidem partium; sed sine prędictis conditionibus; assignato tamen semper loco, & statuto tempore, nam hæc duo semper simul, & coniunctim modo ingrediuntur formale, & essentiale constitutiuum Duelli prohibiti, vt bene dixit *Vidal de Duello ante Inquisit. 1. num. 5. Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 2. V. Duellum, c. 4. vers. Nota 2. Castropal. tom. 1. tr. 6. disp. 5. pun. 7. num. 18.* & *Carafa loc. inferius cit.*

3 Aduerto 3. difficultatem omnem propterea hic esse, & quidem à plurimis grauissimis Doctoribus acerrime agitatam, an Duellum propriè sumptum siue publicum, siue priuatum, licitum aliquando sit, nec ne. Affirmantium dux ex *Comitol. Resp. Moral. l. 6. q. 16. num. 2.* creditur *Nic. Lyran. in cap. 17. lib. 1. Regum*, quem secuti sunt *Maior. in 4 Sent. dist. 16. Caiet. in 22. q. 95. art. vlt. Viguer. Theologie. Instit. c. 12. §. 3. Armilla V. Duellum; Angel. eod. Tolet. l. 5. c. 6. Nauar. in Summ. c. 11. num. 39.* & recentiores multi inferius referendi. Negantium vero dux ex eodem *Comit. ibid.* censetur *Alex. Halens. in 4. q. 11. membr. 2. art. 2. §. 4. vers. consequenter quæritur, &c.* quem secuti sunt *Henric. Gandauens. quodlib. 5. q. 32. Turrecremat. l. c. Tostat. in cap. 17. lib. 1. Reg. quæst. 45. Gabr. in 4. dist. 9. q. 2. art. 3. Sot. de Iust. & Iur. l. 5. q. 1. art. 8. Antonin. p. 3. tit. 4. cap. 3. §. vlt. Summa Cõfess. l. 2. tit. 3. q. 3. Rosel. Goffr. Rainer. Alan. Ostien.* & quam plures ex recentioribus, vt ex dicendis patebit. ego omnino hic distinguendam puto in Duello formalitatem quandam illi quodammodo vnice propriam, & mere internam ab alia quadam minus propria, & magis communi Duelli formalitate, & illi quodammodo externa; formalitatem quodammodo externam Duelli hic appello exteriorem illam pugnam, quæ in tali loco, & tali tempore ex mutuo pugnantium consensu fit: formalitatem vero quodammodo internam,

& vir-

& vnice propriam Duelli hic appello mutuam illam vtrinque inuasionem, & directam grauiter aduersarium lædendi intentionem, quæ in vtroq. proprijssime Duellantium ad victoriam inde obtinédam semper reperitur. His ergo præmissis,

4 Dico 1. Ecclesiam non pollui ex hominis cæde ibi à iuste defendente vitam, vel honorem, vel fortunas suas cum moderamine inculpatæ tutelæ per Duellum ibidem ad prædictam defensionem necessario susceptum, vel oblatum facta. Ratio est, quia talis cædes ratione prædictæ defensionis est ex iam dictis iusta, & ratione etiam prædicti modi, & loci est omnino necessaria, vt suppono, ideoq. licita: immo tale certamen non est proprissime Duellum, cum in eo desit, vt deesse debet (alioqui semper illicitum esset) formalitas illa quodammodo vnice Duelli propria, & mere interna, de qua *præcedenti num.* dictum est: sed est propriè defensio. vnde in nostro casu iustus defensor directe debet meram defensionem tantum intendere, & nullo modo inuasor esse, licet inde per accidens aggressoris nex sequatur. ità nobiscum sentit, quo ad euitandam mortem certo alioqui imminentem, *Valent.tom.3.disp.3.q.17.punct.1.* qui pluribus id probat, & diuersos casus ponit; licet id ad honoris, & rerum defensionem illicitum putet. nobiscum item stat *Trullench.in Decal.l.5.c.2.dub.13.nu.7.* etiam quo ad membri abscissionem vitandam; sed non quo ad bonorum defensionem. quo ad omnia vero probabile dicit *Filliuc.tr.29.c.8.num.145.& Megall.in 3.p.l.4.c.4.nu.9.* & clare idipsum docet *Sanch.l.2.in Decal.c.39.num.8. Coninch.disp.32.dub.2.num.4.in septimo casu,& num.7.* clarius *Lessius l.2.c.9.dub.8.num.49.* & clarissimè *Barbos. in Concil. Trid. sess.25. de reformat.c.19.num.17. Rodriq.in Summ.p.1.in 2. edit.c.73.num.1. Castropal.p.1.tr.6.disp.5.pun.7.num.9.Bonac.de censur. extra Bull. Cænæ disp.2.q.3. punct.48.num.18.vers.Secundus. Bannes 2.2.q.64. ar.7.dub.4. in corp. & in solut. ad 2. Ioseph.de Ianuar.de cas.reseru.resolut.47.nu.32. Hurtad.de Mendoza in 2.2.disp.70. sect.8.§.79. apud Dian.p.5.tr.13.resol.27.* & nouissimè *Petrus Marchant in Tribunal. Sacram.tom.2.tr.6.tit.3.q.1.§.5.resol.2. apud eund.p.10.tr.12.resol.53.Gregor.Caraf.de Duello tr.3. sect.1. quæsit.2.& Marc.Vidal in Arca vital.De Duello inquisit.1.num.25.*

5 Dico 2. prædictam conclusionem valere non solum siquis minetur v. g. mihi mortem, aut falsum testimonium, aut grauem iacturam diuitiarum, nisi Duellum cum taliminante acceptem, dummodo credam sine dubio mihi illud malum inferendum esse, si recusem Duellum, vel etiamsi ad illud non innitem; tunc enim non inuito ad malum; sed ad minus malum, cum certum periculum mortis, infamiæ, amissionisq. bonorum commutem in periculum ex Duello dubium, & incertum, vnde tunc non est inuasio; sed defensio; verum etiam valere, si iniustus iste aggressor vitæ, honoris, vel diuitiarum cogeret me ad Duellum ineundum non secum; sed cum alio tertio: hoc enim nihil aliud esset, quam me defendere in casu necessitatis, in quo non suppetit alia me defendendi ratio, vt semper suppono, & in quo ille tertius est tamquam instrumentum ad exequendam iniustam aggressoris inuasionem; ego autem habeo ius me defendendi ab iniusto aggressore etiam cum detrimento tertij, cum tunc possim plus me diligere, quam proximum, vt clarius etiam patebit ex inferius dicendis de occisione innocentis, & ità expresè hoc probabile esse dixit *Valent. l. c. vers. Ponunt etiam,* absolutè verò idem docuit *Caiet.l.c.art.8.ad 3.Tolet.l.c.num.31.Becan.p.2.tom.2.c.26.q.3.num.6.* & alij apud prædictos.

6 Dico 3. idipsum asserendum esse, etiamsi iniustus aggressor me inuaderet non per se, nec per alium tertium armis; sed solum lingua, & per Iudicem ipsum ità, vt inique sim apud Iudicem accusatus, vel à Iudice condemnatus, vel certo credam me inique esse condemnandum, & vel offeratur mihi Duellum ab accusatore, vel iudice siue cum ipsismet, siue cum alio tertio, vt mox dicebamus, ineundum, vel à me illi offeratur, si velim à certa condemnatione liberari, ad quam effugiendam nulla alia omnino adsit via; à natura enim concessum est ijs medijs vti, quæ ad propulsandam iniuriam necessaria fuerint. ità *Becan. & Valent.ll.cc.Castropal.ibid.nu.13.* & alij apud eos. dixi *si iniustus aggressor me inuaderet, &c.* quia, nisi ego vere antea inuaderer, vt postea explicabimus, iniustè postea aduersarium quemcumq. occiderem; non enim ea esset ex me vera defensio; sed mera inuasio. Si ergo ille tertius, cum quo Iudex, vel alius cogit me in singulare certamen descendere, vt euitem mortem, & c. certo mihi alioqui imminentem, se tantum defendere, nec me aggredi velit, pro vt superius dixi à me etiam faciendum esse, ne sim inuasor, ego illum iuste inuadere non possum, id enim esset directe occidere innocentem, quod semper iniustum est, & ità intelligi debet *Castropal.l.c.* quare ex *Marchant. l. c. in eo casu*, in quo liceret mihi aggressorem iniustum occidere, & me ipsum vitæ discrimini expo-

exponere, licebit etiam Duellum acceptare, vel offerre, si tamen reuera omnia, quæ supra requisiuimus, actualiter in eodem casu reperiantur, neque in talibus casibus, si cum moderamine inculpatę tutelæ aggressorem occidam, Ecclesia polluetur: immo, siquis in casu veræ, & necessariæ defensionis, in quo licitè posset ex prædictis Duellum acceptare, vel offerre, id faceret, vt testaretur suam innocentiam, vel vt se purgaret ab obiecto crimine, & c. quod semper superstitiosum est, vel ad ostentationem virium, vel ad alios illicitos fines, & in tali Duello, defensoris partes cum moderamine inculpatæ tutelæ semper agendo, aggressorem occideret, illicite quidem ageret; sed non iniuste occideret, vt alibi in simili casu diximus, ac proinde per talem occisionem, quia non esset verum homicidium, non pollueretur Ecclesia. Si tamen prędictus occisor cōmode potuisset extra Ecclesiam iniustum aggressorem suum occidere, & sine necessitate voluisset in ea eum occidere, tunc talis cædes esset iniusta, ac proinde verum homicidium, quia illa cædes esset contra verum, & rigorosum ius Ecclesiasticæ immunitatis, quo adhuc ille, qui occisus est, gaudebat, & quod omnino renunciare non poterat, vt alibi clarius explicabimus cum *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 8. & 13.*

7 Dices 1. Si liceret aliquando, vt modo dicebamus, acceptare, vel offerre Duellum ad defensionem sui honoris, & tunc cum moderamine inculpatæ tutelæ iniustum aggressorem occidere, ità vt per talem cædem necessario in Ecclesia factam Ecclesia non polluatur, liceret etiam id facere, quando quis liberè, & spontè inuitaretur ad Duellum, quia Duellum recusando non modicam iacturam honoris faceret, vt tenent aliqui apud *Bann. l. c. dub. 3.* immo liceret etiam Duellum ei indicere, qui iniuriam nobis intulit, videtur enim eiusdem esse rationis ad Duellum prouocare, & Duellum acceptare, quando defendendi, & recuperandi honoris sui causa vtrumq. fit. Sed hæc videntur absurda, ergò etiam primum.

8 Respondeo licerè quidem mihi Duelli acceptationem, & oblationem, quando id est omnino necessarium ad honoris mei iam inuasi defensionem, nec aliter, quam per Duellum defendere eum possum; tunc enim id facere est vti medio vnice necessario ad defensionem meam, quod naturali defensionis iure omnibus licet; sed non licere id mihi, quando aliter honorem meum defendere possum, prout possum in prædictis casibus; possum enim, quo ad primum, prouocanti ad Duellum, & ad illud suadenti dicere: *paratus sum me defendere, quandocumque me inuaseris, vt scias me non esse timidum, & ignauum; sed nolo spontè, & ex cōdicto Duellum acceptare, quia Diuinæ legi contrarium est*, & idcirco tunc non licebit mihi Duellum acceptare; semper enim illicitum est mortem alteri infligere, & illam procurare, vbi iusta defensio ad id non cogit, ibi autem non datur defensio, vbi non est aggressio, vt ex se patet, & expresè traditur à *Caiet. Becan. Sanch. Valent. P. Nauar. Conincb. & Castropal. ll. cc.* quo ad secundum verò, possum iniuriam mihi illatam alijs modis repellere, ordinarie loquendo, v. g. per viam Iuris; cum ad hoc constitutum sit Principis officium; ideoque mihi tunc ob vindicandam propriam iniuriam alterum occidere nefas est, vt fusius infra dicemus. dixi, *ordinariè loquendo*, si enim (inquit *Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. num. 3. & 4.*) & post illum *Vidal, & Marchant. ll. cc.* in rarissimo casu res eo loco sita esset, vt miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate, ducis, aut Principis fauore ob ignauiæ suspicionem excidere debeat, nisi identidem prouocanti se sistat, non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia paruerit iuxta doctrinam *Nauar. c. 15. num. 3. & 4.* esset enim tunc Duellum illud potius mera, & necessaria defensio, quam verum, & proprium Duellum; licet ob humanam fragilitatem ad iniurias vindicandas mire procliuem praxis sic se defendendi contra eum, qui de facto, & prædicto modo moraliter honorem, officium, gradum, & c. alterius aggreditur, valde difficilis sit, & non nisi prudentissimè admittenda, tum quia difficile tanta talis defensionis necessitas contingit, quantam hic adesse supponimus, & facile vindictæ cupiditas se in defensionis necessitatem transfigurat, tum quia tunc defensio sæpe transit in aggressionem, & inculpatæ tutelæ moderamen raro seruari solet, vt bene rem ipsam intuenti notum erit.

9 Dices 2. tunc tantum potest quis Duellum modo prædicto acceptare, vel offerre, quando non est alius defendendi modus, ergò saltem, quando quis potest occulte aggressorem iniuriosum, seu calumniosum occidere sine Duello, Duellum prætermittere tenebitur, pro vt docuit *Nauarra l. 2. de restit. c. 3. dub. 13. num. 290. & Sanch. l. c. num. 8.* Sic enim innocens non exponit se periculo vitæ, & liberat alium ab occasione committendi nouum peccatum in acceptando, vel offerendo Duellum.

10 Respondeo negando consequentiam cum *Castropal. l. c. num. 13. vers. Neque approbo*, qui

citat

citat Coninck. disp. 32. dub. 2. num. 20. licet enim tunc vtrumq; tali innocenti liceat; tamen non tenetur occulte occidere, quia ex occulta occisione calumniatoris infertur eius perpetua condemnatio, quam forte in Duello pugnans euitabit. nec refert, quod prædictus calumniator peccaturus sit in acceptatione, vel oblatione Duelli, quia hæc difficultas est communis omni militi iuste præljanti, & tamen nemo negat id ei licere, qui enim iustam causam defendit, supponit inimicum esse in actuali peccato, &, cum vtatur iure suo, nemini iniuriam facit, maximè cum tunc eum non obliget charitas illa in Aduersarium, quia aduersarius ille tunc non est in extrema necessitate; sed in peruersa voluntate, à qua per se sponte exire, & periculo se ipse peccandi eximere potest, vt alibi dictum est, quando voluerit, desistendo scilicet ab iniusta aggressione in qua perseuerat.

11 Colligo, licet in alijs etiam casibus aliquando licitum sit Duellum, quos videre potes apud prædictos DD. sed præcipuè apud *Castropal. l. c.* & fusissimè apud prædictum *Carafam*, qui diligentissimè, & doctissimè rem hanc enucleat, in ijsdem omnibus tamen illud licitum esse ratione iustæ defensionis prædictæ, si ij perbene perpendantur, atque adeò illud etiam licitum esse posse in Ecclesia ipsa, si iustæ, & inculpatæ defensionis necessitas ad id omnino cogat, nec eam pollui, si inde hominis cædes ibidem ob prædictam defensionem iuste sequatur; pollui autem, si prædicta necessitas vel aggressorem occidendi, vel certe eum occidendi in Ecclesia vere à tali cæde absuerit, vt ex allatis rationibus satis constare potest.

CAPVT XXXV.

An Ecclesia ex innocentis cæde ad iustam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ facta polluatur.

SVMMARIVM.

Innocens quis multis modis dicitur, ratione scilicet vel ætatis, vel impedimenti, vel ignorantia, num. 1.

Innocētes aliquando sunt materialiter inuasores, aliquando non, num. 1.

Innocentis occisio quam varie contingere possit, num. 3.

Ecclesia nec polluitur ex innocentis aggressoris cæde ad iustam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ necessario facta, nec ex innocentis non aggressoris cæde ad eundem finem, & eodem modo facta; si tamen hæc nullo modo intenta fuerit, num. 4.

In pari casu innocentiæ vnusquisque sibi magis, quam alteri tenetur, cæteris paribus. ibid.

Quo sensu occidere innocentem sit semper malum iuxta illud Exod. 22. *num. 5. & 6.*

Homo non est dominus vitæ, & mortis; sed solus Deus habet hoc plenum dominium, num. 7.

Deus potest vitæ dominium homini communicare, vel innocentis occisionem præcipere, nu. 8.

Quomodo iniuste inuasus habeat indirectum, & partiale dominium in vitam inuasoris. ibid.

Quænam hominis cædes per quintum Decalogi præceptum interdicta sit. ibid.

Inuasoris innocentis occisio, non in pænam; sed ad iustam defensionem cum prædicto moderamine cur liceat, etiamsi talis inuadens coram Deo non peccet, num. 9. & 10.

Innocentis non inuasoris cædes quare aliquando non iniusta, nec illicita sit, num. 11. & 12.

Fugiens hostem per angustum locum, in quo necessario conculcet innocentem, non est homicida. ibid.

Idem dico de occidente indirectè innocentem, quo inuasor se protegit, si inuasus nec inuasorem aliter occidere, nec ab eo aliter se defendere queat. ibid.

Licet in bello tormenta explodere in turrim, si id ad victoriam necessarium sit; etiamsi inde innocentes mortem passuri sint, num. 12.

Occidere innocentem per accidens dando operam rei licitæ, & necessariæ non est contra ius naturale, diuinum, vel humanum. ibid.

Quænam circumspectio tunc adhibenda sit. ibid.

Cur non peccetur tunc contra iustitiam; nec contra charitatem. ibid.

Licet aliquando applicare causam, ex qua physicè sequatur innocentis nex, dummodo tamen hæc nullo modo sit intenta; sed aliquod grande bonum, num. 13.

1 Aduerto 1. multipliciter quempiam dici posse innocentem; sed præcipuè eo, quod sit vel in ætate rationis vsum præcedente, vel in adulta quidem; sed ob amentiam, aut ebrietatem, vel similem causam impeditum rationis vsum habente, vel certe in sententia ob inuincibilem ignorantiam à culpa excusante, & in qua se innocentem credit, de quibus omnibus hic sermo est.

2 Aduerto 2. Innocentes prædictos aliquando materialiter tantum, aliquando verò nullo modo inuasores esse, ac proindè diuersimode cum ijs, vel tamquam inuasoribus, vel tam-

tamquam non inuasoribus, agendum esse, vt ex infetius dicendis patebit.

3 Aduerto 3. Innocentis quidem occisionem varie euenire posse tum auctoritate publica, de qua infetius etiam suo loco dicetur, tum priuata, tum ob bonum publicum, tum ob bonum priuatum, tum per media directè, & per se ordinata ad illam, tum per alia indirectè, & per accidens tantum ad eam tendentia, tum etiam per alia æque ad illam, atq. ad aliud directa; sed hic sermonem esse tantum in casu, quo ad iustam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ necesse sit innocentem occidere; quibus positis,

4 Dico Ecclesiam nec pollui ex innocentis aggressoris cæde ad iustam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ necessario facta, nec ex innocentis non aggressoris cæde ad eundem finem, & eodem modo facta, si tamen hæc nullo modo intenta fuerit. Ratio est, quia talis cædes vere tunc omni culpa vacat; cum enim occisor tunc æque sit innocens, atque ille, qui occiditur, si vtriusque vita seruari non possit, occisor iste tunc licite potest suam potius, quam alterius vitam tueri: nam vnusquisque in pari casu innocentiæ sibi magis tenetur, quam alteri cæteris paribus. ita *Cordub. lib. 1. qq. q. 38. §. vt semel. Sot. de Iust. & Iur. l. 5. q. 1. art. 7. in fin. Petr. Nauar. l. 2. de restit. c. 3. nu. 347. Sayr. Clau. reg. l. 7. c. 10. num. 23. & in Thes. l. 6. c. 17. num. 6. Floron. de Casib. reseru. p. 2. cas. 4. §. 4. num. 27. & Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 3. num. 22.*

5 Dices 1. occidere innocentem cognitum etiam pro salute totius Reipub. semper iniustum est ex communi DD. sententia apud *Molin. de Iust. & Iur. tr. 3. disp. 10. num. 1.* quod confirmatur ex illo *Exod. 23. vers. 7. Insontem, & iustum non occides, quia auersor impium.* præceptum enim illud, cum sit iuris naturalis, Christi morte non expirauit; ergò, si in Ecclesia innocens cognitus occidatur, semper ea per tale homicidium, etiamsi ad iustam defensionem cum moderamine inculpatę tutelæ factum fuerit, polluetur.

6 Respondeo distinguẽdo antecedens: Si innocens non iniuriosè occidatur, nego antecedens; si verò iniuriosè, cõcedo antecedens. Præceptum illud *Exod. 23.* intelligi debet de iniuriosa innocentis occisione, quod nos etiã concedimus, vt exempla inferius adducenda clarius indicabunt; non autem de non iniusta innocentis cæde, de qua hic loquimur. vnde negatur propositi argumenti consequentia.

7 Dices 2. Homo non est dominus vitæ, & mortis; sed solus Deus habet hoc dominium, ergò innocens; etiamsi ad iustam defensionem cum debito moderamine occidatur, semper à non domino, & propterea iniuriosè occiditur, & proinde semper ex innocentis cæde etiam per auctoritatem publicam facta, vt pote iniusta, Ecclesia polluetur.

8 Respondeo, concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Licet enim Deus solum habeat plenum dominium in vitam, & mortem hominum; potest tamen homini à Deo innocentis occisio pręcipi, prout factum fuisse constat ex *Genes. 22. Deuteronom. 20. 1. Reg. 14. 4. Reg. 10. 2. Paralipon. 22.* & ex alijs Scripturæ locis; immo potest dominium illud tum partiale, tum totale à Deo homini communicari, quo vltimo facto, fieret homo plenus alterius dominus etiam quo ad vitam, & mortem, & in tali casu posset homo alterius hominis dominus alterum, si vellet, etiam sine causa non iniuste occidere. cum ergò Deus mihi dederit ius vitam meam conseruandi, Deo quidem subdor, vt vitę domino, paratus viuere, paratus mori, cum Diuinæ maiestati placuerit; sed, si vitam à Deo mihi concessam alter inuadat, iniuste inuadet, & ego iuste eam defendam, etiam cum inuasoris excidio, si eam aliter defendere nequeam, vtar enim tunc indirecto, & partiali dominio in inuasoris vitã, quod in tali casu à Deo mihi per legem naturalem concessum est. indirectum dominium voco, quia directe me defendam, etiam cum inuasorem occidero; partiale appello, quia, cum plenum, & totale dominium sit ius conseruandi, & destruendi, ego ius inuasorem destruendi habebo; non autem conseruandi, supponitur enim talis aggressor, qui, me seruato, seruari nequeat, prout egregie docuit *Caramuel in Theolog. moral. l. c. disp. 8. num. 139.* vnde innocentis occisio, si ad defensionem cum prædictà inculpatę tutelę moderatione fiat, non est iniuriosa, quia Deo vitę, & mortis omnium domino id concedente fit, nec consequenter est per quintum Decalogi pręceptum prohibita, cum ibi sermo sit de iniuriosa tantum hominis occisione, idest, de occisione ab eo facta, qui ad id à Deo, vel per legem naturalem, vel per reuelationem, ius non habeat, vt iam explicatum est.

9 Dices 3. prędicta militate possunt tantum, quando inuasor iniuste agit inuadendo; non vero quando inculpabiliter inuadit vel ob ignorantiam inuincibilem, vel ob amentiam, phrenesim, & similia, nam in hoc casu innocens sine culpa puniri videretur, quod non nisi iniustum est, ergò saltem per cędem inde secutam Ecclesia pollueretur.

10 Respondeo, cum iure naturali concessum abso-

absolute nobis sit vim vi repellere; semper, siue vis nobis inferatur cum peccato, siue sine peccato, id nobis licere; quamuis enim talis inuasor sit apud Deum innocens, eo quod ob prędictas amentię, vel similes causas non peccet; est tamen vere nocens mihi, cum materialiter saltem vim mihi inferat, ac propterea illius occisio, non propriè in pœnam, quę vere culpam supponit; sed ad iustam defensionem ex iure naturali mihi licita erit, seruatis seruandis, vt sæpius iam diximus: vt enim ex eadem iustæ defensionis necessitate innocentis inuasoris occisio fit, ac si iniusti inuasoris esset, ità eadem culpæ omnis immunis est, vnde ex ea pollui nequit Ecclesia.

11 Dices 4. ergò saltem ea innocentis cædes erit iniusta, & Ecclesiæ polluitiua, si innocens, qui nollo modo sit inuasor, occidatur; etiamsi occidatur ab eo, qui id faciat necessario ad euitãdam mortem, vel aliud graue damnum, v.g. siquis fugiens hostem, & transiens per angustum locum necessario conculcet claudum, vel dormientem, vel puerum sibi obuium, vel ibi iacentem, & c. ne ipse fugiens, si moretur, ab hoste occidatur: aut siquis se ab aggressore defendere non valens, nisi cum excidio innocentis, quo aggressor, veluti quodam scuto interposito, se defendit, prædictum innocentem indirecte occidat, & c. tunc enim occidens talem innocentem, à quo nullo modo inuaditur, nullum videtur habere dominium in talis innocentis vitâ, ac proinde innocentis illius occisio omnino iniusta censeri debet.

12 Respondeo in prædictis, & in similibus alijs casibus prędictorum innocentum cædem non esse iniustam, nec peccaminosam, quia non est moraliter volita nec in se, nec in sua causa: non in se, quia ex dictis hoc supponitur; non in causa, quia v. g. in primo casu, licet sic fugiens videat fore, vt innocens inde vere occidatur, nam talis causa, idest, fuga per illum locum, quam fugiens ponit, physicè connexa est cum tali effectu; tamen sic fugiens non vult eam, pro vt connexa est physicè cum tali effectu; sed vult eam tantum, prout ea sibi est necessarium medium ad mortem sibi alioquin imminentem vitandam, quod etiam valet in secundo casu, si bene perspiciatur: vnde talis innocentis occisio, quæ ex tali fuga sequitur, nullo modo est à fugiente moraliter volita, idest, nec in se, nec in causa; sed est solum quodammodo indirectè physicè volita, quod ad culpam non imputatur, nisi aliunde quis talem effectum vitare teneretur, iuxta doctrinam *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 45. num. 4. Laym. l. c. tr. 2. c. 3. num. 5. & Franc. de Lugo de Conscient. p. 2. q. 1. n. 12.* quam superius *cap. 17.* tradidimus, & ità expresè quoad prędictum primum casum sentit nobiscum *Cordub. l. 1. quæst. 38. dub. 2. Less. l. 2. c. 9. dub. 9. num. 59. Sanc. in select. disp. 21. num. 34.* colligitur ex *Caiet. 2. 2. q. 67. art. 2.* qui dicit, occidere innocentem per accidens dando operam rei licitæ, & necessariæ non esse contra ius naturale, diuinum, vel humanum, & inclinat *Sayr. l. 7. Clau. reg. c. 12. num. 18.* quoad secundum *Malder. in 2. 2. D. Th. tr. 3. c. 1. dub. 12. Rodriq. in Summa tom. 1. c. 220. P. Nauar. l. 2. de restit. c. 3. num. 145. Molfes. in Sum. tr. 11. c. 19. num. 188. Lanfranch. opusc. moral. 14. num. 11.* & quo ad vtrumque *Dian. p. 5. tr. 4. resolut. 34. Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 7. num. 56. & seq. Cardin. de Lugo de Iust. & Iur. disp. 10. sect. 7. & alij.* sicuti, qui iuste vrbem obsidet, explodere potest tormenta in turrim, si hoc ad victoriam necessarium sit, etiamsi inde innocentes occidantur, vt communiter tradunt Doctores, semper enim in prædictis, & similibus casibus Innocentis mors non dicitur ab occisore intenta; sed tantum ob iustam causam permissa dummodo tamen eam in ijs casibus circũspectionem adhibeat, quam pro tempore, & loco potest, ne noceat innocenti. cum ergò is tunc vtatur iure suo extreme sibi necessario, nemini iniuriam facit, nam ob prædictos effectus per accidens secuturos ex meis actionibus non priuor iure meo ad tales actiones, nisi eas, vt dixi, aliunde vitare tenear, quod hic locum non habet, nam eæ mihi ad meam cõseruationem necessariæ sunt, & ad eam ex se, tum ex operantis intentione, non ad Innocentis cædem, ordinantur. prout supra *c. 25. num. 4.* dicebamus de medicamentis æq. ordinatis ad salutem prægnantis, ac ad fœtus occisionem, in his enim omnibus non peccatur nec contra iustitiam, quia ius defensionis tales actiones iustas facit, nec contra charitatem, quia tunc malum proximi permittitur tantum ob grauem necessitatem, vt vitetur scilicet graue malum proprium.

13 Colligo cum *Io. Sanch. l. c.* aliquando licere causam applicare, ex qua sequatur physicè innocentis nex, dummodo tamen hæc non sit intenta; sed alius bonus finis, quod apud eundem fatentur etiam communiter Doctores, nec dissentit *Bossius de Scrupul. num. 163.* qui id etiam ob aliquod grande bonum permitti aliquando posse concedit.



CAPVT

CAPVT XXXVI.

An Ecclesia polluatur, si quis ibi ad iustam defensionem; sed cum Excessu moderaminis inculpatę tutelę occidatur.

SVMMARIVM.

Cur defensio quęlibet absq. moderamine inculpatæ tutelæ illicita sit, num.1.
Moderamen inculpatæ tutelæ quid sit. ibid.
Regula traditur ad iudicandum in foro interiori, num prædictum moderamen seruatum fuerit, nec ne, num.2.
In foro exteriori id Iudicis arbitrio relinquendum est. ibid.
Ad id certa regula dari nequit neq. ex parte modi, neque ex parte temporis, neq. ex parte causæ. ibid.
In foro conscientiæ occisoris dictis standum est; sed in foro fori occisor probare debet, se ad necessariam, & inculpatam tutelam occidisse, num.3.
Si probationes pro, & contra prædictam defensionem sint dubiæ, standum erit pro reo. ibid.
Facta, & verba ambiguum sensum habentia in bonum interpretanda sunt. ibid.
Ecclesia polluitur, si quis ibi occidatur ad iustam defensionem cum notabili excessu moderatæ defensionis, num.4.
Sine necessitate occiditur, cuius mortem inculpata tutela non exigit. ibid.
Moderamen inculpatæ tutelæ raro inter strictos enses locum habet. ibid.
Excessus prædicti moderaminis, nisi sit notabilis, cur Ecclesiæ pollutionem in prædicto casu non induat. ibid.
In dubio, num excessus prædictus notabiliter influxerit in Homicidium, nec ne, periti, ac prudentis arbitrium erit. ibid.
Homicidium ex prædicto excessu factum cur leuius in vtroque foro puniendum sit, quam si mere ex vindicta factum fuisset, num.5.
Defendens nequit habere stateram præ manibus, vel dare verbera ad mensuram. ibid.
Excedens in defensione contra Clericum cur non incidat ex Pasqualigo in Excommunicationem Canonis. ibid.
Cur tamen cædes inde secuta inducat Ecclesiæ pollutionem, num.6.
Pronocatus ad pugnam, si in ea prouocantem occidat, etiam cum graui moderatæ defensionis excessu, cur non teneatur ad restitutionem, num.7.
Homicidium prædictum nihilominus est adhuc Ecclesiæ pollutiuum. ibid.

1 ADuerto 1. sicuti vnusquisque habet ius ad vitam, honorem, & alia bona sua, vel proximi, prout superius explicatum est, defendenda modo ad id necessario, & proportionato, quicquid inde sequatur, ita id licitum non esse, si fiat modo ad id non necessario, vel improportionato: vnde quælibet defensio illicita est, si fiat, absq. moderamine inculpatæ tutelæ, vt bene dixit *Valent. tom.3. disp. 5.q.8. punct.4. in principio*. & certum est apud Doctores tam Iurisperitos, quam Theologos passim. vnde Moderamen inculpatæ tutelæ propterea nihil aliud est, quam Moderatio illa, quam inuasus seruare debet, dum vim vi iuste repellit, adeò vt eam tantum vim adhibeat, quæ ad inuasoris vim repellendam necessaria sit, & consequenter inuasus non plus noceat inuasori, quam ad iniuriam arcendam opus sit; sed id solum faciat, quo omisso, violentia propulsari non posset. ita *Gloss.in Cap. Significasti, il 2. de homicid.in verb. Moderamine, prope fin. Abb.ibid.nu. 5. Hostien. ibid.num. 15. in fin. Io. Andr.num. 14. Butr. nu. 13. & 16. Anchar.num. 12. Anan.num. 38. Rebell. de obligat. Iust. p. 1. l. 3. q. 12. num. 1. Guazzin. defens. 29. c. 5. num. 2. Farinac. cum multis quæst. 125. num. 381.* & cæteri communiter.

2 Aduerto 2. vt generatim, ac in vniuersum facile dicitur, quid sit prædictum inculpatæ tutelæ moderamen, ita difficile statui in particulari, ac in indiuiduo, quibusnam in rebus illud consistat, circa quę versetur, quandonam moderaminis huius obseruantia, vel excessus interueniat, & qualis, ac quantus is fuerit: varij enim varias tradunt obseruationes, & diuersi diuersas requirunt conditiones, quas vulgo tam Iuristæ, quam Casuistæ congerunt, vt fuse videre est apud *Farinac. l.c. à n. 330. vsque ad 419. Guazzin. l.c. & Cabal. de omni gen. homicid. num. 94. & sequentib.* nec non apud *Sayr. in Clau. reg. l.7. c. 10. num. 18. & seq. Fagund. in Decal. præcep. 5. lib. c. 5. Megal. in 1.2. l.3. c. 1. num. 3. Azor. p.3. l.2. c. 1. q.2.* & alios apud prædictos; sed cum *Molin. tom. 4. tr. 3. disp. 11. num. 5. & Dian. p. 5. tr. 4. resol. 1.* nullam meliorem regulam tradi posse puto, quam si statuamus moderamen inculpatæ tutelæ tunc in foro poli à defensore seruatum fuisse, quando defensori, attenta perturbatione, aliisque circumstantijs illius casus, nihil tunc occurrit, neque facile, si voluisset, occurrere potuit, quod

quod is ad eum inuasoris vim propulsandam efficeret, & absq. eo, quod defensor fecit, ad id sufficeret; in foro vero fori rem Iudicis arbitrio relinquendam esse, vt spectatis spectandis iuxta regulam mox traditam arbitretur, an defensor prædictum moderamen excesserit, & quantum illud excesserit. ità *Bald. in L. Vt vim, ff. de Iur. & Iur. Farinac. & Fagund. ll.cc. Menoch. de arbitrar. cas. 277. nu. 5. Mascar. de Probat. conclus. 1126. num. 58.* vbi qualitates rixantium, armorum, causarum, & reliquas circumstantias inspiciendas, & animaduertendas esse docet ab arbitratore; & ex illis arbitrandum, cum neque ex parte modi, neq. ex parte temporis, neq. ex parte causæ certa ad id regula dari queat, quamuis aliqui inde eam eruere conati sint.

3 Aduerto 3. licet in foro conscientiæ occisoris dictis standum sit; tamen in foro fori, nisi occisor probet se occidisse ad necessariã, & inculpatam defensionem, præsumi pro delicto contra occidentem; Si vero probationes dubiæ fuerint, tunc standum esse pro reo, vnde in tali dubio Iudex arbitrari debet potius seruatum fuisse debitum moderamen, quam contra. ità *Lara de Anniuersar. & Capell. l. 2. c. 4. num. 36.* in dubijs enim facta, & verba ambiguum sensum habentia in bonum interpretenda sunt, *L. In ambigua, ff. de legib.*

4 Dico Ecclesiam pollui, siquis ibi occidatur ad iustam defensionem cum notabili excessu moderatæ defensionis. ita in terminis ipsis *Syluest. V. Consecratio Ecclesiæ 2. num. 5.* qui *Innocentium* citat, *Barbosa de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 28. num. 19. & Iordan. Elucubrat. volum. 1. l. 5. tit. 12. num. 38.* nec alij dissentiunt, dum contrarium dicunt in terminis tantum puræ, & legitimæ defensionis. conclusionis autem ratio est, quia tale homicidium ex prædicto notabili excessu moderatæ defensionis factum est vere cædes hominis voluntaria, & iniuriosa, ac proinde iniusta, & Ecclesiæ pollutiua, vt ex antecedenti capite patet, vnde ea occisio inde sequuta iure dicitur esse contra iustitiam à *Less. l. 2. c. 9. dub. 21. S. Faust. de restitut. disp. 25. q. 12. Homobon. de cas. reseruat. p. 2. c. 3. circa fin. Molin. l. c. in fin. & Caramuel. in Theol. Mor. l. 1. disp. 8. num. 139.* vbi ait: *occidere aliquem sine necessitate iniquum est, & sine necessitate occiditur, cuius mortem tutela inculpata non exigit: sed velim doceri, quæ sit illa inculpata tutela, quæ inuasoris mortem non exigat, quando enses stricti decussantur? inculpatæ tutelæ moderamen raro locum habet inter strictos enses: nulla ibi fortiori securitas, nulla industriori, casus sunt varij, & fortissimi viri sæpe ab homuncionibus occisi. In summo enim perennius periculo est, qui contemnit vires sui inimici.* Dixi *cum notabili excessu*, quia, cum excessus tantum prædicti moderaminis sit contra iustitiam, nisi is sit notabilis, non erit peccatum mortale contra iustitiam, quale esse debet homicidium, vt Ecclesiæ pollutiuum sit, vt iam visum est: in dubio autem, num excessus moderatæ defensionis, licet videatur leuis; tamen in homicidium inde secutum notabiliter influxerit, an verò homicidium iam moraliter peractum leuiter tantum accelerauerit, quod vere non est occidere, periti, ac prudentis arbitrium expectandum.

5 Dices 1. etiamsi notabiliter inculpatæ tutelæ limites excesserit inuasus inuasorem occidendo; adhuc tamen minus peccauit, minoremque tum in interiori, tum in exteriori foro pœnam meretur, quam si absq. vlla defensionis occasione occidisset. ità *Plaza Epit. delict. l. 1. c. 28. num. 14.* cum innumeris ibi allegatis, ictus enim, seu verbera non possunt dari cum mensura, & defendens nequit habere stateram præ manibus. *Cabal. l. c. num. 98. & seq. Farinac. d. q. 125. num. 404. & seq. & Guazzin. d. defens. 29. c. 5. num. 3. & seq.* immo excedens in defensione contra Clericum non incidit in Excommunicationem Canonis ex *Pasqualig. qq. Moral. Canonic. cent. 1. q. 20. n. 3.* ergo neque ex cæde per talem moderaminis excessum facta polluetur Ecclesia.

6 Respondeo, quicquid sit de toto antecente, negando consequentiam: ad pollutionem enim sufficit, si cædes ibi facta grauiter contra iustitiam sit, licet minus grauis sit, quam alia magis voluntaria, vel magis iniuriosa, vel maiori pœna digna, &c. ab Excommunicatione eam Pasqualigus excusat, quia illi videtur non suadente Diabolo, & ex proposito violentiæ, quod ad prædictam Excommunicationem necessarium videtur; sed suadente naturali iure, & ex proposito defensionis facta: sed pollutionis Ecclesiasticæ quasi pœna à iure imposita est cuicumq. homicidio voluntario, ac iniusto, quale illud est, de quo hic sermo est.

7 Colligo, quamuis prouocatus ab altero ad pugnandum, si prouocantem occidat cum prædicto graui moderatæ tutelæ excessu, non teneatur ad restitutionem, quia prouocans per actum ipsum prouocandi censetur cedere iure suo, vt docent *Less. & Homob. ll. cc. Carb. de restit. quæst. 15. Reginald. l. 10. c. 22. sect. 3. num. 322.* & alij; tamen hoc non obstare, quin prædictum homicidium sit iniuriosum saltem respectu Reipub. & Ecclesiæ,

ac proinde Ecclesiæ pollutiuum, vt fusius ex dicendis inferius patebit, dum de occisione sui ipsius agemus.

CAPVT XXXVII.

An ex cede ad iustam defensionem facta ab inuaso, qui, ne eam faceret, fugere poterat, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Quinam, & cur dixerint semper illicitā occisionem pro defensione fieri, quando occisor eam vitare fugiendo potest, num.1.

Prædictam occisionem alij dixerunt licere, si fuga occisori ignominiosa, vel periculosa sit; alias secus, num.2.

Religiosos idcirco, & plebeos, non vero Nobiles, nec milites, in prædicto casu teneri ad fugam: ijdem infrunt. ibid.

Fuga quandonam dicatur periculosa. ibid.

Cur vix in omittenda fuga peccetur. ibid.

Nunquam in prædicta fuga omittenda peccatur contra Iustitiam; sed solum contra Charitatem, num.3.

Ex cæde ad iustam defensionem facta ab inuaso, qui, ne eam faceret, fugere commode poterat, non polluitur Ecclesia, num.4.

Idipsum dicendum est, etiamsi occisor commode, antequam aggressor adueniret, vitare potuisset pugnam ipsam, num.5.

1 ADuerto 1. rationem dubitandi esse, quia, cum ex dictis tunc defensio iuxta inculpatæ tutelæ moderamen fieri dicatur, quādo pro ipsa defensione id solummodo fit, sine quo violentia repelli non potest, si per fugam quis in nostro casu se defendere, & inuasoris vim repellere possit, & hoc facere is nolit; sed inuasorem occidat, prædictam inculpatæ tutelæ moderationam excedere, & iniuste occidere videtur. vnde *Gloss. in Clem. de Homicid. Verb. Non valens, & in Cap. Suscepimus, de Homicid. Verb. Interimere, Maiol. de Irregularit. l. 5. c. 48. num. 6.* & alij ibi adducti volunt eo in casu nunquam aduersarij occisionem licitam esse.

2 Aduerto 2. ab alijs communiter distingui fugam ignominiosam, seu periculosam à non ignominiosa, & non periculosa: asserunt enim, si fuga sit primi generis, licitam esse iusto defensori occisionem aduersarij, illicitam vero, si fuga sit secundi generis; in primo enim casu talis occisio videtur necessariá necessitate ineuitabili; in secundo vero spontanea, vnde ibi peccari docent occidendo; non hic, vt videre est apud *Sayr. de Censur. l. 6. c. 17. num. 16. & 17. Suar. ibid. disp. 46. sect. c. num. 4. Dian. p. 4. tr. 2. resolut. 3. Gibalin. de Irregularit. c. 4. q. 3. num. 25.* aliosq. recentiores passim, & vlterius inferunt ordinarie peccare plebeos, religiosos, & similes, si non fugiant; sed occidant aggressorem; non peccare vero nobiles, milites, & huiusmodi, fuga enim illis non ignominiosa est, nec periculosa, vt supponitur; istis vero secus; cum fuga, quæ istos liberat ab inuasoris vi, eosdem conijciat in aliud periculum, scilicet ignominiæ, ad quod vitandum possunt illum, qui eos per iniustitiam in ipsum coniecit, occidere, quod in illis non militat, cum illis fuga probrosa non sit, vt acute dixit *Gibalin. l. c.* qui eam vocat fugam periculosam, ob quam fugiens in aliud graue periculum incidit, ad quod euitandum licite stare potest, & se defendere, licet inde aduersarius mortem subire debeat. sed, cum in tali conflictu vix itá sui compos sit inuasus, vt prudenter dispicere possit, num fugere possit, aut debeat, vix etiam in tali fuga omittenda grauiter vnquam peccari existimat.

3 Aduerto 3. in omissione prædictæ fugæ non ignominiosæ, nec periculosæ peccari secundum aliquos contra Iustitiam; secundum alios contra Charitatem tantum, quod, vt superius innuimus *cap. 31. num. 3.* mihi magis placet, nullum enim assignari potest ius iustitiæ rigorosæ, seu commutatiuæ, quo inuasus fugere teneatur ad inuasoris occisionem declinandam; sed tantum obligatio Charitatis, quæ nos obligat ad impedienda proximi mala, quando sine graui nostro incommodo id præstare possumus, vt in nostro casu supponitur, nisi forte dicant aduersarij inuasorem ex sua malitia, qua alterum inuadere vult, acquirere ius in illum, quo illum obliget ad fugam, itá vt, nisi inuasus fugiat, vel patiatur se interfici, censeatur ipsi inuasori iniuriam facere, quod, quam vanum sit, omnes vident. Hinc iniuste inuasum non fugientem; sed inuasori resistentem, eiq. si opus sit, necem etiam pro defensione inferentem, etiamsi commodissime fugere possit, & Religiosus, vel ex infima plebe sit, non peccare, nisi contra Charitatem modo iam explicato tradunt expressissime *Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 9. dub. 21. num. 136. Molin. de Iust. & Iur. tr. 3. disp. 81. nu. 2. Becan. in 2. 2. q. 62. de restitut. q. 9. conclus. 3. á S. Faust. de Restitut. disp. 25. quæst. 10. Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 7. num. 80. & 125.*

125. *Dian.p.5.tr.4.resol.48.& 49.Megal.Iustit. Peregr.1.2.l.3.c.1.num.6.Reginald.tom. 1.l.10. c.22.num.324.& Marc.Serio de Restitut.disp.5. diffic.2.q.3.nu.6.* contra *Rebell.p.1. de obligat. iust.l.3.q.12.P.Nauar.de restitut.l.2.c.3.n. 389. & alios.*

4 Dico ex cæde ad iustam defensionem facta ab inuaso, qui, ne eam cædem faceret, fugere commode potuerat, Ecclesiam non pollui, quia ex dictis *num.3.* ea cædes, cum non fuerit iniusta, non fuit verum homicidium illud, per quod Ecclesia polluitur, vt patet ex *cap.10.& 11.*

5 Colligo idipsum dicendum esse, etiamsi occisor commode, antequam aggressor aduéniret, vitare potuerit pugnam ipsam; sed expectarit suum aggressorem, eumq. intra iustæ defensionis fines occiderit; nam neque in eo euentu peccauit contra iustitiam, sed solum contra charitatem sui, ac, proximi cum ex huius lege debuerit, ac potuerit vitare periculum suæ propriæ vitæ, ac proximi, nec fecerit, quod apertissime asseritur à *Molin.l.c.*

CAPVT XXXVIII.

An polluatur Ecclesia, siquis ibi, antequam actu inuadat, ad defensionem occidatur.

SVMMARIVM.

In proposito casu cur inuasoris occisio aliquibus videri possit verum homicidium Ecclesiæ pollutiuum. num.1.

Vis ab aliquo alteri inferri dicitur dupliciter, vel Physicè, vel Moraliter, num.2.

Præuentio duobus item modis contingere potest, vel Simpliciter, vel Secundum quid, num. 3.

Ecclesia, siquis ibi nondum alterum physicè; sed moraliter tantum actu inuadens occidatur ad iustam, ibique necessariam, nec non moderatam alterius defensionem; non polluitur, num. 4.

Polluitur verò, si nec physicè, nec moraliter actu inuadens ibi occidatur. ibid.

Qui nondum physicè inuadit, cur physicè, & iustè occidi aliquando possit, num. 5. & 6.

Inuasor non idcirco licite occiditur, quia inuadit; sed quia iniusta inuasione sua facit suam ipsius occisionem esse vnicam illam viam, quam iustus defensor ad inculpatam defensionem arripere licite queat, num.6.

Præuentio simpliciter facta cur nunquam liceat; sed tantum præuentio secundum quid, num. 7. & 8.

Aggressoris animus mutari quamuis possit; cur nihilominus prædictus iniustus aggressor iuste occidatur, num.9. & 10.

Per insidias iuste repellitur, qui per insidias iniuste inuadit, num.11.

Etiamsi inuasor iniuste inuadere decreuisset tantum; & nondum physicè ad inuasionem descendisset. ibid.

Dummodo quis aliter, quam sic præueniendo, vim vi repellere nequeat. ibid.

Suspicio, etiam vehemens, sola non sufficit, vt quis tamquam iniustus aggressor licite occidatur. ibid.

In dubio rationabili de tali iniusta aggressione quid faciendum sit. ibid.

1 ADuerto 1. quamuis vim vi repellere liceat secundum ea, quæ toties iam dicta sunt; tamen, si nondum vis actualiter inferatur, actualiter nulla vi ad vim repellendam opus esse, & idcirco in proposito casu occisionem eius, qui nondum actu inuadat, aliquibus videri posse non defensionem; sed offensionem, ac subinde iniustam, & verum homicidium Ecclesiæ pollutiuum; licet ordinetur ad defensionem. vnde ita sentire videtur *Soc.de Iust.et Iur.l.5.q.1.art.8.Salon.in 2.2. quæst.64.art.7.controu.1.conclus.3.Nauar.c.15. num.2.& Syluius in 2.2.D.Th.quæst. 64.art.7. quæst.6.*

2 Aduerto 2. duobus modis vim ab aliquo alteri actu illatam dici posse; videlicet, vel moraliter, vel physicè: quando quis actualiter non aggreditur, tunc vere physicè actu non infert vim; moraliter tamen tunc quis actu vim infert, quando vere actionem aliquam facit, ex qua alter futurum probabiliter credere potest, vt vis sibi physicè inferenda sit, quam aliter repellere nequeat, nisi per præuentionem aduersarium occidat. colligitur hoc ex *Nauar.l.c.num.3. Bannes in 2. 2.q. 64.art. 7.dub.4.conclus.2. Cordub.l.1.qq.q. 38. Less.l.2.de Iust. & Iur. c.9. dubit.8.num.45. & Megall.instit.peregr.p.1.2.l.2.c.7.q.5.num.34.*

3 Aduerto 3. duobus etiam modis præuentionem contingere posse; videlicet, vel Simpliciter, vel secundum quid. Illa est, quando, qui aliquem aggressorem futurum esse probabiliter timet, illum, antequam vllum aggressionis actum faciat, occidit: ista est, quãdo vnum aggressionis actum animaduertens præuenit alterum actum, quem prudenter timet, aggressorem cum inculpatæ tutelæ moderamine occidendo. His dictis,

4 Dico Ecclesiam, siquis ibi nondum alte-

rum physicè; sed moraliter tantum actu inuadens occidatur ad iustam, ibique necessariam, nec non moderatam alterius defensionem, non pollui; pollui vero, si nec physicè, nec moraliter actu inuadens ibi occidatur. Ratio vtriusq. dicti est, quia in primo casu is, qui occiditur, est actualis aggressor, & moraliter saltem actu vim infert, quam proinde vi repellere licet; in secundo vero, cum nulla ab eo, qui occiditur, actualis vis inferatur, nulla adest in occidente defensionis necessitas, ac proinde in hoc casu occisio est mere iniusta offensio, non vere iusta defensio, vt per se patet, & expresse docent DD. *num.* 2. allati.

5 Dices 1. qui in primo casu occiditur, nondum physicè actu inuadit, ergo nec physicè actu occidi debet, vt inculpatæ tutelæ moderamen seruetur.

6 Respondeo, cum iniustus inuasor, siue physicè, siue moraliter tantum actu inuadat, inuasione sua iniuste constituat alium, vt suppono, in tali periculo, vitæ v. g. vel alterius grauis incommodi, ad quod euadendum non alia pateat via, quam per anticipatam prædicti inuasoris occisionem, eo quod medium hoc inuasoris ipsius nequitia factum sit alteri ad iustam defensionem necessarium, idcirco prædictum inuasorem, quomodocumque id effecerit, quod iam diximus, semper non iniuste occidi, quia vnicuique iure naturali id licet efficere, quod alterius nequitia effectum est medium ad iustam, moderatamq. defensionem necessarium, vt nos alibi superius innuimus, & expressissime tradit *Molin. tr. 3. disp.* 12. *num.* 2. vnde proprie non idcirco licet aggressorem interficere, quia aggreditur aut physicè, aut moraliter; sed quia, vt dictum est, iniusta aggressione sua, quacumq. ratione siue physicè, siue moraliter id faciat, facit suam ipsius occisionem esse vnicam illam viam, quam iustus defensor ad inculpatam defensionem arripere licite queat.

7 Dices 2. ergo ex mox dictis licebit etiam aliquando ad iustam defensionem aggressorem simpliciter præueniendo occidere, quod numquam licere docet *Megall. l. c. num.* 35.

8 Respondeo negando id ex iam dictis sequi, statim enim ac alium quis constituit in prædicto discrimine, inde saltem moraliter est aggressor, ac proinde defensor tunc non simpliciter illum præuenit; sed tantummodo secundum quid, quatenus actualem, physicamque aggressionem præuenit, & consequenter talis occisio est vera defensio in conflictu, si nō physicè, saltem moraliter facta.

9 Dices 3. Aggressoris animus interim, antequam physicè actu iniuriam inferat, mille vijs mutari potest, ergo tunc illicite occiditur.

10 Respondeo aggressoris animum mille vijs mutari posse etiam in ipso actuali, physicoq. conflictu, & nihilominus tunc iuste occidi, nisi ergo prædictus animus mutatus ità à defensore cognoscatur, vt defensor iudicet tunc cessasse prædictum periculum, ad quod euitandum necessariam credebat iniusti aggressoris occisionem (tunc enim, cum essemus extra suppositum periculum, essemus etiam extra propositum casum) numquam prædicta occisio iniusta erit.

11 Colligo vim vi iuste repelli, etiamsi quis insidias iniuste inuasus per insidias inuasionem repellat, & etiamsi nondum inuasor ad actualem, physicamque inuasionem descendisset, sed eam tantum exequi decreuisset, dummodo tamen semper res in eo statu vere sit, in quo quis aliter, quam sic præueniendo, & talem inuasorem occidendo, vim iam moraliter illatam repellere non possit, & de prædicta inuasione dubium non sit: propter solam enim suspicionem, etiam vehementem, quod aliquis iniuste futurus sit physicè aggressor, & graue damnum illaturus, iuste occidi nequit, cum in dubio nemo præsumendus sit nocens: posset tamen prædictus aggressor, si rationabiliter id de eo dubitetur, admoneri, vt desisteret ab ea re facienda, v. g. vt non accederet, significando illi iuste inde timeri de illo sinistram intentionem; si vero non desisteret, nec sufficientem rationem redderet, quæ iustum timorem, & prædictum periculum vere tolleret, posset interfici, vt iniustus aggressor, ne damnum, quod rationabiliter timetur, eueniat, ità *Molin. l. c. num.* 1. vbi plura ponit exempla.

CAPVT XXXIX.

An polluatur Ecclesia, si iniustus inuasor ibi post actualem inuasionem occidatur.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi hic eadem est, quæ cap. præced. dicta fuit, cessante enim inuasione, cessat etiam defensionis ius, num. 1.

Inuasio diutius fortasse durat moraliter quam duret physicè, sicuti moraliter prius aliquando incipere videtur, quam incipiat physicè, num. 2.

Inua-

Inuasoris occisio vel incontinenti, vel ex interuallo post inuasionem contingere potest. num. 3.

Ecclesia, si iniustus facultatum inuasor, antequam eas quiete possidere incipiat, ibi ad iustã, necessariam, moderatamq. defensionem occidatur, non polluitur, num. 4.

Si iniustus vitæ, vel honoris inuasor post illatam iniuriam incontinenti ad honoris ablati recuperationem ibi (si ibi id fieri necesse sit) occidatur, probabile videtur, quod aliquando Ecclesia non polluatur, sed probabilius est, quod semper, vel plerumque polluatur. num. 5.

Fugiens post illatam mihi iniuriam videtur deferre secum meum honorem, sicuti latro defert secum meas facultates, num. 6.

Oppositum probatur, num. 7.

Actio furti, & inuasio facultatum non est consummata, donec fur se in tutum receperit; at, accepta iniuria in vitam, vel honorem, talis inuasio, & tale delictum consummatum est. ibid.

Licet fugiens, illata mihi iniuria, teneatur mihi satisfacere, cur adhuc videatur dispar ratio de fugiente cum bonis meis, vel cum honore meo, num. 8. & 9.

Iniuste aliquid inuadere, & iniuste aliquid detinere, seu possidere, diuersa sunt, num. 9.

Fugiens cum rebus mihi ablatis eas adhuc inuadit; fugiens cum honore mihi ablato eum amplius non inuadit; sed detinet. ibid.

Alia sunt remedia instituta ad vim repellendam, alia ad rem recuperandam. ibid.

Ablatum honorem recuperat quis eodem modo, siue incontinenti, siue ex magno interuallo post acceptam iniuriam eum percutiat, vel occidat, qui iniuriam intulit. ibid.

Si post illatam iniuriam quis iniuriato satisfactionem offerat, vel spondeat, iniuste ab iniuriato impetitur, & se defendere etiam offendẽdo potest, num. 10.

Etiamsi is satisfacere nolit, cur adhuc iniuste ab isto impetatur, num. 11.

In foro externo iniuriam passus, si occidat aduersarium, præsumitur se tueri, & cur minus puniatur, num. 12.

Si, qui iniuriam intulit, in ea inferenda perseueraret, iuste vim vi repelleret iniuriatus. ibidem.

In hoc vltimo casu quandonam iniurians iniuste occideret, etiam ad sui defensionem, aduersarium, & quando non. ibid.

Si iniuriatus in hoc vltimo casu prudenter suspicaretur, se illudi ab iniuriatore, nec iniuriæ cessationem credendam, non iniuste se defenderet etiam offendendo. ibid.

Idem dico de eo, qui vere cessasset ab iniuriæ illatione, & id aduersario sufficienter significasset. ibid.

Etiamsi prædictus cessans antea præuidisset, & intendisset talem aduersarij cædem hoc modo euenturam. ibid.

Quomodo intelligendum sit id, quod superius dictum fuit de ebrio occisione, qui cædem ante ebrietatem præuidit, & intendit. ibid.

Quid ad homicidium proprium; & Ecclesiæ pollutiuum semper requiratur. ibid.

1 ADuerto 1. eandem hic esse dubitandi rationem, quæ præcedenti capite dicta fuit, nimirum, quia cessante inuasione, cessat etiam defensio, & vbi uis non infertur, ibi ea repelli non potest: vnde, si inuasor post actualem inuasionem occidatur, non ad necessariam defensionem; sed ad vindictam potius occidi videtur.

2 Aduerto 2. cum inuasio moraliter aliquando prius incipere videatur, quam incipiat inuasio physicè, fortasse etiam diutius illam moraliter durare aliquando posse, quam ducet physicè, vt ex dicendis aperte constabit.

3 Aduerto 3. inuasionem fieri posse vel contra vitam, & honorem, vel contra facultates; occisionem vero inuasoris vel incontinenti, vel ex interuallo post inuasionem contingere posse. quibus animaduersis,

4 Dico 1. Ecclesiam, si iniustus facultatum inuasor, antequam eas quiete possidere incipiat, ibi (dummodo id ibi fieri prædicta defensionis necessitas cogat, quod semper in similibus suppono, secus enim cædes ibi facta esset contra ius Immunitatis, vt alibi fusius explicatur) ad iustam, moderatamque defensionem occidatur, non pollui, quia, cum inuasio illarum moraliter duret, alioqui rerum defẽsio plerumq. esset inutilis toto eo tẽpore, cumq. prædictus inuasor, etiamsi fugiat, & longe distet, semper actu sit in ipso flagranti crimine (adhuc enim non personam; sed res iniuste inuadit, quas secum defert) & consequenter furtum adhuc sit in fieri, cum fur nondum pacifice rem furtiuam possideat, talis occisio est iusta, & mera rerum defensio iure naturali, ibique licita, vt superius *cap. 31. & 32.* dictum est, & clare tradunt *Sot. de Iust. & Iur. l. 5. q. 1. art. 8. Syl. V. Bellum, 2. num. 3. & 10. & V. Excommunicatio 6. not. 4. art. 9. P. Nauar. de restit. lib. 2. c. 3. num. 409. & seq. Salon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. P. Aragon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 2. dub. 11. Megal. in sum. 1. 2. l. 3. c. 1. quæst. 1. num. 8. & seq. Vasq. in opusc. de restit. c. 2. §. 1. dub. 8. num. 32. Laurenb. moral. opusc. 10. num. 14. Dian. p. 5. tr. 4. resol. 17. vers. Notandum est, Laym. l. 3. tr. 3. p. 5. c. 3.*

c. 3. num. 4. & alij multi. vnde cum talis occisio non sit verum homicidium, nequaquam inde Ecclesia polluetur, vt planum est.

5 Dico 2. si iniustus inuasor vitæ, vel honoris, postquam percussionem, vel ignominiam intulit, in Ecclesia ad honoris ablati recuperationem incontinenti occidatur, probabile quidem aliquando videri posse, quod ea non polluatur; sed probabilius esse, quod semper, vel plerumq. polluatur. Prior pars probatur, quia aliquando contingere potest prædictam occisionem esse vnicum, & necessarium medium ad honorem iuste tuendum, ac propterea illud tunc iure naturali licebit, cum semper vim vi repellere liceat, & ad talem vim repellendam nulla alia vis, aut via supersit, vt suppono. ita *Nauar. in Sum. c. 15. num. 3. & 4. Victor. in relect. de iure belli, quæst. 2. num. 5.* fuse *P. Nauar. l. c. c. 3. num. 380. & seq. Henriq. de Irregularit. c. 10.* qui pro se citant *Mercat. Iason. Cordub. Penn. Clar. Caiet. Antonin.* & alios multos. *Less. l. c. dub. 12.* hoc speculatiue probabile; sed in praxi non facile admittendum dicit. *Dian. p. 1. tr. 1. resol. 15.* absolute probabilem, & in praxi tutam vocat, nec dissentit *Filliuc. tr. 25. c. 3. q. 7. num. 51. & Villalob. tom. 2. tr. 12. diffic. 12. num. 3. Lopez* verò *1. p. Instruct. c. 62.* hanc sententiam ante factum non approbat, post factum non damnat. *Laym. l. c.* hanc doctrinam in praxi rarissime locum habituram esse docet, & *Megall. l. c. num. 12. ante vers. Quæ tamen intellige.* hanc opinionem plurimorum piorum, & grauium DD. esse affirmat. Secunda pars probatur, quia vix accidit prædictam occisionem esse medium idoneum, & necessarium ad honorem tuendum, & talis occisio post iam perfecte illatam, & non amplius impendentem violentiam non iusta defensio; sed vltio verius, & cædes omnino iniusta, Ecclesiæque pollutiua censenda est. ita *Laym. & Megall. ll. cc. Lanfranchi ibid. num. 15. Molin. tr. 3. disp. 17. num. 8. Sot. vbi supra. Carer. in pract. §. Homicid. 6. num. 110. Molfes. in Summ. tr. 11. c. 19. num. 79. Sayr. Clau. reg. l. 7. c. 10. num. 29. Bordon. decis. 81. Trullenc. in Decalog. l. 5. c. 4. dub. 5. num. 2.* nec non *Salon. Philiarch.* & alij apud citatos.

6 Dices 1. fugiens defert secum meum honorem, non secus ac fur meas res, ergo, vt pro rerum defensione furem eas auferentem, fugientemque ferire, &, si opus sit ad illa recuperanda, iuste occidere possum, ita etiam, & multo magis eum, qui post ignominiam mihi illatam meum secum defert honorem, statim, & incontinenti occidere iuste semper potero, cum adhuc moraliter eadem duret honoris inuasio, & vnus, ac idem congressus reputetur, vt tenet *Philip. Faber. de restit. in 4. sent. dist. 15. quæst. 3. disp. 52. c. 1. num. 29.* & nouissimè *Marchant. in Summ. resolut. Pastoral. ad Decal. c. 5. quæst. 3. c. 3.* apud *Dian. l. c. resol. 11.*

7 Respondeo negando antecedens, & disparitas inter vtrumque casum est, quia fur non desinit vim inferre, donec in tutum se receperit, ideoque semper ea vis vi repelli potest; at, recepta iniuria, consummatum est delictum, nec licitum est iniuriato priuata se auctoritate vindicare, vt egregie respondent *Molin. Sayr. Molfes. Trullench. & Lanfranch. ll. cc.*

8 Dices 2. Qui post iniuriam mihi illatam fugit, donec satisfaciat, semper iniuste defert secum meum honorem, quem moraliter mihi abstulit, quando autem satisfacit, restituit illum mihi: ergo pro illo recuperando licebit mihi, si ille satisfacere noluerit, violenter illum eripere, &, si aliter recuperare nequeam, fugientem licite occidere potero, vnde non videtur dispar ratio de fugiente cum bonis meis, vel cum honore meo.

9 Respondeo aliud esse iniuste aliquid detinere, seu possidere, aliud vero iniuste aliquid inuadere: in furto, donec fur se in tutum receperit, semper is iniuste inuadit, & vim infert, saltem rebus, quas secum defert: vnde tunc semper iuste pro tali vi repellenda, si opus sit, occidi potest. At qui post illatam iniuriam fugit, non persistit adhuc in infetenda iniuria; sed eam iam intulit: vnde vere non est amplius inuasor: licet enim honorem, quem læsit, restituere teneatur; ad hanc restitutionem tamen obtinendam ius naturale non facit, vt iuste illum occidere possim priuata auctoritate, si is restituere nolit, quia id non est vim vi repellere: alia autem remedia instituta sunt ad vim repellendam; alia ad rem recuperandam: nec promiscue licent, sed suo queq. loco, & tempore, vt per se notum est. quod autem prædicta recuperatio honoris ablati, quæ per repercussionem incontinenti factam post acceptam iniuriam obtinetur, non sit vere defensio, & violentiæ depulsio, inde clare patet, quia eodem modo quis ablatum honorem recuperat, etiamsi ex magno interuallo post acceptam iniuriam iniuriatorem percutiat, vel, si opus sit, occidat.

10 Dices 3. Qui post illatam iniuriam fugit, cum iniuriato satisfacere teneatur, si id faciat, vel facturum se spondeat, iniuste ab iniuriato inuaditur, & se defendere etiam offendendo potest, seruato semper inculpatæ tutelæ moderamine…

dera-

deramine, ergo, si contra satisfacere nolit, iuste inuaditur, & iuste occiditur, si id ad honoris ablati recuperationem necessarium fuerit.

11 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: licet enim, qui iniuriam intulit, satisfacere ex iustitia teneatur, semper tamen post illatam iniuriam iniuste ab iniuriato inuaditur, & iuste se defendere potest, non secus ac si nullam iniuriam alteri intulisset: meruit is quidem delicti pœnam; sed hæc priuata auctoritate iniuste sumitur, prout de adultero adulteræ maritum iuste cum moderamine inculpatæ tutelæ occidente iam dictum fuit, quod de similibus omnibus dicendum est.

12 Colligo 1. quamquam in foro externo, qui iniuriam passus est, si continuo aggrediatur aduersarium, præsumatur sese tueri, & vim vi repellere, & si occidat, ob animi dolorem minus puniatur ex *Clar. §. Homicid. num.* 34. quæ est receptissima sententia; tamen in foro interno non solum non semper esse meram, & iustam defensionem; sed aliquando esse veram, & iniustam vltionem, vt patet ex iam dictis; esset tamen vera defensio honoris, si v. g. Petrus, dum post factam Paulo iniuriam de ea se iactat, aut iniuriatum contemnit, aut alijs modis iniuriæ illationem continuat, à Paulo iniuriato iuste impeteretur, &, si opus etiam esset, occideretur; tunc enim vere adhuc vis vi repelleretur: immo in prædicto casu, Petrus, qui sic in iniuriæ illatione perseueraret, Paulum à se iniuriatũ occidere iuste nequiret ad sui defensionem, si posset ex illa necessitate exire, desistendo scilicet ab iniuriæ illatione, & hoc defensori significando; quo tamen facto, tunc iniuste occideretur, vt supra dictum est. Quod si Paulus iniuriatus prudenter suspicaretur se à Petro iniuriatore potius deludendum, nouamque ab eo iniuriam expectandam, quam cessationem ab inceptis sperandam, tunc secus esset, quia adhuc Petrus iniurians in iniuriæ illatione perseuerare à Paulo iniuriato crederetur, & consequenter non iniusta esset iniuriæ depulsio, quam Paulus iniuriatus tunc Petrum occidendo faceret; sed in eo casu non minus quoque esset in foro interno violentiæ depulsio, quam Petrus ipse faceret; quamuis enim antea iniustus aggressor fuisset; tamen tunc post veram cessationem ab iniuriæ illatione iniuste à Paulo impeteretur, ideoque, si Paulum cum debito tutelæ moderamine occideret, iuste occideret, etiamsi Petrus antea suspicatus fuisset, & præuidisset, immo intendisset talis cædis futuræ euentum, ac proinde ea Pauli occisio fuisset à Petro omnino volita in prædicta causa; tunc enim Petrus peccasset quidem peccato interno homicidij; sed non externo opere; nam exterior illa occisio non esset tunc iniusta, nec esset verũ, & proprium homicidium, vnde nec per prædictam occisionem pollueretur Ecclesia, si ibi eam fieri necessitas coëgisset. Hinc superius diximus *cap.* 16. *num.* 4. non pollui Ecclesiam per homicidium, seu verius occisionem ab amente, vel ebrio factam, quia scilicet in ebrietate talis exterior occisio non est in se peccaminosa, nec iniusta, nec proinde proprium homicidium. dixi verò ibidem *nisi illud vere fuerit in sua causa voluntarium, & in genere veri homicidij grauiter peccaminosum*, quia ad prædictam occisionem Ecclesię polluitiuam constituendam necesse est, tum vt ea grauiter, & peccaminose voluntaria vel in se, vel in causa, tum vt actio ipsa exterior grauiter iniusta fuerit, ad quod non sufficit posuisse causam per accidens, vel remotam, qualis fuit v. g. prima Petri inuasio contra Paulum in prædicto casu, licet Petrus ex ea inuasione Pauli cædem ex inuasionis depulsione, & c. præuiderit, & intenderit, nam talem cædis causam per accidens, & remotam ponendo Petrus peccauit iuxta sẽtentiam *Less. l.* 2. *c.* 9. *dubit.* 15. *num.* 107. tantum contra Charitatem, non contra iustitiam, cum ex Charitate tantum tale Pauli damnum impedire teneretur.

CAPVT XXXX.

An polluatur Ecclesia, si ibi in adulterio deprehensa vxor, vel filia, itemque adulter occidatur.

SVMMARIVM.

Maritis iure Cæsareo secundum aliquos non permittitur, vt vxores in adulterio deprehensas occidant; sed adulteros tantum, & cum limitatione, num. 1.

Pater Filiam, & Adulterum simul cum quibusdã conditionibus occidere potest per leges ciuiles, ibidem.

Huius capitis quæstio pendet maximè ab illa, num prædicta cædes adulteri à marito facta, vel alia similis, in exteriori tantum, vel etiam in interiori foro liceat, num. 2.

Permittere, vt aliquid impune fiat, & concedere, vt licite fiat, diuersissima sunt, num. 3.

Deus potest remittere peccati pœnam, non remissa culpa. ibid.

Quod-

c. 3. num. 4. & alij multi. vnde eum talis occisio non sit verum homicidium, nequaquam inde Ecclesia polluetetur, vt planum est.

5 Dico 2. si iniustus inuasor vitæ, vel honoris, postquam percussionem, vel ignominiam intulit, in Ecclesia ad honoris ablati recuperationem incontinenti occidatur, probabile quidem aliquando videri posse, quod ea non polluatur; sed probabilius esse, quod semper, vel plerumq. polluatur. Prior pars probatur, quia aliquando contingere potest prædictam occisionem esse vnicum, & necessarium medium ad honorem iuste tuendum, ac propterea illud tunc iure naturali licebit, cum semper vim vi repellere liceat, & ad talem vim repellendam nulla alia vis, aut via superfit, vt suppono. ità *Nauar. in Sum. c.* 15. *num.* 3. *&* 4. *Victor. in relect. de iure belli, quæst.* 2. *num.* 5. fuse *P. Nauar. l. c. c.* 3. *num.* 380. *& seq. Henriq. de Irregularit. c.* 10. qui pro se citant *Mercat. Iason. Cordub. Penn. Clar. Caiet. Antonin.* & alios multos. *Less. l. c. dub.* 12. hoc speculatiue probabile; sed in praxi non facile admittendum dicit. *Dian. p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 15. absolute probabilem, & in praxi tutam vocat, nec dissentit *Filliuc. tr.* 25. *c.* 3. *q.* 7. *num.* 51. *& Villalob. tom.* 2. *tr.* 12. *diffic.* 12. *num.* 3. *Lopez* verò 1. *p. Instruct. c.* 62. hanc sententiam ante factum non approbat, post factum non damnat. *Laym. l. c.* hanc doctrinam in praxi rarissime locum habituram esse docet, & *Megall. l. c. num.* 12. *ante vers. Quæ tamen intellige.* hanc opinionem plurimorum piorum, & grauium DD. esse affirmat. Secunda pars probatur, quia vix accidit prædictam occisionem esse medium idoneum, & necessarium ad honorem tuendum, & talis occisio post iam perfecte illatam, & non amplius impendentem violentiam non iusta defensio; sed vltio verius, & cædes omnino iniusta, Ecclesiæque pollutiua censenda est. ità *Laym. & Megall. ll. cc. Lanfranch. ibid. num.* 15. *Molin. tr.* 3. *disp.* 17. *num.* 8. *Soc. vbi supra. Carer. in pract. §. Homicid.* 6. *num.* 110. *Molfes. in Summ. tr.* 11. *c.* 19. *num.* 79. *Sayr. Clau. reg. l.* 7. *c.* 10. *num.* 29. *Bordon. decis.* 81. *Trullenc. in Decalog. l.* 5. *c.* 4. *dub.* 5. *num.* 2. nec non *Salon. Philiarch.* & alij apud citatos.

6. Dices 1. fugiens defert secum meum honorem, non secus ac fur meas res, ergo, vt pro rerum defensione furem eas auferentem, fugientemque ferire, &, si opus fit ad illa recuperanda, iuste occidere possum, ità etiam, & multo magis eum, qui post ignominiam mihi illatam meum secum defert honorem, iratum. & incontinenti occidere iuste semper potero, cum adhuc moraliter eadem duret honoris inuasio, & vnus, ac idem congressus reputetur, vt tenet *Philip. Faber. de restit. in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 52. *c.* 1. *num.* 29. & nouissimè *Marchant. in Summ. resolut. Pastoral. ad Decal. c.* 5. *quæst.* 3. *c.* 3. apud *Dian. l. c. resol.* 11.

7 Respondeo negando antecedens, & disparitas inter vtrumque casum est, quia fur non desinit vim inferre, donec in tutum se receperit, ideoque semper ea vis vi repelli potest; at, recepta iniuria, consummatum est delictum, nec licitum est iniuriato priuata se auctoritate vindicare, vt egregie respondent *Molin. Sayr. Molfes. Trullench. & Lanfranch. ll. cc.*

8 Dices 2. Qui post iniuriam mihi illatam fugit, donec satisfaciat, semper iniuste defert secum meum honorem, quem moraliter mihi abstulit, quando autem satisfacit, restituit illum mihi: ergo pro illo recuperando licebit mihi, si ille satisfacere noluerit, violenter illum eripere, &, si aliter recuperare nequeam, fugientem licite occidere potero, vnde non videtur dispar ratio de fugiente cum bonis meis, vel cum honore meo.

9 Respondeo aliud esse iniuste aliquid detinere, seu possidere, aliud vero iniuste aliquid inuadere: in furto, donec fur se in tutum receperit, semper is iniuste inuadit, & vim infert, saltem rebus, quas secum defert: vnde tunc semper iuste pro tali vi repellenda, si opus sit, occidi potest. At qui post illatam iniuriam fugit, non persistit adhuc in inferenda iniuria; sed eam iam intulit: vnde vere non est amplius inuasor: licet enim honorem, quem læsit, restituere teneatur; ad hanc restitutionem ramen obtinendam ius naturale non facit, vt iuste illum occidere possim priuata auctoritate, si is restituere nolit, quia id non est vim vi repellere: alia autem remedia instituta sunt ad vim repellendam; alia ad rem recuperandam: nec promiscue licent, sed suo queq. loco, & tempore, vt per se notum est. quod autem prædicta recuperatio honoris ablati, quæ per repercussionem incontinenti factam post acceptam iniuriam obtinetur, non fit vere defensio, & violentiæ depulsio, inde clare patet, quia eodem modo quis ablatum honorem recuperat, etiamsi ex magno interuallo post acceptam iniuriam iniuriatorem percutiat, vel, si opus sit, occidat.

10 Dices 3. Qui post illatam iniuriam fugit, cum iniuriato satisfacere teneatur, si id faciat, vel facturum se spondeat, iniuste ab iniuriato inuaditur, & se defendere etiam offendendo potest, seruato semper inculpatæ tutelæ moderа-

deramine, ergo, si contra satisfacere nolit, iuste inuaditur, & iuste occiditur, si id ad honoris ablati recuperationem necessarium fuerit.

11 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: licet enim, qui iniuriam intulit, satisfacere ex iustitia teneatur, semper tamen post illatam iniuriam iniuste ab iniuriato inuaditur, & iuste se defendere potest, non secus ac si nullam iniuriam alteri intulisset: meruit is quidem delicti pœnam; sed hæc priuata auctoritate iniuste sumitur, prout de adultero adulteræ maritum iuste cum moderamine inculpatæ tutelæ occidente iam dictum fuit, quod de similibus omnibus dicendum est.

12 Colligo 1. quamquam in foro externo, qui iniuriam passus est, si continuo aggrediatur aduersarium, præsumatur sese tueri, & vim vi repellere, & si occidat, ob animi dolorem minus puniatur ex *Clar. §. Homicid. num.* 34. quæ est receptissima sententia; tamen in foro interno non solum non semper esse meram, & iustam defensionem; sed aliquando esse veram, & iniustam vltionem, vt patet ex iam dictis; esset tamen vera defensio honoris, si v. g. Petrus, dum post factam Paulo iniuriam de ea se iactat, aut iniuriatum contemnit, aut alijs modis iniuriæ illationem continuat, à Paulo iniuriato iuste impeteretur, &, si opus etiam esset, occideretur; tunc enim vere adhuc vis vi repelleretur: immo in prædicto casu, Petrus, qui sic in iniuriæ illatione perseueraret, Paulum à se iniuriatū occidere iuste nequiret ad sui defensionem, si posset ex illa necessitate exire, desistendo scilicet ab iniuriæ illatione, & hoc defensori significando; quo tamen facto, tunc iniuste occideretur, vt supra dictum est. Quod si Paulus iniuriatus prudenter suspicaretur se à Petro iniuriatore potius deludendum, nouamque ab eo iniuriam expectandam, quam cessationem ab inceptis sperandam, tunc secus esset, quia adhuc Petrus iniurians in iniuriæ illatione perseuerare à Paulo iniuriato crederetur, & consequenter non iniusta esset iniuriæ depulsio, quam Paulus iniuriatus tunc Petrum occidendo faceret; sed in eo casu non iniusta quoque esset in foro interno violentiæ depulsio, quam Petrus ipse faceret; quamuis enim antea iniustus aggressor fuisset; tamen tunc post veram cessationem ab iniuriæ illatione iniuste à Paulo impeteretur, ideoque, si Paulum cum debito tutelæ moderamine occideret, iuste occideret, etiamsi Petrus antea suspicatus fuisset, & præuidisset, immo intendisset talis cædis futuræ euentum, ac proinde ea Pauli occisio fuisset à Petro omnino volita in prædicta causa; tunc enim Petrus peccasset quidem peccato interno homicidij; sed non externo opere; nam exterior illa occisio non esset tunc iniusta, nec esset verū, & proprium homicidium, vnde nec per prædictam occisionem pollueretur Ecclesia, si ibi eam fieri necessitas coëgisset. Hinc superius diximus *cap. 16. num.* 4. non pollui Ecclesiam per homicidium, seu verius occisionem ab amente, vel ebrio factam, quia scilicet in ebrietate talis exterior occisio non est in se peccaminosa, nec iniusta, nec proinde proprium homicidium. dixi verò ibidem *nisi illud vere fuerit in sua causa voluntarium, & in genere veri homicidij grauiter peccaminosum*, quia ad prædictam occisionem Ecclesiæ pollutiuam constituendam necesse est, tum vt ea grauiter, & peccaminose voluntaria vel in se, vel in causa, tum vt actio ipsa exterior grauiter iniusta fuerit, ad quod non sufficit posuisse causam per accidens, vel remotam, qualis fuit v. g. prima Petri inuasio contra Paulum in prædicto casu, licet Petrus ex ea inuasione Pauli cædem ex inuasionis depulsione, &c. præuiderit, & intenderit, nam talem cædis causam per accidens, & remotam ponendo Petrus peccauit iuxta sententiam *Less. l. 2. c. 9. dubit.* 15. *num.* 107. tantum contra Charitatem, non contra iustitiam, cum ex Charitate tantum tale Pauli damnum impedire teneretur.

CAPVT XXXX.

An polluatur Ecclesia, si ibi in adulterio deprehensa vxor, vel filia, itemque adulter occidatur.

SVMMARIVM.

Maritis iure Cæsareo secundum aliquos non permittitur, vt vxores in adulterio deprehensas occidant; sed adulteros tantum, & cum limitatione, num. 1.

Pater Filiam, & Adulterum simul cum quibusdā conditionibus occidere potest per leges ciuiles, ibidem.

Huius capitis quæstio pendet maximè ab illa, num prædicta cædes adulteri à marito facta, vel alia similis, in exteriori tantum, vel etiam in interiori foro liceat, num. 2.

Permittere, vt aliquid impune fiat, & concedere, vt licite fiat, diuersissima sunt, num. 3.

Deus potest remittere peccati pœnam, non remissa culpa. ibid. Quod-

Quodnam sit obiectum legis permissiuæ. ibid.

Ecclesia, si ibi vxor, vel filia, itemq. adulter occidatur, polluitur, num. 4.

Leges ciuiles prædictæ, ne dicantur iniustæ, dicendæ sunt mere permissiuæ. ibid.

Prædictæ cedes cur sint iniustæ, & vera homicidia. ibid.

Qui in Clericum turpiter cum matre vxore, sorore, vel filia inuentum manus iniecerit violentas, cur ab Excommunicatione per Cap. Si vero 1. de sent. Excomm. *excipiatur, nu. 5.*

Quid si in prædicto casu vxor, vel filia, vel adulter ad suam defensionem cum moderamine debito Maritum, vel Patrem in Ecclesia, si alibi id facere nequirent, occiderent? ibid.

Quid item, si adulter, non vt se; sed vt adulteram defenderet à marito, ibidem maritum ipsum, stante prædicto moderamine, & loci necessitate, occideret? ibid.

1 ADuerto 1. Licet multi precipue ex Theologis, putent iure Cæsareo permitti maritis, vt vxores in adulterio deprehensas occidant; quemadmodum Patri Filiam, & adulterum simul cum quibusdam conditionibus occidere permittitur ex *L. Patri, & seq. ff. eod.* tamen hoc falsum reputari à *Couar. de Matrim. p. 2. c. 7. §. 7. num. 2. Less. de Iust. & Iur. l. 2. c. 9. dubit. 5. num. 15. Pontio de Matrim. l. 10. c. 15. num. 16. in fin. & Meg il. Instit. Peregr. p. 3. l. 2. c. 7. q. 5. num. 32.* qui quamuis olim aliquandiu id permissum fuisse dicant; tamen post Legem Iuliam de adulterijs ab Augusto latam, vt recitatur *Sueton. in Augusto c. 34.* adulteri tantummodo, & cum limitatione, nullibi autem vxoris, licet in adulterio deprehensæ, occisionem maritis permissam esse volunt ex *L. 2. & L. Marito, ff. ad L. Iul. de adulter.* nec non *L. Castitatis, & L. Gracchus, C. eod. tit.*

2 Aduerto 2. quicquid sit de prædictæ Cæsareæ, vel alterius cuiusuis talis permissionis extensione, vel restrictione, propius ad rem nostram accedere quæstionem illam, num, stantibus ijs, aut similibus legibus, prædictæ occisiones in foro tantum exteriori, vel etiam in interiori liceant, quod magna, & animorum, & verborum contentione inter Salmaticenses DD. superioribus annis disputatum fuisse narrat *Pont. l. c. num. 2.* & apud Auctores etiamnum controuersum videri potest. pro cuius solutione, cum inde *cap. huius* decisio maximè pendeat,

3 Aduerto 3. permittere, vt aliquid impune fiat, & concedere, vt aliquid licite fiat, esse interse diuersissima; ac proinde posse dari leges iustas mere permissiuas peccati; non tamen leges iustas vere concessiuas peccati, vt peccatum aliquod licite fiat, per nullam legem iuste concedi potest; iuste tamen præcipi potest, vt peccatum aliquod non puniatur, cum ablatio punitionis peccati alicuius possit esse non mala, immo sæpe bona, & necessaria sit. hinc Deus ipse potest remittere pœnam, etiam non remissa culpa, & inter homines, si omnia minuta punirentur, daretur grauissimis alijs malis occasio: nec lex permissiua alicuius peccati habet aliud obiectũ, quam prædictam negationem punitionis, quę iusta esse potest, vt dixi, licet perpetratio ipsa peccati semper mala sit, & iustæ legis obiectum esse nequeat, vt egregie explicat *Arriaga in 1. 2. tom. 2. tr. de legib. disp. 4. sect. 1. num. 3.* His autem præmissis,

4 Dico Ecclesiam, si ibi vxor, vel filia, itemque adulter occidatur, pollui. probatur primo, quia leges Ciuiles, quæ prædictas occisiones concedere videntur, ne dicantur leges iniustæ, dicendæ sunt mere permissiuę, modo iam explicato, cum auferant à prędictis occisionibus solummodo punitionem; non verò malitiam moralem, quam alioquin semper eæ habent, saltem vt à lege naturali prohibitæ. vnde nobiscum esse debent quotquot prædictas occisiones in conscientia illicitas, & vera homicidia in foro interiori esse docuerunt, quorum catalogum satis longum videre potes apud *Farinac. q. 121. num. 55. Sanch. de Matr. l. 10. nu. 39. & Barbos. in Collectan. tom. 4. p. 2. in Can. Inter hæc 33. quæst. 2.* vbi 48. Doctores refert, immo prædictam sententiam tam Canonistarum, quam Theologorum communem esse testantur *Azor. tom. 3. l. 2. c. 9. quæst. 8. Sayr. in Clau. reg. l. 7. c. 10. num. 8. vers. Tertium, Homobon. de cas. reseru. p. 2. c. 3. vers. Secundo, Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 62. num. 52. Floron. de cas. reseru. p. 2. cas. 4. §. 3. num. 6. Valer. de differ. inter vtrumq. forum, V. Adulterium, different. 1. num. 2. & 3. Io. Sanch. in Select. disp. 48. num. 60. & Pontius l. c. num. 3. & 5.* vbi tales occisiones, quamuis impune; iniuste tamen fieri, nec ab hac communi sententia in re tanti momenti recedendum iudicat, & obiectis omnibus egregie respondet; contrariam vero improbabilem, immo falsissimam, nec vllo modo tenendam dixerunt *Pontius l. c. & Dian. p. 5. tr. 4. resol. 223.* nec defuere, qui illam seueriore censura dignam censuerint, vt propterea propositio illa, quæ in *Aphoris. Sà, V. Homicidium, num. 15.* ante eorum expurgationem talis erat, *Occidere in adulterio deprehensam vxorem, vel filiam, itemque adulterum licere aiunt quidam, alij melius negant,* post expurgationem à Sacri Palatij Apostolici Magistro factam talis ibid. sit, *Occidere*

cidere in adulterio deprehensam vxorem, vel filiam, itemque adulterum, non licet in foro conscientiæ. Probatur etiam nostra conclusio secundo, quia adhuc talis cædes, licet vere concederetur vt licita per leges ciuiles, esset iniuriosa Ecclesiæ iuribus, quod satis est ad Ecclesiæ pollutionem inducendam, vt inferius dicemus.

5 Colligo, sicuti per leges ciuiles prædictæ occisiones impune licet ob iustum, vehementem, nimiumque dolorem, quem maritus, & pater animo concipiunt ex illato dedecore, ità ob eandem rationem per Sacros Canones eum ab excommunicatione excipi, qui in Clericum turpiter cum vxore, matre, sorore, vel filia propria inuentum manus iniecerit violentas, vt patet ex *Cap. Si vero, il 1. de sent. Excommunic.* nec tamen inde inferri posse talem violentarum manuum iniectionem, vel licitam, vel non iniustam esse: Immo, si in prædictis casibus vxor, vel filia, vel adulter ad suam defensionem, vel alij etiam ad prædictorum defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum, vel Patrem occiderent, non pollueretur Ecclesia, quia non esset iniusta cædes; licet enim antea cædis illius occasionem ij iniuste dedissent, & inde secundum aliquos ad restitutionem, quod hic non disputo, pro damnis illatis obligati fortasse remansissent, dummodo talium damnorum periculum ex varijs circunstantijs præuidere potuissent, & debuissent, non propterea tamen naturale se iuste defendendi ius amisissent in casu, quo iniuste postea inuaderentur, pro vt iniuste postea à prædictis patre, vel marito inuaduntur, vt patet ex iam dictis, nam licet Maritus, vel Pater atrocem passi sint iniuriam; tamen inde non acquisiuere ius occidendi postea vxorem, vel filiam, vel adulterum, &c. Addo, etiamsi adulter, vt adulteram ipsam defenderet à marito, maritum ipsum cum moderamine prædicto occideret; iuste adhuc occideret. nec, si alibi eum occidere nequiret, quod semper suppono, inde pollueretur Ecclesia, quia maritus tunc iniustus inuasor esset in prædicto casu, quilibet autem iuste potest iniustum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere ad defensionem proximi iniuste inuasi, vt iam diximus *cap. 30. num. 4.* & expresse in prædictis hisce casibus docent *Bannes de Iust. q. 64. art. 3. dub. 4. conclus. 3. & Ios. de Iannar. de cas. reseru. resol. 47. num. 31.* videantur etiam quædam huc spectantia, quæ superius *cap. 33. n. 5.* dicta sunt.

CAPVT XXXXI.

An Ecclesia polluatur, si ibi reus auctoritate publica sæculari occidatur.

SVMMARIVM.

Occidere illicite aliquem in Ecclesia cur non solum sit Sacrilegium; sed etiam peccatum contra iustitiam, num. 1.

Ecclesia ex immunitatis suæ priuilegio habet ius tuendi ad se confugientes, vel in ea residentes ab omni violentia, & sæculari iurisdictione, num. 2.

Ecclesia, quà materiale templum, non est capax dominij, aut iuris, num. 3.

Ecclesiæ ius pertinet vel ad Deum ipsum immediate, vel ad Clerum, vel ad totam Fidelium congregationem. ibid.

Immunitatis priuilegium principaliter Ecclesiæ concessum cur redundet etiam in eos, qui in ea sunt. ibid.

Tam locus sacer continens, quam persona ibi contenta eximuntur à iurisdictione sæculari, licet ea alias huic subdita sit. ibid.

Siquis, saltem quando sibi graue damnum timeret, se ipsum ab Ecclesia extrahere conātes ibi occideret cum moderamine inculpatæ tutela, Ecclesia inde non pollueretur. ibid.

Ecclesia, si ibi reus, etiamsi alioquin morte dignus, auctoritate publica sæculari occidatur, polluitur, num. 4.

Canones, & D. Th. qui in contrarium adducuntur, pro nobis explicantur, num. 5. & 6.

Naldi sententia quadam huc spectans reprobatur, num. 7.

Dictum illud, quando initium alicuius actus est licitum, ipsum potius, quam finis eiusdem actus, attendi solet, *quomodo intelligendum sit. ibid.*

Siquis proijceret telum in ingredientem Ecclesiā, sed illud non pertingeret nisi ad eum iam ingressum in Ecclesiam, an Ecclesia inde polluetur. ibid.

1 Aduerto 1. illicitam hominis occisionem in Ecclesia factam non solum esse peccatum contra religionem, & esse sacrilegium; sed etiam esse contra iustitiam, & esse verum homicidium, eo quod sit contra loci sacri tum cultum, tum immunitatem; habent enim Christifidelium templa vsque à primæua illorum ædificatione, hoc est à tempori-

bus Constanini, quo publicè ædificari cæperunt, priuilegium non solum iure Canonico, sed etiam Ciuili confirmatum tuendi confugientes ad se, vel in ijs residentes; infringere autem prædictum priuilegium, & Ecclesiasticæ Immunitatis ius contra iustitiam est, vt egregie docuerunt *Suar. de relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 8. & 13. Valent. tom. 3. disp. 6. q 15. punct. 1. q. 2. Bonac. tom. 2. disp. 3. quaest. 7. punct. 6. num. 1. & tom. 3. de censur. in partic. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 13. nu. 1. Castropal. tom. 2. tr. 11. disp. vnic. pun. 11. num. 14. & pun. 12. num. 1. Farinac. de carcer. q. 28. num. 5. & in Append. de immunit. c. 20. num. 221. Ambros. de Immunit. c. 15. num. 7. Villalob. in Summa tom. 2. tr. 39. diffic. 8. num. 4. Laym. l. 4. tr. 9. c. 3. nu. 14. Scort. in Bull. Pont. Epitom. 152. Theorem. 385. Peregrin. de Immunit. c. 15. num. 26. Trullen. in Decal. l. 1. c. 11. dub. 5. num. 1. & Iordan. Elucubr. diuers. tom. 2. l. 1. tit. 3. num. 274.*

2 Aduerto 2. ex prædicto immunitatis priuilegio Ecclesijs cõcesso eas habere ius tuendi ad eas confugientem, vel in ea residentem non solum à priuatorum violentia; sed etiam ab omni sæculari iurisdictione: omnis enim sęcularis iurisdictio contra Ecclesiæ immunitatem se habet tantum, vt persona priuata, cum Ecclesię sint loca exempta quo ad hoc ab omni iurisdictione sæculari, vt ex prædictis patet.

3 Aduerto 3. Ecclesiam hoc in loco, in ordine scilicet ad Ecclesię ius, & priuilegium immunitatis, non considerari tamquam materiale templum, sic enim non est capax dominij, aut iuris; sed tamquam personam quandam capacem sui iuirs, & dominij, siue hoc pertineat ad Deum ipsum immediate, siue ad Clerum, qui est pręcipua Fidelium pars, siue ad totam Fidelium congregationem. & licet priuilegium hoc immunitatis principaliter, & per se concessum sit Ecclesiæ; tamen, quia concessum est illi, quatenus continet, & tuetur ad se confugientes, & in ea residentes, idcirco illud redundat in eos, quatenus ibi sunt. vnde, sicuti locus continens, ita etiam persona ibi contenta eximitur à iurisdictione sęculari, licet alias illi subdita sit, indeque ius habet, vt in Ecclesia non capiatur contra prędictum priuilegium, & per vim, & arma resistere potest Iudici sæculari extrahere volenti, quia hic illi iniuriam facit, ac proinde reo illi vim vi repellere licet, ad quod facit *L. Prohibitum, C. de iure Fisci, lib. 10.* vbi officiali iniuste exequenti licite de facto resistitur, & ita tenent *Suar. l. c. c. 13. nu. 4. Italia de Immunit. Eccles. l. 1. c. 6. §. 2. num. 45. in fin. vers. Sed redeo. Farinac. in Append. de immunit. c. 2. num. 46. Bonac. disp. 3. de primo Decal. prac. q. 7. de Immunit. §. 5. in princip. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 32. vers. Sed ibi ipse. Castropal. l. c. nu. 15. Barbos. de Iur. vniuers. Eccles. l. 2. c. 3. num. 156. & Trullench. l. c.* Immo reus, saltem quando sibi graue damnum inde timeret, si repellendo pręd ictam vim vi, extrahere conantem occideret cum moderamine inculpatę tutelę, inde Ecclesia non pollueretur, vt iam diximus generatim loquendo *cap. 29. & seq.*

4 Dico Ecclesiam, si ibi reus auctoritate publica sæculari occisus sit, pollutam esse, quia is ibi iniuste occisus fuit, & est verum homicidium contra ius non solum Ecclesię, sed etiam rei ipsius occisi, iuste enim ab Ecclesia ibi ius habebat, ne in ea occideretur, aut violentiam vllam pateretur, quamuis alioqui iuste extra locum illum mortem meruisset. hinc Ecclesiam in prędicto casu pollui tradunt communiter DD. *Syluest. V. Consecratio 2. quaest. 5. cas. 1. Rodriq. in Summ. p. 1. c. 154. concl. 6. num. 7. Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 48. num. 21. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 12. Sà V. Ecclesia num. 13. Azor. p. 2. l. 9. c. 5. quaest. 1. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 1. Reginal. l. 29. c. 9. sect. 5. nu. 180. §. Atque ex his. Fagund. de 1. Eccles. prac. c. 14. num. 9. in fin. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 54. in fin. Gargiar. de Aquis cap. 12. num. 2. Persic. de 1. Sacerd. offic. l. 1. c. 7. dub. 1. nu. 13. Iordan. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 10. Barbos. de offic. & potest Episc. alleg. 28. nu. 25.* & alij apud istos.

5 Dices, qui extrahit violenter aliquem ab Ecclesia (& eadem est ratio de alijs violandæ immunitatis Ecclesiasticæ modis) committit peccatum Sacrilegij, vt patet ex *Cap. Quisquis, 7. q. 4. & Cap. Miror, ibid.* immo *D. Th. 2. 2. q. 99. art. 2. ad 3.* ait prędictam extractionem delinquentis non habere aliam deformitatem, quã quod res sacra violatur, ergo neq. prędicta occisio rei morte digni ibi facta à Iudice erit iniusta; sed tantum sacrilega. vnde per eam non violabitur Ecclesia.

6 Respondeo ibi sermonem esse de eo peccato, pro vt primario vere sacrilegum est; sed ibi non negari, quod, posito prędicto priuilegio, & iure Ecclesijs concesso, inde secundario non fiat sacrilegium iniustum, cum secunda ex iniustitię malitia sit consequens ad primam ex prędicta suppositione.

7 Colligo cum *Persic. l. c. num. 14.* falsam esse sententiam *Naldi in Summa V. Ecclesia nu. 30.* affirmantis Ecclesiam non pollui, siquis stante statuto, vt quis sine pęna possit percutere in sua possessione eum, qui illam ingreditur, in Ecclesia occideret eum, qui ingressus fuisset possessionem occisoris, & postea fugiens

ie

se in Ecclesiam recepisset; licet enim id illi licuisset in sua possessione, non tamen licebat in loco sacro, sicut Iudici licet furem in foro suspendere, sed non in Ecclesia, etiamsi ad eam ex patibulo confugisset. Nec valet dicere, quod, quando initium alicuius actus est licitum, ipsum potius, quam finis eiusdem actus attendi solet, nam hoc falsum est, quando mutantur circunstantiæ, pro vt in hoc casu mutatur loci circunstantia, vnde nec *Syluest. V. Immunitas 3. num. 7. & 8. nec Azor. p. 2. l. 8. c. 9. q. 14. dicto 3. in fin.* vllam mentionem faciunt de loco sacro. Si tamen quis telum proijceret in ingredientem Ecclesiam, sed telum non perueniret ad ingredientem, nisi postquam iam Ecclesiam ingressus esset, tunc, etiamsi in Ecclesia is sic occideretur, hæc non pollueretur ex *eod. Persic. l. c.* tunc enim vera esset Naldi sententia, nam eadem actio, scilicet teli proiectio inciperet in possessione, & finiret in Ecclesia; sed per accidens, nam ex se actio tendebat in ingredientem, ac proinde in eum, qui nondum erat ingressus Ecclesiam, quæ proinde licita erat; secus autem fuisset, si actio tetendisset per se in iam ingressum, vt patet ex *cap. 5. num. 5.*

CAPVT XXXXII.

An polluatur Ecclesia, si reus ibi auctoritate publica Ecclesiastica occidatur.

SVMMARIVM.

Auctoritas Ecclesiastica duplex est, Suprema, et Inferior, num. 1.

Dispensare in priuilegio Immunitatis Ecclesiasticæ est de reseruatis Summo Pontifici, num. 2.

Omnis violentia aduersus residentes in Ecclesia, nisi sit in casibus, et cum conditionibus in Bulla Gregor. XIV. expressis, vel nisi intercedat alia Summi Pontificis facultas, semper est iniusta, num. 3.

Ecclesia ex homicidio ibi facto auctoritate Ecclesiastica cuiuscunque Summo Pontifice inferioris polluitur, num. 4.

Nequaquam vero polluitur ex homicidio ibi Summi Pontificis auctoritate facto. ibid.

Neque Ecclesiastici priuantur in Ecclesia Immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio, nisi per auctoritatem Summi Pontificis. ibid.

Si Summus Pontifex id concederet, censeretur etiam dispensare in lege pollutionis Ecclesiasticæ. ibid.

Summus Pontifex dispensare potest in omni iure Canonico, cum sit supra illud. Ibid.

Polluitur Ecclesia, etiamsi ibi occisus cedisset iure suo, & renunciasset Immunitatis priuilegium, num. 5.

Cur tamen asseratur tantum nemo possit tali iure cedere, & Immunitatis priuilegium renunciare, ibidem.

1 ADuerto 1. dupliciter sermonem hic esse posse de auctoritate publica Ecclesiastica, nimirum, vel de auctoritate Sũmi Pontificis, vel de auctoritate aliorum Pontifice maximo inferiorum, puta Episcoporum, &c.

2 Aduerto 2. dispensationem in priuilegio immunitatis, ac proinde facultatem extrahendi ab Ecclesia, & multo magis nocumentum inferendi personis in ea residentibus, maximè post Bullam *Greg. XIV. dat. Rom. IX. Kal. Iunij 1591.* quæ incipit, *Cum alias*, spectare ad Summum Pontificem, & esse de illi reseruatis: cum enim in supradicta Bulla eas extrahendi facultas à Pontifice maximo Prælatis concedatur tantum in aliquibus casibus exceptis, tacite ea, & omnis alia facultas contra prædictam immunitatem in alijs omnibus casibus in prædicta Bulla nõ expressis negatur, præcipuè cum ibi dicatur irritũ esse, & inane, quod contra actum fuerit, ita *Farinac. de carcer. & carcerat. quæst. 28. num. 2. & in Append. De Immunit. Ecclesæ. vlt. num. 345. & 346. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 7. punc. 7. num. 3. Castropal. tom. 2. tr. 11. disp. vnic. punct. 11. nu. 5. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 32. & Iordan. Elucubr. tom. 2. l. 11. tit. 3. num. 306. & 307.*

3 Aduerto 3. inde fieri, vt nisi seruentur ea, quæ in prædicta Bulla tam in casibus exceptis, quam non exceptis seruari præcipiuntur, & secus irrita decernuntur, vel nisi adsit alia Summi Pontificis facultas, reus quilibet iniuste in Ecclesia vim patiatur, ac proinde iniustam vim iuste vi repellere possit, pro vt *cap. præced.* dictum fuit.

4 Dico Ecclesiam ex homicidio ibi facto auctoritate Ecclesiastica cuiuscumq. Pontifice maximo inferioris pollui; nequaquam vero ex homicidio ibi auctoritate Pontificis maximi facto. prior conclusionis pars inde patet, quia talis occisio adhuc est iniuriosa & reo, & Ecclesiæ, cum sit contra priuilegium immunitatis, quo nemo in Ecclesia, nisi per auctoritatem Summi Pontificis, vt iam dictum est, priuari potest, ideoq. dico, siue prædictum homicidium factum fuerit in persona sæcularis, siue Ecclesiastica, cum etiam Ecclesiastici gaudeant hoc priuilegio immunitatis, vt bene docuit *Farinac. de carcer. & carcerac. q.*

18.num.7.Tusc.tom.3. lit. E.conclus.9.num.17. & conclus.10.num.25.Decian.tr.crim.p.2.l.6.c.26.num.1. Ambrosin.de Immunit.c.12.num.3. Ital.l.1.c.3.§.1.num.2. Bobadil.in Polit.tom.1. l.2.c.14. num. 57. in Gloss.lit. P.Duard. in Bull. Capæ l.2.can.15. quæst.16.num.13. Gambacur. de Immunit.l.4.c.11.num.8. Laym.l.4.tr.9.c.3. num.13.Barbos. in Collect. tom.1.l.3.tit.49.c.6. num.14. & ita tenuit S. Congreg. Concil. & Episc. apud Dian.p.3.tr.1.resol.35. altera verò conclusionis pars probatur, quia Pontifex maximus potest prædictam licentiam concedere, cum dispensare possit in omni iure Canonico, & sit supra illud, prout innumeris concordantibus probat Farinac.in Appendic. de Immunit.Eccles.c.vlt.num.346.vsq. ad num. 353. ac proinde tunc censeretur etiam dispēsare in lege Pollutionis Ecclesiasticæ, vt alibi dicemus.

5 Colligo, etiamsi reus ipse in Ecclesia residens cederet iure suo,& renunciaret huic priuilegio, quo frui posset; adhuc ex prædicta occisione Ecclesiam pollui, quia adhuc hæc occisio esset iniuriosa Ecclesiæ ipsi, & consequenter iniusta respectu totius cætus Fideliū, vel Clericorum, qui habent hoc ius, vt nemo in Ecclesia violentiam patiatur. vere tamen, sicuti nemo facere potest, nisi tantum affectiue, quin ipse sit vnus ex tali cætu; ita etiam facere nequit, quin ipse gaudeat tali priuilegio toti cætui concesso, cum illud illi competat non tamquam peculiari, & priuatæ personæ; sed tamquam vni ex prædicto cætu. videatur Decian.l.c.c.26.num.12. Mar.Ital.l.c. l.1.c.6.§.2.num.84.& seq. Farinac.l.c. à n.302. vsq. ad fin. cap. & Iordan.Elucubr.tom.2.l.11. tit.3.num.259.

CAPVT XXXXIII.

An Ecclesia polluatur, siquis ibi in casibus Ecclesiastica Immunitate priuatis occidatur.

SVMMARIVM.

Immunitas Ecclesiæ multo magis violatur per occisionem existentis in ea, quam per extractionem eiusdem ab ea, num.1.

Per prædictam occisionem incurritur secundum aliquos Excommunicatio d. Bullæ Gregorianæ contra extractores reorum ab Ecclesia in casibus non exceptis, ibid.

Bulla Gregor. XIV. de Immunitate Ecclesiarum antiquas omnes dispositiones ad vnam formam reduxit, num. 2.

Bulla prædicta non priuat omnes delinquentes, nec omni iure, & priuilegio Immunitatis, ibidem.

Bulla Gregoriana prædicta concedit tantum aliquando, & aliquibus seruatis, delinquentium extractionem ab Ecclesia; non autem eorundem in ea occisionem, num.3.

Delinquentibus prædictis licet, si contra Immunitatis priuilegium impetantur, vim vi repellere, ibid.

Ecclesia polluitur, si reus, etiam in casibus per Gregorianam Bullam exceptis, ibi occidatur, num. 4.

Aliud est esse indignum, aliud est esse priuatum priuilegio prædictæ Immunitatis, num.5.

Immunitatis prædictæ priuilegium indistinctè omnibus concessum est, & nemini negandum est, nisi quatenus, & prout de legitima exceptione legitime constiterit, ibid.

1 ADuerto 1. Ecclesiæ Immunitatem violari quidem per extractionem rei ab Ecclesia in casibus à Bulla Greg.XIV.non exceptis; sed multo magis per occisionem rei in Ecclesia, vt bene docuit Remig. Gonn. de Immunit.Eccles. Fallent.36.Peregrin.c.5. num. 11.vers.Amplio supradictam ampliationem, & Dian.p.6.tr.1.resol. 21. in fin.& resol. 35. vers. His tamen. vnde huic etiam sententiæ adhærere tenentur, qui per interfectionem rei in Ecclesia Excommunicationem latam in Bulla prædicta Gregor.XIV. incurri tradiderunt, Io. Maria Nouar.tr. de Elect.fori com.2. p. 2.q. 14. Nald. in Annotationib. practic.ad ius Canonic.fol.61. & Squillante de obligat. Cler. p. 5. dub.14.num.90.

2 Aduerto 2. licet,vt ex prædictæ Bullæ Gregorianæ antiquas omnes dispositiones ad vnam formam reducentis tenore patet, octo delinquentium genera prædicto immunitatis Ecclesiasticæ priuilegio careant, ita vt, si ad Ecclesiam confugerint, ab ea extrahi possint, seruatis seruandis; tamen delinquentes,etiam in casibus illis exceptis, non priuari à Summo Pontifice vndequaq. omni Immunitatis Ecclesiasticæ iure, ac priuilegio; sed quoad illam partem tantum, quæ extractionem inde impediebat. proinde

3 Aduerto 3. ex prædictis omnino fieri, vt, si delinquentes prædicti spolientur etiam Immunitatis iure quo ad alias partes, v.g. si in Ecclesia aliquid eis nocumenti inferatur, iniuste inferatur, atque adeo, prout superius etiam dicebamus, vim vi repellere tunc eis liceat. Bulla enim concedit in talibus casibus reum ab Ecclesia extrahi;non autem eundem

dem ibi occidi posse, quod maius aliquid est, videatur *Farinac. quest. 28, num. 47. & quest. 103. num. 323. vbi ait*, Si Banniti capitaliter non possunt capi in Ecclesia, necessario sequitur, vt multo minus possint occidi, nec non in *Append. c. 2. num. 39.*

4 Dico Ecclesiam, si reus, etiam in casibus, in quibus per Gregorianam Bullam ab Ecclesia extrahi posset, ibi occidatur, pollui. Ratio est quia talis occisio homicidium verum est, ac proinde Ecclesię pollutiuum, cum per prędictam Bullam reus non priuetur immunitatis priuilegio quo ad hanc partem, vt in Ecclesia occidi licite possit; sed solum quo ad illam, vt ab Ecclesia extrahi valeat, dummodo ibi pręscripta seruentur. hinc in nostro casu Ecclesiam violari expresse dixerunt *Peregrin. & Dian. ll. cc.*

5 Colligo, etiamsi aliquando delinquentes aliqui videantur indigni omni Immunitatis Ecclesiasticę priuilegio; nihilominus eos eo prorsus gaudere, nisi Summus Pontifex eos eo priuet vel quo ad omnes eius partes, & effectus, vel quo ad aliquas tantum: aliud enim est esse indignum, aliud est esse priuatum Priuilegio, vt omnes norunt. Vnde, cum prędictum priuilegium indistincte quibuscumque ad Ecclesiam confugientibus, vel in ea residentibus faueat, nemini negandum est, nisi quatenus, & prout de exceptione legitima legitime constiterit, vt per se clarum est.

CAPVT XXXXIV.

An polluatur Ecclesia, si ab Ecclesiæ ingressu Interdictus, vel Excommunicatus, & capitaliter ob crimen in Bulla prædicta exceptū iuste bannitus ibi occidatur.

SVMMARIVM.

Prędictum homicidium cur nequaquam Ecclesia pollutiuum videri possit, num. 1.

Interdicti, & Excommunicati Ecclesiarum Immunitate gaudent, num. 2.

Occisio prędicta cur semper sit iniusta, num. 3.

Ecclesia polluitur, licet ibi occidatur iuste Interdictus, vel Excommunicatus, & capitaliter bannitus ob quodcumq. delictum, num. 4.

Idipsum dicendum, etiamsi occidatur, qui Immunitatem prędictam quomodocumq. læserit, num. 5.

Delinquentis malitia Ecclesię Immunitati nocere non debet, ibid.

Ecclesiarum Immunitas non Ecclesijs propter personas; sed personis propter Ecclesias concessa est, ibid.

Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem, ex Cap. Quia frustra, *de vsur. quomodo accipiendum, ibid.*

1 ADuerto 1. partem negatiuam alicui fortasse veram videri posse, eo quod tale homicidium illicitum tantum, & contra Ecclesię reuerentiam factum; sed nequaquam iniustum videri possit: nulli enim omnino per tale homicidium iniuria facta videtur; non priuilegio Immunitatis iam dicto, quia Ecclesia interdictos, vel Excommunicatos procul à se repellit; non Reipublicæ, quia eum morte damnarat, & impune occidi posse concesserat; non denique ipsimet occiso, quia iuste damnatus, iusteq. interdictus, vel Excommunicatus supponitur.

2 Aduerto 2. cum Interdictum, vel Excommunicatio non habeant alios effectus, nisi quos Ius declarauit, cumque nullo iure statutum sit, vt Interdicti, vel Excommunicati omni Ecclesiæ immunitate careant, ità vt ob id etiam in Ecclesia ipsa licite occidi valeant, propterea tam Interdictos, quam Excommunicatos prędicta Immunitate gaudere, & semper tam in casibus per prędictam Greg. XIV. Bullam exceptis, quam non exceptis contra prędictę Immunitatis priuilegium in Ecclesia occidi, vt *cap. praced.* dicebamus, & communiter docent DD. quos longa serie relatos videre potes apud *Peregr. de Immunit. c. 12. num. 2.*

3 Aduerto 3. prędictam occisionem in Ecclesia factam consequenter iniustam esse, quia ex prędictis ipsi quoq. Interdicti, vel Excommunicati habent ius ex Immunitatis prędictæ priuilegio, vt in Ecclesia non occidantur, cui priuilegio, quo ad hunc effectum, nec ex prędicta Bulla, nec aliunde hactenus à Summo Pontifice derogatum fuisse constat: quare

4 Dico, etiamsi ab Ecclesię ingressu interdictus, vel Excommunicatus, & capitaliter ob crimen, etiam in Bulla prędicta exceptum, iuste bannitus in Ecclesia occidatur, Ecclesiam nihilominus inde pollui, quia adhuc prędicta occisio iniusta est, vt ex superius dictis aperte constat.

5 Colligo idipsum dicendum esse, etiamsi ibi occidatur, qui Immunitatem prędictam quomodocumque lęserit, quia delinquentis malitia Ecclesię immunitati nocere non debet, cum immunitas non loco sacro propter

per-

personas; sed personis propter locum concessa sit. Nec obstat, quod frustra legis auxilium implorare dicatur, qui committit in legem, *Cap. Quia frustra, de vsuris*, tum quia hic fauor directe Ecclesijs conceditur, non personis; licet in has etiam redundet, cum non tam personę beneficium, quam loci sanctitas consideretur, propter quam etiam iniquis, & alioqui pęna dignis tale priuilegium opitulatur: tum quia, cùm hoc pendeat ex iure positiuo, nemo legislatori visus est in Immunitatis prędictę legem ità peccare, vt eiusdem Immunitatis priuilegio prorsus priuandus fuerit, pluris enim loci sanctitatem, in cuius fauorem prędicta immunitas concessa est, ęstimandam, quam delinquentis iniquitatem attendendam esse censuerunt, vnde ea semper opinio præferenda videtur, cui verba legis magis fauent, vt optime dixit *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 10. num. 9. in fin.*

CAPVT XXXXV.

An, siquis se ipsum in Ecclesia occiderit, ea polluatur.

SVMMARIVM.

Occisio non voluntaria sui ipsius, facta v. g. à non habente vsum rationis, vel ab ebrio, &c. non polluit Ecclesiam, n. 1.

Nec Ecclesiam polluit occisio sui ipsius non peccaminosa, facta v. g. ex inculpata ignorantia, seu ex diuino instinctu. ibid.

Qui iuste est capitaliter bannitus, omnibusq. Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegijs priuatus, si se ipsum in Ecclesia occidat, cur hæc non polluatur, num. 2.

Num in prædicto casu illicite saltem, vel etiam licite quis se occidat. ibid.

Iustitia propriè non datur ad se ipsum, num. 3.

Volenti, & consentienti ordinarie non fit iniuria. ibid.

Ecclesia, siquis ibi iniuste, vt ordinarie fit, se ipsum occiderit, polluitur, num. 4.

Se ipsum occidens nullam sibi ipse iniuriam inferre videtur, num. 5.

Iniuriam tamen is infert Ecclesiæ iuri, ne quis ibi occidatur, quod prædictam occisionem sufficienter iniustam, & Ecclesiæ pollutiuam facit. ibid.

1 ADuerto 1. sermonem hic esse de occisione voluntaria, & peccaminosa, nam si ea esset non voluntaria, v. g. facta à non habente vsum rationis, vel ebrio, vel amente, vel furioso, vel simili occisore, absq. dubio ea, vt ex superius dictis constat, Ecclesię pollutiua non esset: idemque dico, si ea non esset peccaminosa; licet esset voluntaria: qualis Martyrum quorundam fuit, qui vltro in medios rogos, vltro in medias vndas exiliere, nec tamen inde condemnari debent, eo quod vel ignorantia inuincibili, & probabili dictamine excusante, vel Deo peculiariter permittente, aut pręcipiente id fecerint. Sic B. Apollonia ex *Euseb. l. 6. c. 33.* se ipsam iniecit in ignem, alię virgines se in flumen pręcipitarunt, ne pudicitiam amitterent ex *D. Ambros. l. 3. de Virginibus ante medium*, aliæ etiam ex *Pallad. Hist. Lausiac. c. 150.* cum accerserentur à tyranno, se ipsas interfecerunt. & ità sentiunt *D. Th. 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 4. Less. l. 2. c. 9. dub. 6. num. 23. & seq. Trullenc. in Decal. l. 5. c. 3. dub. 1.* & fusius *Caramuel. in Theol. moral. l. 1. disp. 10. per totam, à num. 147. vsq. ad 155.*

2 Aduerto 2. e contrario nos hic non loqui de capitaliter à Republica bannito, & omnibus Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegijs ab Ecclesia priuato, se ipsum occidente, talis enim se ipsum occidens, quia esset capitaliter bannitus, ità vt impune à quocumq. occidi posset, se ipsum occidendo vere nullam Reipub. iniuriam inferret; quia vero simul esset ab Ecclesia omni prorsus Immunitatis priuilegio priuatus, certe etiam, vbiq. à quocumq. absq. vlla prędicti Ecclesiastici iuris lęsione interficeretur: vnde neq. sibi ipse denique iniuriam vllam inferret, quia iuste sic damnatus, iuste sic priuatus, & iuste à se ipso, tamquam à iusto iustitię executore, occisus supponeretur, certum enim est, quod in tali casu per talem occisionem, cum hæc nullo modo sit iniusta, nec proinde verum homicidium, non pollueretur Ecclesia: quicquid sit, an in tali casu ea occisio vere sit illicita, & contra inclinationem communis naturæ, vt communiter asseritur, an etiam licita, pro vt satis probabile esse speculatiue aliqui dixerunt ex *Filliuc. tr. 29. nu. 73.* prędictis ergo casibus exclusis,

3 Aduerto 3. prędictæ huius capitis quæstioni adhuc locum esse posse saltem ex eo, quod se ipsum occidens ità suum omne ius ad vitam renunciare videtur, vt inde talis occisio, tum quia propriè non datur iustitia ad se ipsum, tum quia volenti, ac consentienti ordinarie non fit iniuria, fortasse ab aliquibus non iniusta, nec Ecclesię pollutiua censeri posset. Quapropter

4 Dico Ecclesiam, siquis se ipsum ibi iniuste,

vt

vt ordinariè euenire solet, occiderit, pollui, semper enim, nisi adsit specialis Reip. auctoritas, nec non Ecclesiæ prædicta concessio, se ipsum occidens iniuriam facit tum Reip. quæ ius habet ad vitam suorum ciuium, tum Ecclesiæ, quæ item ius habet, ne ibi quispiam contra illius priuilegium violentiam vllam patiatur; vnde, sicuti se occidens facere nequit, quin sit Reip. membrum, & vnus ex existentibus in Ecclesia, ita facere nequit, quin sua ipsius occisio sit Reip. iniuriosa, ipseque sit vnus ex gaudentibus prædicto Immunitatis priuilegio ab id ergo semper talis occisio iniusta erit, & inde semper, cum ea sit verum, & proprium homicidium, Ecclesia polluetur, prout eam inde pollui expresse tradunt *Gloss. in Cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. conclus. 1. in fin. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ q. 6. Sylu. V. eod. 2. q. 5. cas. 1. Tabien. ibid. §. 6. num. 7. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 13. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. quæst. 13. & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. cas. 1. Auil. p. 5. de censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. §. Præterea, Fagund. 1. Eccles. præc. l. 3. c. 14. num. 9. in fin. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 2. ad fin. Persic. de 1. Sacerd. offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 9. Vgolin. de offic. Episc. c. 29. §. 1. num. 1. vers. 2. in fin. Barbos. de Potest. Episc. allegat. 28. num. 31. in fin. Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 13. Coninch. q. 84. num. 327. Graff. decis. aur. l. 2. c. 48. num. 28. Gargiar. de Aquis cap. 12. n. 2. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 54. in fin. & frater eius Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. quæst. 7. num. 44. & pleriq. alij.*

5 Colligo, licet se ipsum occidens sibi ipsi nullam videatur inferre iniuriam; tamen inde iniuriam inferri prædicto Ecclesiæ iuri ab eo, qui se ipsum occidit, ac proinde talem etiam occisionem semper inde Ecclesiæ iniuriosam, & consequenter iniustam esse, quod ad Ecclesiam polluendam satis est ex iam dictis.

CAPVT XXXXVI.

An, si Reipublicæ perturbator, aut seditiosus in Ecclesia occidatur, ea polluatur.

SVMMARIVM.

Reipublicæ perturbator, aut seditiosus semper iniuste in Ecclesia occiditur, si alibi id fieri possit, num. 1.

Etiamsi alibi is occidi nequeat, adhuc, vt is non iniuste in Ecclesia occidatur, Superioris Ecclesiastici consensus, saltem probabiliter præsumptus, adesse debet, num. 2.

In dubio de prædicto consensu standum est contra illum, num. 3.

Ecclesia non polluitur, si Reipublicæ perturbator, aut seditiosus in ea non iniuste occidatur, num. 4.

Polluitur tamen, si iniuste is ibi occidatur. ibid.

Nulla secundum aliquos tunc fit Ecclesiæ iniuria ratione necessitatis, ibid.

Ad correctionem id licite fit à Republica secundum alios. ibid.

Ad defensionem etiam Reipublicæ id inculpabiliter factum videtur ex aliorum sententia. ibidem.

Fagundez, *& Diana conciliantur cum prædicta conclusione, licet oppositum dicere videantur.*

1 ADuerto 1. si is alibi capi, aut tolli possit, sine dubio eum ibi iniuste semper occidi, quia fit iniuria loco sacro, & consequenter etiam personæ, quæ ius habet ex dictis, ne ibi nocumentum patiatur, nisi aliud obstet.

2 Aduerto 2. posito quod is nec alibi, nec aliter capi, aut tolli possit, quam tunc eum ibi occidendo, adhuc inquirendum esse, an ibi etiam non iniuste tunc is occidi possit: cùm ergo iuste ibi numquam is occidi possit, nisi ad id Ecclesiæ consensus vel expressus habeatur, vel tacitus præsumatur, idcirco videndum vlterius esse, num eorum alteruter adsit. pro quo

3 Aduerto 3. in prædicto casu argumenta pro Ecclesiæ consensu præsumendo debere esse prudentum arbitrio talia, vt de eo consensu vere dubium tunc non sit (in dubio enim proprio de prædicto Ecclesiæ consensu standum esset pro illius lege, quæ id prohibet, ac proinde pro dissensu) sed saltem probabiliter, & ex consequenti prudenter is inde præsumi valeat, ita vt Epieikeiæ locus sit. quibus positis,

4 Dico Ecclesiam, si ibi Reipublicæ perturbator, aut seditiosus non iniuste occidatur, non pollui; pollui autem, si iniuste occidatur. prior conclusionis pars est expresse *Henriq. l. 11. de Matrim. c. 16. num. 4. in fin. Emman. Sà, V. Ecclesia num. 13. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 1. verb. Iniuriose, Persic. de 1. Sacerd. offic. l. 1. c. 7. dub. 1. num. 15.* qui ratione necessitatis tunc nullam Ecclesiæ iniuriam fieri dicit. *Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. p. 1. c. 2. dubit. 2. sect. 2. num. 35.* qui ad correctionem id à Republica licite fieri

ri affirmat, & nouissimè *Franc. de Lugo de Sacram.p.1.l.5.c.6.quæst. 7.nu.44.* qui ad Reipublicæ defensionem id sine mortali peccato fieri supponit, & homicidium inculpabile appellat. Secunda verò conclusionis pars iam abunde patet ex præcedentibus, & præcipuè ex dictis *cap.41.*

5 Colligo *Fagund.in Decal.tom.2.l.6.c.3.num. 14. & Dianam p.6.tr.1.resolut.35.vers.Ad auctoritatem vero*, loqui de Malefactore ibi occiso absque vllo Ecclesiæ consensu tam præsumpto, quam expresso, ac proinde non esse in re nobis contrarios; licet prædictam Henriquez sententiam falsam, & omnino improbabilem dixerint.

CAPVT XXXXVII.

An, si fœtus moriatur in vtero prægnantis in Ecclesia sepultæ, hæc inde polluatur.

SVMMARIVM.

Vt in prædicto casu infantis in vtero matris occisio sit verum homicidium, quid requiratur. num. 1.

Licet prædictum homicidium vix moraliter vnquam contingere soleat; tamen aliquando quomodo contingere possit, num.2.& 3.

Ecclesia polluitur, si fœtus in vtero matris mortua existens moriatur ex iniuria sibi physicè intra Ecclesiam illata; secus vero, si ex causa vel non iniuriosa, vel non physica, num. 4.

Si fœtus ibi obijsset in vtero matris mortuæ, priusquam hæc sepeliretur, Ecclesia non pollueretur, num.5.

Neque etiam pollueretur, si fœtus in vtero matris seu mortua, seu viuæ occisus fuisset extra Ecclesiam. ibid.

1 ADuerto 1.suppositis hic ijs omnibus, quę *cap.17.per totum, & cap.27.num.5.* diximus, sine dubio prædictam fœtus necem, vt Ecclesiæ pollutiua sit, debere esse culpabilem, iniustam, & saltem in causa illius positiua, & physica voluntariam; secus enim sine dubio ea non esset verum homicidium, nec propterea Ecclesia, in qua id euenisset, inde pollueretur. quare, si in prædicto casu nemo voluntariè ad prædictam fœtus viui in vtero matris mortuæ existentis necem physicè, sufficienter, & efficaciter; sed vel pure negatiuè, vel positiue quidem; sed non physicè, &c. concurrisset vere tunc talis nex nequaquam Ecclesiæ pollutiua esset. vnde

2 Aduerto 2. prædictum casum, in quo scilicet Ecclesia inde pollui queat; licet vix vmquam moraliter euenire soleat, vt bene dixit *Francisc. de Lugo de Sacram.p.1.l.5.c.6.quæst. 11.num.70.*& nouissimè *Castilent.in Palyanth. Seraphic. V.Consecratio Ecclesiæ diffic.6.versic. Vtrum verò.* fœtus enim in vtero matris mortuæ diu viuere nequit, cum ob respirationis maximè defectum mox suffocetur ex *Mazuchel.de cas.referu.disp.2.c.6.diffic.5.num.44.* tamen aliquando contingere posse, si ponamus matrem grauidam prope Ecclesiam, vel etiã in Ecclesia ipsa mori, moxque post obitum in Ecclesia sepeliri, ita vt inde fœtus viuus simul sepeliatur, & per sepulturam suffocetur. immo

3 Aduerto 3. prædictam fœtus occisionem posse esse Ecclesiæ pollutiuam, siquis in Ecclesia ipsa impediuisset, ne prędictę pregnantis mortuę vterus aperiretur, & fœtus viuus extraheretur, prout statim post mortem matris ille aperiri, & iste extrahi debuit, si viuere credebatur, is enim sic ibi id impediens ad prædictum subsecutum inde fœtus homicidium voluntarie, peccaminose, iniuste, physicè, sufficienter, & efficaciter concurrisset, vt partim per se patet, & partim ex alibi dictis hic suppono, ac proinde is verum homicidium ibi in sua prædicta causa voluntarium, & iniustum commisisset. quare

4 Dico, si fœtus in vtero prægnantis mortuę existens moriatur in Ecclesia ex iniuria sibi physicè ab aliquo ibi illata, prout iam explicauimus, Ecclesiam pollui; secus vero, si idem ibidem moriatur ex causa vel non positiua, vel non iniuriosa, vel non physica. Ratio ea est, quam indicauimus, quia videlicet in primo casu ea pueri cædes est verum, & propriũ homicidium; non vero in secundo, ita colligitur ex *Syluest.V.Consecratio 2.quæst. 5.cas.4. in fin.*& expressè traditur à *Suarez tom.3.in 3. p.disp.81. sect.4.cas.5.Rodriq.p.1.Summ.c.154. conclus.3. num.4. fin. Reginald.l. 29.c. 9. sect.5. num.185.Persic.de 1.Sacerd.offic.l.1.c.7.dub.1. num.16.Franc.de Lugo, Mazuchel. & Castilent. ll.cc. Steph. à S.Gregor.de Diuin. piet.vinc.l.3.c. 25.num.21. Fagund.de pr. Eccles.præcep.l. 3.c. 14.num.58.Bonac.de Matrim.q.4.punct.vlt.nu. 24. & Antonel.de regim. Eccles. Episcopal.p.1. l.1.c.16.§.1.num.7.*

5 Colligo, si fœtus, qui in vtero matris mortuæ, antequam hęc sepeliretur, obijsset, in Ecclesia cum matre sepeliretur, vel certe in vtero matris fuę seu mortuę, seu viuentis occisus fuisset extra Ecclesiã, hanc inde in neutro casu pollui, vt ex superius traditis euidens est.

CAPVT

CAPVT XXXXVIII.

An Ecclesia ex homicidio per Magicum Maleficium ibi facto polluatur.

SVMMARIVM.

Maleficium vnde dicatur, num. 1.
Maleficium generaliter acceptum quid sit. ibid.
Maleficium quomodo hic sumatur. ibid.
Maleficium Magicum quid sit, num. 2.
Maleficus vtitur Dæmone, vt mandans mandatario, vel assassino. ibid.
Maleficus tenetur ad restitutionem ob damna per Maleficium suum alteri illata. ibid.
Maleficus concurrit ad necem maleficiati ponendo materiale maleficium, & signum pacti cum Dæmone initi, num. 3.
Maleficus non est causa sufficiens, et efficiens physicè, & proximè cædis maleficiati; sed moralis tantum. ibid.
Dæmon est causa principalis, formalis, sufficiens, & efficiens prædictæ cędis ex Maleficio secutæ. ibid.
Ecclesia ex homicidio ibi per Magicum Maleficium facto non polluitur, num. 4.
Prædictum homicidium, etiamsi fieret à Dæmone sumpta hominis forma, & sub humana specie, nihilominus non esset Ecclesia pollutiuum, num. 5.
Num idem sit dicendum de cæde hominis ibi facta à monstro Semihomine. ibid.
Homicidium propriè debet esse ab homine, & de homine, num. 4. & 5.

1 ADuerto 1. Maleficium à malefaciendo dictum generaliter dici posse omne Malefactum *Can. Non liceat, 26. quæst. 5. L. Congruit, ff. de Offic. Præsid. L. Ità vulneratus, ff. ad legem Aquil. L. Si operis, C. de pœnis.* Sed hic accipi præcise pro Malefacto vi Dæmonis, quod propriè Magicum Maleficium appellatur, vt videre est apud *Lup. in Edict. S. Inquisit. p. 3. l. 20. dist. 1. art. 1. diffic. 1. prælud. 1.*

2 Aduerto 2. Magicum prædictum Maleficium dici communiter Artem nocendi alijs Dæmonis potestate; sed à *Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. §. 2.* fusius sic describi, *Opus excedens communem captum, & facultatem hominum Diaboli opera, & libero voluntatis humanæ consensu factum.* quia Maleficus, seu Veneficus (sic enim à multis etiam nominatur) Dæmonis, tamquam ministri, opera vtitur ad damna inferendà, non secus ae qui per Assassinum alios occidit, vt bene etiam explicat *Suarez de Relig. tom. 1. tr. 3. l. 2. c. 14. nu. 12.* Maleficus siquidem, cum habeat pactum cum Dæmone vel expressum, vel tacitum, ità vt, tali signo per Maleficium posito, talis effectus per Dæmonem fieri debeat, quamquã effectum illum physicè, & proximè operatione propria, & immediata attingere nequit, quia eius potestatem excedit, vt eximie explicat *Martin. de Arles de Superstitionib. nu. 87.* concurrit tamen, tamquam causa partialis moralis voluntate, & consensu, indeque tenetur ad restitutionem: immo non raro concurrit etiam actione sua exteriori physica, sed insufficienti, & conatu quodam præuio, vt patet ex eodem *Lup l. c. prælud. 4.* qui tamẽ semper per se sine Dæmonis principaliter efficientis ope ad talem effectum obtinendum nequaquam satis est, vt expresè traditur à *Molses. tr. 11. c. 7. nu. 149. in Summa.* & ab alijs passim. Hinc

3 Aduerto 3. causam formalem, & propriè efficientem Maleficij ex *Arles l. c. Sprenger in Malleo Malef. p. 2. c. 7. circa fin. & c. 11.* nec non *Lup. l. c. dist. 3. art. 2. diffic. 1. 2. et 3.* non esse Maleficum; sed Dæmonem ipsum, qui iuxta Malefici preces, & inuocationem tam rationali, quam irrationali creaturę malum infert, vt habeatur veridicus in suis promissionibus: vnde Dæmon propria virtute, & immediata actione nocet; Maleficus vero ex naturali facultate se solo non malefacit; sed solummodo operatur positione materialis maleficij; quod est signum pacti inter Maleficum, & Dęmonem initi. His ergo habitis,

4 Dico, Ecclesiam ex homicidio ibi per Magicum Maleficium facto non pollui, quia tale homicidium non est homicidium illud proprium physicè, & proxime factum ab homine, de quo tantum Canones Ecclesiæ pollutionem statuentes loquuntur; sed est factum proprie à Dęmone, vt iam diximus, ac proinde talis cædes, quà proximè, & physicè facta à Dęmone, non debet dici proprie homicidium, cum hoc proprie ab homine, & de homine tantum fiat, vt patet ex Homicidij definitione *cap. 1. num. 3.* allata, & expresè tradunt DD. multi apud *Farinac. l. c. & Cabal. tr. de omni gener. homicid. num. 1.* quà vero procurata est à Malefico, non est homicidium à Malefico proximè, & physicè, sed remote, & moraliter factum, quod ad Ecclesiæ pollutionem non sufficere sufficienter constat ex antea dictis, maxime autem ex *cap. 28. n. 2.*

5 Colligo idipsum dicendum esse, etiamsi Dæmon in Ecclesia quempiam occideret, sū-

pta hominis forma, & sub humana specie, vere enim adhuc in eo casu Dæmon esset non homo, & ea hominis cædes ibi perpetrata non esset ab homine, vnde nec esset consequenter proprium homicidium, vt ex dictis liquet; prout neque talis esset, etiamsi facta fuisset à monstro semihomine, nisi prudẽtum arbitrio tale monstrũ crederetur anima rationali præditum, & vere homo iudicaretur.

CAPVT XXXXIX.

An Ecclesia ex hominis cæde ab Energumenis ibi pepetrata polluatur.

SVMMARIVM.

Energumenus, & Dæmonium habere, quinam dicatur, & quænam ad id exigantur, num. 1.
Energumeni voluntatem Dæmon cogere non potest; sed allicere, & incitare tantum, num. 2.
Dæmon potest Energumeni membra ità violenter mouere, vt ab Energumeno resisti nequeat, ibidem.
Energumenus aliquando, dum à Dæmonibus agitatur, pro amente habetur, & cur, num. 3.
Ecclesia quandonam polluatur ex cæde ibi ab Energumenis facta, & quando non, num. 4.
Idipsum dicendum est etiam de Lunaticis, nu. 5.
Lunatici quinam dicantur, & quotuplices sint, ibidem.

1 ADuerto 1. vt quis vere sit Energumenus, & Dæmonium habere dicatur (qui etiam Dæmoniacus, & Dæmone arreptus, Arreptitius, à Spiritibus immundis vexatus, seu obsessus dici solet) duo exigi, prout docet cum *Sanch. & alijs Trullench. in Decal. l. 1. c. 10. dub. 14. num. 2.* primo, vt in homine ipso Dæmon sit, dum enim exterius tantum à Dæmone quis affligitur, sicut Iob, & D. Antonius, non dicitur Energumenus, nec Dæmonium habere: Secundo, vt quandam potestatem eum vexandi, in quo est, acceperit, & sit idcirco in corpore, tamquam motor in corpore moto. Dixi *quandam potestatem*, quia eam in obsessi corpus limitatam habet à Deo, alioquin ex se ipso, cum homines ingenti persequatur odio, à se obsessum occideret.

2 Aduerto 2. licet Dæmon interne Energumeni voluntatem cogere non possit, cum penitus libera sit, ità vt Energumeno semper sit locus libere resistendi per voluntatem iniquitati, ad quam Dæmon illum forte allicit, aut incitat; tamen à Dæmone Energumeni corpus posse externe ità cogi, & violenter moueri, exempli causa, ad occisionem sui ipsius, vel alterius, Deo id permittente, vt nullatenus resistere possit, quo in casu Energumenus non agit; sed agitur, vt colligitur ex *Tostat. in Matth. c. 19. qu. 119. Porr. in Antidotar. contra Dæmon. dub. 14. & Lup. in Edict. 5. Inquisit. p. 3. l. 20. dist. 2. art. 4. diffic. 2.*

3 Aduerto 3. Energumenos aliquando, dum agitantur à Dæmonibus, haberi pro amentibus, vt docet *D. Th. 3. p. quæst. 80. art. 9. Balsam. in Commentar. Canon. Apostol. 79. Reginald. l. 29. num. 80. & Molfes. in Sum. tr. 3. c. 8. num. 40.* quemadmodum enim Dæmon tũc per Energumenum loquitur, quicquid vult, & sæpe Energumenus ipse nihil intelligit eorum, quæ dicit, vnde Dæmon plene tunc possidet linguam Energumeni, ità plene etiam possidere potest Energumeni phantasiam, quæ est virtus corporis, ità vt tunc Energumeno, quę mala sunt, bona videantur, vel saltem nihil tunc iudicare possit, cum rationis vsu omnino aliquando priuetur, vt patet ex *Suarez tom. 3. in 3. p disp. 69. sect. 2. vers. Quarto loco, & ex Lup. l. c. l. 22. dist. 1. art. 1. diffic. 5.* quibus præiactis,

4 Dico Ecclesiam non pollui ex cæde ibi ab Energumenis facta, si vel sui compotes tunc non fuerint, vel à Dæmone ad id violenter extrinsece coacti fuerint; pollui tamen, si non coacti, & sui compotes id fecerint; in dubio vero prudentum arbitrio standum, & in fauorem rei, ac Ecclesiæ potius inclinandum esse. Patent omnia ex superius decisis, vnde, ne frustra diutius in his immorer,

5 Colligo, quod diximus de Energumenis, qui non perpetuo insaniunt, sed lucidis interuallis vtuntur, idipsum dicendum esse de Lunaticis, qui rationis deliquium per interualla identidem patiuntur, & statis lunæ rationе temporibus furore laborant: siue id aliquando ex morbo naturali proueniat ob augmentum, aut decrementum humorum cerebri, quibus luna dominatur, vt aiunt Medici, siue id Dæmoni aliquando tribuatur interius hominem possidenti, & affligenti certis temporibus, vt docuit *Origen. in Matth. homil. 4.* & ex eo *Iansen. Cõment. in Concord. Euangel. c. 68.* cuius rei ratiõnẽ videre potes apud *Lup. l. c. l. 18. dist. 4. art. 3. diffic. vnic.* ad quæ faciunt etiam dicta à *Vair. de Fascin. l. 3. c. 8.*

CAPVT

CAPVT XXXXX.

An Ecclesia ex Martyris occisione polluatur.

SVMMARIVM.

Propositus casus sæpe iam contigit, vt videre est in Martyrio S. Thomæ Cantuarien. S. Stanislai Polon. & aliorum, num. 1.

Pars negatiua ab aliquibus traditur, in eam alij inclinant, & alij de ea dubitant, num. 2.

In Martyrio duplex actio considerari debet, occisi, & occisoris, num. 3.

Ecclesia etiam ex Martyris occisione ibi facta polluitur, num. 4.

In reconciliatione Ecclesiæ ex prædicto casu pollutæ quomodo non sit lauandus locus sanguinis tunc effusi, num. 5.

1 ADuerto 1. in casu proposito, qui iam sæpius contigit, cum iam plures in Ecclesia ob Fidem Catholicam interfecti fuerint, vt patet de S. Thoma Cantuariensi, S. Stanislao Polono, & alijs, rationem dubitandi esse, quia, licet Martyris occisio in Ecclesia eo iudicetur iniustior, & sceleratior, quo magis iustus, & sanctus ibi occiditur, vt patet ex *Can. Si non licet, 23. quæst. 5.* & bene aduertit *Gloss. in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. vel alt. in 6.* tamen Ecclesia Sanctorum Martyrum sanguine consecrari potius, quam pollui videtur.

2 Aduerto 2. partem negatiuam tradi à *Summa Confessor. l. 3. tit. 24. quæst. 153.* & ab alijs suppresso nomine relatis à *Turrecrem. Syluest. & Tabien. locis infra citandis*, in eandem inclinare *Armill. V. Consecratio Ecclesiæ, num. 5.* & ancipitem videri *Panormitanum in Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles. num. 2.* vbi proposita quæstione nihil affirmat. Sed

3 Aduerto 3. in Martyrio considerari posse tum Martyris, tum occisoris actionem: actio Martyris patienter, & libenter pro Christi Fide mortē subeuntis sancta est, & vere cruor inde profluens, sicut & mors ipsa inde secuta, Ecclesiam non polluit; sed ornat, & sanctificat: actio autem occisoris iniusta, & sacrilega est, Ecclesiamque proinde quam maxime dedecet, vt per se patet. vnde illud *Actio displicuit, Passio grata fuit.*

4 Dico Ecclesiam etiam ex Martyris occisione ibi facta pollui, quia talis occisio vere est Homicidium sacrilegum, & cum Iura indistinctè loquantur de homicidio, non video, cur hoc homicidium non sit, vt alia, Ecclesiæ pollutiuum. Sic communiter DD. tenent, *Gloss. l. c. Verb. Sanguinis, in fin. Archidiac. & Io. Andr. in d. Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Turrecrem. in Can. Si motum, de consecrat. dist. 1. nu. 2. Astens. in Summ. p. 2. l. 6. tit. 29. art. 3. Egid. Rom. quodlib. 1. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. conclus. 1. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 6. §. 4. Angel. Verb. Consecrat. Eccles. §. 4. in fin. Syluest. V. Consecratio 2. quæst. 5. casu 1. Tabien. eod. tit. §. 4. num. 5. Armill. l. c. num. 5. Nauar. c. 27. Sum. num. 56. Viuald. de Interd. c. 3. num. 13. num. 13. Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 48. num. 24. [Rod]riq. in [Sum]ma p. 1. c. 194. conclus. 6. num. 7. ad fin. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 14. Vgolin. de offic. & potest. Episc. c. 29. §. 1. num. 1. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. quæst. 13. vers. Quæres, an, & p. 2. l. 9. c. 5. quæst. 1. vers. Rursus. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 1. in fin. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 1. in fin. Fagund. de 1. Eccles. præc. l. 3. c. 24. num. 10. in fin. Iordan. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 8. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. Alter. de Censur. tom. 2. disp. 3. de Interd. c. 1. vers. Verum. Barbos. de Offic. et Potest. Episc. allegat. 28. num. 29. Filliuc. tr. 5. c. 4. num. 117. [Stg]phan. à S. Gregor. de Diuina piet. vinc. l. 3. c. 21. num. 14. Regnal. l. 29. num. 280. Bonac. de Matrim. quæst. 4. p. vlt. Castileut. in Polyanth. Seraph. V. Consecratio Ecclesiæ, diff. 4. vers. An vero, Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. n. 9. & Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. quæst. 7. num. 44.*

5 Colligo, licet in prædicto casu Ecclesia reconcilianda sit, non esse tamen lauandum locum, in quo sanguis effusus est, vt notant plures ex præcitatis auctoribus: vnde, sanguine prædicto reuerenter collecto, & asseruato, Ecclesiam reconcilians non debebit maiorem quantitatem aquę Benedictæ in loco effusionis aspergere, sicuti præcipitur faciendum in sanguine communi, ex *Iordan. l. c. num. 9.*

DISPVTATIO SEXTA

De secunda Pollutiuarum Actionum specie, vel secundo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Vulnes rationem, seu Sanguinis effusionem.

Vulneris inflictio, seu Sanguinis effusio, quæ certe Pollutiuarum Actionum omnium frequentissima est, tantam omnino cum homicidio Ecclesiæ Pollutiuo, de quo in præcedenti disputatione egimus, affinitatem habet, vt si non vnam vna cum illo Pollutiuarum Actionum Speciem constituit, saltem statim post illud tractari debeat. Sit ergo

CAPVT PRIMVM.

An Ecclesia ex vulnere ibi inflicto sine sanguinis effusione Polluatur.

SVMMARIVM.

Quæ dicta sunt de Homicidio Ecclesiæ pollutiuo, proportionaliter supponuntur hic de Vulneratione, idest esse Voluntariam, Iniustam, &c. num. 1.

Vulnus, & Vulnerare quid sint, num. 2.

Vulneratio potest esse absque sanguinis effusione, num. 3.

Ecclesia ex vulnere ibi sine sanguinis effusione iniuste inflicto polluitur, num. 4.

Ad prædictam pollutionem inducendam cur nihil faciat, quod vulnus ex natura sua aptum sit, vel non sit ad effundendum sanguinem, num. 5.

1 ADuerto 1. sermonem in hac disputatione semper esse de vulneris inflictione voluntaria, iniuriosa, & c. qualis esse debet, vt per eam Ecclesia polluatur, prout in præcedenti diximus de homicidio Ecclesiæ pollutiuo. Vnde hic de vulneratione, seu sanguinis effusione, ne eadem frustra repetantur, prædicta omnia supponam, & ea tantum speciatim tractabo, quæ peculiarem in hac materia difficultatem facere videbuntur.

2 Aduerto 2. vulnerare nihil aliud esse, quam ictu aliquam partem corporis scindere, seu aperire, vel separare, ex *L. Si seruus, ff. ad L. Aquil.* vbi *Bart. & Bald. num. 3. L. 1. §. Diuus, ff. ad L. Cornel. de sicar. Bart. in L. Prætor edixit, §. fin. ff. de iniur. Alter. tom. 1. de Censur. l. 5. disp. 11. c. 1. vers. Vulnerare, Duard. in Bull. Can. l. 2. can. 10. quæst. 2. Bonac. de Censur. in partic. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. num. 3. Gambarupt. de cas. reseru. ad cap. 10. Bull. Can. num. 6. Pueron. in Bull. Can. c. 10. num. 7. Megal. Instit. Peregrin. p. 3. l. 3. c. 8. num. 13.* quibus etiam consonant Criminalistæ communiter apud *Plaz. in Epit. delict. l. 2. c. 13. num. 1. & Baiard. ad Clar. quæst. 84. nu. 118. & seq.*

3 Aduerto 3. propositam quæstionem pendere ab illa, vtrum vulnus possit esse absque sanguinis effusione, quam breuiter explicari à *Catald. de Boncompagn. de Syndic. quæst. 131. Gloss. in Cap. 1. de consecrat. Eccles. vel alt.* & fertio ab *Auicen. l. 1. c. de operib. saluti & Galen. lib. de regim. sanit.* docet *Plaz. l. c. n. 3. & Alberic. in Dictionar. verb. Vulnus, & Vlcus*, cum quibus affirmatiue quoque respondent *Pueronus l. c. num. 11.* contra *Alterium, & Duardum* nec non nouissimè *Io. Maria de Castilento in sua Theolog. Moral. V. Consecratio Ecclesiæ, diffic. 5. vers. Non tamen*, etiam loquendo de

vulne-

vulnere externo, prout de eo prędicti loquuntur. Quare, his præhabitis.

4 Dico Ecclesiam ex vulnere iniuste sine sanguinis effusione inflicto pollui. Patet *ex d. Cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles.* vbi pollui dicitur Ecclesia ob homicidium, & ob vulnera, nec vlla fit mentio effusionis sanguinis, in quo fallitur tum præcitatus *Castilent.* qui putat omnes Canones de hac Ecclesiæ pollutione loquentes semper exprimere sanguinis effusionem, & numquam vulnera tantum, tum etiam *Pueron. ipse*, qui credidit in præallegato *Cap. Proposuisti* mentionem fieri de vulnere Ecclesiæ pollutiuo ex ordinaria suppositione, qua fere semper ex vulnere sequitur sanguinis effusio.

5 Colligo in prædicto casu Ecclesiam pollui ex sola vulneratione ibi facta, quia sic in iure statutum habemus, non secus ac ex sanguinis effusione; falli autem eos, qui dixerunt tunc Ecclesiam pollui, vel quia semper ex vulnere externo aliquę sanguinis guttulę effunduntur, vel certe, quia vulneratio videtur semper apta, & vasa ad effundendum sanguinem, & per occidens est, quod actu ex illa iste non effundatur, nam, si Ecclesia pollueretur ex prædicta sanguinis effusione, ergo pauculæ guttulæ (dato etiam, quod eæ semper ex omni vulnere extrinseco effundantur) sufficerent ad Ecclesiam polluendam, quod inferius falsum esse dicemus; si autem sufficeret in vulneratione habilitas, seu natiua idoneitas ad sanguinem effundendum, ergo sufficere etiam deberet naturalis lethalitas vulneris absque morte vulnerati ad polluendam Ecclesiam ex homicidio, quod tamen falsissimum esse superius vidimus *disput. præced. cap. 2.*

CAPVT SECVNDVM.

An Ecclesia ex quocumq. vulnere seu graui, seu leui iniuste ibi inflicto polluatur.

SVMMARIVM.

Vulneris grauitas, vel leuitas non est attendenda ex magna, vel parua sanguinis inde effusi quantitate; sed ex qualitate, & conditione scissuræ prudentis arbitrio, num. 1.

Quomodo prædicta grauitas, vel leuitas deduci possit ex peccato mortali, vel veniali, quod in tali vulneris inflictione interuenit, num. 2.

Vulnusculum non venit secundum moralem existimationẽ nomine vulneris in odiosis, n. 3.

Ecclesia ex vulnere leui iniuste ibi illato non polluitur, num. 4.

Etiamsi ex prædicto vulnusculo magna sanguinis copia profluxerit, num. 5.

1 ADuerto 1. ex doctissimo, & amicissimo viro *Dominico Puerono in Bull. cæn. cap. 10. num. 12.* vulneris paruitatem, vel leuitatem non esse attendendam ex quantitate sanguinis effusi; sed ex qualitate, & conditione scissuræ peritorum, prudentumque arbitrio. Licet enim, vt plurimum, magnus vulnus magna sequatur sanguinis effusio; aliquando tamen inde in parua, immo in nulla quantitate effundi potest, vt in *præced. cap.* dictum est: & è contrario aliquando ex paruo, & leui vulnere magna sanguinis effusio fit, vt videre est apud Auctores, quos num. 4. adducemus.

2 Aduerto 2. regulam illam generalẽ à multis hic traditam, nimirum, grauitatem, vel leuitatem vulneris desumendam esse à sufficientia illius ad inducendum peccatum mortale, vel veniale tantum, non videri quidem vsquequaque veram, eo quod ex leuissimo etiam vulnere peccatum mortale inducatur, si illud ex odio inferatur, prout dixit ide *Pueron. l. c.* sed tamen omnino verum esse, si sermo fit de peccato mortali inducto ratione ipsius vulnerationis actualis, & externæ; non autem de peccato inducto ratione odij interni, quale est peccatum illud, quod interuenit in exemplo per Pueronũ allato, vt rem actius intuenti clare patebit.

3 Aduerto 3. quamuis omne vulnus physicè dici possit vulnus; nihilominus secundum moralem existimationem neminem ex paruo vulnere censeri vulneratum, vt optime constat ex *L. 1. §. Proinde leuis, ff. de Ædilit. edict. Bald. in L. penult. C. de Ædilit. action.* vbi docet Statutum puniens vulnus intelligi de magno vulnere; non de vulnusculo, vel leui rasura. idem sentit *Angel. in L. Si pignore, §. Si furem, ff. de furtis, in L. §. sed sciendum, ff. de Ædilit. edict. & in L. Extat, ff. Quod met. caus. Corn. consil. 38. lib. 3. volum. 1. Andr. Barb. consil. 61. vol. 3. col. 4. vers. & quod notat. Alex. vol. 1. consil. 103. volum. 6. consil. 100. & vol. 7. consil. 186. num. 1. Aretin. tr. de Malefic. verb. Vna, & alia percussione, vers. Quero, statutum punit vulnus. Felin. in Cap. Presbyterum, col. 1. de homicid. Capol. consil. 82. col. 3.* & subtilissime *Commentar. in tit. de Ædilit. edict. §. sed sciendum, num. 35. 36. & seq.* nec non *Plaz. in epit. l. 2. cap. 13. num. 2.*

4 Dico Ecclesiam ex vulnere leui iniuste ibi inflicto non pollui, quia nomine vulneris in odiosis non venit vulnusculum, quod ex se

non

non inducit peccatum graue in ratione vulneris externi, vt iam dixi. & ità in terminis nostris tenent *Victoria q.99.de Euchar.Sot.in 4.dist.13.quæst.2.art,3.ad 2. dist.4. Graff. decis. aur.p.1.l.2.c.48.num.11.& 25. Rodriq.in Sum. p.1.c.154. concl.8.num.9. Sayr.de censur.c. 16. num.3. Sà V. Ecclesia num.13.in fin.Suar.tom.3. in 3.p.disp.81. sect.4.cas.2.in fin. Auil.p.5. de censur.disp.7. dub.1. conclus.2.cas.1. Fagund.de 1.Eccles. præc.l.3.c.1. num.17. Persic. de 1. Sacerd.offic.l.1.c.7.dub.2.num.25. Mazuch.de cas. reseru.disp.2.c.6.nu.18.Bonac.de Matrim. quæst. 4.punct.vlt.num.20. Laym.in Summ.l.5.tr.5.c. 5.num.7.* qui ponit exemplum in homine nonnihil indignato sibi, vel alteri leniter auriculam vulnerante, vnde non modica sanguinis effusio facta sit. & nouissimè his omnibus subscibit *Franc. de Lugo de Sacrament. p.1.l.5.c.6. q.8.num.51.* vnde

5 Colligo idipsum dicendum esse, etiamsi ex prædicto leui vulnere magna sanguinis effusio materialis tunc, & casualis reputatur, vt multi ex prædictis DD. bene aduertunt.

CAPVT TERTIVM.

An Ecclesia polluatur, siquis ibi carnem, aut ossa iniuriose alteri, vel sibi sciderit.

S V M M A R I V M.

Dubitandi fundamentum exponitur, & Auctores affirmanti sententiæ fauentes afferuntur, num. 1.

Ex communi loquendi vsu non videtur quis vulneratus, nisi vulnus exterius in cute aperiatur, num. 2.

In prædicto casu Ecclesia ex aliquorum locorum consuetudine reconciliatur; sed ad terrorem, num. 3.

Ecclesia, siquis ibi iniustè sibi, vel alteri carnem, vel ossa sciderit sine externa corporis apertura, vere non polluitur, num. 4.

Percussio, & Vlcus quomodo differant à Vulnere, num. 5.

1 ADuerto 1. dubitandi fundamentum inde esse, quod prædicta carnis, aut ossis scissio iuxta superius allatam, & communem vulneris definitionem videtur verum vulnus; quam vis interius lateat, vel in cute exteriori appareat vulneris apertura; vnde quando cutis obtegit plagam, quæ nondum interne sanata est, tunc vulnus obrui, non tolli dicitur; & ità loquitur *Bald.in d.L. Si seruus, §. rupisse, ff. ad L. Aquil.* qui absolute dicit: Vulnus esse scissuram, seu separationem in corpore, nec addit de exteriori apparentia, immo docet satis esse, si cutis sit rupta interius. expressissimè verò idipsum defendit *Pueron.in Bull. Cæn.c.10.nu.10.* qui subdit hoc illius dictum amplectendum esse, vel certe aduersariorum opinionem melius explicandam, pro quibus è contrario

2 Aduerto 2. hunc videri communem loquendi vsum, vt non appelletur quis vulneratus, nisi exterius in cute scissio, vel apertura apareat, ac proinde necesse esse ad vulnus, vt extrinsecus etiam illud pateat, & ità sentit *Alter.de Censur.tom.1.l.5.disp.11.c.1.vers. Vulnerare, Duard.in Bull.Cæn.l.2.can.10.q.2.nu.4. & Bonac.de Censur.in particul.disp.1. quæst.11. punct.1.num.3.*

3 Aduerto 3. de facto in aliquibus locis consuetudinem esse, vt in prædicto casu Ecclesia reconcilietur; sed id ad terrorem fieri docet *Durand.lib.1. Rational.Diuin.Offic.c.6.num.41. & Cassina in Mystagogic. Regular. Catechef. V. Eccles.tit.9.num.12.* Quomobrem

Dico Ecclesiam, siquis ibi iniustè sibi, vel alteri carnem, vel ossa sciderit sine externa corporis apertura, vere non pollui. Ratio est, quia talis percussio non dicitur vere vulnus, vt iam *num. 2.* visum est, ac proinde, cum desit etiam mors, vt suppono, prædicta scissio nec sub ratione homicidij, nec sub ratione vulneris, aut effusionis sanguinis Ecclesiam polluit. ità *Sylucst.V. Consecratio Ecclesiæ 3.n. 5. Nauar.in Manual.c.27.num.256. Bonac.de Matrim.quæst.4.punct.vlt.num.30. Barbos.de Offic.& Potest.Episc.p.2.alleg.28.num.54. Riccius in prax. for.Eccles.p.3.resol. 257. Antonel. de Regim.Eccles.Episcopal.p.1.l.1.c.16.num.2. Durand.& Cassin.ll.cc.* nec non *Persic. de 1. Sacerd.Offic.l.1.c.7.dub.2.num.28.* vbi plures pro hac sententia citat.

5 Colligo Percussionem ex *Socin. Sen.in Cap. Qualiter, & quando, de Accusat.num. 865. & ex communi Criminalist. vt videre est apud Ang. de Malefic. Vers. Et ipsium Titium, num. 1.* distingui à vulnere in hoc, quod illa proprie est sine tali scissura patente, & separatione exteriori cutis, & corporis, quam vulneris propriam esse dicimus; distingui verò ab vlcere, quod ex *Gloss.in L.Ob quæ vitia, §.fin.ff.de Ædilit.edit, Verb.aut mediocre vlcus.*

Illatum vulnus, innatum dicitur vlcus; licet Medicinæ auctores aliam assignent differentiam, vt videre est apud *Plaz. in Epit. delict.l.1.c.12.num.3.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

An Ecclesia polluatur ex percussione ibi alicui iniuriosè inflicta, si inde liuida tumefactio in carne, & tumefactionis scissura postea facta sit.

SVMMARIVM.

Quandonam, & quam multipliciter casus propositus contingere possit, num. 1.

Quæstionis huius difficultas vndenam pro vtraq. parte nascatur, num. 2.

Tumefactio sola in corpore sine externa corporis scissura non est vulneratio, num. 3.

Etiamsi talis tumefactio sit cum externo liuore. ibidem.

Ecclesia polluitur, si prædicta tumefactio fuerit causatiua per se externa aperitionis inde subsecuta, num. 4.

Non polluitur vero, si prædicta aperitio ex prædicta tumefactione per se causata, & subsecuta non fuerit. ibid.

Prædicta tumefactionis aperitio, cum non sit actio iniuriosa, non videtur vulneratio Ecclesia pollutiua, num. 5.

Est tamen complementum, & conditio, sine qua non sit vulneratio, vt sine morte non sit homicidium, num. 6.

Vulneratio formalis, & materialis quid sint. ibidem.

Ecclesia multo magis polluitur ex totali vulneratione ibi facta; licet sanguis intra Ecclesiam non effluxerit; sed extra eam tantum, num. 7.

1 ADuerto 1. casum, de quo hic agitur, tunc contingere, quando quis in Ecclesia aliquem percussit, & inde cum liuore tumefactionem exterius in percussi corpore causauit, quæ postea ad medelam vel ferro, aliisue modis à Chirurgo, vel ex se aperta fuerit, vnde magna sanguinis, vel saniei copia, siue in Ecclesia ipsa, siue extra illam effusa sit.

2 Aduerto 2. quæstionis huius difficultatem in eo esse, quod ex vna parte, sicut nihil interest, vtrum occidat quis, an causam mortis præbeat *ex L. Nihil, ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ità nihil interesse videtur, vtrum quis vulneret, vel vulneris causam præbeat: vnde sicuti ibi Ecclesiam pollui diximus *praecd. disp. c. 4.* ità hic idipsum dicendum videtur; ex alia verò parte, si in rigore verbi persistamus, qui tumefactionem tantum causauit, cum in cute aperturam non fecerit, non videtur vulnerasse, nec scissura in cute, quæ postea Chirurgi opera fit, vel ex se naturaliter succedit, cum non sit læsio iniuriosa; sed potius in beneficium percussi, seu patientis facta, iniuriosæ vulnerationis rationem habere potest.

3 Aduerto 3. aliud esse, quod tumefactio appareat in cute; aliud autem, quod scissio cutis exterius appareat: ac proinde, si tumefactio sit sine scissura, & separatione externa corporis, certe talem tumectionem non fore vulnerationem; sed tantum percussionem, vt bene docuit *Tesse in Extrauag. Dicrum, Io. 22. & Socin. senior in Cap. Qualiter, & quando, de Accusat. nu. 865.* etiamsi talis tumefactio cum liuore fuerit, licet enim in liuore exiles venæ contusæ sanguinem ad extremam cutem diffundant; tamen, cum id fit in parua quantitate, adeo vt à calore naturali solo, vel saltem aliquo medicamento absque cutis aperitione sanetur, non dicitur verum, & externum vulnus, aut vera sanguinis effusio.

4 Dico, si prædicta tumefactio per se sit causatiua externæ scissuræ subsecutæ, seu aperitionis, &, siue intra Ecclesiam ipsam, siue extra illam, prædictæ tumefactionis aperitio fiat, Ecclesiam, in qua quis taliter percussus fuerit, pollui; secus vero, si prædicta aperitio, vel sanguinis, aut saniei effusio per se inde causata non fuerit. Ratio est, quia in primo casu, vt *num. 2.* pro affirmantibus dictum est, vere quis in Ecclesia vulnerari dicitur; non vero in secundo, cum percussio sola, & solus liuor, aut etiam tumefactio sola vere non sint vulneratio, quam hic Ecclesiæ pollutiuam esse dicimus, & ità quo ad primam conclusionis partem tenent in terminis nostris *Afflict. in Constitut. Siquis aliquem, rubr. 12. l. 1. num. 5.* iuxta *Gloss. communiter recept. in Cap. Vnic. V. Sanguinis, de consecrat. Eccles. in 6. Barbos. in Cap. Tuarum, num. 4. de Priuileg. Megal. tom. 2. resolut. 168. num. 5. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 2. num. 29. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 5. 8. & 9. Antonel. de regim. Eccles. Episcop. l. 1. c. 16. num. 2. Ricc. in Prax. p. 3. resol. 258. num. 5.* Quo ad secundam autem conclusionis partem idipsum expressè nobiscum sentiunt *Ricc. l. c. num. 6.* & alij passim iuxta dicta *cap. 3.* tunc enim non est inflictum vulnus nec formaliter, nec materialiter, vt per se patet, cum scissura exterius facta non fuerit.

5 Dices, prædicta tumefactio, quæ postea vel naturaliter, vel artificialiter aperta fuit,

vel

vel erat vera vulneratio ante aperitionem prædictam, vel non; si erat, ergo etiamsi non secuta fuisset exterior aperitio, iam Ecclesia fuisset polluta; si non erat, ergo neque erit talis per subsecutam aperitionem, quia hæc contingere potest extra Ecclesiam, & non iniuriosè fit, vt *num.* 2. dicebamus pro sententia negante.

6 Respondeo prædictam exteriorem aperitionem tumefactionem esse conditionem requisitam ad complementum vulnerationis, ac proinde hic respondendum esse, prout respondebamus *disput. præced. c.* 2. de nocumento lethali sine morte, quę facit, vt ea deficiente, non fiat homicidium; si vero ea subsequatur tale nocumentum, fit homicidium. Vnde dico prædictam tumefactionem fore vulnerationem, si eam vulnerationis complementum subsequatur, idest exterior aperitio in corpore; non fore vero vulnerationem, nisi eam tumefactionem subsequatur prædictum vulnerationis complementum. ex quo etiam patet, quid ad rationem dubitandi, quam superius innuimus, respondendum sit. Qui enim tumefactionem prædictam iniuriose causauit, quam postea, licet extra Ecclesiam, exterius in cute aperitio subsecuta sit, is formaliter vulnerauit, cum vulnerationis causam physicam, & per se posuerit, licet nondum materialiter sit facta vulneratio, donec fiat prędicta aperitio, quæ est consummatio vulnerationis; non est tamen necesse, vt ea fiat in Ecclesia, prout bene tenuit etiam *Franc. de Lugo de Sacrament. p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *quæst.* 8. *num.* 56. cum pluribus alijs ab ipso citatis consequenter ad dicta de causante homicidium in Ecclesia, licet mors extra Ecclesiam sequatur.

7 Colligo multo magis Ecclesiam pollui, si in ea reipsa formale vulnus iniuriose alicui inferatur; etiamsi nulla sanguinis gutta intra Ecclesiam cadat; sed extra tantum. non enim polluitur Ecclesia per contactum sanguinis decidentis in pauimentum, vt aliqui putant apud *d. Franc. de Lugo de Sacrament. p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *quæst.* 8. *num.* 56. sed per actionem iniuriosam, qua causatur effusio, & in qua omnis propria malitia formaliter continetur. Quare, si hæc tota ponatur in Ecclesia, quamuis sanguis colligatur in vase, vel in vestibus, vel percussus sanguinis fluxum omnino ibi impediat, vel certe tam cito exeat, vt nonnisi extra Ecclesiam sanguis effluat, ea nihilominus polluetur, quia non attenditur locus, vbi sanguis effluit, cum hæc censeatur effusio materialis; sed locus, vbi percussio fit, cum hæc censeatur effusio formalis, seu vulnus formaliter, vt supra loquebamur: sufficit enim ad Ecclesiæ pollutionem ex iniuriosa vulneratione, si in Ecclesia detur illius causa naturalis, vt superius diximus de homicidio, siue prædicta causa detur ab existente intra Ecclesiam, siue ab existente extra illam, dummodo, qui percutitur, sit intra Ecclesiam, dum percutitur; si enim iam percussus extra illam fuisset, licet intra eandem accurrisset, ibique sanguinem fudisset, nequaquam inde Ecclesia pollueretur, vt egregie, & expressè docent *Syluest. V. consecratio* 2. *nu.* 5. *Nauar. in Manual. c.* 27. *num.* 256. *Sd V. Ecclesia, num.* 13. *Auil. de Censur. p.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. *cas.* 1. *Vuigers de Sacrament. in* 3. *p. D. Th. quæst.* 83. *dub.* 15. *nu.* 68. *Azor. p.* 1. *l.* 10. *c.* 29. *quæst.* 13. *§. Quæres, &* *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 1. *cas.* 2. *Suar. in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 4. *cas.* 2. *Reginald. tom.* 2. *l.* 29. *num.* 181. *Cardin. Toles. l.* 5. *c.* 8. *num.* 7. *Pręposi. in* 3. *p. quęst.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 152. *Victor. in Sum. de Sacram. Euchar. quæst.* 99. *Fagund. præcept.* 1. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 16. *Cardin. de Lugo de Euchar. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 53. *Sayr. de Censur. l.* 5. *c.* 16. *num.* 5. *&* 8. *Coninch. quæst.* 83. *de Euchar. art.* 3. *dub.* 1. *num.* 227 *Mazuchel. de cas. reseru. disp.* 2. *c.* 6. *num.* 16. *Bonac. de Matrim. quæst.* 4. *punct. vlt. n.* 20. *Ricc. l. c. resol.* 258. *Antonel. & Fran. de Lugo ll. cc. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ §.* 5. *Iordan. Elucubrat. diuers. tom.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 18. *Persic. l. c. num.* 27. *Stephan. à S. Gregor. de Diuin. pietat. vinc. l.* 3. *c.* 21. *num.* 15. *Leo Prax. Episc. p.* 1. *c.* 5. *num.* 6. *Gargiar. de Aquis c.* 12. *num.* 2. *Turrecremat. in Cap. Ecclesijs de consecrat. num.* 6. *Alarius Canon. Conscient. l.* 2. *V. Ecclesia, num.* 2. *Cassin. V. Ecclesia, tit.* 7. *num.* 10. *Squillant. de obligat. Clericor. p.* 5. *num.* 88. *Mazzol. in Breui Reg. p.* 2. *num.* 250. *Seb. Medic. in Sum. Peccat. p.* 2. *tit.* 9. *quæst.* 10. & alij vere communiter, quamuis *Diana p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 47. contrariam opinionē probabilē dicat, eamq. teneat in parte *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Alleg.* 28. *n.* 24. immo eam receptionem sentētiam appellet (quam vere, ipse viderit) *Pucronus in Bull. Can. cap.* 10. *num.* 10. *vers. Respondetur enim.*

CAPVT QVINTVM.

An Ecclesia ex vulnere non mortifero iniuriose ibi alicui illato polluatur.

SVMMARIVM.

Mortale vulnus respectu mortis corporalis absque dubio est Ecclesiæ pollutiuum, num. 1.

Vulnus Ecclesiæ pollutiuum aliqui dicunt debere esse mortiferum, num.2.

Percussio, seu vulnus dici potest mortale, seu mortiferum dupliciter, num.3.

Ecclesia polluitur ex vulnere corporaliter non mortifero, dummodo sit in ratione propria vulneris externi graue modo iam superius explicato, & ex percussione, quæ ex se sit formaliter peccatum mortale; num.4.

Vulneris nomine venit omne vulnus graue; licet non sit corporaliter mortale. ibid.

Vulnus graue, vel non graue dicendum est, perpensis circunstantijs, iudicantis arbitrio. ibid.

Dubium de lethalitate vulneris differt à dubio de vulneris grauitate: vulnera omnia lethalia sunt grauia; sed non omnia grauia sunt lethalia, num.5.

1 ADuerto 1. licet superius *cap. 2.* dictum sit Ecclesiam ex vulnere leui, seu vulnusculo non pollui; nihilominus adhuc dubitari posse de graui vulnere; num omne graue vulnus, etiamsi mortiferum non sit, ad Ecclesiæ pollutionem sufficiat; de mortali enim vulnere dubium esse nequit, cum ex omnium sententia Ecclesiæ pollutiuum sit.

2 Aduerto 2. dubitandi causam inde prouenire, quod multi dicant vulnus Ecclesiæ pollutiuum debere esse mortiferum, seu ex percussione mortali, vt videre est apud *Sà V. Ecclesia num. 13. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 4. vers. Secundo. Victorel. in Annotat. ad Tolet. Sum. lib. 5. c. 8. & ad Sà l. c.* & alios. Sed

3 Aduerto 3. percussionem, seu vulnus dici posse mortiferum, seu mortale dupliciter, idest vel respectu mortis corporalis, vel respectu mortis spiritualis, seu peccati mortiferi: potest enim percussio aliqua esse mortalis animæ, idest mortaliter peccaminosa, licet non sit mortalis corpori, & è contrario mortalis corpori, & non mortalis animæ, eo quod sit leuiter tantum culpabilis ob inaduertentiam v. g. leuiter tantum peccaminosam, & c. quibus habitis,

4 Dico Ecclesiam pollui etiam ex vulnere corporaliter non mortifero, dummodo illud sit in ratione propria vulneris externi graue modo iam dicto superius *c. 2. num. 2.* & ex percussione ex se mortaliter culpabili. & ratio est, quia, quamuis nomine vulneris non veniat vulnusculum; venit tamen omne vulnus graue, & si mortale corporaliter non sit, ac proinde per omne vulnus in ratione vulneris graue, & in ratione percussionis externę mortaliter culpabile, quod ex circunstantijs perpendi debet, & iudicantis arbitrio relinquitur, vt cum communi docet *Molfes. in Summa tr. 7. c. 2. num. 118. Graff. decis. aur. p. 2. l. 2. c. 17. num. 4. Menoch. de arbitr. Iud. cas. 263. 266. & 267.* hinc Ecclesiã pollui fatentur *Syluius in 3. p. quæst. 83. art. 3. Coninch. de Euchar. quæst. 83. num. 228. Bonacin. de Matrim. q. 4. punct. vlt. n. 20. & Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 8. num. 51.*

5 Colligo, quamuis superius diximus in dubio de grauitate, vel leuitate vulneris standum esse pro leuitate illius; tamen non inde fieri, vt omnia vulnera mediocria, seu dubia de lethalitate illorum, sint proinde existimanda leuia, & Ecclesiæ non pollutiua; aliud enim est dubitare de grauitate vulneris, vel leuitate illius; aliud autem dubitare de lethalitate illius, vt mox dicebamus. vulnera enim mediocria, seu media inter leuia, & atrocia, atque grauissima, quamuis non sint certo v.g. lethalia; sũt nihilominus certo grauia, ac propterea venire debent inter vulnera certo Ecclesiæ pollutiua.

CAPVT SEXTVM.

An Ecclesia ex vulnere, graui quidem respectu iniuriæ; sed leui respectu læsionis corporalis, ibi illato polluatur.

SVMMARIVM.

Iniuria alioquin leuis aliquando fit grauis ratione personæ iniuriantis, & iniuriatæ, nec non circunstantiarum, idest occasionis, loci, temporis, modi, adstantium, scandali, & c. num. 1.

Percussio etiam ex se leuis videtur, diciturque aliquando grauis ratione personarum, & circunstantiarum talem percussionem aggrauantium, num. 2.

Eadem ratio, quæ militat in percussione, militare videtur etiam in vulneratione, num. 3.

Ecclesia ex illato ibi alicui vulnere, quod in ratione corporalis læsionis leue sit; in ratione vero iniuriæ quam grauissimum, non polluitur, num. 4.

Vulnus leue non fit graue ex grauitate iniuriæ, sed ex grauitate externæ scissuræ in corpore factæ. ibid.

Propria vulnerationis fœditas, ac deformitas consistit in prædicta corporis scissura. ibid.

Percussio ex se leuis; sed grauis in ratione iniuriæ, quomodo posset absolute, & proprie grauis percussio non dici, num. 5. & 6.

Percussio nullam, vel saltem exiguam exprimit, aut continet propriam, & peculiarem percussionis deformitatem, aut fœditatem, nu.6.

Vulneratio grauem, & peculiarem continet actionis fœditatem, & deformitatem, idest externam in corpore scissuram, ibid.

Percussionis grauitas communiter æque ab iniuria, atque à corporalis læsionis grauitate desumitur, & vtraque quasi proprium, & peculiare percussionis obiectum videtur, ibid.

Vulneratio quid supra percussionem addat, ibid.

Sacri Canones ex vulneratione Ecclesiam pollui statuentes cur magis ad materialem vulneratiuæ actionis fœditatem, quam ad peccatum, & iniuriam, quæ in tali actione latet, respexisse videantur, ibid.

Actio, leuiter in ratione corporalis læsionis percussiua, aut vulneratiua Clerici cur sufficiat ad incurrendam Excommunicationem Can. Si quis suadente, 17. quæst. 4. *si sit grauiter eidem Clerico iniuriosa, num.7.*

Iniuriæ grauitas numquam efficere potest, vt vulneratio leuis in ratione corporalis scissuræ habeat illam fœditatem, & deformitatem, quam nomine vulneris requirunt sacri Canones, ibid.

Furtum ex se leue numquam fit in ratione furti graue, licet graues, & multas annexas habeat malitias illud aggrauentes in ratione damni, iniuriæ, scandali, &c.

1 ADuerto 1. iniuriam ex se alioquin leuem fieri aliquando grauem ratione circũstantiarum, & personarum, v.g. ratione dignitatis personæ iniuriatæ, & vilitatis personæ iniuriantis, ratione occasionis, ratione modi, ratione loci, ratione temporis, ratione adstantium, ratione scandali, & similium, quæ fuse cõsiderantur à *Graff. decis. aurear. par. 2. l. 2. c. 17. num. 4. Megal. Instit. Peregrin. p. 3. l. 4. c. 1. quæst. 2. per totam*, & ab alijs passim.

2 Aduerto 2. percussionem quoque ex se leuem videri, dicique aliquando grauem ratione Personarum, & circunstantiarum talem percussionem aggrauantium, vt videre est apud *Genuens. in Prax. Neapol. c. 23. num. 9. & c. 8. num. 1. & seq.* ad quod etiam facit *Extrauagans* quædam, *quæ* ab aliquibus Ioanni 22, & ab alijs Pio 2. attribuitur, & *incipit Perlectis*, quam refert *Confect. in Collect. Priuileg. Regular. inter Litteras 10. 22. & Quaranta in Summa Bullar. V. Absolutio, fol. 92.*

3 Aduerto 3. cum eadem ratio militare videatur in vulneratione, quæ militat in Percussione, propterea hic quæri, num etiam vulneratio dicenda sit grauis, & consequenter Ecclesiæ pollutiua, si in ratione iniuriæ grauis sit; licet ex se, & in ratione læsionis corporalis sit vere leuis, in qua quæstione, quam nemo, quem viderim, in hac materia attigisse visus est.

4 Dico Ecclesiam ex illato ibi alicui vulnere, quod in ratione corporalis læsionis leue sit; in ratione vero iniuriæ, quam grauissimum, nequaquam pollui. Ratio autem potissima est, quia nomine vulneris non venit hic vulnus leue, vt iam diximus *cap. 2.* vulnus vero leue non fit graue ex grauitate iniuriæ; sed ex grauitate externæ scissuræ in corpore iniuriosè factæ, qua in re propria vulnerationis fœditas, ac deformitas consistit, & quam Canones vulnerationi intra Ecclesiam factæ prædictum Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum quasi in pœnam adiungentes specialiter respexisse videntur, vt *disput. 3. cap. 6. num. 2. cum Suar. Sanch. Bordon. & Persic.* innuimus. Verum iuxta iam dicta *num. 1. & 2.* vrgendo

5 Dices 1. iniuria fit aliquando grauis ratione circunstantiarum, & personarum tantum; licet ea ex se sit alioquin leuis: idemque fieri videtur in percussione ratione grauis iniuriæ percussionem comitantis, ergo idipsum dicendum etiam est de vulneratione ex prædicta percussione.

6 Respondeo (quicquid sit de secunda antecedentis parte, posset enim tunc talis percussio dici grauis in ratione iniuriæ tantum, & non in ratione propria percussionis, prout mox dicemus de vulneratione) antecedente dato, negando consequentiam, & assignando disparitatem inter percussionem, & vulnerationem. Percussio leuis in ratione læsionis corporalis, & grauis in ratione iniuriæ, absolute dici solet percussio grauis, quia, cum percussio nullam, vel saltem exiguam exprimat, aut contineat propriam, & peculiarem percussionis deformitatem, aut fœditatem; sed tantum iniuriosam illam actionem in alterius corpus factam, percussionis grauitas communiter æque ab iniuriæ, atque à corporalis læsionis grauitate desumi, & vtraq. grauitas prædicta quasi proprium, & peculiare percussionis obiectum videtur; vulneratio vero, cum supra iniuriosam percussionem addat propriam, & peculiarem aliam per se necessario requisitam percussionis qualitatem, & conditionem, patentem scilicet in corpore scissuram, vt iam dictum est, propterea ex hac tantum scissuræ qualitate, & conditione suam desumit denominationem, proprietatem, essentiam, & in prædicta qualitate, & conditione peculiaris ea fœditas, & magna vulneratiuæ actionis deformitas continetur, quam Canones ex hac actione pollutio-

lutionem Ecclesiæ inducentes respexere: vnde Sacri Canones magis ad materialem hanc vulneratiuæ actionis fœditatem, quam ad peccatum, & iniuriam, quæ in tali actione latet, respexisse inde claret, quod etiam per alias actiones absque morali malitia, & sine peccato vllo factas Ecclesiam aliquando pollui decreuerint, vt inferius suo loco dicemus.

7 Colligo, si ageretur de lege puniente percussionem, seu vulnerationem ob damnum, vel iniuriam inde alteri illatam, tunc vere vtramque grauem dici etiam posse ratione grauitatis damni, vel iniuriæ, quo pacto actio leuiter ex se percussiua, seu vulneratiua Clerici in ratione læsionis corporalis; sed grauiter eidem iniuriosa respectu honoris, & reuerentiæ erga personam percussam, seu vulneratam debitæ, sufficit ad incurrendam Excommunicationem latam in *Can. Siquis suadente 17. quæst. 4.* vt ex communi DD. sententia docet *Fillius. tr. 15. c. 1. num. 18.* quia prædictus Canon potius respicit, & considerat in tali actione iniuriosam illam violentiam, quæ in ea est, quam corporalem læsionem, saltem notabilem, quæ aliquando nulla est, vt passim videre est apud Auctores, qui de hac Excommunicatione scripserunt; sed, cum in hac nostra materia agatur de Sacris Canonibus Ecclesiasticæ pollutionis impedimentum statuentibus non propriè in pœnam damni, vel iniuriæ illatæ; sed ad significandam indecentiam, deformitatem, & fœditatem actionis vulneratiuę in Ecclesia factę, & ob id quasi ipsiusmet Ecclesiæ luctum, seu mærorem, non secus ac si Ecclesia quoque ex fœditate prædictæ actionis fœdata esset, & ad Diuina Officia celebranda inhabilis inde euasisset, vulneratio alioqui leuis in ratione propria, & essentialis vulneris, idest in ratione scissuræ corporalis, quæ est specialis, & substantialis differentia vulnerationis ab alijs percussionibus, & constitutiua talis specificæ actionis, de qua Sacri Canones loquuntur, numquam fiet grauis ob solam grauitatem iniurię annexæ, quia ista iniuriæ grauitas numquam efficiet, vt prædicta leuis in se vulnerationis actio illam habeat fœditatem, quam Canones nomine vulneris requirunt: sicuti furtum, quod in ratione furti fit leue, numquam fiet in ratione furti graue, quamuis tale furtum plures, & graues habeat malitias alias sibi annexas, v. g. rationes iniuriæ, damni, scandali, & similes, propter quas leue furtum fiet graue peccatum in ratione peccati contra aliam iustitiæ speciem, vel alias virtutes, vt communiter docent recentiores apud *Faust. de furto quæst. 20. num. 2. & 3.* nec non *Vidal. in Arca vital. de furto Inquisit. 1. num. 35.*

CAPVT SEPTIMVM.

An Ecclesia ex vulneribus ibi homini mortuo inflictis polluatur.

SVMMARIVM.

Casus iste quomodo aliquando contingere possit. num. 1.

Auctores, & rationes referuntur pro sententia affirmatiua, num. 2.

Ecclesia cur lanceæ mucronem appellet dirum; clauos vero, & cætera Passionis Dominicæ instrumenta dulcia dicat. ibid.

Crudelius est in mortuum, quam in viuentem sæuire. ibid.

Cadauer *ex aliquorum sententia dicitur quasi* Caro data *vermibus, num. 3.*

Cadauer hominis propriè, & vere non est homo, & sanguis ex hominis cadauere non est humanus. ibid.

Iura in Ecclesia pollutione vulnera, vel sanguinis effusionem exprimentes intelligi debent de principali analogato, idest de sanguine hominis viuentis, & de vulneribus eidem inflictis. ibid.

Ecclesia ex vulneribus ibi hominis cadaueri inflictis non polluitur, num. 4.

Contrarijs argumentis omnibus satis fit, num. 5.

Multo minus polluitur Ecclesia ex vulneribus ibi cuilibet non homini illatis, num. 6.

Neque ex sanguinis effusione, qua ibi ex occisi cadauere nonnunquam manaret, præsente occisore. ibid.

1 Aduerto 1. casum hunc euenire posse, si quis ante Ecclesiam occisus, & intra illum illatus, dum adhuc calidus est, ab homicida, vel alio, ex odio, vel quia non creditur mortuus, vulneribus afficeretur. & de hoc eodem casu se per literas olim interrogatum fuisse refert *Dian. part. 6. tr. 6. resolut. 25.*

2 Aduerto 2. affirmatiuæ sententiæ firmiter adhæsisse *Durandum in Ration. Diuin. Offic. l. 1. c. 6. num. 41. Bacchon. in 4. dist. 10. quæst. 2. art. 3. Sā V. Ecclesia num. 13. & Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. c. 29. §. 2. num. 1.* quam opinionem valde probabilem appellat *Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 2. num. 23.* & in eandem valde propendere videtur *Bordon. Resol. Regular. tom. 2. resol. 89. num. 17.* quorum om-

nium rationes hæ sunt. Primo, quia vulnus illatum alicui paulo post illius mortem censetur quasi homini viuo inflictum. Secundo, quia SS. Canones loquentes de vulnere illato in Ecclesia nō distinguunt inter hominem viuum, & mortuum, ergo neque nos distinguere debemus. Tertio, quia tale vulnus, & sanguinis effusio, quæ inde fit, culpabiliter, & iniuriosè fiunt, nec non intra Ecclesiam, quod ad Ecclesiæ pollutionem inducendam sufficere videtur: immo magis impie, & crudelius homini mortuo, quam viuenti vulnera inferuntur, ità vt propterea Ecclesia (teste *Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 53.*) in hymno de Passione dirum appellet lanceæ mucronem, quod Saluatoris jam mortui latus ferierit, cum tamen clauos, & cætera Passionis instrumenta dulcia dicat. & Quarto, quia sanguis inde manans adhuc dicitur, & reputatur humanus. Sed

3 Aduerto 3. proprie, & vere *cadauer* (quod secundum aliquos dicitur quasi *Caro data vermibus*) hominis non esse hominem, nec proinde sanguinem ex hominis cadauere profluentem esse humanum. Cum ergo Ecclesiæ pollutio sit ad modum penæ, & ad rigorosam verborum proprietatem restringi debeat, cumque Iura in Ecclesiæ pollutione, vel exprimant sanguinis effusionem, & tunc intelligi debent de principali analogato, idest sanguinis hominis viui, vel exprimant vulneris illationem, & tunc loquuntur de vulneribus illatis homini viuenti, & rixanti, vt alibi vidimus, propterea.

4 Dico Ecclesiam ex vulneribus ibi homini mortuo inflictis non pollui. ità *Enriq. l. 9. de Missa c. 27. num. 5. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 16. nu. 7. Fagund. de 1. Eccles. praecep. l. 3. c. 14. num. 15. Persic. Dian. & Bordon. ll. cc. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Alleg. 28. num. 32. Castilent. in Polyanth. Seraphic. V. Consecratio Eccles. diffic. 3. vers. Dico secundo. Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 8. num. 54. Iordan. l. c. Squillant. de obligat. Clericor. p. 5. num. 88.* & alij.

5 Ad argumenta pro contraria sententia, ac proinde ad 1. dico tale vulnus censendum nō esse homini viuenti inflictum, cum certo inflictum sit homini mortuo. ad 2. SS. Canones sufficienter indicasse se loqui de sanguine hominis viuentis, & de vulneribus viuenti illatis. ad 3. talem actionem esse interne tantum vulneratiuam hominis, non externe. ad 4. prædictum sanguinem reputari; sed vere, saltem quo ad hunc effectum, non esse humanum.

6 Colligo ob rationes allatas multo minus Ecclesiam pollui ex vulneribus cuilibet alij non homini ibi illatis, etiamsi cum peccato mortali ea inferrentur, prout docent expressè *Durand. l. c. num. 40. Gloss. in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. verb. Sanguinis. Ledesm. 2. 4. quæst. 26. art. 2. Nauar. in Sum. c. 27. num. 256. verb. Humanus. Vinald. in Candelabr. de Interdict. s. 3. num. 6. Sayr. l. c. num. 6. Cassin. V. Ecclesia, tit. 7. num. 12. Seb. Medic. in Sum. Peccat. p. 2. tit. 9. quæst. 10. Zecc. de Casib. reseru. cas. 11. vers. Secundo.* & communiter DD. omnes. vel ex effusione sanguinis, quæ aliquando è cadauere occisi manat præsente occisore, vt ex præallegatis DD. n. 4. multi adnotarunt, etiamsi id miraculose fieret, vt ex superius dictis, & ex inferius dicendis clarius constabit.

CAPVT VIII.

An Ecclesia per quancumq. humani sanguinis effusionem ibi iniuriosè factam polluatur.

SVMMARIVM.

Cur hæc quæstio frustra hic posita aliquibus videri possit, num. 1.

Cur vere non frustra hic ponatur. ibid.

Magna, vel parua sanguinis effusio regulariter vulneris grauitatem, vel leuitatem supponit, quando vulnus alioquin non est certo graue, vel leue. ibid.

Eadem effusi sanguinis quantitas aliquando ex vulnere in vna corporis parte inflicto vulneris grauitatem supponit; secus vero aliquando ex simili vulnere in alia corporis parte. ibidem.

Effusionis nomine ab aliquibus magna tantum; ab alijs vero minima etiam sanguinis quantitas accipitur, num. 2.

Quid de prædicta effusionis acceptione Auctor sentiat. ibid.

Tota capitis huius difficultas videtur esse in assignanda prædicta effusionis paruitate, vel magnitudine, num. 3.

Ecclesia non polluitur ex quacumque iniuriosa sanguinis effusione ibi facta; sed ex ea tantum, quæ vel certo fit ex vulnere non leui, vel certe non modica iudicis arbitrio censeatur, num. 4.

Quid si Iudex ipse sit omnino dubius in prædicta effusione modica, vel magna arbitranda. ibidem.

Quod alicuius arbitrio siue à lege, siue ab homine committitur, intelligitur arbitrio boni viri. ibidem.

Per

1 ADuerto 1. cum ex superius dictis *cap. 1. num. 4. & c. 2. num. 4. & 5.* constet Ecclesiam ex vulnere quidem non leui, etiam sine vlla sanguinis effusione; nequaquam vero ex vulnere leui, etiam cum magna sanguinis effusione, pollui, frustra alicui hic positam videri posse præsentem quæstionem. Verum, quia aliquando dubium est, num vulnus illatum leue, vel non leue fuerit, & consequenter, num magna, vel parua inde sanguinis effusio prædicto vulneri accidentalis, vel essentialis sit, cumque regulariter in dubio vulneris leuitas, vel grauitas, & inde Ecclesiæ pollutio ex subsecuta parua, vel non parua sanguinis effusione præsumenda sit (regulariter enim magna sanguinis effusio non leue vulnus supponit; dixi vero *regulariter*, nam contingere quandoque potest, vt eadem quantitas effusi sanguinis, quę respectu talis vulneris in vna parte corporis supponit vulneris grauitatem, respectu eiusdem vulneris in alia corporis parte nullam vulneris grauitatem supponat, quod egregie animaduertit *Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. quæst. 8. nu. 51.* & nos inferius, & fusius tractabimus, dum de sanguinis effusione ex naribus agemus) propterea pro tali dubio, & in tali casu videndū est, quęnam iniuriosè effusi intra Ecclesiam sanguinis quantitas regulariter non leue vulnus supponat, & inde ex non leui vulnere Ecclesię pollutionem inferat.

2 Aduerto 2. nomine effusionis hìc ab aliquibus magnam tantum sanguinis emissionem; ab alijs vero tam magnam, quam paruam accipi, vt videre est tum apud *Riccium in prax. p. 3. resol. 266.* qui vna cum *Castro de potest. leg. pœnal. l. 1. c. 7. corollar. 2. & Graff. tom. 1. Consil. 1. de Consecrat. Eccles. num. 15.* dicit effundere nihil aliud esse, quam extra fundere, & tam de magna, quam de parua quantitate verificari, cum vel vnica sanguinis guttula effundi vere dicatur, quando illa extra corpus emittitur, seu è corpore funditur; tum apud *Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 14. & 19.* & alios passim, qui cum communissima DD. sententia affirmant per effusionis nomen intelligi abundantiam, largitatem, magnam copiam, copiosum fluxum, & enormem quantitatem. Sed, omissa hac nominis quæstione, in qua vtramque opinionem probabilem, & neutram infallibilem video,

3 Aduerto 3. totam difficultatem apud me reipsa hic esse in statuendo, quęnam modica, seu parua sanguinis effusio, & quęnam non modica, vel non parua dicenda sit: sicuti enim iam certo diximus ex vulnere leui Ecclesiam non pollui; pollui vero ex vulnere non leui, ità certo credimus ex modica sanguinis emissione vulnus (alioquin dubium) graue non supponi; supponi autem graue ex non modica sanguinis emissione.

4 Dico ergo Ecclesiam non pollui ex quacumque iniuriosa sanguinis effusione ibi facta; sed ex ea tantum, quę vel certo sit ex vulnere non leui, vt iam vidimus *cap. 2.* vel certe (si vulnus alioqui sit dubium inter leuitatem, & grauitatem) non modica censeatur iudicantis arbitrio, cui hoc ipsum relinquitur, vt *argum. Cap. de causis, §. fin. de Offic. deleg. & L. 1. §. 1. ff. de iur. delib.* docent *Fraac. Gemin.* & alij *in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Vugarell. ad Angel. V. Consecratio Eccles. Sebol. C. Vgolin. de Offic. et Potest. Episc. c. 29. §. 2. vers. Secundo. Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 47. Bordon. Regular. resolut. tom. 2. resolut. 89. num. 15. Castilent. in Seraphic. Polyanth. V. Consecratio Ecclesiæ, diffic. 3. vers. Quanta autem. Vener. Exam. Episcop. l. 9. c. 36. num. 5. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. Marc. Ant. Lazar. in Addit. ad Nauar. Compend. V. pollutio Eccles. num. 17. vers. Adde tamen. Maceratens. resol. 112. cas. 6. vers. Accedit. Cassin. in Mystagogic. Regular. Castreb. V. Ecclesia, tit. 7. num. 11.* subdens, *Qui, si omnino sit pendulus, iudicabit pro Ecclesia, vt non sit polluta, quia in pari causa melior est conditio possidentis, & Ecclesia est illa, quæ libere possidet suæ consecrationis, vel benedictionis effectum.* Sed quia ex *Peguer. decis. 84.* quando quid committitur arbitrio alicuius, intelligitur arbitrio boni viri, siue id à lege, siue ab homine committatur, nec debet intelligi de libero, & absoluto arbitrio; sed de regulato ab arbitrio boni viri, idest secundum leges, & à ratione, & æquitate, non à propria ceruice, vt communiter dici solet: debet enim bonus vir se conformare cum iuris communis dispositione leges seruando (quod debet intelligi de similitudinaria con-

for-

formitate, vt bene aduertit *Graff. de Arbitr. Confessar. in proœm. num. 7.* cum arbitraria non sint expressa in iure, & ibi tantum arbitrium locum habeat, vbi iuris determinatio deficit, *L. Mora, ff. de vsur. & L. 3. ff. de test.*) & cum Doctorum doctrinis approbatis non discedendo ab eis, vt late videre est apud Auctores ab eodem *Pegner. ibid. citat.* & præcipuè apud *Farinac. de indic. & tortur. quæst. 37. num. 194. & 199.* qui ad id innumeros recenset; idcirco prædictum etiam arbitrium, cum regulatum esse debeat, & non absolutum, nec ex despotico voluntatis imperio, debet esse secundum leges, ac rationes, nec non secundum proborum virorum ea de re exempla, & sententias, siquæ sunt, & consequenter in hac nostra difficultate iudicantis arbitrio relicta videndum est, quamnam effusi sanguinis quantitatem modicam, & insufficientem, vel non modicam, & sufficientem pro Ecclesiæ pollutione dixerint, qui hac de re scripserunt, & iuxta Doctorum dicta iudicandum erit, vt vere, & recte regulatum prodeat iudicantis arbitrium. Aliqui ergo, vt modicæ, & ad Ecclesiasticam pollutionem inducendam insufficientis effusionis exemplum afferrent, sanguinis *guttam tantum* dixerunt, vt *Mazzolius de munere Confessarij rite obeundo part. 2. num. 255. & Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 34.* alij *vnam, aut alteram guttam*, ità *Graff. Consil. tom. 1. l. 3. de consecrat. Eccles. vel altar. consil. 1. num. 20. & Ricc. in prax. par. 3. resolut. 266. num. 7* alij *duas, vel tres guttas*, ità *Coninch. quæst. 83. de Eucharist. art. 3. dub. 1. num. 227. & Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. num. 12.* alij *quatuor, vel sex guttas*, ità *Summa Corona de Interdict. num. 5.* alij *paucas guttas*, ità *Azor. p. 1. l. 10. c. 26. quæst. 13.* alij *guttarum aliquarum paruarum effusionem*, vt *Seb. Medic. in Summa Peccat. Capit. p. 2. tit. 9. q. 10* alij *guttarum aliquarum emissionem*, vt *Philiarch. de Offic. Sacerd. p. 1. l. 4. c. 4.* alij *eam effusi sanguinis quantitatem, quæ maculam ad Sacerdotalis Hostiæ latitudinem extendat*, vt *Bordon. l. c.* alij deniq. *guttas*, seu *sanguinem guttatim effusum*, vt *Fagund. de primo Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 14.* quibus omnibus perpensis,

5 Colligo, licet à DD. allata modicæ effusionis exempla absolute non definiant modicam effusi sanguinis quantitatem vlterius extendi non posse, cum hoc Doctores non dicant; tamen, cum maiorem quantitatem concordi pene omnes consensu non expressferint in modicæ quantitatis expressione, caute in hac effusi sanguinis modicitate assignanda, & cautius in ea excedenda procedendum esse, ne non modice in re modica decidenda decipiamur.

CAPVT IX.

An Ecclesia polluatur, si magna sanguinis effusio è naribus ob iniuriosam percussionem ibi inflictam fiat.

S V M M A R I V M.

Sententia affirmantis argumenta referuntur. num. 1.

Effusio sanguinis sumi, & magna, vel parua dici debet proportionaliter ad partem, ex qua fluit. ibid.

E naribus facile, & abundanter sanguis fluere solet. ibid.

Sanguinis effusio etiam magna, si fiat ex ioco, vel casu, vel à Chirurga, vel à pueris, vel à se pietatis ergo flagellantibus, &c. Ecclesiam cur non polluat. ibid.

Effusio sanguinis etiam magna è naribus cur non videatur esse grauiter iniuriosa, nec ex vero vulnere. ibid.

Sanguinis effusio ex sudore sanguineo cur non polluat Ecclesiam, num. 2.

Maior sanguinis effusio requiritur è naribus ad supponendam vulneris grauitatem, et polluendam Ecclesiam, quam ex alijs corporis partibus. ibid.

Magna Sanguinis effusio ex naribus grauiter quoque iniuriosa esse potest. ibid.

Vulneris latentis magnitudo, seu grauitas ex apparente sanguinis effusione proportionaliter magna sufficienter patere potest. ibid.

Variorum Auctorum variæ sententiæ quo ad propositam quæstionem referuntur, num. 3.

Ecclesia polluitur, si deliberata, & magna sanguinis effusio iniuriosè, & per se ibi è naribus fiat, num. 4.

Magna sanguinis effusio ex vulnere leui per accidens multipliciter fit. ibid.

Quod de effusione è naribus dictum est, proportionaliter, & seruatis seruandis, dicendum est de qualibet alia effusione simili, puta ex ore, & s. ibid.

Naturalis sanguinis effusio è naribus, ore &c. Ecclesiam non polluit, num. 5.

In dubio, num effusio naturaliter prouenerit, vel violenter causata fuerit, peritorum iudicio standum erit, num. 6.

Vulnus præsumitur mortale, si post illud sequatur mors. ibid.

Sanguinis effusio præsumitur ex præcedenti percussione, nisi aliud constet. ibid.

Si

Si percussio certo non fuisset sufficiens ad talem effusionem, hac vel aliunde, vel certe à præcedenti percussione quidem; sed tantum per accidens, prouenisse præsumeretur, nec inde pollueretur Ecclesia. ibid.

Quid si certo constaret tam de sufficientia percussionis, quam de facilitate, & frequentia naturalis effusionis? ibid.

Quomodo externa cutis apertio ex dictis ad vulneris rationem necessaria accipienda sit, num. 7.

Cur magna sanguinis effusio, etiam è naribus, graue vulnus supponat, & denotet. ibid.

1 ADuerto 1. ex vna parte dubitandi, immo negatiuè respondendi occasionem Primo inde ortam esse, quod prædicta effusio, cum proportionaliter sumi, & magna inde, vel parua dici debeat ad partem, ex qua fluit, cumque ex naribus facile, & abundanter sanguis fluere soleat, vere non videtur fieri ex vi vulneris; sed per accidens, seu casualiter, & quasi materialiter tantum, nec consequenter supponere graue vulnus, vt supponeret, si esset ex alia corporis parte, ex qua non tam facile multum sanguinis exire soleret, iuxta iam dicta *cap. 2. num. 5. & cap. præced. num. 1.* Secundo, quod talis effusio ordinarie non videtur grauiter iniuriosa, ità vt in ratione percussionis regulariter ad peccatum mortale pertingat: quam ob causam neque Ecclesiam polluit multa sanguinis effusio ibi ex ioco, vel casu, vel à Chirurgo medelę causa, aut à pueris, vel alijs vsum rationis non habentibus, aut per honestam, & iustam sui ipsius flagellationem pietatis, & pœnitentiæ ergo, vel huiusmodi non iniuriosis actionibus facta, vt ex superius dictis de Homicidio non iniurioso abunde patet. & Tertio, quod prædicta effusio non videtur procedere ex vero vulnere, cum nulla hians, patensque corporis apertura hic adsit, quæ vulneris nomen mereatur, ob quam causam neque pollueretur Ecclesia ex sudore sanguineo, quia talis effusio non esset ex vulnere.

2 Aduerto 2. ex alia parte argumenta prædicta non vsquequaque firma, nec omnino intentum probantia videri, sanguinis enim abundantia, & effusionis facilitas è naribus, quæ in primo afferuntur, ad summum probant eam effusi sanguinis quantitatem, quæ respectu alterius partis sufficeret ad supponendum graue vulnus, & ad polluendam Ecclesiam, respectu narium non sufficere; sed copiosiorem quantitatem requiri, quod vltro etiam aduersarij concedunt, & expresse traditur à *Fran. de Lugo de Sacrament. part. 1. l. 5. c. 6. quæst. 8. num. 51.* Iniuriam vero tantum leuem, quam ordinarie in prædicta effusione interuenire asserit secundum argumentum, vt aliquando non excludunt, ità aliquando grauem interuenire posse fatentur, quo in casu prædictum argumẽtum omnino nullum erit. vulneris denique veritatem non tollit eiusdem occultatio, vt inferre videtur tertium argumentum, magna enim sanguinis effusio, quæ videtur, aliquando vulneris magnitudinem, quæ non videtur, satis aperte probare, & sufficienter demonstrare potest, cum sine graui corporis scissura prædicta sanguinis copia extra corpus profluere nequeat, vt per se patet.

3 Aduerto 3. Auctores proinde hac in re varios in varias abijsse sententias. Aliqui per prædictam sanguinis effusionem Ecclesiam non pollui dicunt in rixis puerorum tantum, fortasse ex eo, quod in talibus rixis, & percussionibus ob puerilem ætatem non adsit peccatum mortale, ità *Sot. in 4. dist. 13. art. 3. col. 8. & Graff. aur. decis. p. 1. l. 2. c. 48. num. 25 in fin.* Alij absolute docent idipsum etiam in rixis grandiorum, ità *Victor. in Summa quæst. 99. de Euchar.* generaliter asserens, *Si pugno percussero aliquem in naribus, & fluat sanguis etiam in magna quantitate, non polluitur Ecclesia, quia non est grauis effusio.* consonat *Sà, V. Ecclesia num. 13. Fagund. de 1. Eccles. praecep. l. 3. c. 14. num. 7. & de 2. Eccles. pracep. l. 4. c. 4. num. 18. Marchin. de ordin. tr. 3. p. 3. c. 11. num. 8.* dicens, *excipitur effusio sanguinis etiam lethifera, seu grauis, & in magna quantitate, quæ de naso profluerit pugno, alapa, & similibus.* hos sequitur *Dian. p. 6. tr. 6. resol. 24.* qui hanc sententiam absolute tenendam affirmat. *Squillant. de oblig. Cleric. p. 5. num. 88. Portel. in dub. Regul. V. Ecclesia Fratrum, in Addit. num. 3. Cassin. V. Ecclesia, tit. 7. nu. 11. Piasec. in Prax. Episc. p. 1. c. 5. num. 5. Lazar. in Addit. ad Nauar. Compend. V. Pollutio Ecclesiæ, num. 17.* vbi ità in facti contingentia Papię per multos Theologos, ac Canonistas conclusum fuisse narrat, & nouissimè *Io. Maria de Castilent. in Polianth. Seraphic. V. Consecratio Ecclesiæ, difficult. 3. conclus. 3. quia,* inquit, *effusio, cum simus in pœnalibus, restringenda est ad effusionem violentam difficilem; non autem ad effusionem facilem: è naso enim facilis est effusio sanguinis; non ità ab alijs membris.* Aliqui prædictam doctrinam limitant, & Ecclesiam pollui concedunt, quãdo iniuriosa percussio præter magnam sanguinis effusionem è naribus relinqueret etiam post se suggillationem, ac maculam, & cum magno populi scandalo facta fuisset, & ità sentire videntur *Nauar. in Man. c. 27. num. 256.*

Lopez

Lopez in 1. p. Instruct. consc. c. 33. vers. Sed circa. Vuald. de Interd. num. 54. & Lazar. l. c. vers. Adde tamen. Sed quid prædicta suggillatio, vel scādalum faciant ad vulneris grauitatem, patet ex iam decisis *cap. 6*. vbi de vulnere leui in ratione corporalis læsionis, & graui in ratione iniuriæ actum est. alij denique proportionaliter idipsum statuunt de prædicta sanguinis effusione è naribus, quod de alijs omnibus quibuscumque grauibus effusionibus ex alijs vulneribus: dixi *proportionaliter*, quia ob effusionis facilitatem è naribus maior sanguinis copia ad grauem iniuriam, & grauem effusionem constituendam in proposito casu requiritur, quam in alijs, prout superius dicebamus. vnde cum his vltimis.

4 Dico Ecclesiam pollui, si deliberata, & magna sanguinis effusio iniutiosè, & per se ibi è naribus fiat, ità vt & sit mortale peccatum formaliter, quatenus effusio sanguinis est, & sit etiam magna effusio, quatenus ex tali corporis parte effusio illa est. Ratio est, quia in prædicta effusione vere adsunt ea omnia, quæ sunt ad Ecclesiæ pollutionem inducendam à iure requisita, cum adsit magna, & iniuriosa sanguinis effusio ibi ex vulnere formaliter in ratione vulneris graui, & grauiter iniuriosa, vt iam superius explicatum est. Dixi *per se*, quia magna sanguinis effusio per accidens aliquando prouenit ex vulnere leui non solum ratione talis partis corporis, vnde facile fluit, puta è naribus, vt iam diximus; sed etiam ratione temporis, v. g. æstiui, in quo sanguis magis feruet, & ebullit, & docet *Glossa margin. in Cap. Cum illorum, Verb. Effusionem, de sent. Excommunic.* ratione complexionis sanguineæ, & ætatis iuuenilis, inquibus sanguis magis abundare solet, & ratione similium circunstantiarum, quod bene notandum est. ità autem in ipsissimet nostris terminis expressissime asserunt *Syluius in 3. p. qu. 83. art. 3. post conclus. §. Quæritur. Conincb. in 3. p. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 228. Bonac. de Matrim. quæst. 4. punct. vlt. num. 20. Mazuchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. difficult. 2. num. 13. Franc. de Lugo l. c. Antonin. Maceraten. var. resol. l. 1. resol. 112. cas. 6.* & fauent etiam ij omnes, qui generaliter statuunt Ecclesiam pollui, quando cum percussione graui, quæ sit mortale peccatum in ratione percussionis, coniungitur copiosa sanguinis effusio per se, quæ grauitatem vulneris supponit modo iam dicto, quos fuse videre est apud *Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 2. num. 25.* & alios passim. vnde discerni poterit, an effusio sanguinis etiam ex naso fluentis polluat Ecclesiam, nec ne. quod etiam dictum velim de qualibet alia magna sanguinis effusione, quæ ex simili vulnere ibi iniutiosè, & violenter facto prodeat, v. g. ex ore, &c. semper enim, considerata superius explicata proportione partium corporis, ex quibus facilius, vel difficilius sanguinis copia exire solet, & habita prædictarum temporis, complexionis, ætatis, & similium circunstantiarum ratione, magna sanguinis effusio per se ex graui, & grauiter iniuriosa percussione procedens habēda erit Ecclesiæ pollutiua, quia semper graue vulnus denotabit, & supponet, cum sanguis è corpore violenter, & copiose, vt dictum est, non exeat sine graui vulnere, vt per se notum est.

5 Dices sanguis è naribus, ore, & c. aliquando etiam copiose naturaliter exit absque vulnere violenter, & iniuriosè illato, quo in casu certe Ecclesiam non polluit, ergo prædicta effusio è prædictis partibus potius naturalis, seu saltem casualis, & materialiter tantum emissa cēsenda erit, nec proinde vnquam erit Ecclesiæ pollutiua.

6 Responceo peritorum iudicio standum esse, num prædicta sanguinis effusio in tali casu, & in talibus circunstantijs causata fuerit vel per se, vel per accidens ex præcedenti percussione, nec ne. certe in dubio præsumptio stat pro præcedenti percussione, sicuti vulnus præsumitur mortale, si post illud sequatur mors, vt bene *Biard. ad Clar. §. Homicidium, num. 147.* & qui dicit vulneratum non esse mortuum ex vulnere, sed ex alia causa, illud probare debet, ex *Mascard. de probat. conclus. 1073. num. 12.* si tamen certum esset talem percussionem non fuisse per se sufficiētem ad talem effusionem causandam, tunc ista præsumeretur orta ex alia causa, licet hæc non appareret; vel certe ab eadem causa; sed per accidens, & casu, & non per se, ac proinde per talem effusionem non pollueretur tunc Ecclesia. Si vero constaret tamde certa sufficientia percussionis, quam de naturali facilitate, & frequentia talis effusionis è naribus, tunc, quia percussio esset certo, & proximè sufficiens pro hoc tempore determinato; facilitas vero, & frequentia naturalis talis effusionis esset certo sufficiens solum in genere, & non pro hoc tempore determinato, vt suppono (alioqui in dubio etiā quo ad hoc vtrinque pari benignior interpretatio fieri deberet) effusio potius tribuenda esset causæ certo sufficienti pro tali tempore determinato, quam causæ certo sufficienti pro tempore tantum indeterminato, ad quæ etiam faciūt superius dicta de homicidio *disp. praced. cap. 18. 19. & 21.*

7 Colli-

7 Colligo, licet *cap. 3. num. 2.* dixerimus ex communi loquendi vsu neminem dici vulneratum, nisi vulnus exterius in cute aperiatur; tamen in intelligendum esse tam de cute exteriori, quam interiori, idest siue corpus scindatur ab ea parte exteriori, quam videmus, siue ab ea parte interiori, quam videremus, si intra corpus ipsum, puta id pectore, vel ventre, essemus: cutis enim nomine hic accipitur ea omnis siue pellis, siue cartilago sit, quæ interius etiam corporis partes ambit, & tegit, quomodo tam interiorem, quam exteriorem domestici parietis alicuius crustam appellare solemus, quæ parietis latus vtrumque tam ab interiori, quam ab exteriori parte domus circundat. proinde siue corpus scindatur, & apertura in eo fiat ab ea parte, quæ interiora versus patet, siue scindatur, & apertura fiat ab ea parte, quæ exteriora versus apparet, semper erit verum vulnus. cum autem ex *Tagautio Institut. Chirurgic. l. 2. c. 12. versic. Signum venæ*. sanguinis profusio signum sit venæ alicuius maiusculæ, vel arteriæ incisæ, aut ruptæ, seu quomodocumque apertæ, & talis profusio aliquando syncopen, conuulsionem, delirium, & mortem ipsam afferat, certe vulneris etiam grauitatem supponet, quod cum lateat, difficile curatur, & cum sanguis sit naturæ thesaurus, grauitate non caret.

CAPVT X.

An Ecclesia polluatur, siquis sibi, vel vel alteri vlcus ibi cum magna sanguinis effusione, & iniuria causarit.

SVMMARIVM.

Venena quadã, seu medicamenta tam mineralia, quam non mineralia vim habent tam fortiter corrodendi, vt vlcerationem faciant etiam cũ sanguinis fluxu, num. 1.

Vulnus *cur dicatur* illatum; Vlcus *vero* innatum, *num. 2.*

Vulnus, *&* Vlcus *tam apud Iurisperitos, quam Medicos ità inter se differunt, vt nomine vulneris non veniat vlcus in odiosis, num. 3.*

Ecclesia, siquis ibi sibi, vel alteri vlcus, etiam cum magna sanguinis effusione, & iniuria, effectiue causarit, non polluitur, num. 4.

Sanguinis effusio ad Ecclesiæ pollutionem inducendam sufficiens cur debeat esse ex vulneribus; non ex vlceribus, ibid.

Cur homicidium ex veneno Ecclesiam polluat; non item sanguinis effusio ex veneno num. 5. & 6.

Polluitur Ecclesia, siquis ibi sibi, vel alteri ictu aliquo graui venam in pectore, vel alibi iniuriosè rumpat, & fiat sanguinis effusio, num. 7.

Non tamen polluitur, siquis idipsum ibidem veneno aliquo, seu medicamento, sine ictu, seu violenta percussione, faciat. ibid.

Neq. pollueretur, siquis ibidem non per venena, & medicamenta; sed per inflationem, & conatum maximum sibi venam in pectore rumpi cogeret, vt se occideret. ibid.

Non omnis iniuriosa corporis læsio etiam cum magna sanguinis effusione ad Ecclesiam polluendam sufficit; sed ea tantum, quæ verè vulnus, vel homicidium facit. ibid.

1 Aduerto 1. venena quædam, seu medicamenta, vt ex Medicis, & præcipue ex *Arnal. Villanouan. in toto suo lib. de Venen.* & experientia ipsa vero verius habetur, non solum mineralia; sed etiam non mineralia, si vel extrinsecus corpori applicentur, vel intrinsecus in intestinis recipiantur, qualia sunt Cantharides, argentum viuum, calx viua, lepus marinus, & similia vim habere tam fortiter corrodendi, vt vlcerationem tum corpori externam, tum eidem internam faciant etiam cum sanguinis fluxu, de quo hic quæritur, num, si in Ecclesia iniuriosè id fiat, ea inde polluatur.

2 Aduerto 2. *vulnus* dici *illatum*, *vt cap. 3. num. 5.* diximus, quia vulnus propriè dicitur, quando fit scissura, vel separatio in cute per ictum aliquem extrinsecus aduenientem; *vlcus* vero dici *innatum*, quia vlcus propriè dicitur, quando, non per ictum extrinsecus illatum, sed ex virtute, & malignitate, seu venenositate humorum, vel venenorum fit in corpore vel extrinsecus, vel intrinsecus corrosio, & corruptio seu purulenta, seu sanguinolenta absque vlla percussione. ideoque

3 Aduerto 3. Vulnus, & Vlcus tam longe inter se distare, vt vnum pro alio, maxime in odiosis, nullo modo venire debeat, prout colligi potest ex Iurisperitis multis apud *Plaz. in epit. delict. l. 1. c. 13. num. 3.* & communiter ex Chirurgis, ac Medicis apud *Guidon. Gauliac. tit. de vulnerib. c. 1. & tit. de vlcerib. c. 1. Galen. in 4. Terap. & Tagaut. Chirurg. instit. l. 3. c. 1.* Quare

4 Dico Ecclesiam, siquis ibi sibi, vel alteri vlcus etiam cum magna sanguinis effusione, & iniuria effectiue causarit, non pollui. Ratio est, quia Sacri Canones loquuntur de san-

guinis effusione, quæ fit ex vulneribus, non quæ fit ex vlceribus, vt colligitur ex *Cap. Proposuisti de consecrat. Eccles. vel alt.* vbi sermo est de vulneribus in rixa inflictis, & expresse traditur à *Lazar. in Addit. ad Nauar. Compend. V. Pollutio Eccles. num. 17. vers. & prima ratio.* prædictæ enim vlcerationes, & sanguinolentæ corporis corrosiones per venena, seu medicamenta procuratæ, & effectæ non sunt vera vulnera illata; sed vere vulcera innata, ex prædicta corrosione, vt per se manifestum est.

5 Dices. Homicidium ex veneno Ecclesiam polluit, vt diximus *disp. 5. c. 24.* ergo etiam sanguinis effusio seu vulneratio ex veneno Ecclesiam polluet.

6 Respondeo disparitatem esse inter homicidium, & sanguinis effusionem ex venenis iniuriosè alicui, vel etiam sibi applicatis: homicidium enim ex veneno est verum homicidium; sed sanguinis effusio per corrosionem à venenis factam est ex vlcere, non ex vero vulnere, vnde ad Ecclesiæ pollutionem non sufficit, quia vlceratio vulnerationis nomine in hac stricti iuris materia venire non debet.

7 Colligo, licet Ecclesia polluatur, si quis ibi sibi, vel alteri ictu aliquo graui venam in pectore, vel alibi iniuriosè rumpat, & sanguinis effusio fiat; eam tamen non pollui, si quis ibi veneno aliquo idipsum fieri curet sine ictu, seu violenta percussione, licet fiat inde magna sanguinis effusio; in primo enim casu iniuriosè fit in Ecclesia verum vulnus; sed in secundo vlcus tantum: immo neq. pollueretur Ecclesia, si quis ibi non veneno; sed per inflationem, & conatum maximum sibi venam aliquam in pectore rumpi cogeret, vt se occideret, & inde maxima etiam sanguinis effusio reipsa sequeretur, quia adhuc talis venæ ruptio sic procurata non esset verum vulnus; sed porius vlcus, talis enim vis non esset ab extrinseco; sed ab intrinseco, vulnera autem omnia ab intrinseca vi facta, aut etiam ab extrinseco; sed sine ictu, & percussione, non sunt proprie vulnera, sed vlcera ex *Gabr. Falop. de vulnerib. c. 8. & 9.* vnde non omnis iniuria in corpus, seu iniuriosa corporis læsio, etiam cum magna sanguinis effusione ad Ecclesiam polluendam sufficit; sed ea tantum, quæ vere vulnus, vel homicidium facit.

CAPVT XI.

An Ecclesia polluatur, si quis ibi iniuriosa, & graui percussione magnam sanguinis effusionem causet ex vlcere, vel ex vulnere antea illato.

SVMMARIVM.

1 Aduerto 1. quæstionem hanc differre à præcedenti in hoc, quod ibi sanguinis effusio est ex vlcere iniuriosè quidem causato; absque ictu tamen, & sine iniuriosa percussione ab extrinseco; hic vero agitur de sanguinis effusione causata per ictum, & percussionem grauem ab extrinseco: vnde ibi nullo modo fit vulnus; hic autem verum vulnus adesse potest ex supradictis. proinde

2 Aduerto 2. certum mihi esse, quod, si quis magnam sanguinis effusionem sine ictu, vel percussione ex vlcere, vel ex vulnere antea illato causaret iniuriosè in Ecclesia, v. g. remouendo ibi ab vlcere, vel prædicto vulnere ea, quæ sanguinis fluxum impediebant, vel etiam medicamenta, vel venena de nouo appo-

ponen-

ponendo nouum sanguinis fluxum causantia, tunc Ecclesia non pollueretur, quia talis effusio non esset ex vlla vulneris illatione, cum tunc nullum vulnus inferatur; sed ex vlcere, vel vulnere iam illato prædicta tantum sanguinis effusio procuretur, quorum alterum ab altero quam diuersum sit, nemo non videt. vnde

3 Aduerto 3. difficultatem omnem in eo sitam videri, quod prædicta vlceris, vel vulneris percussio, propter quam magna inde sanguinis effusio fit, ex vna parte videtur inferre nouum vulnus ob nouam ex percussione ipsa sanguinis effusionem; ex alia vero parte nullum inde nouum vulnus causari videtur, quia nulla de nouo corporis apertura apparet.

4 Dico, siquis in Ecclesia magnam sanguinis effusionem graui, grauiter iniuriosa, & per se ad id sufficienti percussione causet ex vlcere, vel ex vulnere iam antea illato, Ecclesiam inde pollutam mihi videri, tunc enim talis effusio videtur esse ex noui vulneris illatione, & habere omnia ad Ecclesiæ pollutionem inducendam requisita, prout ex *cap. 9.* de effusione ex naribus proportionaliter loquendo facile colligi potest. Dixi *iniuriosa percussione*, idest grauiter, & iniuste peccaminosa, si enim Chirurgus, dum vulnus curat in Ecclesia, sanguinis effusionem causet sine culpa, Ecclesiam non pollui certum est, vt expresse patet ex *Glossa in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Rodriq. Fagund. Sayr. Auil. & alys cum Pesic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 2. num. 20. in fin.* Dixi *graui, & ad id sufficienti*, ad polluendam enim Ecclesiam in proposito casu non sufficeret ea percussio, quæ quomodocumque ibi magnam sanguinis effusionem absolute causaret (ob facilitatem enim effusionis ex tali loco leuis etiam percussio facile ad magnam alias effusionem sufficeret) sed percussio debet esse talis, vt per se satis fuerit ad nouum vulnus in antiquo vulnere causandum; quis enim neget Ecclesiam pollui, siquis ibi alicui iniuriosè graue vulnus ense intulerit; licet ensis per antiqui vulnusculi orificium casu ingressus, & prætergressus fuerit? nam idipsum dicendum est tam de vulneratione per fustem, quam de vulneratione per ensem facta, vt euidens est.

5 Colligo Peritorum arbitrio relinquendum esse, num prædicta noua sanguinis effusio ex vlceris, vel antiqui vulneris percussione per se causata fuerit, nec ne; ac proinde num prædicta percussio formaliter causarit nouam vulnerationem; vel materialiter tantum ex veteri vulnere sanguinis effusionem effecerit.

CAPVT XII.

An Ecclesia polluatur, si ibi Eucharistico Christi corpori iniuriosè ab homine graue vulnus inferatur, & inde magna etiam sanguinis effusio fiat.

SVMMARIVM.

In Eucharistia est verum Corpus Christi; non per modum corporis humani; sed per modum panis, & cibi, num. 1.

Sanguinis ex Eucharistia effusi casus pluries contigit, num. 2.

Corpus Christi in Eucharistia non est mortale, nec passibile, & est vera vulnerationis incapax, num. 3.

Ecclesia non polluitur, etiamsi Eucharistiæ quis vulnera inferre tentarit, & magna sanguinis effusio miraculose facta sit, num. 4.

Cur Martyris cædes, seu vulneratio Ecclesiam polluat; non vero sanguis è corpore Christi in Eucharistia.

1 ADuerto 1. quamuis vere in Sanctissima Eucharistia sit verum corpus humanum Iesu Christi; non esse tamen in ea per modum corporis humani; sed per modum panis, & cibi, vt per se patet, ac proinde effusionem sanguinis è sanctissima Eucharistia semper esse miraculosam.

2 Aduerto 2. propositum sanguinis ex sanctissima Eucharistia effusi casum pluries contigisse, vt pleno ore fide dignissimi testantur Historici *Sifrid. Presbyt. l. 2. Epit. Bapt. Fulgos. factor. memorab. l. 1. c. 6. Guicciard. in Descript. Belgij, Io. Molan. in Indic. SS. Belg. lit. S. Petr. Thyræus tr. 2. de apparit. Sacramental. Laur. Sur. in Commentar. rer. tot. orb. gest.* & alij apud *Dauroultium in Catechismo Historial. p. 3. c. 5. tit. 3. per totum.*


3 Aduerto 3. corpus Christi in Hostia consecrata non esse mortale, nec passibile; sed gloriosum, & impassibile, ac proinde illud vere vulnerari non posse, prout vulneratio inter homines hic viuentes accipitur, & de qua Sacri Canones intelligendi sunt, cum de Ecclesiæ pollutione per vulnera loquuntur. Quamobrem

4 Dico Ecclesiam, etiamsi ibi Eucharistico

 Chri-

Christi Domini corpori iniuriosè quis graue vulnus inferre tentauerit, & inde magna sanguinis effusio miraculose facta fuerit, nihilominus inde non pollui, quia huiusmodi vulneratio non est vere vulneratio, nec ea est, de qua Canones loquuntur, qui semper verba faciunt tantum de vulneribus corpori mortali, & passibili inflictis, vt perspicuum est.

5 Colligo, licet de effusione sanguinis ex vulneribus in Ecclesia Martyris corpori iniuriosè inflictis, prout etiam superius *disput.* 5. *c.* 50. idipsum diximus de Martyris cæde, contrarium dicamus; nihilominus inde nihil contra nos inferri: Martyris enim cædes, vel vulneratio sunt verum homicidium, & vera vulneratio, nam etiam Martyr habet verum corpus, humanum, mortale, & passibile, de quo proinde naturali modo sanguis effunditur, quæ non militant in sanctissima Eucharistia, vt iam diximus.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA

De tertia Pollutiuarum Actionum specie, vel tertio Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Seminis Effusionem.

Vt ex Sanguine Semen aptè conficitur, ità prius de Sanguinis, tùm de Seminis Effusione non ineptè tractatur. Immo, vt exigua Seminis quantitas ex multo Sanguine fit, adeò vt quadraginta Sanguinis partes secundum Aliquos vnam Seminis efficiant, ità subsequentia eò fortasse breuiùs expediemus, quò præcedentia longiùs protraximus.

CAPVT PRIMVM.

An Ecclesia ex Seminis tàm brutorum, quàm hominum, & tàm fœminei, quàm masculei cuiuscumq. effusione polluatur.

SVMMARIVM.

Semen proprie quid sit, num. 1.
Semen Animalium quomodo definiatur. ibid.
Semen quo pacto totam sui principij virtutem contineat. ibid.
Vndenam morbi Hæreditarij oriantur. ibid.
Ecclesia non polluitur ex effusione seminis non humani, num. 2.
Etiamsi ad prædicti seminis effusionem homo quomodocumque concurrerit. ibid.
Fæminæ num verum semen emittant, controuersum est inter Philosophos, & Medicos. num. 3.
Ecclesia tàm ex seminis Fæminei solius, quàm ex Masculei ipsius effusione polluitur, num. 4.
Fæminæ etiam extra copulam vere polluuntur, & semen expellunt. ibid.
Semen cuiuscumque hominis Christiani, Iudæi, Hæretici, Infidelis sufficit ad Ecclesiæ pollutionem, si adsint alia ad id requisita, num. 5.

1 ADuerto 1. licet Semen proprie sit illud, quod in agro spargitur ad gignendum fructum; tamen per quandam appropriationem dici de semine animalium, quod ad fœtum procreandum emittitur. vt dixit *Isidor. apud Bartholom. Anglic. de rerum proprietat. l. 17. c. 156.* vnde tam inanimatoru ·, quàm animatorum semen varie à varijs definitur, vt videre est in *Lexic. Theolog. Verb. Semen, & in Rosar. Theolog. Pelbart. l. 2. V. eod.* & passim apud Philosophos, Medicos, & Theologos, qui tamen omnes in hunc sensum coincidere videntor, vt Semen genitale dicant esse Vltimi alimenti residuum, vtile generationi. *Cabeus* autem *Meteorol. l. 4. q. 6.* prorsus admirandum naturæ artificium, & veluti Magnetem appellat à viuente præcisum, qui in se habet totam virtutem sui principij, & formaliter proportionatam suæ quātitati: sicut enim ad semen formandum concurrunt omnes partes, seu virtus omnium partium, ità semen habet actu virtutem omnium partium, & habet virtutem trahendi ad se, & secernendi à rebus diuersis, & sibi adiungendi spiritus, & partes fixas, vt tale viuens coalescat: vnaquęque enim pars seminis sibi proportionatas adiungit partes. Licet ergò natura in paruissima quantitate materię ex ipso animali iam facto, & perfecto, ac viuente præparet prius, & postea præcidat genitale

nitale semen; tamen hæc particula habet in se totam illam complexionem, & collectionem spirituum cum tota virtute formatrice, quę ad alterius sibi similis animantis procreationem, & speciei conseruationem necessaria sit, adeo vt ex illo semine totum corpus fieri possit. vnde, si in semine sit pars aliqua male materiata, nascitur fœtus cum illo defectu, & hinc oriuntur morbi hæreditarij, vt optimè aduertit *d. Cabeus ibid. lib. 2. quæst. 1. in fin.*

2 Aduerto 2. Quamuis Concil. Nicæn. *Can. Ecclesias, dist. 68. & de consecrat. dist. 1.* dicat Ecclesias esse iterum consecrandas, idest reconciliandas, *si cuiuscumque semine pollutæ fuerint*, idemque statuat Gregor. 9. *Cap. fin. de consecrat. Eccles.* dicens: *Si Ecclesia non consecrata cuiuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, &c.* nihilominus id intelligendum esse de semine humano, itá vt brutorum semine Ecclesiam non pollui communiter omnes asseuerent, licet homo ad prædicti seminis effusionem quomodocumq. concurrerit, vt notauit *Glossa in Cap. Vnic. de consecrat. in 6.* & expresse docent *Durand. in Ration. Diuin. Offic. l. 1. cap. 6. num. 39. in fin. Nauar. in Summa c. 27. num. 252. Candelabr. Aur. de Interd. c. 3. num. 17. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 18. Tolet. l. 5. c. 8. n. 8. cauf. 2. Enr q. l. 9. c. 27. num. 5. cas. 2. lit. O. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 3. Auil. de Censur. p. 5. disput. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 2. Fagund de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 20. Castro de leg. pœnal. l. 1. c. 7. docum. 2. Vgolin. de Offic. & potest. Episc. c. 29. §. 3. versic. Postremo. Squillant. de obligat. Clericor. p. 5. n. 94.* & cæteri vno ore; alioquin sequeretur ex canum coitu Ecclesiam reconciliatione indigere, quo nihil absurdius hac in re dici potest.

3 Aduerto 3. quò leuiorem de brutorum semine dubitandi ansam esse vidimus, eò grauiorem de fæmineo videri: videtur enim hæc quæstio ex illa etiam celebri inter Philosophos, & Medicos controuersia pendere, num fœminæ verum ac proprium semen emittant, quam nouissimè discutit *Verricel. Quæstion. Moral. & Legal. tr. 4. q. 27. sect. 1. per totam*. Sed, siue fœminæ perfectum, siue imperfectum semen habeant, siue illud actiuè, siue passiuè, siue etiam nullo modo ad generationem concurrat, quod certè alterius loci est,

4 Dico Ecclesiam tam ex fœminei solius, quá ex masculei ipsius seminis effusione pollui. dixi *solius*, & si enim aliqui concedant verum fœminis semen esse; tamen illud ab ijs non nisi in coniunctione cum mare effundi volunt, ac proinde dicunt extra copulam ab ijs non verum semen; sed humorem potius aqueum emitti, quod cum *Bossio tract. de Scrupul. num. 196.* falsum puto, nam fœminæ quoq., etiam in vigilia, vere polluuntur, & tunc semen ab ijs expellitur, ac euacuatur, id quod *Boss. l. c. ex Galen.* & experientia ipsa satis probat. prędictam autem conclusionem nostram in terminis ipsis docent *Gloss. in d. Cap. Vnic. Vgolin. Nauar. Fagund. Durand. Viuald. Enriq. Auil. Durand. Sayr. Suar. ll. cc. Rodriq. p. 1. Summæ c. 154. conclus. 10. num. 11. Syluest. V. Consecratio Ecclesiæ 2. q. 5. cas. 3. Tabien. V. eod. §. 7. num. 8. Sa V. Ecclesia num. 14. Reginald. in Prax. confessar. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 182. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 3. n. 34. Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 13. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 42.* & alij plures apud ipsos, cum quibus etiam omnibus ibid.

5 Colligo idipsum dicendum esse de semine cuiuscumque hominis, Christiani, Iudæi, Hæretici, Infidelis: in SS. enim Canonibus indistinctè dicitur *cuiuscumque semine*, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, cum præcipuè in omnibus eadem militet ratio, dummodo effusio peccaminosa sit, &c. vt infra suo loco dicemus.

CAPVT SECVNDVM.

An Ecclesia per Menstruorum, vel alterius muliebris fluoris effusionem ibi factam polluatur.

SVMMARIVM.

Duplex dubitandi causa proponitur, num. 1.

Antiqui aliqui asseruerunt menstruo Ecclesiam pollui, ibid.

Etiamsi menstrua essent verus sanguis, cur per illa non pollueretur Ecclesia, num. 2.

Menstruum secundum aliquos est in fœminis loco seminis, num. 3.

Menstruus sanguis, & muliebre semen ex aliquorum sententia differunt tantùm secundum magis, & minus concoctum, ibid.

Menstrua verè, & propriè non sunt fœmineum semen, ibid.

Sanguis, qui proli generandæ à natura suppeditatur, quomodo differat à menstruo, ibid.

Menses albi quid sint, num. 4.

Ecclesia non polluitur ex menstruis, neque ex albis mensibus, aut similibus talium excrementorum effusionibus, ibid.

Fœminæ, quæ menstrua sæpius effundunt, cur rarius polluantur, num. 5.

1 Aduer-

1 ADuerto 1. dubitationis huiusce causam duplici ex capite ortam fuisse, nimirū, eo quod menstrua esse videantur vel sanguinis, vel seminis effusio, ac proinde ex alterutro capite Ecclesiam pollui posse. Vnde *Viuald. in Candelabr. aur. de Interdicto nu. 60.* refert nonnullos antiquos hac de re dubitasse, immo asseruisse muliebri menstruo intra Ecclesiam cadente ipsam pollui.

2 Aduerto 2. etiamsi menstruum sanguinis nomine veniret; nihilominus ex illius effusione Ecclesiam non pollui, quia non esset sanguis ex graui vulnere iniuriosè illato, quod ad sanguinis effusionem Ecclesiæ pollutiuam requiri patet ex præcedenti disputatione.

3 Aduerto 3. licet aliqui apud *Sanchez de Matrim. l. 7. disp. 64. num. 21. in fin.* docuerint Menstruum in fœminis esse loco seminis, & à natura ad generationem prolis paratum, ideoque *Caiet. 2. 2. q. 154. art. 12. vers. Conferendo autem*, menstruum sanguinem, & muliebre semen vnius esse rationis, & pro vno computari putauit; differunt enim, inquit, tantum secundum magis, & minus concoctū; tamen verè, & propriè menstruum sanguinem non esse muliebre semen, sed tantum solo nomine, & æquiuocè semen vocari, vt videre est apud *Verricell. Quæst. Moral. & Legal. tr. 4. q. 27. num. 3. & 33. ac seq.* quin immo fœmineus sanguis nouæ proli generandæ à natura suppeditatus optimæ notæ est; quādo autem non impenditur ad procreationem, sed statis, definitisque temporibus expellitur, deterior fit, & ad corruptionem tendit, in quo statu cum est, menstruus appellari consueuit, vt optimè docent *Conimbricen. de Generat. l. 1. c. 4. q. 28. art. 1. vers. Aduerte.*

4 Dico Ecclesiam nec per menstrui sanguinis, seu menstruorum purgamentorum fœmineorum, nec per muliebris fluoris, quem aliqui menses albos appellant, aut alterius similis humoris effusionem pollui, quia talia excrementa non sunt veri seminis effusio, nec per pollutionem emittuntur, quæ in quauis seminis effusione Ecclesiæ pollutiua semper interuenire debet. ità *Viuald. l. c. Persic. de Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 2. num. 20. Fusc. de Visitat. l. 2. c. 25. num. 6. Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 105. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. all. g. 28. num. 43. Gargiar. de Aquis c. 12. n. 2. vers. Vel si menstrua*, & alij communiter.

5 Colligo, quamuis fœminæ, quæ menstrua sæpius effundunt, rarius polluantur; proinde tamen non inferri, quod menstrua sint muliebre semen, nam id inde fit, quia per menstruorum effusionem seminis abundantia minuitur, vt bene dixit *Bossius de scrupul. n. 196. in fin.*

CAPVT TERTIVM.

An Ecclesia per seminis effusionem ibi in somno factam, vel ab ebrio, aut in similibus casibus polluatur.

SVMMARIVM.

De seminis effusione h̄c sermo est tàm diurna, quàm nocturna; sed nullo modo voluntaria, num. 1.

Seminis effusione in somnis facta Ecclesiam pollui aliqui docuerunt; sed sine probabili ratione, num. 2.

Seminis effusio, de qua SS. Canones loquuntur, ex omnium DD. interpretatione debet esse voluntaria, & illicita, num. 3.

Ecclesia non polluitur per seminis effusionem ibi factam in somno, vel ebrietate, vel amentia, vel ægritudine, vel in quocumque statu, in quo seminis effusor mereri, vel demereri nequiuerit, num. 4.

Seminis effusio Ecclesia pollutiua non solum debet esse illicita, & cum peccato; sed cum graui peccato, & mortaliter proinde peccaminosa, num. 5.

1 ADuerto 1. sermonem hic esse de omnibus seminis effusionibus siue nocturnis, siue diurnis, quæ nec in se ipsis, nec in earum causis voluntariæ fuerint; de alijs enim, i. de aliquomodo voluntarijs effusionibus, peculiariter alibi inferius agemus. Vnde huc reducuntur omnes seminis effusiones, quæ sine peccato vel ob coactionem; vel ob ignorantiam, vel ob ægritudinem, vel ætatis defectum, aut aliud libertatis impedimentum fiunt.

2 Aduerto 2 quoad effusionem seminis in somno sententiam affirmatiuam communiter tribui *Angel. V. Consecratio Ecclesiæ nu. 6.* & communiter etiam eam reprobari, quia nulla probabili nititur ratione, vt *num. 4.* dicemus.

3 Aduerto 3. Sacros Canones de hac seminis effusione loquentes ab omnibus Doctoribus intelligi de voluntaria, & peccaminosa; alia enim effusio non est humana, nec Ecclesiæ iniuriosa, vt egregiè inter alios aduertit *Fagund. de 1. Eccles. præc. l. 3. c. 14. num 20. & Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 3. n. 31.* quare breuiter, & absolutè

4 Dico Ecclesiam ex seminis effusione ibi facta

facta in somno, vel amentia, vel ebrietate, vel ægritudine, vel in quocumque mentis statu, in quo seminis effusor mereri, vel demereri nequiuerit, non pollui, quia tunc seminis effusio non est peccaminosa, nec Ecclesiæ iniuriosa. ità *Glossa in Can. Ecclesijs, de consecrat. Eccles. dist. 1. V. Semine. Syluest. V. Consecratio Ecclesia 2. q. 5. vers. Tertius, ad finem. Steph. à S.Gregor. de Diu.Piet. Vincul. l. 3. c. 31. num. 16. Vener. exam. Episcop. l. 9. c. 36. nu. 7. Megal. in Promptuar. Theolog. V. Cœmeterium, num. 5. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. vers. Non tamen. Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 104. & 105. Azor. p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. vers. Requiritur autem. Vgolin. de Offic. & Potest. Episcop. c. 29. §. 3. vers. Excipitur. Tolet. l. 5. c. 8. num. 11. vers. Secunda. Fusc. de Visitat. l. 2. c. 25. num. 6. Vngarell. ad Angel. V. Consecratio Ecclesia, Schol. e. Castilent. in Polyanth. Seraph. V. Consecratio Ecclesia, diffic. 7. conclus. 1. Nauar. c. 27. n. 252. Gambarumpt. de Cas. Reseru. c. 6. num. 11. Alter. de Censur. tom. 2. de Interdict. disp. 3. c. 1. vers. Tertio. Mirand. in Man. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 5. conclus. 1. versic. Secundus casus. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 43. Durand. in Rational. l. 1. c. 6. num 39. Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. conclus. 2. Antonin. 3. p. tit. 12. c. 6. §. 4. cas. 2. Tabien. V. Consecratio Eccles. §. 7. num. 8. Victor. qu. 99. de Euchar. cas. 2. Sotus 4. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 2. dict. 4. Rodriqu. in Summ. p. 1. c. 154. conclus. 10. num. 11. Graff. p. 1. decis. aur. l. 2. c. 48. num. 26. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 17. Henriq. l. 9. c. 27. num. 5. lit. O. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 3. Reginald. l. 29. sect. 5. num. 182. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 2. Fagund. & Persic. ll. cc. Pontius de Matrimon. l. 10. c. 10. num. 14. Bordon. Resolut. Regul. tom. 2. resol. 89. nu. 21. Mazuchel. de Cas. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 20. Candelabr. Aur. de Interdict. num. 71. Scarsell. in Sum. p. 3. c. 87. num. 8. Antonel. de regim. Eccles. Episcop. l. 1. c. 16. num. 4. Cassin. V. Ecclesia tit. 7. num. 13. Medic. in Sum. de Peccat. Capital. p. 2. tit. 9. q. 10.* & nouissimè *Ioseph. de Ianuar. de Cas. Reseru. resol. 64. num. 4.*

5 Colligo Seminis effusionem Ecclesię pollutiuam non solum debere esse cum peccato; sed cum peccato mortali: nunquam enim Ecclesia polluitur per homicidium, aut per sanguinis, vel seminis effusionem, nisi ista fuerint mortaliter peccaminosa, vt superius etiam innuimus, maximè *Disp. 3. c. 8. nu. 3.* & expresè, ac in his terminis tradunt *Sà, V. Ecclesia, num. 14. Franc. de Lugo de Sacramene. p. 1. l. 5. c. 6. q. 9. n. 58. et Persic. cũ alijs multis l.c.*

CAPVT QVARTVM.

An Ecclesia per inculpatam seminis effusionem ibi factam, & ex subsequente tantum complacentia grauiter peccaminosam polluatur.

SVMMARIVM.

Cur hic sermo non sit de sensibili delectatione appetitus sensitiui; sed de voluntatis complacentia, num. 1.

Non omnis voluntatis delectatio de seminis effusione inculpabili est inculpabilis, num. 2.

Complacentia voluntatis peccaminosa, de qua hic loquimur, debet esse sine cooperatione ad seminis effusionem. num. 3.

Ecclesia non polluitur ex inculpabili seminis effusione ibi facta; licet voluntas postea de ea sibi mortaliter complaceat, ac delectetur, numer. 4.

Seminis effusio in prædicto casu, si ex se non sit aliunde peccaminosa, non fit propriè voluntaria, nec peccaminosa ex voluntaria, & peccaminosa voluntatis complacentia subsequente; sed propriè fit tantum volita, num. 5.

1 ADuerto 1. Sermonem hic non esse de sensibili delectatione appetitus sensitiui ex seminis effusione vel realiter præsente, vel præsentialiter cogitata, quæ, etiam repugnante voluntate, ex subita apprehensione obiecti turpis, ac mali excitatur; sed de complacentia, affectu, & simplici voluntatis delectatione de seminis effusione absq. efficaci voluntatis proposito, seu intentione, vel desiderio exequendi, aut cooperandi in seminis effusionem. cum enim potentia sensitiua interior, i. imaginatio, seu phantasia, à qua appetitus sensitiuus naturaliter mouetur, non sit subiecta despoticè rationi, & voluntati, vt seruus domino; sed politicè tantum, cui etiam aliquando repugnat, vnde sæpe, vel summe reluctante voluntate, appetitus sensitiui motus in nobis excitantur, perseuerant, redeunt, & fortius insurgunt, ita vt tunc in membris nostris, i. in appetitus sensitiui motibus sentiamus cum Apostolo aliam legem, i. sensibilem appetitum, repugnantem legi mentis nostræ, i. rationi, & voluntatis appetitui, propterea talis sensibilis delectatio solius appetitus sensitiui nullo modo voluntaria

luntaria est, nec peccaminosa, nec consequenter de ea hic loquimur.

2 Aduerto 2. neque hic sermonem esse de quacunque voluntatis complacentia, seu simplici illius delectatione; sed de peccaminosa tantum: gaudere enim de inculpata seminis effusione ob bonum finem, v.g. ob sanitatem, vel liberationem à tentatione inde consequentem, absq. periculo pollutionis, vel consensus in eam, aut in eius delectationem, ex se peccaminosum non est, vt videre est apud *Castropalaum tom. 1. tr. 1. disp. 2. p. 10. §. 1. num. 11. & Dian. p. 5. tract. 13. resolut. 99.* delectari autem de eadem seminis effusione inculpabili, ob veneream v. g. commotionē, & sensibilem delectationem, culpabile omnino est, vt fusè explicabimus *Disp. 1. c. 17.*

3 Aduerto 3. licet hic loquamur de inculpata tantum seminis effusione, & culpabili voluntatis complacentia de illa modo prædicto; tamen, loquendo etiam de peccaminosa seminis effusione, adhuc aliud esse loqui de culpabili seminis effusione; aliud verò de culpabili voluntatis delectatione, seu complacentia, quæ seminis effusionem subsequatur, vel certè ab ea distinguatur, nec in eam influat. Dixi, *nec in eam influat*, quia si prædicta voluntatis complacentia, v. g. de secutura seminis effusione, in eandem seminis effusionem, vt potè concausa in eundem effectum, influeret, tunc essemus in alio casu de seminis effusione voluntaria in causa, de quo *cap. 10.* sermo erit. Dixi *ab ea distinguatur*, nunc enim seiungimus opus ipsum, i. seminis effusionem, à voluntatis complacentia in illud absq. vlla cooperatione ad illud idem, prout iam diximus. Quibus habitis,

4 Dico Ecclesiam per inculpatam seminis effusionem ibi factam, etiam si postea in eam pollutus mortaliter consentiat, & sibi de ea complaceat, ac delectetur, non pollui. Ratio est, quia in tali casu non ipsamet seminis effusio propriè peccaminosa est; sed delectatio ipsa, seu complacentia, & consensus voluntatis subsequens, & illam approbans, qui proinde non facit ipsammet seminis effusionem esse in se peccaminosam, qualis ex Sacris Canonibus ad Ecclesiæ pollutionem requiritur, & ad quam non satis est prædicta voluntatis complacentia, licet mortaliter peccaminosa, cum in iure id expressum non sit. licet autem opus, & operis delectatio eiusdem habeantur bonitatis, vel malitiæ; non habent tamen eosdem effectus, & eos maximè, qui liberè à Legislatorum voluntate pendent. proinde, cum Sacri Canones per tale opus, & non per complacentiam solam de tali opere, Ecclesiam pollui decreuerint, neque nos id affirmare debemus. conclusio nostra in terminis ipsis est *Vgolin. de offic. & potest. ate. Episc. c. 29. §. 3. Sylu. in sua Sylu. opin. 618. Barbos. de offic. et potest. Episc. allegat. 28. n. 43. Iordan. diuers. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 106. Rict. & aliorum apud eundem.*

5 Colligo in casu nostro, quando voluntas non fuit causa prædictæ seminis effusionis; sed eam postea tantum approbauit, & de ea sibi complacuit, eam seminis effusionem (nisi aliunde voluntaria fuerit) non esse propriè voluntariam, cum voluntas inde in eam non influat, nec proinde ea à voluntate, tanquam effectus à causa procedat; sed tantum lato modo voluntariam dici, quatenus voluntarium large dicitur omne id, quod voluntatis obiectum est, & ab ea approbatur, quod verius volitum diceretur, vt superius diximus de homicidio voluntario, & volito.

CAPVT QVINTVM.

An Ecclesia per seminis effusionem ibi factam, non in effundente, sed tantum in alijs peccaminosam polluatur.

SVMMARIVM.

Seminis effusio multipliciter esse potest voluntaria peccaminose alteri, & non effundenti, num. 1.

Ratio in proposito casu dubitandi breuiter affertur, num. 2.

Procuratio sola vulnerationis, aut effusionis seminis cur non sit ex se Ecclesiæ pollutiua, num. 3.

Ecclesia non polluitur per seminis effusionem ibi factam, in alijs quidem grauiter peccaminosam, sed non in ipsomet effundente, num. 4.

Seminis effusio non dicitur proximè, & propriè voluntaria, nisi effundenti. ibid.

Vt effusio sanguinis tàm alieni, quàm proprij, si est Ecclesiæ pollutiua, semper est in vulnerante ipso voluntaria; ità seminis effusio debet esse in effundente ipso peccaminosa, num. 5.

1 Aduerto 1. seminis effusionem multipliciter posse esse voluntariam peccaminose alteri, & non effundenti: potest enim esse voluntaria non solum in altero cogente; non autem in altero coacto, quod etiam superius innuimus *Cap. 3. nu. 1.* exempli causa, siquis peccaminose tactibus, vel

 alijs

alijs quibuſcumque modis violenter alium mente, & corpore debite reluctantem cogat ad ſemen effundendum; ſed etiam in peccaminoſe prouocante, aut procurante ſine coactione prædictam ſeminis effuſionem in alijs tunc merendi, & demerendi incapacibus; exempli cauſa, ſiquis ſanæ mentis amentem polluat, vel certè ad ſemen effundendum eundem alliciat; idque in Eccleſia tùm procuretur, tum executioni mandetur, &c.

2 Aduerto 2. rationem dubitandi in prædicto caſu eam videri, quod, ſicuti per ſanguinis humani tàm proprij, quàm alieni effuſionem Eccleſia polluitur, ità etiam de ſeminis tàm proprij, quàm alieni effuſione idipſum dicendum videtur, cum nulla inter vtrumque diſparitas apparere videatur. Sed

3 Aduerto 3. diſparitatem, & quidem euidentem inter vtrumque ex eo conſtare, quod in effuſione ſanguinis Eccleſia non polluitur propriè per ipſam actionem effundendi ſanguinem in Eccleſia; ſed per actionem ipſam vulnerandi, ac proinde per ipſam vulneris illationem, ſeu vulnerationem, vt clare patet ex *Diſp. 6. cap. 4.* in effuſione autem ſeminis pollutio Eccleſiæ ſequitur ipſam voluntariam ſeminis effuſionem. Vnde, cum actio ipſa effundendi ſemen ea ſit, per quam Eccleſia polluitur, paritas effuſionis ſeminis verè, & propriè non currit in hoc cum effuſione ſanguinis; ſed cum illatione vulneris, & tunc bene infertur, ſicuti Eccleſia polluitur per illationem vulneris ibi factam, & non per illationis procurationem (ſi enim Petrus inciret Paulum ad inferendum vulnus Ioanni in Eccleſia, & Paulus vere illud ei inferat peccaminosè, & iniuriosè, in tali caſu non Petrus polluet Eccleſiam, ſed Paulus, quia hic verè vulnus infert, ille verò ſolummodo illud procurat, quæ vulneris procuratio ex ſe non eſt Eccleſiæ pollutiua) ità Eccleſia polluetur quidem per ſeminis effuſionem; ſed non per ipsā ſolam talis effuſionis procurationem, quia hæc vere ex ſe non eſt Eccleſiæ pollutiua, cum in iure expreſſum non ſit. Quare

4 Dico Eccleſiam non pollui per ſeminis effuſionem ibi factam, & in alijs peccaminosā, niſi hæc grauiter fuerit peccaminoſa in ipſomet effundente, à quo proximè effuſio fit, & cui propriè illa voluntaria dicitur, colligitur hæc concluſio ex prædictis rationibus, & Doctoribus; ſed maximè ex *Bonac. de Matrimon. q. 4. punct. vlt. num. 19. & Mazuchel. de Caſ. Reſeru. diſput. 2. cap. 6. num. 20. verſic. Dicitur ſecundo.*

5 Colligo per voluntariam tàm proprij, quàm alieni ſanguinis effuſionem modo mox explicato Eccleſiam pollui, quia ſemper talis vulneratio eſt in vulnerante ipſo proximè, & propriè voluntaria; ſed ſeminis effuſio non poteſt eſſe proximè, & propriè voluntaria, niſi in ipſo effundente, ex quibus abundè habetur, quomodo ſuperius allatæ dubitandi rationi reſpondeatur.

CAPVT SEXTVM.

An Eccleſia per ibi factam ſeminis effuſionem ex peccaminoſa cauſa; ſed nec in ſe, nec in cauſa peccaminoſam polluatur.

SVMMARIVM.

Seminis effuſio, licet ex cauſa peccaminoſe poſita proueniat, dupliciter eſſe poteſt non peccaminoſa nec in ſe, nec in cauſa, num. 1.

Aliud eſt effuſionem eſſe ex cauſa peccaminoſa; aliud autem effuſionem eſſe in cauſa peccaminoſam, ibid.

Actualis ſeminis effuſio inculpabilis ſequens ex cauſa culpabili non eſt peccatum, ſed potius peccati effectus, ibid.

Eccleſiæ pollutio nō ſequitur peccaminoſam cauſa poſitionem, ſed peccaminoſum effectum, ideſt actualem effuſionem ipſam ſeminis peccaminoſam, & Eccleſia iniurioſam, num. 2.

Seminis effuſio in duobus caſibus num. 1. expreſſis cur phyſicè tantum, & in foro fori præſumptiue proueniat à cauſa peccaminoſe poſita; ſed non moraliter, nec in foro poli, num. 3.

Eccleſia per ibi factam, & ex peccaminoſa cauſa prouenientem Seminis effuſionem, ſed vere nec in ſe, nec in cauſa peccaminoſam non polluitur, num. 4.

Dicta hic de Seminis effuſione quomodo dici etiam poſſint de Homicidio, & Vulneratione, nu. 5.

Seminis effuſio in prædictis caſibus num. 1. expreſſis non eſt pollutio voluntaria, quæ apud Religioſos eſt caſus reſeruatus. ibid.

Idipſum etiam valere poteſt quo ad incurſum cenſurarum, vel aliarum ſententiarum à iure, vel ab homine latarum. ibid.

1 ADuerto 1. prædictam ſeminis effuſionem dupliciter poſſe eſſe nec in ſe, nec in cauſa peccaminoſam, ſed tamen ex peccaminoſa cauſa. Primò, ſiquis peccaminoſe cauſam daret ſecuturæ ſeminis effuſioni; ſed tamen actualis ſeminis effuſio tunc ſequeretur,

tur, quando effundens esset in statu, in quo peccare, & mereri, vel demereri non posset, puta in somno, in ebrietate, in amentia, & similibus. Secundo, si quis peccaminose quidem prædictæ effusioni causam daret; sed postea, priusquam effusio actualiter fieret, eandem causæ iam datæ pœniteret, & sic per pœnitentiam prior illa eiusdem voluntas, quæ peccaminose causam effusionis posuerat, & à qua effusio ipsa actualis peccaminose processura erat, iam reuocata esset: tunc enim vere tam in primo, quam in secundo casu actualis seminis effusio non esset in se peccatum, nec peccati complementum; sed effectus potius peccati; licet enim culpabiliter posita fuisset causa effusionis prædictæ; inculpabiliter tamen effusio illa tunc subsequeretur, prout aperte colligitur ex *Vasq. 1. 2. disp. 115. c. 3. num. 9. Medin. 1. 2. quæst. 72. art. 5. versic. Est aliud dubium. Henriq. l. 5. c. 5. num. 5. 10. Sanch. in Select. disp. 21. num. 13. Reginald. l. 32. num. 44. Salas 1. 2. tr. 7. disput. 6. sect. 8. num. 55. & 56. Trullench. in Decalog. l. 6. c. 12. dub. 8. §. 1. num. 16. Bossi. de Sorupul. nu. 203. & 204. & 206. Verricell. Quæst. Legal. & Moral. tr. 4. q. 1. num. 7.* & alijs apud ipsos. aliud enim est effusionem seminis esse ex causa peccaminose posita; aliud autem effusionem ipsam esse in causa peccaminosam.

2 Aduerto 2. cum in vtroque prædicto casu actualis ipsa seminis effusio vere non sit nec in se, nec in causa culpabilis, siue peccaminosa, proinde neque vere esse seminis effusionem voluntariam, & Ecclesiæ iniuriosam, de qua tantum Canones loquuntur: nō enim hi Ecclesiæ pollutionem velon in pœnam apposuerunt, & addixerunt ipsi peccaminosæ positioni causæ; sed ipsimet peccaminosæ effusioni seminis, quod vltimum in prædictis casibus deest, vt dictum est, mimo.

3 Aduerto 3. licet prædicta seminis effusio in foro fori, quod respicit opus externum, & quo ad entitatem physicam, etiam stante pœnitentia, & morali reuocatione causæ, adhuc pendeat à causa illius peccaminosè posita, & ideò attribuatur ei, qui prædictam causam apposuit; tamen vere eam effusionem in foro poli, quod respicit voluntatem, & quo ad entitatem moralem, verè non pendere amplius à præcedente positione causæ: in primo enim casu ea seminis effusio non est actio libera; in secundo verò voluntaria non est nec in se, nec in causa, quia hæc physicè tantum, & non moraliter amplius durat, proindeque sua prauitate morali physicum effectum prædictum inficere nequit, vt bene dixit *Ioseph. de Iannar. de Casib. Reseruat. resolut. 23. num. 12.* vnde

4 Dico Ecclesiam per ibi factam, & ex prædicta causa prouenientem seminis effusionem; sed vere nec in se, nec in causa peccaminosam, vt modo explicuimus, non pollui, quia tunc actualis effusio ipsa proprie non est voluntaria, nec peccaminosa; sed solummodo positio causæ: Sacri autem Canones non per peccaminosam positionem causæ; sed per peccaminosam ipsam effusionem ibi factam, Ecclesiam pollui decreuerunt, vt superius innuimus, nec, cum pœnæ restringendæ sint, aliter ij exponi debent. sic in terminis nostris docent *Enriq. l. 9. de Miss. c. 27. num. 5. lit. P. Auila de Censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 2. Sayr. in Thesaur. l. 9. c. 16. num. 20. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 3. nu. 33. in fin. Finell. de Cas. Reseru. cas. 5. pag. 171. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. vlt. nu. 19.* & apud ipsum *Nauar. Syluest. Tabien. cum alijs; Vgolin. de Offic. & potest. Episc. c. 29. §. 3. versic. Excipitur tamen. Bordon. consil. regul. tom. 2. resolut. 89. num. 21. Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 106. Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 9. num. 58. in fin.* & multi apud prædictos.

5 Colligo, quod hic dictum fuit de actuali, & non peccaminosa seminis effusione physicè proueniente ex peccaminosa positione causæ præcedentis, idipsum etiam dici posse, quo ad hunc effectum, vel similem, de Homicidio, & Vulneris illatione, quia etiam ad hoc, vt Homicidium, & Vulneratio sint reipsa Ecclesiæ pollutiua, non sufficiet peccaminosa positio causæ, si effectus ipse fiet non peccaminosè alterutro ex prædictis modis. Dixi *quo ad hunc effectum, &c.* quia, quo ad culpam homicidij, &c. vel damna illata, &c. vere satis erit culpabiliter posuisse causam; licet postea inculpabiliter sequatur effectus. Sic *Homobon. de Cas. Reseru. p. 3. c. 6. vers. Quinto non incidit,* ait non incurri casum reseruatum pollutionis voluntariæ à Religioso; licet eius pollutio ex causa mortali proueniat, si ea in somnis contingat, vel certe in vigilia; sed post pœnitentiam causæ datæ, & prauæ voluntatis emendationē modo iam superius dicto. tunc enim subsequens seminis effusio culpa vacat, nec consequenter venit in odiosis nomine voluntariæ, & peccaminosæ pollutionis. & hoc idem valere potest etiam in similibus, idest, etiam quo ad excommunicationis, vel aliarum pœnarum, vel sententiarum seu à iure, seu ab homine latarum incursum, vt fusè probat cū multis *d. Iannar. l. c. & Marchet. de Cas. Reseruat. disp. 2. c. 7. num. 152. & 154.*

CAPVT SEPTIMVM.

An Ecclesia per ibi factam seminis effusionem indirectè in causa voluntariam, & culpabilem polluatur.

S V M M A R I V M.

Quomodo præsens difficultas à præcedenti differat, num. 1.

Cur aliqui partem negatiuam tenuerint, num. 2.

Multi affirmatiuam sequuntur, & qua de causa. num. 3.

Ecclesia polluitur per ibi factam seminis effusionem indirectè in causa voluntariam, & culpabilem, num. 4.

Quo in casu, & sensu DD. aliquando dixerint Ecclesiam per pollutionem indirectè in causa etiã mortali voluntariam non pollui, num. 5.

1 ADuerto 1. sermonem hic esse de seminis effusione secuta tum in statu, in quo effundens mereri, & demereri possit, tum ex causa grauiter culpabili absq. eo, quod inter causam datam, & effectum prædictum mediauerit (prout *Cap. præcedenti* fieri posse vidimus, & de quo ibi egimus) vlla positiua retractatio talis causæ, ita vt effectus ex tali causa sequatur tàm quo ad esse physicum, quàm quo ad esse morale, ac proinde moralis ipsa causæ appositæ malitia effectum quoque ab ea prouenientem afficiat, & moraliter inficiat.

2 Aduerto 2. aliquorum sententiam videri, vt videre est apud *Persicum de 1. sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 3. num. 32.* negatiuam, i. Ecclesiam per seminis effusionem indirectè in causa voluntariam, & peccaminosam non pollui, quia, quod est voluntarium indirectè in causa, non est simpliciter voluntarium; omnes autẽ Doctores cõmuniter requirunt voluntariam seminis effusionem.

3 Aduerto 3. cum etiam voluntarium indirectè in causa mortali, licet non sit simpliciter voluntarium; sit tamen in causa, & interpretatiuè voluntarium, itá vt ad peccandum sufficiat, propterea sententiam prædictæ cõtrariam à multis approbatam fuisse, qui generaliter affirmant pollui Ecclesiam ea seminis effusione, quæ cum peccato mortali fiat, pro qua inter alios citantur *Durand. in Rational. l. 1. c. 6. num. 39. Antonin. 3. p. tit. 12. c. 6. §. 4. cas. 2. Syluest. V. Consecratio Ecclesiæ 2. q. 5. cas. 3. Tabien. ibi §. 7. num. 8. Armilla eod. num. 6. Rodriq. in Summ. p. 1. c. 154. conclus. 10. num. 11. Sà V. Ecclesia, num. 14. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 3. Reginald. in Prax. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 182. Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 3. c. 14. num. 20. Nauar. in Manual. c. 27. num. 257. Vuald. in Candelabro aureo c. 3. de Interdicto nu. 16. Graff. decis. aur. p. 1. c. 48. num. 26. Tolet. in Summa l. 5. c. 8. num. 8. causa 2. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. §. Secundo modo, & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. Victor. q. 99. de Euchar. cas. 2. & Sot. in 4. distin. 13. q. 2. art. 3. ad 2. dict. 4.* sed istorum nemo expresè loquitur de voluntario indirectè in causa.

4 Dico Ecclesiam pollui per ibi factam seminis effusionem indirectè in causa volũtariam, & culpabilem. Ratio *num. præcedenti* iam allata est. in terminis nostris hanc sententiam valde probabilem putat *Persic. l. c.* eamque apertissime tenet *Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 9. num. 58. & Franc. Ferrar. cr. de Myster. Consecrat. c. 37.* prout etiam idipsum diximus de Homicidio, & Vulneratione voluntarijs in causa *Disput. 3. cap. 12. & Disp. 6. cap. 1.*

5 Colligo, quamuis *Henriq. Auil. & Sayrus ll. cc.* expresè dixerint Ecclesiam per pollutionem, etiam indirectè in causa mortali voluntariam, in somnis euenientem non pollui, quod etiam nos ipsi *cap. præced.* asseruimus; nihilominus id non fieri ex eo, quod seminis effusio, quæ indirectè in causa sit voluntaria, & grauiter peccaminosa, non sufficiat ex se ad Ecclesiæ pollutionem inducendam; sed quia prędicta seminis effusio in somnis contigit, ac proinde tunc actualis effusio physicè tantum, & naturaliter processit à causa prædicta voluntaria, & peccaminosa; non autem moraliter: vnde non habuit talis effectus solitam malitiam suæ causæ, & consequenter, vt alibi diximus, non fuit peccatum; sed effectus peccati, quod tantum in volitione talis causæ cum præuisione talis effectus in illa absque dubio commissum fuerat; licet postea talis effectus à tali causa sine peccato ob somni superuenientiam, & libertatis impedimentum euenerit.



CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

An Ecclesia per ibi factam seminis effusionem in causa negatiua, vel omissiua voluntariam polluatur.

SVMMARIVM.

Pollutio, siue Seminis effusio extra copulam tripliciter potest esse in causa antecedente culpabilis, num. 1.

Qui non impedit, cum possit, pollutionem suam, videtur eam velle, & committere, num. 2.

Causa per omissionem, seu negatiua duplex est, altera pure negatiua; altera large negatiua, & quid vtraque sit, num. 3.

Causa late negatiua cur verius dici possit positiua. ibidem.

Ecclesia per ibi factam seminis effusionem in causa mere negatiua, vel pure omissiua voluntariam non polluitur, num. 4.

Negatiuè se habens, & non impediens homicidium, si possit, cur peccet contra Charitatem, sed non peccet contra Castitatem, seu peccato pollutionis eam non impediens, & merè negatiuè se ad illam habens num. 5. & 6. remiss.

Seminis effusio ex causa tantum mere negatiua non est grauiter ex se culpabilis in genere pollutionis. ibid.

An non dissentire positiuè delectationi sensitiuæ sit eidem consentire, saltem interpretatiuè, num. 7. & 8. remiss.

Quomodo causa merè negatiua pollutionis sit secundum aliquos peccaminosa, num. 8.

Pollutio volita sufficit ad peccatum; sed non ad Ecclesiæ pollutionem, nisi sit voluntaria, & grauiter culpabilis, num. 9.

1 ADuerto 1. cum ex *Filliuc. tr. 30. n. 144.* pollutio, siue seminis effusio extra copulam, possit esse culpabilis in causa antecedente tripliciter: Primo, si pollutio deliberate desideretur ob solam delectationem veneream: Secundò, si deliberate procuretur: Tertio autem, si non remoueatur culpabiliter causa futuræ pollutionis. proinde in hac quæstione agi tantum de tertio pollutionis modo; de alijs enim suo loco inferius tractabimus.

2 Aduerto 2. quæstionis huius difficultatem inde oriri, quod, qui non impedit, sed negatiue se habet circa id, quod videt futurum, esse causam suæ pollutionis, is videtur pollutionem ipsam velle, in eam consentire, ad eam cooperari, eamque voluntarie facere, & consequenter Ecclesia per talem pollutionem in sua causa prædicta voluntariam, & culpabilem ibi factam pollui videtur, iuxtà superius à nobis decisa. Verum

3 Aduerto 3. conformiter ad ea, quæ iam *Disp. 5. cap. 17.* de Homicidio culpabili in causa per omissionem, seu negatiua documus, & quæ ad hanc ipsam difficultatem dilucidandam summopere faciunt, causam per omissionem, seu omissiuam, vel negatiuam, aut etiam priuatiuam, vel permissiuam (vt alij malunt) prædictæ seminis effusionis duplicem esse posse, alteram mere, & pure negatiuam; alteram verò largè tantum, seu lato modo negatiuam: si enim pollutio naturaliter eueniat etiam vigilanti, absque eo, quod pollutus vllam tali pollutioni causam dederit, si pollutus talem pollutionem impedire potuit vel remouendo causas naturales, vel contraria remedia apponendo, & impedire noluit, in tali casu pollutus verè, & propriè dici potest causa merè, & purè negatiua, seu merè, & purè non impeditiua subsecutæ pollutionis suæ, & merè, ac purè illius permissiua. Si vero pollutus apposuerat, antequam ei pollutio eueniret, causam aliquam illius positiuam, v. g. exercuerat actionem aliquã ad pollutionem vel per se, vel per accidens, vel proximè, vel remotè ordinatãm, & influentem, causæ iam suppositæ eff. ctum, i. pollutionem ipsam, impedire is potuit; sed impedire noluit, in tali casu pollutus dici potest prædictæ suæ pollutionis causa non merè, & purè negatiua, seu per omissionem, nam causam aliquam positiuam dedit, vt dictum est, vnde verius causa positiua, & per commissionem dici deberet; sed impropriè tantum, & lato modo negatiua, qua tenus eum effectum impedire potuit, & noluit. His igitur positis,

4 Dico Ecclesiam per ibi factam seminis effusionem in causa tantum mere negatiua, vel pure omissiua voluntariam non pollui. Ratio est, quia talis seminis effusio, seu pollutio sic eueniens, non est grauiter ex se culpabilis in genere pollutionis, vt infra clarius apparebit, nec proinde ea sufficit ad Ecclesiæ pollutionem, vt *Cap. 3.* dictum fuit.

5 Dices 1. qui potest homicidium secuturum impedire, & non impedit, sed negatiuè se haber ad illud, mortaliter peccat saltem contra Charitatem, ergo etiam potens impedire pollutionem, & non impediens, mortaliter peccabit contra Castitatem, ac proinde subsecuta

secuta pollutio dicenda erit voluntaria, & grauiter culpabilis in prædicta causa merè negatiua, & consequenter etiam per talem pollutionem Ecclesia, in qua ea eueniet, polluetur.

6 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam: disparitas est, quia in primo casu Charitas nos obligat ad indebitũ graue proximi damnum impediendum, si commode id fieri à nobis possit; in secundo vero Castitas nos non obligat ad impediendam pollutionem quamcumque in nobis, sed ad non ponendam causam illius proximam, & per se notabiliter influentem, vt clarius patebit ex *Cap. sequent.*

7 Dices 2. orta in nobis siue à Dæmone, siue naturaliter cogitatione obiecti inhonesti, & suborta inde delectatione appetitus sensitiui, & commotione corporis, peccamus, non tantum si tali delectationi consentiamus; sed etiam si ei non dissentiamus, & negatiuè nos habeamus, non resistendo enim positiuè, eamque non reprimendo, cum possimus, puta diuertẽdo aliorsum cogitationem, vel alijs positiuis modis delectationi resistendo, prædictæ delectationi consentire videmur, ergo etiam Ecclesia polluetur per pollutionem voluntariam in causa merè negatiua, talis enim causa etiam purè negatiua peccaminosa erit, & peccam nosum etiam faciet effectum, i. seminis effusionem, seu pollutionem inde consequentem.

8 Respondeo, quicquid sit de antecedente, valde probabiliter falso, de quo varia varij dicunt, vt videre est apud *Th. Sanch. in Summa l. 1. c. 2. 10. Sanch. in Select. disp. 21. Castropal. tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 10. §. 5. Fagund. in Decalog. l. 9. c. 4. Laym. l. 1. tr. 3. c. 6. Dian. p. 2. tr. 13. resolut. 33. Azor. p. 1. l. 4. c. 6. qu. 5. Valent. c. 2. disput. 4. punct. 3. Sayr. in Clau. reg. l. 4. c. 7. Less. de Iust. & Iur. l. 4. c. 3. Vasq. 1. 2. disp. 108. c. 3. Binsfeld. tr. de tentat. tit. de cogitatione, seu delectatione morosa, Zumel. c. 3. q. 74. art. 8. disp. 2. Bresser. de Conscient. lib. 6. c. 17. Becan. tom. 2. tr. 2. c. 5. q. 5. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. 7. Arriag. 1. 2. disput. 47.* & præcipuè apud *Boss. de scrupul. num. 159. cum seq. & Verricell. Quæst. Legal. & Moral. tr. 4. q. 17.* negando consequentiam, numquam enim pollutio est secundum se culpabilis, nisi sit voluntaria saltem in causa proximè per se, & notabiliter influente in illam, qualis non est causa mere negatiua; licet secundum aliquos sit non secundum se, sed ratione consensus, vel periculi consentiendi in pollutionem, vel delectationem eius peccaminosa, sicuti ergo consensus tantum in pollutionem absque influxu in illam non facit eam pollutionem esse Ecclesiæ pollutiuam, vt diximus *Cap. 4.* quia talis consensus non facit talem pollutionem esse proprie voluntariam, multo minus id faciet solum periculum consentiendi in illam.

9 Colligo ad peccandum sufficere, si pollutio, vel etiam ipsum pollutionis periculum sint volita; ad Ecclesiam autem polluendam necesse esse, vt actualis pollutio ipsa sit voluntaria vel in se, vel in causa, vere, & proprie, & inde grauiter culpabilis.

CAPVT NONVM.

An Ecclesia per ibi factam seminis effusionem in quauis externa causa positiua voluntariam polluatur.

SVMMARIVM.

Quæ dicta fuere Disp. 5. Cap. 19. de homicidio voluntario in causa remota, inefficaci, per accidens, dubia, & c. hic etiam suo modo locum habent, num. 1.

Seminis effusio naturaliter sine omni libera hominis cooperatione proueniens non est in se, seu obiectiuè mala; sed quid indifferens, num. 2.

Pollutio tunc tantum est culpabilis, quando est procurata, & intenta vel directè, expliciè, & immediatè in se, vel indirectè, implicitè, et mediatè in causa, ibid.

Intentio simplex pollutionis absque omni libera cooperatione in illam quomodo faciat pollutionem illam esse voluntariam in genere tantũ morali, & interpretatiuè; non autem propriè, & in genere physico, ibid.

Causa largè superius dicta per omissionem, seu latè negatiua hic venit nomine causæ positiuæ, ibidem.

Voluntarium, & culpabile in causa tria copulatiuè semper requirit. Potestatem agendi, obligationem ad agendum, & omissionem agendi vel è contrario, num. 3.

Voluntarium in causa, & non culpabile quid sit, ibidem.

Ecclesia per ibi factam seminis effusionem polluitur si hæc voluntaria fuerit in causa positiua de natura sua, & per se, ac proximè, & notabiliter influente, ac in illam seminis effusionem tendente, & in ea etiam grauiter culpabilis fuerit, num. 4.

Ecclesia non polluitur ex ibi facta seminis effusione.

sione, quæ fuerit voluntaria in causa non sic se habente ad illam. ibid.

Impliciti, & expliciti eadem est vis. ibid.

Vt pollutionem directè procurare, ità, seclusa vrgenti necessitate, vel honesta causa, applicare prædictam pollutionis causam cur sit peccatum mortale. ibid.

Pollutio Ecclesiæ pollutiua debet esse mortale peccatum in genere luxuriæ. ibid.

Nimius vini potus ratione ebrietatis in eo præuisa, vel damni corporalis notabilis in eodem præuisi, est mortale peccatum; sed ratione pollutionis in eodem præuisæ (non tamen intentæ) non est mortale. ibid.

Idem dicendum, etiamsi potus ille efficeretur mortale peccatum in genere luxuriæ; ratione tamen solius finis à potante intenti, v. g. ad potentius fornicandum. ibid.

Pollutio etiam volūtaria in causa per se influente, & tendente in illam quo pacto possit esse aliquando tum solum veniale; tum nullum peccatum, & consequenter Ecclesiæ non pollutiua. ibid.

Intendere pollutionem nulla de causa, & nullo in casu licet. ibid.

Cur, si timeam Homicidium, etiam non intentum, à me committendum in somnio, vel ebrietate, tenear tamen euitare causam illius; secus autem de pollutione non intenta philosophandum sit, num. 5.

1 ADuerto 1. quæ superius, & maxime *disp. 5. c. 19.* diximus de Homicidio voluntario in causa remota, inefficaci, per accidens, dubia, & simili, hic itidem suo modo locum habere, & à nobis præsupponi. Vnde de nouo hic ea tantum addam, quæ peculiarem in hac materia difficultatem continere videbuntur, vt dubijs omnibus, quoad fieri poterit, hinc facile quiuis respondere queat.

2 Aduerto 2. cum sine dubio seminis effusio via naturali per causas à natura constitutas sine omni libera hominis cooperatione proueniens non sit secundum se, seu in se, & obiectiue mala, & peccatum; sed sit indifferens ad bonum, & malum, vt tradunt plures à *Io. Sanch. in Select. disp. 21. num. 34.* allegati, *Bossius de Scrupul. nu. 163. & 213. & Lanfranch. Opusc. moral. 19. c. 7. num. 7.* ideoque non impedire, seu permittere seminis effusionem sic euenientem non sit peccatum, saltem graue, vt bene infert *Boss. l. c.* ità vt seminis effusio, seu pollutio tunc tantum sit culpabilis quando est procurata, & intenta vel directe, explicite, & immediate in se, vel mediate, tacite, & indirecte in causa illius, cumque simplex intentio, absque omni cooperatione in pollutionem, prout iam diximus de solo consensu in illam, seu complacentia de illa, non faciant pollutionem illam inde esse proprie, & in genere physico voluntariam; sed tantum interpretatiue, & in genere solum morali, quatenus voluntas ad illum effectum tunc se habet, ac si formaliter posuisset causam per se sufficientem, & efficacem intentæ pollutionis, vnde hęc pollutio propterea voluntati prædictæ quo ad peccatum tunc imputatur, quia tunc est ei voluntaria non physicè; sed moraliter, modo iam exposito, idcirco reliquum hic tantum esse, vt videamus, quandonam pollutio proprie, & tam in genere physico, quam morali voluntaria dicēda sit in causa positiua, seu positiue influente in illam. causæ autem positiuæ nomine intelligo etiam causam late dictam per omissionem, seu large negatiuam, quatenus scilicet non impeditur effectus causæ iam positæ, cum tamen impediri possit, de qua causa iam superius meminimus, & hoc ipsum innuimus.

3 Aduerto 3. supponendum hic esse, quod alibi tetigimus, nimirum ad constituendum voluntarium, & peccaminosum in causa tria copulatiue semper requiri, primo potestatem agendi, secundo obligationem ad agendum, tertio omissionem agendi, seu actionis; vel è contrario potestatem omittendi, obligationem ad omittendum, & negationem omissionis. Siquis enim aliquid facere potuit, & non fecit, seu potuit aliquid omittere, & non omisit, illud dicetur ab eo voluntarie non factum, seu voluntarie non omissum; non erit tamen illud ab eo peccaminose non factum, seu peccaminose non omissum, nisi is illud & facere potuerit, & non fecerit, & facere debuerit; seu è contrario & omittere potuerit, & non omiserit, & omittere debuerit, vt omnes fatentur.

4 Dico Ecclesiam per ibi factam extra concubitum seminis effusionem pollui, si hæc voluntaria fuerit in causa positiua de natura sua, & per se, ac proxime, & notabiliter influente, ac in prædictam seminis effusionem tendente, & fuerit grauiter in ea culpabilis; non pollui autem, si ibi facta seminis effusio non fuerit voluntaria in causa eiusmodi. Prior conclusionis pars probatur, qui enim vult, & adhibet eiusmodi causam, eo ipso simpliciter censetur per modum vnius velle effectum proxime, & per se ex illa secuturum, & in ea præuisum, nam expliciti, & impliciti eadem est vis, & idem esse creditur, siue effectus proueniat ex natura, ac necessitate operis exerciti, siue fiat ex intentione

expres-

expressa operantis : propterea, qui prædictam pollutionis causam ponit, ex qua præuidet pollutionem per se, ac naturaliter secuturam, implicite censetur etiam velle pollutionem, quamuis eam explicite non intendat. Sicuti autem peccatum mortale est directe procurare pollutionem, ità etiam, seclusa vrgenti necessitate, vel honesta causa, applicare eiusmodi causam, ex qua pollutio naturaliter sequatur; lex enim naturalis, quæ obligat ad non procurandam seminis effusionem, obligat quoq. extra prædictos casus ad euitandas causas per se, & notabiliter ad eam influentes, vt egregie docent *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 45. num. 16. & seq. Less. de Iust. & Iur. l. 4. c. 3. num. 98. & seq. Bresser. de conscientia l. 6. c. 17. num. 222. & seq. Io. Sanch. in Select. disp. 21. nu. 25.* & alij plures: sed præcipue in terminis ipsis prædictis *Boss. d. tr. de Scrupul. num. 164.* Secunda vero conclusionis pars probatur, quia tunc ea seminis effusio non est vere voluntaria, & grauiter culpabilis in tali causa, cum talem causam ponens non censeatur in ea causa velle seminis effusionem, seu pollutionem, nec teneatur sub mortali non ponere eam causam, vt clarius ex mox dicendis constabit, ac proinde neque Ecclesia per pollutionem sic euenientem polluetur, quià pollutio Ecclesiæ pollutiua debet esse mortale peccatum in genere luxuriæ, vt expressissimè dicit *Franc. de Lug. de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. quæst. 9. num. 58. in fine.* & colligitur etiam ex supradictis. Dixi ergo causam positiuam pollutionis debere esse *de natura sua tendentem ad pollutionem*, quia non sufficit, si ea causa ab extrinseco dirigatur ad eum effectum obtinendum. Dixi *per se*, quia causa per accidens non est proprie causa effectus per accidens subsecuti, nec ille in ea probabiliter præuideri potest. Dixi *proximè*, quia causa tantum remota est insufficiens ad talem effectum, ac proinde ponens illam non est censendus velle in illa pollutionem. Dixi *notabiliter*, quia causæ leuiter influentes in pollutionem, quà tales, non sunt simpliciter causa pollutionis: vnde tunc pollutio potius censenda est procedere à causa naturali, vel certe ab alia causa, & non à causa leuiter influente in illam; vnde tunc etiam pollutio ipsa leuem tantum participat prædictæ causæ leuiter influentis; & leuiter malæ malitiam. Dixi *influente, & tendente*, quia causa, quæ non influit, & tendit de se, & ex natura sua ad pollutionem; sed ad alium effectum, non censetur causa proxima, & per se pollutionis; sed tantum causa illius remota, & per accidens: per se enim, & proxime tunc pollutio censetur prouenire ex necessitate materiæ, & ex ipsa natura mediante vi expultrice; licet talis causa ad pollutionem de se non tendens sit aliunde peccatum, etiam mortale in alio genere peccati, quam luxuriæ. Sic nimia vini potatio ratione ebrietatis in ea præuisæ, vel damni notabilis corporalis in eadem præuisi est peccatum mortale contra sobrietatem, vel Charitatem; sed ratione pollutionis in eadem præuisæ (non tamen intentæ) non est peccatum mortale contra Castitatem, nec grauiter proinde ratione pollutionis præcisæ tenetur homo talem causam vitare, vt videre est apud relatos à *Sanch. d. disp. 45. num. 17.* qui etiam *num. 18.* infert, quod quamuis nimia vini potatio, ex qua præuidetur futura pollutio, efficeretur mortale peccatum etiam in genere luxuriæ; ratione tamen solius finis ab operante intenti, v. g. si nimia illa potatio fiat, vt potans potentior euadat ad fornicandum; adhuc pollutio præuisa in tali potatione, & præter intentionem eueniens non erit peccatum mortale, quia prædictus finis nihil cooperatur ad pollutionem, nec ad illam de se disponit; intentio autem fornicandi non habet rationem veræ causæ, ex qua de se pollutio fiat, nisi forte cum ea intentione adsit vel delectatio in fornicatione cogitatà, vel eius desiderium grauiter commouens, & influens in pollutionem, de quibus sequenti capite agendum erit, quod etiam bene aduertit *Bossius l. c. num. 167. & Trullench. in Decalog. l. 6. c. 1. dub. 9. num. 12.* post *Filliuc. & Bonacinam* ab eo ibidem citatos. Dixi denique *& grauiter in ea culpabilis*, quia pollutio etiã in prędicta causa potest aliquando esse vel leuiter tantum culpabilis ratione semiplenæ aduertentiæ, vel etiam inculpabilis omnino ratione vrgentis necessitatis, vel saltem honestæ causę, tunc autem ponens causam, seu non desistens à causa etiam ex natura sua tendente in pollutionem (non intentam tamen, hoc enim nulla de causa, & nullo in casu licet) tunc, inquam, is in prędicta causa non ipsam secuturam pollutionem; sed alium effectum velle censetur, cum enim homo habeat ius exercendi tales actiones, & prosequenti ius suum non imputentur effectus per accidens, & præter intentionem subsecuti, ille, cui pollutio tunc inde accidit, illam potius patitur, quam agat; cum ex naturæ corruptæ infirmitate procedat, vt clare tradunt *Fagund. in Decal. l. 6. c. 9. num. 35. Conimb. de Sacrament. disp. 34. num. 111. & 112.* nec non communiter DD. cum *Sanch. d. disp. 45. num. 4.* ex quibus omnibus

5 Colli-

5 Colligo, cum pollutio in se non sit peccatum, sed tantum taliter habita, ac proinde, si ea naturaliter tantum eueniat, non sit actus hominis voluntati subiectus, sed actus, & euacuatio naturalis, sicut sudor, & fluxus sanguinis; vt clare docent *Sanch. & Boss. ll. cc. ex Lopez Instruct. p. 1. c. 74.* Homicidium vero sit secundum se peccatum, & actus, non naturalis; sed suapte natura liber, ac hominis voluntati subiectus, propterea non esse philosophandum eodem modo de homicidio, ac de pollutione in causa præuisis, vt *cap. præced.* innuebamus. licet enim non liceat mihi eam adhibere causam, ex qua præuideam secuturum, etiam præter intentionem, homicidium à me perpetrandum, ideoque, si timeam Homicidium, adulterium, seu fornicationem, vel quid simile à me committendum in somnio v. g. vel ebrietate, teneor sub mortali euitare; secus tamen est de pollutione, quæ non imputatur ad peccatū, nisi sit intenta, vel voluntaria in causa per se, notabiliter, proxime, &c. influente, & tendente in illam, vt ex prædictis abunde patet.

CAPVT X.

An Ecclesia per ibi factam feminis effusionem in causa tantum interna voluntariam, & grauiter inde culpabilem polluatur.

SVMMARIVM.

Causa tantum interna nomine quid hic veniat num. 1.

Quomodo cogitationes morosæ, vel desideria intensa possint esse completum peccatum mollitiei. ibidem.

Pollutio indirecte tantum volita in sua causa est peccatum non malitia interiore, sed exteriore suæ causæ, num. 2.

Hæretici pure mentalis cur non incurrat Excommunicationem. ibid.

Reseruatio lapsus carnis voluntarij opere consummati à Superioribus Regularibus facta non incurritur à Religioso voluntarie se polluente ex turpibus tantum desiderijs, aut delectationibus morosis, num. 3.

Neque reseruationi, neque Excommunicationi subijcitur peccatum, quod, non secundum quantitatem operis externi, sed sola relatione ad consensum internum, fit certo mortale. ibid.

Ecclesia probabiliter non polluitur per ibi factam feminis effusionem in causa tantum interna voluntariam, & grauiter inde culpabilem, num. 4.

Voluntaria feminis effusionis nomine cur Sacri Canones probabiliter intelligant eam tantum, quæ per externam mediorum applicationem voluntarie habetur. ibid.

Quomodo improbabile non videatur, quod Ecclesia non polluatur per pollutionem in causa tantum interna voluntariam, etiamsi internæ causæ malitia publicetur, num. 5.

Idipsum probabiliter etiam dici potest de pollutione, quæ ex aspectu libidinoso de se leuiter tantum, quo ad actionem externam, in pollutionem influente prouenerit. ibid.

Secus tamen dicendum erit de pollutione ex aspectu grauiter in eam influente, & tendente. ibidem.

1 ADuerto 1. nomine causæ tantum internæ hic venire cogitationes morosas de re turpi, desideria intensa, & similia, quæ aliquando esse possunt via, & media ad pollutionem, non secus, ac aliæ causæ externæ pollutionem excitantes. Ideoque, si pollutio sit præuisa in prædictis causis internis, vt potè per se, & notabiliter, ac proximè influentibus in illam, erit quoque in ijs virtualiter volita, tanquam effectus in sua causa, & eo ipso, quo tales causæ procedunt, & pendent ab ipsa volitione, qua eas causas volo, pollutio etiam ipsa, vt in causa existens, censetur voluntarie fieri: vnde tunc pollutio vere dicitur volita, & voluntaria, ac completum peccatum mollitiei, vt bene *Less. de Iust. l. 4. c. 3. nu. 12. Sayr. in Clau. l. 8. c. 5. num. 7. Molfes. in Sum. tr. 3. c. 2. num. 10.* & nos etiam *præced. Cap.* innuimus.

2 Aduerto 2. cum pollutio nullo modo in se volita, sed indirecte tantum in sua causa mortali, &c. vt supra dictum est, non sit peccatū malitia sua interiore, sed exteriore suæ causæ, in qua est præuisa, & volita, nec addat nouam malitiam de nouo imputabilem supra malitiam volitionis causæ, vbicumq. enim cessat ratio voluntarij, cessat etiam ratio peccati, prout docent *Sanchez cum innumeris ibidem allegatis de Matrim. l. 9. disp. 45. num. 28. Reginald. in Prax. l. 22. nu. 44. 10. Sanch. in Select. disp. 21. num. 13. & Homob. de Casib. Reseru. p. 3. c. 6. vers. Quinto non incidit.* propterea malitiam pollutionis in prædictis causis tantum internis voluntariæ videri tantum internam, & consequenter videri extra Ecclesiæ iudicium, quæ non iudicat in foro exteriori de mere internis, nec ea suis legibus punit, vt alibi diximus; sed Deo ea reseruat. *Cap. A nobis*

his 2. de sent. Excommunicat. & Cap. Erubescant, dist. 32. cum Gloss. ibi in verb. Senatorum, & patet in Hæretico pure mentali, qui idcircò Excommunicationis sententiam non incurrit, nisi signo aliquo sensibili sufficienter exterius internam Hæresim manifestet, quæ est communissima, & omnino tenenda sententia teste *Auil. de Censur. p. 2. dub. 10. conclus. 1. Suar. de Censur. disp. 21. sect. 2. num. 2. Tolet. l. 1. c. 20. num. 4.* & quamplurimis alijs apud *Megal. de Censur. l. 3. c. 1. num. 12.*

3 Aduerto 3. prædictam dubitandi, immo negatiue respondendi rationem adhuc fortiorem fieri ex eo, quod neque ipsa reseruatio lapsus carnis voluntarij opere consummati, quæ sæpe fit à Superioribus regularibus, incurratur à Religioso, qui ex turpibus tantum desiderijs, aut delectationibus voluntariè prolaberetur in pollutionem absq. vllo contactu, aut alio externo motu instrumentali libidinoso, quæ est sententia *Coriolan. de Casib. Reseruat. p. 2. c. 9. §. 10. num. 15.* quam probabilem putat *Molfes. in sum. tr. 7. c. 20. nu. 104.* & non improbabilem appellat *Georg. Kiene de Casib. Reseru. p. 3. c. 6. num. 4* apud *Dian. p. 4. tr. 4. resolut. 61.* eidemque fauent *Henriq. in Summa l. 6. c. 14. num. 6. in Glossa. lit. I. & Granad. in 2. 2. D. Th. controu. 1. tract. 15. disp. 13. num. 14.* docentes non reseruari, neque excommunicationi subijci peccatum, nisi quod secundum quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certo constet esse mortale, quod etiam placuit magno illi moralium resolutionum Magistro *Diana p. 4. tr. 4. resolut. 163.* vnde

4 Dico probabile mihi videri, quod Ecclesia per ibi factam seminis effusionem in causa tantum interna voluntariam, & grauiter inde culpabilem non polluatur. Ratio est, quia, cum pollutio sit ex se quid indifferens, vt alibi diximus, & sumat suam malitiam solum à causa pollutionem excitante, in nostro autem casu tota pollutionis malitia sit à causa mere interna, & occulta, de quibus Ecclesia in foro exteriori non iudicat, consequenter prædicta pollutio in foro exteriori Ecclesiæ adhuc est indifferens, & non mala, nisi mala probetur, & à primo ad vltimum non erit Ecclesiæ pollutiua, cum in prædicto foro exteriori ea non sit graue peccatum in genere luxuriæ, quod ad Ecclesiam polluendam per seminis effusionem necessarium est ex iam decisis. Immo Ecclesia dicens locum sacrum pollui per voluntariam seminis effusionem probabiliter intelligenda videtur non solum de externa tantum seminis effusione; sed per externam etiam mediorum applicationem habita, & non per actus tantum internos, tum quia, vt dixi, prædicta huiusmodi pollutio solum coram Deo peccaminosa est, tum etiam quia Ecclesia prohibere non censetur actus externos absolutè indifferentes, & tantum relatiue malos, ob coniunctionem scilicet cum internis malis, aut ob dependentiam ab illis, nisi id sufficienter exprimat; vnde in casu nostro, cum Ecclesia id non expresserit, & simus in odiosis, probabiliter censere possumus ab illa nomine voluntariæ effusionis seminis comprehensam non fuisse eam pollutionem, quæ voluntaria, & culpabilis sit tantum relatiuè ad causam illius mere internam, hanc autem nostræ opinionis probabilitatem ij maxime negare nequeunt, qui ad Ecclesiæ pollutionem seminis effusionem in causa tantum voluntariam sufficere nolunt, vt patet ex prædictis.

5 Colligo neque etiam improbabile videri, quod, etiamsi pollutus fateretur, & publicè sciretur talem pollutionem in tali causa interna voluntariam, & grauiter peccaminosam fuisse; nihilominus Ecclesia per talem pollutionem non polluatur, quia publicatio delicti Ecclesiæ non pollutiui non facit illud esse Ecclesiæ pollutiuum. quare, cum probabile sit per voluntariam, & culpabilem pollutionem non intelligi ab Ecclesia eam, quæ voluntaria, & culpabilis tantum sit in causa illius mere interna, vt *num. 4.* dixi, probabile simul erit neque Ecclesiam fieri pollutam per prædictam pollutionem; licet prædicta pollutio, & prædicta illius causa publicæ euadant; sicuti publicatio blasphemiæ in Ecclesia prolatæ nunquam Ecclesiam polluit, quia blasphemia non est inter actiones Ecclesiæ pollutiuas, &, quamuis summe notoria sit, nunquā inter illas comprehenditur. Immo idipsum dici quoq. probabiliter potest de pollutione, quæ ex aspectu libidinoso de se leuiter tantū, quo ad actionem externam, in pollutionem influente prouenerit; secus autem, si aspectus fuisset de se grauiter influens, & tendens in pollutionem, v.g. aspectus fœminæ denudatæ, vel partium impudicarum, & c. in hoc enim casu pollutio præsumeretur voluntaria, & grauiter culpabilis in sua causa positiua, externa, & grauiter in illam influente, ac tendente; non autem in illo, vt ex iam dictis inferri, & facile etiam colligi potest ex *Dian. loc. cit.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

An Eccleſia per ibi factam ſeminis effuſionem polluatur, ſi ſemen in Eccleſiæ ſolo non decidat.

S V M M A R I V M.

Negatiua ſententia Iac. Graffij *refertur*, *num.* 1.
Pro prædicta ſententia falſo citantur Syluester, *&* Nauarrus, *num.* 2.
Hæc ſententia Graffij *cur non videatur conſentanea ab eodem alibi dictis*, *num.* 3.
Eccleſia polluitur ex ſeminis effuſione ibi facta, etiamſi ſemen ſuper Eccleſiæ ſolum non effundatur, *num.* 4.
Eccleſia non polluitur ex ipſo ſeminis effuſi contactu; ſed ex formali, & criminoſa effuſione ipſa, vt ibi indecente. *ibid.*
Etiamſi ſemen in Eccleſiæ ſolo non ceciderit, quomodo adhuc ſeminis effuſio ibi facta fieri poſſit publica, *num.* 5.

1 ADuerto 1. difficultatis huiuſce cæteroquin leuiuſculæ anſam nobis à *Iac. Graff.* datam fuiſſe *decis. aurear. p.* 1. *l.* 2. *c.* 48. *num.* 26. (cuius etiam ſententiæ nonnihil fauere videtur *Mazzol. in Breui reg. Confeſſ. part.* 2. *num.* 3. 47.) qui Eccleſiam per pollutionem voluntariam in ipſa Eccleſia factam non pollui cenſuit, niſi ſemen in terram ſpargatur; atq. adeo non ſufficere, ſi ſemen ſpargatur ſuper veſtes.

2 Aduerto 2. hanc *Graffij* opinionem, licet ipſe pro ea *Sylueſtrum*, & *Nauarrum* citet; tamen nec à citatis Auctoribus, nec ab alijs vnquam approbatam hucuſque fuiſſe, quos videre licuit, quod etiam animaduertit *Mazuchel. de veſtib. Referu. diſput.* 19. 5. *num.* 21. immo

3 Aduerto 3. hanc ipſam opinionem non eſſe ijs conſentaneam, quæ ſuperius ab eodem *Graff. num.* 4. dicta fuere de ſanguinis effuſione: ſi enim non ſanguis effuſus, ſed iniqua ſanguinis effuſio Eccleſiam polluit, cur idipſum de ſeminis effuſione dicendum non eſt? Præterea, ſi Eccleſia per fornicariam copulam polluitur, licet in copula ſemen non ſpargatur in Eccleſiæ ſolo, ſed in fœmineo vaſe recipiatur, cur etiam hoc in pollutione non affirmabitur? Quare

4 Dico Eccleſiam ex ſeminis effuſione ibi facta pollui, etiamſi ſemen ſuper Eccleſiæ ſolum non effundatur, ſed vel in vaſe fœmineo, vel in panno, &c. recipiatur. Ratio eſt, quia in rigore non polluitur Eccleſia ex ipſo contactu ſeminis, aut ſanguinis ibi effuſi; ſed ex ipſa formali, & criminoſa effuſione, quatenus eſt actus indecens in tali loco; per accidens autem eſt, quod ſemen in Eccleſiæ ſolo cadat, vel in alio loco intra ipſum, cum quicquid intra Eccleſiæ ambitum continetur, Eccleſiæ locus ſit, vt alibi diximus. ita vero nobiſcum ſentit non ſolum *Mazuchel. l. c.* ſed etiam expreſſiſſimè *Iordan. Elucubr. tom.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 110. *Bonac. de Matrim. quæſt.* 4. *punct. vlt. num.* 19. 10. *Maria de Caſtileto, in ſua Seraphica Theologia Morali, Polyanthea, V. Conſecratio Eccleſiæ difficult.* 7. *verſ. Adduco*, *quod non eſt neceſſarium*.

5 Colligo, etiamſi prædictum ſemen non ceciderit in Eccleſiæ ſolo; nihilominus adhuc ſeminis effuſionem ibi factam publicari poſſe, vel ex euidentia effuſionis factæ ſuper veſtes, &c. vel ex confeſſione reorum, vel ex teſtimonio aliorum, &c. prout *diſput.* 4. dictum fuit, vbi de Publicitate actionum Eccleſiæ pollutiuarum abunde actum eſt.

C A P V T XII.

An Eccleſia per quantulamcumque ſeminis effuſionem ibi factam polluatur.

S V M M A R I V M.

Communiter ab Auctoribus ſufficiens ſeminis emiſſi quantitas requiritur, vt Eccleſia inde polluatur, *num.* 1.
Aliqui dicunt ad id non ſufficere vnam, aut alteram ſeminis guttam, *ibid.*
Non tanta ad idem ſeminis, quanta ſanguinis quantitas neceſſaria eſt, *ibid.*
Modica ſeminis quantitas ad mortalem intemperantiam, non autem ad grauem irreuerentiam execrationem ſufficit ex aliquorum ſententia, *ibid.*
Seminis effuſio non bene à multis Auctoribus confunditur cum Diſtillatione, & Humectatione.
Inchoatio, ſeu principium tantum pollutionis non eſt vera Seminis effuſio, *num.* 3.
Eccleſia ex quocumque pollutionis, ſeu ſeminis effuſionis actu conſummato polluitur, ſiue multum, ſiue parum veri ſeminis emiſſum ſit, *num.* 4.

Quomodo sententia affirmans Ecclesiam ex modici seminis emissione non pollui cum sententia id negante conciliari fortasse possit, num. 5.

1 ADuerto 1. communiter ad Ecclesiam hinc polluendam requiri ab auctoribus sufficientem seminis emissi quantitatem, vnde aliqui dicunt non sufficere vnam, vel alteram seminis guttam, nec modicam distillationem, aut humectationem tantum, eo quod effusionis nomen, vt superius de sanguinis effusione vidimus, copiam, & abundantiam significare censeatur, quamuis fateantur non tantam seminis quantitatem requiri, quantam sanguinis ad Ecclesiæ pollutionem inducendam: licet enim modica quantitas ex parte interioris voluntatis sit mortale peccatum intemperantiæ; tamen in ratione sacrilegij, & iniuriæ in locum sacrum, seu exterioris irreuerentiæ non videtur materia adeo grauis, & iniuria consummata, vt inde Ecclesia polluatur, & ita docent *Summa Astens. p. 2. l. 6. tit. 29. art. 3. in principio, Sylu. V. Consecratio Ecclesiæ 2. quæst. 5. casu 3. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. conclus. 10. num. 11. in fin. Candelabr. Aur. cap. 3. de Interdict. num. 16. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 21. Sà V. Ecclesia nu. 14. Suar. tom. 3. in 3. p. sect. 4. casu 3. Reginald. l. 29. c. 6. sect. 5. num. 182. Fagund. l. 3. primi Ecclesiæ præcepti c. 14. nu. 21. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 3. num. 35. Mazuchel. de Casib. Reseru. disp. 2. c. 5. num. 22. Graff. decis. Aur. p. 2. l. 2. c. 15. num. 19. vers. Secundus casus. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. num. 49. Steph. à S. Gregor. de Diuin. Pietat. vinc. l. 3. c. 31. num. 16. & alij passim.*

2 Aduerto 2. aliud esse Semen, & seminis effusionem; aliud autem Distillationem, & Humectationem. Vnde non bene à multis auctoribus vnum cum alio confunditur: in hoc capite nos de Seminis effusione agimus, in sequenti de Distillatione, & Humectatione agemus, vbi etiam videbimus, quomodo vnũ ab alio distinguatur.

3 Aduerto 3. loquendo de veri seminis effusione luxuriosa, & peccaminosa difficile videri, quomodo verum semen effundatur; & per illud Ecclesia non polluatur: si enim verum semen effusum est, iam actus luxuriæ consummatus est: si vero non pollutio, sed pollutionis inchoatio, seu principium tantum fuit, tunc emissio illa non est vera effusio seminis; sed distillatio, seu humectatio; de qua, an Ecclesiam polluat, dicemus inferius. Quamobrem

4 Dico Ecclesiam ex quocumque pollutionis, seu seminis effusionis actu consummato pollui, siue multum, siue parum veri seminis emissum sit: eadem enim est ratio de multo, ac de paruo semine; alioquin quomodo possemus cognoscere veritatem, & seminis quãtitatem maxime in copula? ita in terminis ipsis egregie *Iordanus Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 109. & 110.* cui sententiæ valde fauet *Tabien. V. Consecratio 2. nu. 8. Mar. Alter. de censur. tom. 2. disp. 3. de Interdict. c. 1. vers. Sed hac opinio. & Alar. V. Consecratio n. 9.*

5 Colligo fortasse in re ipsa à nobis non dissentire eos, qui per modici seminis emissionem Ecclesiam non pollui voluerunt, ipsi enim fortasse vocant seminis emissionem id, quod nos distillationem tantum, vel humectationem appellamus, hanc autem nos etiã Ecclesiæ pollutiuam non esse mox concedemus.

CAPVT XIII.

An Ecclesia per ibi factam peccaminosæ Distillationis effusionem, vel Humectationem polluatur.

SVMMARIVM.

Quot humores per membra generationi deputata è corpore humano defluant, num. 1.

Menstruali similis humor quandoq. maribus etiam accidit ex infirmitate, ibid.

Humor medius inter Semen, & Vrinam dicitur Distillatio, Stillicidium, Libido, saliualis humiditas, & humor sputalis, ibid.

Semen, & Distillatio habent distinctas proprietates, ortus, & meatus, vnde defluunt, num. 2.

Distillatio in quo conueniat, & in quo differat à semine, ibid.

Distillatio interdum sine commotione carnis; interdum vero cum illa prouenit, num. 3.

Pollutio diurna non fit sine libidinosa delectatione, & carnis motione. ibid.

Seminis fluxus, seu profluuium, Græce Gonorrhæa, quid sit, ibid.

Distillatio vndenam plerumque excitari soleat. ibidem.

Notabilis distillatio censetur esse inchoata pollutio, & ad illius consummationem tendere. ibidem.

Dare causam, seu eam non remouere, notabili distillationi, non secus ac pollutioni, cur mort ale sit. ibidem.

Eccle-

Ecclesia per ibi factam grauiter peccaminosa Distillationis effusionem, seu Humectationem non polluitur, num. 4.
Distillatio non est vere pollutio, & distillationis fluxus non est vere seminis effusio. ibid.
Distillatio, quamuis notabilem habeat malitiam, ac foeditatem; cur tamen annexam nō habeat Ecclesiæ pollutionem. num. 5.

1 ADuerto 1. ex *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 45. num. 2. Laym. l. 3. sect. 4. num. 18. Boss. de Scrupul. num. 195. & Verricell. quæst. Legal. & Moral. tr. 4. qu. 15. & 24.* qui omnes id desumpserunt ex *D. Th. opusc. 64. cap. de fluxu libidinis, & Io. Gerson. part. 2. operum, tract. de pollut. diurn. Notabil. 3.* ex corpore humano per membra generationi deputata multiplicem humorem defluere, alium Seminalem, alium Vrinalem, alium quodammodo Medium, qui potest Saliualis, vel Sputalis appellari, & alium etiam (præsertim in mulieribus) qui Menstrualis nominatur, cui similis quandoque maribus etiam accidit ex infirmitate. De Seminali humore, seu Semine, & de Menstruali, seu Menstruo iam actum est: de Vrinali, seu Vrina nihil controuersiæ est: de humore illo Medio, qui etiam Libido, Distillatio, Stillicidium, & Saliualis humiditas vocatur, quæstio hic tantum est. cum enim sit medium quid inter Vrinam, & verum Semen, vtriusque naturam participare, & alterutrius nomine venire videtur. Verum

2 Aduerto 2. Semini, & Distillationi distinctas esse proprietates, & diuersos ortus, ac meatus, vnde defluunt. licet enim hæc cum illo quandam coloris, & viscositatis similitudinem gerat; non est tamen ita mordax, ac grossa, vt semen ipsum, vnde ex leuioribus causis, & maiori facilitate mouetur ad exitum, præsertim in mulieribus, vt optime docuit *Gerson. l. c.* quam semen.

3 Aduerto 3. quamuis Distillatio interdum proueniat sine commotione, & sensu carnis, ac proinde imperceptibiliter, seu insensibiliter (in quo quam maxime dissimilis est pollutioni diurnæ, quę ex Medicis apud *D. Th. l. c.* sine libidinosa delectatione, & carnis motione non fit) ita vt distillatio ex effectu tantum cognoscatur, per quandam scilicet viscosam sordidationem in carne, vel in pannis, quo in casu dixit *Caiet. tom. 1. opusculor. tr. 22. de pollut. ex audit. Confess. art. 2. §. Aduerte tamen. Sanch. & Laym. ll. cc. Reginald. l. 22. c. 9. num. 43. & Verricell. l. c. quæst. 24. num. 7.* non magis de ea, ac de sudore curandum esse: prout etiam idipsum dicimus cum eodem *Verricell. ibid. quæst. 15. num. 14.* de Seminis fluxu, seu profluuio, Græce Gonorrhæa, quæ ex *Aetio l. 11. c. 33.* est seminis excretio præter voluntatem, ac pudendi tentiginem, seu pruritum, vel secundum alios est continua seminis excretio, cole haudquaquā extenso: nam hæc non voluntarie accidit, & sine voluptate venerea, nec verum semen in his emittitur; tamen distillationem ipsam aliquando prouenire cum sensu carnali, & aliquali spirituum generationi inseruientium commotione, quæ plerumque ex cogitatione, aspectu, collocutione, & c. cum persona dilecta excitari solet, sed numquam cum tanta carnis commotione, nec in tanta copia, cum quanta, & in quanta semen. vnde fit, vt etiam distillatio ipsa, si coniunctam habeat notabilem commotionem spirituum vitaliū generationi, & seminis effusioni deseruientium censeatur quædam inchoata pollutio, & ad illius consummationem ordinetur, & consequenter eam procurans; vel de ea sibi deliberate complacens mortaliter peccet ex *Gerson. l. c. proposit. 5. Reginald. l. c. num. 40. & Rebell. par. 2. l. 3. quæst. 19. sect. 3. versic. Idem quoque,* dummodo causa talis distillationis sit mortalis in genere luxuriæ: toties enim mortale est dare, seu non remouere, causam præuisę notabili distillationi, quoties mortale est præuisæ pollutioni causam dare, seu non remouere causam notabiliter, & per se influentem in illam, ex *Reginald. l. c. num. 45. & Verricell. l. c. num. 4.* His habitis,

4 Dico Ecclesiam per ibi factam grauiter peccaminosæ Distillationis effusionem, seu Humectationem non pollui. Ratio est iam allata, quia nimirum Distillatio vere non est pollutio, & consequenter Distillationis fluxus, aut Humectatio non est vere Seminis effusio, de qua Sacri Canones loquuntur. ita *Fruell. de Casib. Reseru. casu 5. Nugn. 3. p. qu. 83. art. 3. dub. 2. Coninch. disp. 7. de Pœnit. dub. 1. num. 227. Bonacin. de Matrimon. quæst. 4. punct. vlt. num. 19.* & omnium clarissime *Castilent. in Polyanth. Seraphic. V. Consecratio Ecclesiæ, difficult. 7. vers. Aduertendum est etiam* qui id colligit ex *Angel.* & alijs apud ipsum.

5 Collige, etiamsi Distillatio ipsa suam habeat notabilem deformitatem, fœditatem, malitiam, & irreuerentiam in loco sacro; nihilominus eam non esse Ecclesiæ pollutiuam, quia in iure expressum non est Ecclesiam ex distillatione pollui, prout Ecclesiam ex pollutione, seu seminis effusione pollui expressum est.

CAPVT

CAPVT XIV.

An Ecclesia per ibi factam sanguinis, loco seminis, effusionem polluatur.

SVMMARIVM.

Seminis materia est sanguis, num. 1.

Immodicè venere vtentes solent pro semine tandem sanguinem excernere, num. 2.

Quomodo propositus casus contingere possit, num. 3.

Ecclesia ex sanguinis effusione prædicta, loco seminis, facta non polluitur, num. 4.

Cur Ecclesia polluatur ex vulnere ibi illato, licet inde lac pro sanguine exeat; non autem ex sanguinis effusione ibi, loco seminis, facta, num. 5.

1 ADuerto 1. Seminis materiam ex *Vega de arte medendi lib. 1. cap. 3.* non aliam esse, quam sanguinem, qui antequam pertingat testes, ad quos defertur, aliquam mutationem recipit, sed in ipsis perfectionem, & formam substantialem seminis recipit.

2 Aduerto 2. ex *eod. ibid.* homines immodicè venere vtentes solere pro semine tandem sanguinem excernere, quoniam vasa, ac testes non adeo celeriter ipsum commutare, ac cõficere solent.

3 Aduerto 3. casum prædictum pluribus modis contingere posse, vel in copula, vel etiam extra copulam, exempli causa, siquis, postquam extra Ecclesiam totum semen vel in copula, vel extra copulam effudisset, Ecclesiam ingressus in concubitu item, vel in mollitie sanguinem pro semine emitteret.

4 Dico Ecclesiam ex sanguinis effusione loco seminis modo iam explicato facta nõ pollui, quia, vt iam dictum est, deesset in sanguine, sic effuso substantialis forma seminis, licet in eo esset materia, & proxima dispositio ad seminis formam induendam. Est hæc conclusio contra *Mazuchel. de Casib. Reseru. disp. 2. c. 5. num. 68.* sed nullam dicti sui rationem affert: vnde ob prædictam rationem contrarium verius visum est.

5 Colligo, licet probabilius mihi videatur, quod Ecclesia pollueretur ex vulnere ibi alicui iniuriosè illato, si loco sanguinis e vulnere lac effunderetur, vt e D. Pauli Decollatione, & e D. Catharinæ vulneribus prodijsse fertur; tamen inde idipsum inferendum non esse de sanguinis effusione loco seminis facta, quia in illo casu verè Ecclesia polluitur ex veri vulneris illatione, etiamsi nihil inde sanguinis exiret, vt superius vidimus, cum Sacri Canones etiam ex vulnerum illatione Ecclesiam pollui expresserint; in isto autem casu Ecclesia non polluitur ex sola procuratione effusionis seminis, sed ex ipsa actuali seminis effusione, cum de hac tantum Sacri Canones loquuti sint, qui proinde in hac materia odiosa, vt ex alibi dictis patet, ad non expressa extendi non debent, prout extenderentur, si per effusionem seminis acciperemus etiam effusionem sanguinis, loco seminis.

CAPVT XV.

An Ecclesia ex peccaminosa seminis tam corrupti, quàm non corrupti effusione ibi facta polluatur.

SVMMARIVM.

Semen e lumbis decisum, & retentum aliquando fit venenum secundum aliquos, num. 1.

Id mulieribus frequentius; nonnunquam tamen viris etiam accidere solet ex ijsdem, ibid. 2

Prædicta impugnantur à Mercuriali, ibid.

Semen probabiliter corruptum medicamentis, & pudendorum fricatione licitè aliquando expelli posse quinam, & quomodo dixerint, numero 2.

Idipsum alij, saltem per fricationem prædictam, constantissimè pernegant, ibid.

Aliud est loqui de medicamentis, & fricatione prædicta ad seminis expulsionem obtinendam; 3 *aliud autem de ijsdem ad alium finem, num. 3.*

Ecclesia ex ipsamet corrupti seminis effusione, ibi facta, etiam quomodocumque peccaminosa, non polluitur, num. 4.

Ecclesia per veri seminis effusionem ibi concomitanter ex prædicta corrupti seminis effusione factam, & in ea præuisam polluitur, num. 5.

Seminis veri effusio ad prædictã seminis corrupti expulsionem taliter procuratam quomodo falsa dicatur sequi per accidens, num. 6.

Cur licitè occidatur à me indirectè innocens stans post aggressorem meum, telo in aggressorem ipsum eiaculato, num. 7.

Cur libidinosa, & voluptuosa seminis effusio extra Matrimonialem copulam semper in omni

prorsus

prorsus casu interdicta sit; non ita autem innocentis occisio, num. 8.

Seminis effusio in cursore, vel equitante non est per se intenta; sed est per accidens. ibid.

Quomodo, & quandonam verum sit, quod pudendorum contactus non moueat, nisi prout apprehenditur à phantasia, num. 9. & 10.

Seminis corrupti expulsio licita est per medicamenta aliqua sine libidinis sensu; sed non per pudendorum fricationem, num. 11.

1 ADuerto 1. ex *Galeno l. 6. de locis patientib. c. 5. Albertin. Botton. l. 1. de morb. Muliebr. c. 43. & 48. Vega l. 3. de arte medendi c. 9. & ex Valles in Addit. ad Galen. l. c.* semen iam è lumbis decisum, & retentum aliquando vitiari, & corrumpi, & ità alterari, vt in perniciosam, & venenosam qualitatem degeneret, & hunc morbum, licet frequentius accidat mulieribus, attamen communem esse etiam viris *Galen. & Vall. ll. cc. & Botton. c. 41.* tradiderunt. licet hanc opinionem de semine in venenum conuerso falsam esse dixerit, & multis probare contenderit *Mercurial.* apud *Verricell. Quest. Legal. & Moral. tr. 4. quest. 26. num. 5.*

2 Aduerto 2. licet DD. omnes vnanimiter doceant veri, & proprij seminis effusionem in nullo euentu licite procurari posse extra matrimonialem copulam, etiamsi illius retentio saluti corporis graue damnum allatura sit, tamen, quando semen corruptum est, & in venenosam transijt qualitatem, ità vt de hoc constet saltem probabiliter (in dubio enim standum est pro semine, & incorruptum illud esse putandum est) aliquos asseruisse licere (dummodo absit periculum consensus in delectationem, vel pollutionem) vti medicamentis, immo etiam confricationibus ipsis pudendorum, & alijs instrumentis, ac modis, per quæ virtus expulsiua prouocetur, & semen corruptum expellatur, etiamsi obiter, & præter intentionem ad expulsionem corrupti seminis sequatur pariter veri seminis emissio, cum hoc videatur per accidens. ità enim tenuerunt *Sanch. de Matrimon. l. 9. disput.* 17. *num.* 18. *& disput.* 45. *nu.* 10. *Bonacin. de Matrimon. quest. 4. punct.* 10. *num.* 12. *Ghilin. in Summ. V. Pollutio, num.* 8. *Filliuc. tr.* 30. *num.* 150. *Io. Sanch. in Select. disp.* 21. *num.* 29. *Villalob. p.* 2. *tr.* 40. *diffic.* 16. *num.* 4. *&* 5. qui id fœminæ licitum esse ait etiam cum intromissione digitorum vsque ad os vteri, & *Trullench. in Decalog. l. 6. c. 1. dub.* 7. §. 1. *num.* 14. alios autem constantissime, saltem per fricationē prædictam, idipsum pernegasse, inter quos est ipsemet *Sanch.* qui sententiam mutauit *lib. 5. Summa c. 6. num.* 12. *Rebell. p. 2. l. 3. quest.* 19. *sect.* 3. *Salas in* 1. 2. *tom.* 2. *quest.* 74. *tr.* 13. *disput.* 6. *sect.* 15. *num.* 90. *Texed. in Theolog. Moral. tom.* 2. *l.* 4. *tr.* 1. *controuers.* 12. *num.* 53. *Dian. p.* 2. *tr.* 16 *resol.* 54. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 85. *& p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 31. *quest.* 4. *Sanctacruz in Hippocratic. Philosoph. tex.* 81. *vers. Neque iste*, & nouissimè *Verricel. Quest. Moral. & Legal. tr. 4. quest.* 26. *num.* 1. Sed

3 Aduerto 3. non ita ratiocinandum esse in ordine saltem ad peccandum, vel non peccandum peccato pollutionis, de Medicamentis ad semen siue putridum, siue non putridum expellendum, & multo magis de pudendorum confricatione ad eundem finem, vt de medicamentis, vel confricatione ad grauem dolorem ex molesto pruritu sedandum, vel ad alium finem similem, ibi enim ipsamet seminis siue corrupti, siue non corrupti effusio intenditur, & media etiam idcirco ad id de se ordinata adhibentur; hic autem prædicta seminis effusio non est intenta, & medicamenta, nec non ipsa confricatio proinde in alium finem diriguntur, & adhibentur, vt ex dictis patet. Quare

4 Dico 1. Ecclesiam ex ipsamet corrupti seminis effusione ibi facta, siue peccaminosa, siue non peccaminosa fuerit, non pollui, quia semen corruptum non est verum semen, nec venire debet nomine seminis, sed saniei potius, vt per se patet, & ex alibi dictis liquet. Peccatum autem, quod fortasse interuenit in tali effusione, etiam in genere luxuriæ, non facit per prædictam effusionem vere effundi semen; sed tantum facit illam effusionem esse illicitam, quod nihil facit hic contra nos.

5. Dico 2. Ecclesiam ex veri seminis siue modici, siue multi effusione ibi concomitanter, seu subsequenter ad prædictam corrupti seminis effusionem facta, & præuisa vere pollui, quia tunc vere talis veri seminis effusio est procurata, & proinde vera pollutio vere voluntaria in causa per se, proxime, notabiliter, & efficaciter talem effectum producente, & consequenter grauiter peccaminosa: dummodo tamen talis effectus in tali causa præuisus fuerit, vt suppono, & in tali casu nulla dari potest causa, quæ talem seminis effusionem tunc sic habitam à ratione veræ pollutionis excusare queat, prout ex eorum, quæ in contrarium afferri possent, solutione clarius apparebit, & hanc nostram sententiam sequi coguntur, quotquot cum Doctoribus *num.* 2. & secundo loco relatis stant. Quamobrem

6 Ad illud, quod superius dicebamus, scili-

cet

cet talem veri feminis effusionem in tali casu sequi per accidens, dico falsum esse, sequitur enim talis effusio ex causa ad talem effectum de se, proxime, & efficaciter tendente, & talis effectus proinde in tali causa præuisus est, & consequenter in volitione, & positione causæ illius volitus, & positus. vnde verius dicerent aduersarij talem veri feminis expulsionem sequi præter, aut etiam contra voluntatem quandam inefficacem confricantis, qui alioquin eam nollet, licet vere hic, & nunc eam efficaciter velit, cum illius veram, & proptiam causam ponat, & in ea prædictum effectum præuideat, quem efficaciter impedire non vult, vt posset, desistendo à positione causæ, vt clarum est.

7 Dices 1. possum telum pro necessaria defensione vitæ meæ dirigere in aggressorem, etiamsi præuideam fore, vt occidatur simul innocens, qui post aggressorem stat, ergo etiam licite possum procurare prædicto modo corrupti feminis effusionem, etiamsi præuideam fore, vt effundatur simul verum semen, & consequenter inde non polluetur Ecclesia per talem veri feminis effusionem ibi factam, vt potè licitam.

8 Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia feminis effusio, quæ fit cum voluptate venerea, & cum libidinis sensu eo actu, & impetu, quem natura fecit sibi proprium, quique solius sobolis causa institutus est, semper à natura in omni casu interdicta est: si enim libidinosa, ac voluptuosa feminis effusio in vno casu extra matrimonialem copulam licita esset, homines ob vehementem in feminis effusione delectationem, quam tanquam summum bonum prosequuntur, passim sibi persuaderent iustam talis effusionis causam adesse, atq. ita semen prodigerent. vnde, cum pudendorum confricatio à natura adiunctam habeat voluptatem veneream, & notabilem spirituum generationi inseruientium commotionem, quã superius inchoatam esse pollutionem diximus, & per se ordinatur ad generationem, & ad feminis effusionem, propterea, illa nunquam, si sit per se intenta (nam in equitante, vel cursore non est per se intenta, sed per accidens) licebit, vt nunquam licita est pollutio ipsa directe intenta, etiamsi intendatur ad sanitatem, vel alium quemcumq. bonum finem. Occisio autem innocentis, cum in ea cesset prædicta ratio, aliquando licite permittitur, vt ex superius dictis de Homicidio Ecclesiæ polluttiuo abunde constat.

9 Dices 2. confricatio prædicta pudendorum non mouet, nisi prout apprehenditur à phantasia; sed apprehenditur in prædicto casu solummodo vt medium ad feminis corrupti effusionem, ergo venerea commotio, & voluptas, & veri feminis emissio erit ex miseria tantum naturæ, & per accidens, nec taliter confricanti imputanda erit ad peccatum.

10 Respondeo negando antecedens, id enim valet tantum in ijs medijs, quæ ex natura sua etiam ad aliud ordinantur, qualis est contactus pudendorum ad ea mundanda à sordibus, ad ea curanda, vel ad dolorem sedandum, & c. non autem in confricatione facta ad ipsammet vim feminis expulsiuam excitandam, ac proinde ad pollutionem ex se procurandam, vt iam dictum est.

11 Colligo licitam quidem esse ob prædicta prædicti feminis corrupti expulsionem per aliqua medicamenta, quæ sine libidinis sensu ad prædictum effectum tendant, sicuti etiam licet per medicamenta aliqua foetus in vtero mortui expulsionem procurare; sed inde non bene inferri, quod liceant etiam aliquando ea, quæ directe ex se tendant, & intendantur ab operante ad ipsam feminis emissionem, hæc enim quacumque de causa, & quocumque in casu extra matrimonialis copulæ casum semper illicite procuratur, non secus ac fornicatio ipsa, quæ vel in se, & directe, vel in causa, & indirecte voluntaria sit.

CAPVT XVI.

An Ecclesia per Hermaphroditorum, Eunuchorum, Spadonum, Castratorum, & similium pollutionem ibi factam polluatur.

SVMMARIVM.

Hermaphroditi sunt in triplici differentia, num. 1.
Androgyni quinam proprie dicantur. ibid.
Aristoteles negat vtrumque sexum in eodem simul potentem reperiri. ibid.
Eunuchi quotuplices sint, num. 2.
Frigidi quinam in Iure vocentur. ibid.
Spadones quinam, & vndenam appellentur. ibidem.
Thlibiæ, & Thlasiæ quinam vocentur. ibid.
Castrati, seu excisi quinam, & vnde nominentur. ibid.
Eunuchi Spirituales quinam sint. ibid.
Fin ssio cuiuscumque hominis, qui mittit verum semen,

semen, non est vera pollutio, nec Ecclesiam polluit, num. 3.

Ecclesia per Hermaphroditorum tertij generis, Spadonum, & vtroque teste carentium distillationem ibi factam non polluitur, num. 4.

Quid de Pueris, & Puellis, nec non de Senibus, & Decrepitis dicendum sit, num. 5. & 6.

Idipsum etiam probatur sumpto argumento à procurante abortum fœtus inanimati, qui non est homicida, nec Irregularis, num. 7.

1 ADuerto 1. Hermaphroditos ex *Campanil. in Diuersor. rubric. 11. c. 3. Maiol. de Irregularit. l. 1. c. 27. & Gibalin. de Irregularit. c. 3. quæst. 1. part. 4. consectar. 6. nu. 17.* alios esse præpotentes in alterutro sexu, eosq; in præpotente sexu posse vel generare, vel concipere, prout sexus præpotens fuerit vel masculeus, vel femineus: alios esse in vtroq; sexu æquipollentes, & valentes, qui proprie Androgyni dicuntur, licet enim viri sint; non desinunt tamen esse fœminæ, ideoque generare, & concipere, immo simul, & semel gignere, & parere possunt, quod tamen negat fieri posse *Aristot. l. 4. de generat. animal. c. 4.* alios denique nullius esse sexus, cum proprie, & perfecte neutrum habeant, nec proinde vere Masculi, vel Fœminæ dici queant, quos nec gignere, nec concipere posse putandum est.

2 Aduerto 2. ex *Matth. 19.* Eunuchorum alios esse, qui de vtero matris sic nascuntur, qui in iure Frigidi vocantur, eo quod frigidioris naturæ sint, & vel Veneris inappetentes, vel ad illam inhabiles, qui etiam Spadones appellantur ea ratione, qua Spadones nominantur ab agricolis surculi ad germinandum inutiles, teste *Columel. l. 3. c. 10.* alios qui ab hominibus Eunuchizati sunt, & duplici in differentia hi sunt, si enim ab infantia genitales partes amiserunt, eo quod à parentibus, nutricibus, vel alijs compresse illis, & attritæ, ideoque inutiles redditæ sint, cuius Eunuchismi modum videre est apud *Paul. Æginet. l. 6. c. 68.* hi proprie Thlibiæ, siue Thlasiæ vocantur; si vero ferro exsecti sunt, Castrati appellantur, Caustrum enim, inquit *Balsam. in Can. 24. Apostol.* Romanis ferrum erat, seu teli genus, quo ad virilia abscindenda vtebantur, vnde Castrandi, & Castrationis voces crebræ sunt apud Iurisconsultos, vti obseruat *Anton. Augustin. Emendat. l. 3. c. 5.* Alios denique Eunuchos spirituales esse, quos non natura, non necessitas; sed voluntas, non carnaliter; sed spiritualiter castrauit, & sunt ij, qui propter regnum cælorum se ipsos sponte à Veneris illecebris abdicarunt, vt Deo e altius, & carius inseruiant.

3 Aduerto 3. in his omnibus carnalibus Eunuchis, de quibus solis hic solum sermo est, id vnum ad rem nostram considerandum esse, num vel in copula, vel extra copulam verum semen emittant, nec ne. Si enim verum semen emittunt, siue fœcundum, siue sterile, semper illius seminis emissio erit vera pollutio; sin verum semen non emittunt nec fœcundum, nec sterile; sed loco seminis humorem alium aqueum potius, seu serosum, quam seminalem, tunc talis humoris emissio non erit vere seminis effusio, seu proprie pollutio, nec proinde per eam Ecclesia polluetur. His ergo positis,

4 Dico Ecclesiam per Hermaphroditorum prædicti tertij generis, Spadonum, & vtroq; teste carentium distillationem ibi factam nō pollui, quia verum semen prædicti non habent, nec proinde illud emittere valent, vt docent *Campanil. & Maiol. ll. cc. Sanch. de Matrim. l. 7. disp. 92. num. 17. & seq. & Verricel. Quæst. Moral. & Legal. tr. 4. q. 27.* & consequenter valent hic, quæ superius diximus de sola distillatione, tametsi peccaminosa, & c.

5 Dices, ergo idipsum dicendum erit de pueris, & puellis, nec non de senibus, & decrepitis ad generandum, vel concipiendum inhabilibus, quod tamen falsum videtur.

6 Respondeo rationem cognoscendi, num Ecclesia polluatur, vel non polluatur ex prædictis seu pollutionibus, seu distillationibus non esse desumendam ab efficacitate, vel inefficacitate ad generationem, vel conceptionem, neque à seminis fœcunditate; vel sterilitate; sed ab ipsa seminis, vel distillationis ratione, & substantia, adeo vt, si verum semen effunditur, vere Ecclesia polluatur, cum Canones indistincte loquantur de seminis effusione, siue illud fœcundum, siue infœcundum fuerit; si vero verum semen non effunditur, sed distillatio tantum, vel quilibet alius humor, qui semen non sit, ea nequaquam polluatur. Vnde in pueris, & puellis non esse verum semen concedit *Verricellus l. c.* in dubio autem standum erit Iudicis arbitrio, qui inspecta personæ non ætate tantum, nam multoties malitia supplet ætatem; sed simul etiam qualitate, membrorum dispositione, valetudine, & c. iudicabit, num persona illa videatur apta ad veri seminis effusionem, nec ne, de quibus videatur *Filliuc. tr. 10. p. 2. c. 3. num. 84. & 88.* in senibus autem, & communiter in adultis standum videtur pro vero semine siue fœcundo, siue infœcundo.

7 Colligo hoc etiam bene probari posse ratione illa, quam supra diximus de procurante abortum fœtus inanimati: sicuti enim

ille non est verè inde homicida, nec irregularis, ita peccaminosa cuiuscumque alterius humoris, quam seminis, emissio ex pudendis nunquam erit vera seminis effusio, per quam Ecclesia polluatur.

CAPVT XVII.

An Ecclesia ex seminis effusione in quacumque copula ibi facta polluatur.

SVMMARIVM.

Copula sine seminis effusione Ecclesiam non polluit, num. 1.

Seminis effusio in copula præsumitur, nisi contrarium constet, vel probetur. ibid.

Copula coniugum in Ecclesia vndenam præsumatur. ibid.

Copula quæuis illicita, Adulterina, Fornicaria, Sodomitica, Bestialis, & c. quomodocumq. & cum quacumque persona, vel bestia absq. dubio polluit Ecclesiam, si ibi habeatur, nu. 2.

Ratio dubitandi de copula coniugali intra Ecclesiam habita, num eam polluat. ibid.

Multa licita fiunt illicita ex loco, num. 3.

Ecclesia ex seminis effusione in quacumque copula, etiam coniugali, ibi habita polluitur, num. 4.

Copula coniugalis cur intra Ecclesiam sit mortaliter peccaminosa, & sacrilega. ibid.

Doctores pro nobis, & contra nos fusè referuntur. ibid.

Iura loquentia de vna tantum, vel altera specie illicitæ seminis effusionis in Ecclesia facta quomodo accipienda sint, num. 5.

1 ADuerto 1. ad Ecclesiæ pollutionem non sufficere copulam sine seminis effusione, ideo enim per copulam polluitur Ecclesia, quia in copula seminis effusio præsumitur, nisi contrarium constet, vel probetur. Vnde, si Eunuchus copulam habeat cum mortua, vel castrata, per illam copulam non polluetur Ecclesia, quia constat in tali copula seminis effusionem non adfuisse, vt ex superius dictis patet. Ad præsumendam autem copulam coniugum in Ecclesia satis est, si coniuges simul in Ecclesia pernoctasse, & in eodem lecto cohabitasse constet, vt optime docuit *Sot. in 4. dist. 13. qu. 3. art. 3. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. n. 33. & Mazuchel. de Casib. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 33.*

2 Aduerto 2. certum esse, quod Ecclesia polluatur per quancumque copulam illicitam, qualis est Adulterina, de qua hoc expressè definitur in *Can. Si motum, de consecrat. dist. 1. & Cap. Significasti, de adulterijs*, Sodomitica, Bestialis, & omnis huiusmodi cum cuiuscumque generis personis, vel animantibus, & per quemcumque modum naturalem, vel innaturalem, & c. quia semper in his omnibus interuenit mortaliter peccaminosa seminis effusio, per quam semper polluitur Ecclesia ex iam citatis alibi Iuribus, & Doctoribus passim; dubium autem superesse tantum de Coniugali copula intra Ecclesiam habita, cum enim hæc ex se licita sit, durum aliquibus videtur, vt per actum de se licitum Ecclesia polluatur, quos inferius afferemus. Sed

3 Aduerto 3. copulam ipsam coniugalem ex se licitam aliquando fieri posse illicitam ratione circunstantiarum, v. g. ratione temporis, loci, & similium accidentium, quæ maritalem copulam in talibus circunstantijs grauiter, vel leuiter peccaminosam reddere possunt, cum multa licita fiant illicita ex loco *Can. Accusatio, 2. quæst. 7. & Cap. 1. de Immunit. Eccles.* ac proinde idipsum hic quæri de copula ipsa matrimoniali in loco sacro habita, num, licet ex se sit licita, ratione tamen talis loci, fiat ob prohibitionem legis vel naturalis, vel positiuæ illicita, si forte necessitas aliqua non excuset, de qua *cap. sequenti* agemus.

4 Dico Ecclesiam ex seminis effusione in quacumque copula etiam coniugali ibi habita pollui, quia talis actio tum ex natura rei, ac proinde ex iure naturæ, tum ex Ecclesiæ prohibitione est tam ex parte petentis, quam reddentis grauiter illicita, & mortaliter peccaminosa in tali loco, prout explicuimus *disput. 1.* & maximè *c. 12. num. 7. & 8.* vnde per eam, vt potè sacrilegam, & lethaliter culpabilem, pollui Ecclesiam docuerunt *Gloss. in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. verb. Seminis. & in Can. Ecclesijs, dist. 68. verb. Semine. Franc. in d. Cap. Vnic. num. 7. Dominic. num. 10. & in Can. Quoniam, dist. 31. vers. Glossa istud. Speculat. in Ration. l. 1. c. 6. num. 39. Gabr. in 4 dist. 32. quæst. vnic. art. 2 concl. 4. Abulens. in Matth. 5. quæst. 237. Adrian. in 4. quæst. 14. de Matrimon. §. pro huius succincta. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 2. & tit. 12. c. 6. §. 4. cas. 2. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ num. 6. in fin. & V. Debitum num. 35. Sylu. V. Consecratio 2. quæst. 5. casu 3. V. Debitum qu. 3. num. 5. Tabien. V. Consecratio 2. §. 7. num. 8. & V. Matrimonium 3. quæst. 9. num. 10. Armill.*

null. V. Consecratio num. 6. & V. Debitum nu. 6. Caiet. in Summa V. Matrimonium cap. vlt. vers. Sextum caput. Victor. in Summ. quæst. 99. de Euchar. & de Matrim. quæst. 282. Sot. in 4. dist. 32. quæst. vnic. art. 3. conclus. 3. Nauar. in Manual. c. 16. num. 32. §. Nouo peccat. & c. 27. num. 257. cas. 2. Couarruu. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 2. num. 3. Angles in flor. p. 1. de Matrim. quæst. 6. de soluendo debito in fin. Ledesm. 1. p. 4. quæst. 24. art. 3. dub. 7. cas. 2. & 2. p. 4. quæst. 66. art. 1. §. vlt. Lopez Instruct. p. 1. c. 82. §. At vero. & p. 2. c. 76. de Euchar. §. Præterea. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. conclus. 10. num. 11. & 143. conclus. 19. Graff. decis. p. 1. l. 2. c. 48. num. 26. Viuald. in Candelabr. c. 3. de Interd. num. 2. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 19. Vega in Sum. tom. 1. c. 78. cas. 1. Tolet. in Sum. l. 5. c. 8. num. 8. cas. 2. Azor. p. 1. l. 10. c. 2. quæst. 13. §. Secundo modo, & p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. cas. 3. Henriq. l. 9. de Missa c. 27. num. 5. Sà V. debitum coniugale num. 12. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. c. 3. regula 1. post 3. opinionem. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. cas. 2. Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 15. num. 7. Less. l. 4. de Iust. c. 3. dub. 12. num. 86. Rebell. p. 2. l. 3. quæst. 19. sect. 1. proposit. 1. num. 7. Reginald. in prax. Confess. p. 2. l. 29. c. 9. sect. 1. num. 182. §. Quo circa. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 26. 27. 30. & 36. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 4. num. 39. Castropal. tom. 2. disput. 1. pun. 1. num. 1. Coninch. de Sacram. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 231. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. & dist. 31. quæst. 3. art. 2. nu. 14. Richar. in 4. dist. 32. art. 3. quæst. 1. Maior. ibi quæst. 1. Castro de leg. pœnal. l. 2. c. 7. docum. 2. Io. Andr. & Archidiac. apud eund. Silua de Benefic. 1. p. quæst. 5. requisit. 7. num. 136. & 139. Diaz in pract. Can. c. 39. num. 2. Salzed. in Addit. l. 3. verb. Contaminet. Cucch. Instit. Maior. l. 5. tit. 11. num. 121. Perez l. 5. ordin. tit. 1. l. 1. §. Quæri potest, vtrum copula. Matien. l. 5. Recopil. tit. 1. rubr. glos. 1. nu. 99. Vgolin. de Matrim. c. 10. num. 2. & de Offic. & Potest. Episc. c. 29. §. 3. vers. Tertio. Ouand. in 4. dist. 32. quæst. vnic. post 2. proposit. Nider. in Sum. præcep. 6. c. 4. versic. Sextu non tenetur. Petr. de Ledes. de Matrim. qu. 64. art. 7. concl. 1. Summa Confess. l. 3. tit. 24. qu. 154. Summa Corona apud Sayr. l. c. Philiarch. de Offic. Sac. l. 4. c. 4. Summ. Pisan. V. Consecratio 2. §. 8. Seb. Medic. in Sum. Peccatur. p. 2. tit. 9. quæst. 10. Valent. tom. 4. disp. 10. quæst. 6. punct. 2. §. 7. Margarita Confessor. in 6. præcepto num. 86. Montalcin. in Lucerna Animæ c. 2. §. 11. num. 7. Leo in Thesaur. for. Eccles. p. 1. c. 5. num. 6. Bordon. Resolut. Regular. tom. 2. resolut. 89. num. 21. Tambur. tom. 1. disp. 23. quæst. 11. num. 2. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. fin. num. 19. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. vers. Vltra prædictos casus. Steph. à S. Gregor. de diuin. piet. vinc. l. 3. c. 31. num. 18. Filliuc. tr. 5. c. 4. num. 117. Barbos. de Offic. & potest. Episc. Allegat. 28. num. 48. Fusc. de Visit. l. 1. c. 28. num. 9. & l. 2. c. 15. num. 6. Gambarupt. de casib. reseru. casu 6. num. 11. in fin. Mirand. in Man. Prælat. tom. 2. quæst. 39. art. 5. concl. 1. vers. Secundus est. Castilent. V. Consecratio Ecclesia diffic. 7. vers. Quare copula. Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 114. Mar. Alter. tom. 2. disput. 3. de Interd. c. 1. versic. Sed est aliqua controuersia. Portel. in Dub. Regul. V. Ecclesia Fratrum. in Addit. num. 3. Victorell. ad Tolet. l. 5. c. 8. Verb. Seminis. Auersa de Matrim. quæst. 21. sect. 8. vers. Septimo. Razzius casu 49. Lazar. in Compend. Nauar. V. Pollutio, num. 8. Caiet. in opusc. 16. quæst. 14. dub. 4. Piasec. in Prax. Episc. p. 1. c. 5. num. 5. Lancellot. Instit. Iur. Can. l. 2. tit. 18. in Gloss. V. Seminis. Nald. V. Ecclesia, num. 28. Antonel. de Regim. Eccles. Episc. p. 1. l. 1. c. 16. §. 1 num. 4. Turrecremat. in Can. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. nu. 13. nec non Goffr. & Hostiens. apud eundem. Alar. in Canon. conscient. l. 2. V. Ecclesia, num. 9. Riccius in Prax. p. 3. resolut. 257. num. 6. Scort. de Miss. l. 2. c. 13. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 8. Tob. Coron. de Sacr. Templ. p. 1. Cap. 36. Scarsell. p. 3. Summ. c. 87. num. 8. Episcop. Scaleus. de Interd. c. 13. Mazuchel. de casib. reseru. disp. 2. c. 6. nu. 27. Zeccus de cas. reseru. casu 11. vers. Quo vero ad seminis. Franc. Ferrar. de Mysterijs consecrat. c. 37. Cassin. in Mystagog. Regular. Catechef. tit. 7. V. Ecclesia num. 13. Mazzol. in Breui Regul. ad Confessar. & Pœnit. munus rite obeundum part. 2. num. 253. & Megal. Instit. Peregr. p. 1. l. 5. c. 13. num. 9. contra Glossam in Can. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. verb. Semine. Hugonem, Laurentium, & Gandulphum ibid. Archidiac. ibid. & in Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. in 6. Henric. in Cap. fin. num. 3. de consecrat. Eccles. Rosell. V. Consecratio 1. n. 9. Gerson. in Compend. Theolog. p. 2. in tr. de Matrim. Alexand. Alens. 2. p. quæst. 147. membr. 2. Sà V. Ecclesia num. 14. quam sententiam Sot. in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3. vers. De quarto, &c. fortasse veram dicit, pro ea citatur etiam Vasq. 1. 2. disp. 98. num. 6. eamque apertissimè defendit Pontius de Matrim. l. 10. c. 10. num. 13. & nouissimè Ios. de Iauuar. de casib. reseru. resolut. 64. num. 4. qui absolute dicunt ex copula inter virum, & vxorem, etiam sine necessitate, in loco sacro habita eum non pollui, nec peccatum committi,

5 Colligo, licet Canones aliquando nominent vnam, vel aliam speciem illicitæ seminis effusionis, cum loquantur in illo casu speciali, de quo ibi sermo erat; tamen generatim loquendo ab ijs comprehendi, vt minimum, omnem voluntariam, & illicitam seminis effusionem, & consequenter etiam matrimonialem copulam in Ecclesia habitam, quia illicita, & iniuriosa est, prout diximus: alioqui, si prædicti Canones loquentes tantum de adulterio adulterium tantum Ecclesiæ pollutiuum decernerent, Ecclesia per simplicem fornicationem ibi habitam non pollueretur, cum hoc in nullo Canone expressum sit, quod absurdum esse omnes vident.

CAPVT XVIII.

An Ecclesia ex seminis effusione in copula coniugali semper, & in quocumq. casu ibi habita polluatur.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi in proposita quæstione affertur, num. 1.

Necessitas, seu iusta causa ad habendam copulam coniugalem in Ecclesia duplex consideranda est, scilicet Loci, & Copulæ ipsius, num. 2.

Necessitas Loci qualis esse debeat, num. 3.

Necessitas copulæ sola sine necessitate loci non sufficit ad cohonestandam copulam coniugalem intra Ecclesiam, nec ad Ecclesiæ pollutionem impediendam. ibid.

Aliqui absolute negant dari vllam necessitatem, vel iustam causam copulæ coniugalis intra Ecclesiam. ibid.

Ecclesia, supposita necessitate loci, non polluitur ex seminis effusione in actu matrimoniali ibi ex necessitate, vel iusta de causa habito, num. 4.

Incontinentiæ periculum præsens, seu actuale, & manifestum in altero coniugum semper, etiam in quacumque breui inclusione intra Ecclesiam, sufficit ad copulæ ibi coniugalis honestatem sine Ecclesiæ pollutione, num. 5.

Ad prædictam copulæ honestatem sufficit, si alter coniugum intra Ecclesiam manere cogatur, vel alter tantum sit in incontinentiæ periculo. ibid.

Etiam morale tantum, & communiter euenire solitum incontinentiæ periculum ad eandem copulam sine Ecclesiæ pollutione ibi licite exercendam satis est, num. 6.

Etiamsi in talibus coniugibus, & in tali casu peculiariter periculum Incontinentiæ abesset. ibidem.

Morale incontinentiæ periculum semper communiter adesse censetur in quocumque casu longa, & necessaria mora coniugum, vel alterius ex illis intra Ecclesiam. ibid.

Longa mora, seu breuis intra Ecclesiam ad prædictum effectum quænam censenda sit. ibid.

Copula licita intra Ecclesiam in prædictis casibus licite fit sine Ecclesiæ pollutione etiam prolis, sanitatis, &c. nec non delectationis causa, num. 7.

Prædicta copula cur liceat etiam in initio prædicta longa moræ, num. 8.

In dubio, num coniugis inclusio, seu mora futura sit intra Ecclesiam longa, vel breuis, quid tunc liceat. ibid.

Quid item in dubio, num adsit vere necessitas ipsa loci. ibid.

Quid etiam dicendum sit, quando coniuges ex ignorantia, vel conscientia erronea circa prædicta falluntur. ibid.

Prædicta copula in prædictis casibus publice etiã haberi potest intra Ecclesiam sine Ecclesiæ pollutione, num. 9.

Obiectio quædam contra prædicta omnia soluitur, num. 10.

1 ADuerto 1. cum *cap. præced.* viderimus Ecclesiam vniuersaliter ex copula, etiam Matrimoniali, ibi habita pollui, nunc specialiter videndum hic esse, an copula ipsa matrimonialis in aliquo saltem casu intra Ecclesiam ità liceat, vt ex ea tunc hæc non polluatur: neque enim coniugalis copula ità Ecclesiæ sanctitati repugnare ex natura rei, nec ità rigide ibi ab Ecclesia interdici videtur, vt, etiamsi prædicta copula ibi in casu necessitatis, vel iustæ causæ habeatur; nihilominus ea semper tum naturali, tum Ecclesiastico iure illicita, & sacrilega, nec non loci sacri pollutiua censeri debeat. vnde

2 Aduerto 2. duplicem considerari debere necessitatem, seu iustam causam habendi copulam coniugalem in Ecclesia, alteram, quæ compellat coniuges, vel coniugum alterum ad ibi habitandum vel ob bellicos, & hostiles incursus, ac deprædationes, vel ob inimicorum timorem, & similia grauia incommoda, vel damna vitanda; alteram vero, quę coniuges prædictos, vel eorum alterum compellat ad coniugalem copulam ibidem habẽdam vel ad sedandam libidinem, vel ad volupta-

luptatem captandam, vel ad filios procreandos, vel ad sanitatem tuendam, vel ad incōtinentię periculum in coniugum altero vitandum, &c. Primam dicemus Necessitatem, seu iustam causam loci; Secundam autem Necessitatem, seu iustam causam copulæ, vt ambignitas omnis euitetur.

3 Aduerto 3. indubitatum esse iuxta prædicta, quod, quando deesset necessitas loci, seu iusta causa intra Ecclesiam habitādi (quę quidem talis esse debet, vt sine graui damno, vel periculo extra Ecclesiam coniuges exire nequeant) sola necessitas, aut iusta causa copulæ non sufficiat ad Ecclesiæ pollutionem impediendam: si enim coniuges vel non necessario, nec ex iusta causa intra Ecclesiam habitent, vel certe (vt fere semper accidit) habeant alia loca, quæ, quo ad hunc effectum, Ecclesiæ nomine non veniant, puta cubicula Ecclesiæ adhærentia, Sacristiam, Turrim campanariam, Intertectum, & similia, quæ deseruire possint ad actum coniugalem, tunc, si in Ecclesia copulentur, talis eorum copula erit illicita, sacrilega, & Ecclesiæ pollutiua non secus ac si omnino libere Ecclesiam elegissent pro nuptiali cubiculo cum quantauis talis loci irreuerentia, & contemptu. Quare dubium tantummodo restat quo ad necessitatem, seu iustam causam copulæ, supposita necessitate, seu iusta causa loci, aliqui enim absolute negant vllam assignari posse sufficientem necessitatem, aut iustam causam, propter quam coniugalis copula in Ecclesia vnquam liceat, & ita sentiunt *Antonin. Paludan. Caietan. Summa Pisan. Armill. Tabien. Nauar. Salzed. Viuald. & Gerson. ll. cap. praeced. cc. nec non Supplement. V. Debitum, num. 7. Steph. de Gaeta in Repet. Can. Ad limina, 30. quæst. 1. §. 4. num. 178.* aliqui vero concedunt aliquando dari posse aliquam necessitatem, seu iustam causam habendi copulam in Ecclesia; sed in ea assignanda, & statuenda diffident. Quamobrem

4 Dico 1. Ecclesiam, posita necessitate loci, ex feminis effusione in actu matrimoniali ibi ex necessitate, vel iusta de causa habito non pollui. tunc enim cessat tum naturalis deformitas, ac malitia illius copulæ, tum positiua, & Ecclesiastica interdictio eiusdem, vt superius innuimus *disp. 1. c. 12. num. 7. & 8.* quia non est credendum coniuges tunc obligari ad abstinendum à copula, pro vt cum communi, & probabiliore sententia docent *Sanch. de Matrim. l. 9. disp. 45. num. 12. cum Alens. Richard. Maior. Gabr. Ouand. Henric. Sum. Confess. Rosel. Angel. Castro, Couar. Cucc. Nidr. Margarita Confess. Suar. Enriq. Petro de Ledes. Sylucst. Lopez, Tolet. Azor. Fernand. Rebell. Reginald. Fagund. Coninch. Bonacin. Less. Mazuchel. Iordan. Barbos. Sayr. Alter. Steph. à S. Gregor. Cassin. Tambur. Bordon. Vgolin. & Ferrar. locis capite praecedenti citatis*, & præterea *Alber. Mag. in 4. dist. 32. art. 11. ad 2. Scot. ibi. q. vnic. in fin. Mayron. ibi. q. vnic. Guillerm. Vorrilong. ibi. q. vnic. art. 2. post 5. conclus. cas. 4. Bassol. ibi. q. vnic. art. 3. Nic. de Orbell. ibi. q. vnic. §. 3. Palac. ibi disp. 1. Astens. in Sum. p. 2. l. 8. tit. 10. art. 4. qu. 2. Monald. in Summ. tr. de Matrim. tit. de effec. Matrimon. versic. Est alius effect. Turrecrem. in Can. Scietis, 33. quæst. 4. art. 5. num. 8. Alcozer in Summ. c. 20. Dian. p. 1. tr. 7. resolut. 19. Cardin. de Lugo de Euchar. dispue. 20. num. 55. & Franc. de Lugo frater eius de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. quæst. 9. num. 59.*

5 Dico 2. actuale, seu præsens, & manifestum incontinentiæ periculum in altero coniugum semper, etiam in quacumq. breui inclusione intra Ecclesiam sufficere ad inducendam necessitatem, seu esse iustam causam habendi copulam in Ecclesia, sine Ecclesiæ pollutione; supposita tamen semper necessitate loci, de qua diximus *num. 2.* itā expresse *Mazuchel. de casib. reseru. disp. 2. c. 6. num. 32. Bonacin. & Sā cum Franc. de Lugo l. c. num. 62.* Dixi *in altero coniugum*, quia ad prædictam necessitatem satis est, si coniugum alter intra Ecclesiam manere cogatur, vel alter tantum ex ijs in prædicto Incontinentiæ periculo sit.

6 Dico 3. etiam morale, tantum, & communiter euenire solitum incontinentiæ periculum in altero coniugum, quod scilicet cōmuniter, & verisimiliter timeri potest, & quod frequenter, attenta communi hominum fragilitate, accidere consueuit, semper sufficere (supposita tamen semper necessitate loci) ad necessitatem, seu iustam causam copulæ coniugalis in Ecclesia sine Ecclesię ipsius pollutione habendæ; etiamsi vere desit aliquando in aliquibus peculiaribus coniugibus, aut euentibus prædictum incontinentiæ periculum, nam alioquin tunc maximis & scrupulis, & peccandi periculis exponerentur coniuges, si tunc semper perpendere deberent, num etiam in ipsis tunc vere adsit, vel in eorum altero periculum incontinentiæ, nec ne. itā *Sanch. l. c. num. 13.* vnde morale & communiter accidere solitum incontinentiæ periculum vere semper adesse credendum est in quocumque casu longæ, & necessariæ moræ coniugum, vel alterius ex illis in Ecclesia; longam autem moram, seu diuturnam obsidionem ad prædictum effectum alij dicunt esse

esse spatium vnius mensis cum *Sanch.* alij quindecim dierum cum *Fagund. & Less.* alij quatuor, aut quinque dierum cum *Ledesm. & Dian.* alij duorum, vel trium dierum, aut noctium cum *Persic.* ac proinde breuem moram in prædicto casu esse vnum, vel alterum diem, intra quod spatium nō censendum est adesse prædictum morale periculum incontinentiæ, ideoq. si in breui hac mora absq. ipso actuali incontinentiæ periculo coninges in Ecclesia copulam exerceant, & ea publicetur, Ecclesiam inde pollui iudicandum erit, facile enim possūt coniuges per tam breue temporis spatium se continere, & separare torum, vt morale incontinentiæ periculum vitent, vt bene tradidit *Suarez, & Franc. de Lugo ll. cc.*

7 Dico 4. supposita necessitate loci, & iusta causa copulæ intra Ecclesiam habendæ iuxta ea, quæ mox exposuimus, necesse non esse, vt copula ibi exerceatur tantum ab prædictum finem vitandæ incontinentiæ, ob quē ex dictis ibi permittitur; sed tunc licite, & sine Ecclesiæ pollutione, ibi haberi posse in omnibus casibus, in quibus extra Ecclesiam ea vacaret culpa lethali: ac proinde ea ibi licebit, nec erit Ecclesiæ iniuriosa, aut pollutiua in prædictis casibus, si fiat ad fouendum amorem coniugalem, ad procreandam prolem, ad sanitatem acquirendam, & consequenter etiam delectationis causa, quia ea erit ibi solum veniale peccatum, sicut extra Ecclesiam. ità *Sanch. Fagund. Franc. de Lugo Castilent. & Iordan. ll. cc.* nam oppositum valde foret scrupulis expositum.

8 Dico 5. Quando constat ab initio diuturnam fore coniugis inclusionem in loco sacro, licite, & sine loci sacri pollutione (posita semper loci necessitate) posse mox ibi coniugalem copulam exerceri, quia iam datur præsens causa, & morale communiter periculum incontinentiæ, nec est maior ratio de fine, quam de principio, vel medio illius longi temporis, alioqui etiam post primam copulam cogendi essent expectare per magnum aliquod tempus, antequam secundam exercerent, quod nimios ijs scrupulos pareret, vt pote ignaris, num sufficiens tempus elapsum fuisset, nec ne, ità *Alcozer, Sanch. & Mazu hel. ll. cc.* vnde coniugum alter extra Ecclesiam libere existens poterit voluntarie, & omnino licite accedere ad alterum, qui intra Ecclesiam necessario, & ad longum tempus mansurus sit, ad coniugalem copulam etiam in initio inclusionis prædictæ exercendam, nec inde locus ille sacer polluetur, vt expresse tradunt *Fagund. & Persic. ll. cc.* Quod si dubium sit, num inclusio alterius ex coniugibus intra Ecclesiam futura sit ad longum, vel ad breue tempus, tunc non licebit vti copula coniugali intra breue tempus: lex enim generalis est copulam ibi non licere, nisi in inclusione ad longum tempus, & cum non constet de hac exeptione, standum erit legi communi, & generali. idemque dicendum est de dubio, num adsit vere necessitas loci, nec ne, in quo prudentis arbitrio standum erit. quodsi coniuges ex ignorantia, vel conscientia erronea crederent sibi adesse necessitatem loci, & copulæ; quæ tamen vere abesset, tunc ex tali copula, saltem in foro interno, vere Ecclesia non esset polluta, licet contrarium in foro externo præsumeretur. Si vero è contrario vere adfuisset vtraq. necessitas, tunc ex copula ibi habita neque in interno, neq. in externo foro pullueretur, etiāsi coniuges putassent nullam necessitatem adesse, vt patet ex *cap.* 10. *num.* 4.

9 Dico 6. Ecclesiam ex copula in prædictis casibus ibi habita non pollui, etiamsi publice copula tunc ibi habeatur, necessitas enim prædicta, cum tollat irreuerentiam, tollit etiam omnem deformitatem, & culpam sacrilegij, sine quo Ecclesia non polluitur. ità *Suar. Petr. Ledesm. Sanch. Fagund. & Mazuchel. ll. cc.*

10 Colligo, licet absente altero coniuge, vt si vir sit in militia, vel mercatura, vel in exilio, teneatur alter abstinere à copula per lōgum, & longissimum tempus; tamen inde non bene inferri idipsum in prædicto nostro casu, tunc enim, cum coniugalis copula sit quodammodo impossibilis, altero absente, alter non est in proxima occasione, & morali veluti tentatione ad copulam prædictam exercendam, sicuti est in casu nostro, vt ex se patet, in quo copula ex se alioquin licita, & solum illicita ratione extrinsecæ decentiæ loco sacro debitę facile haberi potest, &, si diu differatur, magnam coniugibus difficultatem, ac molestiam affert, nec non communiter incontinentiæ periculum, quorum causa in tali casu prædicta copula censetur vacare omni irreuerentia, & culpa siue contra legem naturalem, siue positiuam Ecclesiasticam, vt superius dictum est.



DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA

De Quarta, & Vltima Pollutiuarum Actionum specie, seu Quarto, & Vltimo Pollutionis Ecclesiasticæ modo, hoc est, per Sepulturam Excommunicati, vel Infedelis in Loco Sacro.

Si Venusino Vati meritò *Mors vltima linea rerum* visa est, meritissimò sane *Excommunicati, vel Infidelis Sepultura* post Actiones alias Ecclesiæ pollutiuas vltimo omnium loco videri debuit, quæ vel ipsimet Morti vltimum inuidit, & eripuit locum. Quamobrem ad Sepulturam, vt indies corpore, ità etiam calamo propius accedamus, &, quid ea vere sit, verius inspiciamus.



CAPVT PRIMVM.

Quid hic sit Sepultura, & Sepelire, per quod aliquando Ecclesia polluitur.

SVMMARIVM.

Sepultura *aliquando significat* Sepulcrum, *aliquando* Sepelitionem, *num.* 1.

Sepulturæ *nomen hic accipitur pro* actu *ipso* Sepeliendi. *ibid.*

Sepelitio, seu actus ipse sepeliendi varie accipitur, num. 2.

Scire, quinam actus proprie dicatur sepelitio, ad quæ vtile, ac necessarium sit, num. 3.

Polluere Ecclesiam alicubi est Casus Ordinarijs reseruatus. ibid.

Ecclesia proprie hic polluitur tantummodo per actum ipsum sepeliendi proprijs manibus, n. 4.

Excommunicatio lata Clement. 1. de Sepult. *contra sepelientes, &c. cur liget ex multorum sententia eos tantum, qui proprijs manibus sepeliunt. ibid.*

Idipsum dici potest etiam de Excommunicatione lata Cap. 2. de Hæret. in 6. *num.* 5.

Tradere sepulturæ *latius patet, quam* Sepelire. *ibid.*

1 Aduerto 1. cum *Sepultura* aliquando significet *Sepulcrum* ipsum, idest *Locum, vbi cadauera sepeliuntur,* quo in sensu Sepulturæ nomen accepit *Sulpit. ad Cicer. l.* 4. *ep.* 12. 9. *Ab Atheniensibus*, inquiens, *locum Sepulturæ intra vrbem vt darent, impetrare non potui. & Cicero ipse Philipp.* 1. 4. qui Bustum in Foro factum *insepultam sepulturam* appellauit; aliquando autem *Sepeliendi actum*, qui *sepelitio* dicitur, & *Humatio*, quo in sensu *Tull. Tusc.* 1. 164. Sepulturæ nomine vsus est, *Cuius*, inquiens, *dicto admoneor, vt aliquid etiam de humatione, & sepultura dicendum existimem.* & *Lucret. l.* 6. *circa fin.* cecinit

Nec mos ille sepulturæ remanebat in vrbe, à nobis hic in hac secunda significatione sumi, pollutio enim Ecclesiæ, de qua hic sermo est, fit per ipsam Excommunicati, vel Infidelis sepelitionem, vt egregie docuit *Suar. de Censur. disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 4.

2 Aduerto 2. sepelitionem ipsam, seu actum sepeliendi tam varie à varijs accipi, vt *Glossa* in

in Clement. 1. de sepult. in V. Sepelire, eas hic esse dubitationes dixerit, quæ Principis potius declarationem, quam Interpretis alicuius opinionem exposcant, nisi enim Princeps ipse expresserit, quid in sua lege per sepeliendi actum intelligi, & significari voluerit, certi aliquid affirmari non posse dixit *Vgolin. de Censur. tab. 2. c. 9. §. 6. num. 3.* dubitari autem potest, num sepeliendi actum exerceant, seu sepelire dicantur Primo, qui cadauer in locum sacrum deferunt, licet illud ibi non tumulent. Secundo, qui funus prosequuntur. Tertio, qui terram fodiunt, vel aperiunt. Quarto, qui, cum possint, & debeant talem actum sepeliendi v. g. Excommunicatum, vel Infidelem in loco sacro impedire, non impediunt. Quinto, qui Crucem, Cereos, & alia ad funus spectantia portant. Sexto, qui Diuinum Officium faciunt in funere, puta, cantando, & campanas pulsando. Septimo, qui sepelirionem mandant, vel adstant, ne ea impediatur. Octauo denique qui proprijs manibus cadauer in loco sacro tumulant, & Sepulturam omnino complent.

3 Aduerto 3. quæstionem hanc non solum necessariam esse ad cognoscendum, quandonam, & perquem actum Ecclesia polluatur; sed eriam ad sciendum, quinam vere, vel ficte tantum sepelire dicantur, ac proinde quinam Ecclesiam per talem sepeliendi actum vere polluant, & inde incurrant in Casum Reseruatum, quando iste ab Ordinarijs reseruatur, prout de facto reseruatus est in Diœcesi Mediolanensi, & c. vt videre est apud *Zeccum, Finellium, Gambaruptam, Mazuchellum, & alios de casib. reseruat.* qui propterea de hoc casu *Polluentium Ecclesiam* Ordinarijs aliquando reseruato peculiariter egerunt.

4 Dico Ecclesiam proprie hic pollui tãtummodo per actum ipsum proxime sepeliendi proprijs manibus. Ità in terminis ipsis de polluente Ecclesiam per sepulturam Excommunicati, vel Infidelis *Mazuchell. de casib. reseruat. disp. 2. c. 6. num. 72.* & hoc ipsum colligi potest ex *Caiet. V. Excommunicatio, c. 46. Nauar. in Sum. c. 27. num. 137. Henriq. l. 13. c. 43. num. 3. Auil. p. 2. c. 6. disp. 10. dub. 6. Bonacin. de censur. in genere disput. 2. quæst. 2. punct. 3. §. 3. num. 8. Hurtad. disput. 5. de Excommunicat. diffic. 4. & alij*, qui loquuntur in terminis Excommunicationis latæ *Clemēt. 1. de Sepultur.* contra sepelientes in loco sacro tempore Interdicti, aut alias Excommunicatos, & c. & dicunt eam incurri tantum ab ijs, qui proprijs manibus sepeliunt; Ratio autem omnium est, quia pœnæ non sunt extendendæ vltra proprietatem verborum ex vulgatis iuribus *Cap. Statutū de Elect. in 6. Cap. Pœnæ, de Pœnis. Cap. Odia, de reg. iur. in 6.* Sepelire autem proprie, & in rigore est cadauer in Sepulcrum immittere, vel inferre ex *Thesaur. de pœnis Ecclesiasticis p. 2. V. Sepultura, cap. 4. quæst. 2.* quod proprie non nisi proprijs manibus fit: vnde statutum pœnale, & odiosum contra sepelientes non debet extendi ad eos actus, qui proprie, & proxime non sunt sepelitio, seu sepelire, nec consequenter ad eas personas, quæ proxime non faciunt prædictum proprium sepeliendi actū; sed tantummodo ficte, remote, & improprie quomodolibet sepelire dicuntur, quales sunt deferentes cadauer, comitantes, & c.

5 Colligo; quamuis verum esset Excommunicationem latam in *Cap. 2. de Hæretic. in. 6.* contra tradentes sepulturæ Ecclesiasticæ Hæreticum, vel Fautorem, & c. ligare simul mandantes eum sepeliri, pro vt docuit *Suar. de Censur. disput. 12. sect. 4. num. 10. & disp. 23. sect. 4. num. 42.* quin etiam cooperatores ipsos ad prædictam sepulturam, prout dixit *Thesaur. loc. cit. quæst. 1.* (quorum tamen doctrinam multi falsam putant, & ibi quoque eum tantum Excommunicati asserunt, *qui* proprijs manibus sepelierit, *vt videre est* apud eundem Thesaurum) nihilominus id ex eo fieri, quod *Tradere sepulturæ*, quo prædictum *Cap. 2. de Hæreticis in 6.* vtitur, latius patet, quam *Sepelire*, vt docent communiter DD. in *Cap. Quia in omnibus, de Vsur.* & optime dixit *Sayr. de Censur. l. 4. c. 5. n. 5. & Diaz in Prax. Can. c. 117.*

CAPVT SECVNDVM.

An Ecclesia ex omni actu ibi sepeliendi proprijs manibus cadauer Excommunicati, vel Infidelis polluatur.

SVMMARIVM.

Actus proxime sepelientium proprijs manibus cadauer ad tres proprie reducuntur, num. 1.

Modus sepeliendi cadauera duplex præcipue est, num. 2.

Tumulus *proprie quid sit, & cur aliquando sepulturam significet, &* tumulare *accipiatur* pro sepelire. *ibid.*

Sepulcrum quid sit. ibid.

Sepelire *dictum videtur, quasi* sepire, *num. 3.*

Ad

Ad sepulturæ essentiam maxime requiritur, vt cadauer condatur, seu certe tegatur. ibid.

Sepelire aliquando dicitur Subterrare, *& Italice* Sotterrare. *ibid.*

Cadauer Sennacherib quomodo dicatur Nahum 1. Sepultum Sculptilibus, & conflatilibus. *ibidem.*

Probabile videtur, quod Ecclesia non polluatur, nisi per solum actum ipsum ibi proxime condendi proprijs manibus vel humo, vel in tumba cadauer Excommunicati, vel Infidelis, num. 4.

Sepulcra hodie non nisi infra, & subter terram collocanda sunt, ibid.

Si ostium Sepulturæ apertum sit, num cadauer ibi positum vere dicendum sit sepultum, num. 5. & 6.

Ostium sepulturæ tripliciter patere potest. ibidem.

Actus sepeliendi distinguitur aliquando ab actu aduoluendi lapidem ad ostium monumenti. ibidem.

Aduoluere lapidem ad ostium monumēti licitum erat Hebræis etiam in Sabbatho. ibid.

Lapis ad ostium monumenti cur aduolueretur ab Hebræis. ibid.

Vbinam Hebręi mortuos, præsertim honorabiliores, sepelirent. ibid.

Sepulcri ostium apud Hebræos erat aliquando tam amplum, & altum, vt multi erecti illud ingrederentur. ibid.

Domus non dicitur, quæ tectum non habet. ibid.

Sepulcri pars potissima est pars superior, seu Sepulcri tectum, sine quo Sepulcrum proprie non est. ibid.

Sepulcrum tecto coopertum, sed circumquaque patens, ac apertum num sit vere Sepulcrum, num. 7. & 8.

Quid dicendum sit de Sepulcris Sanctorum, quæ alicubi sursum aperta sunt, licet sint infra terram. ibid.

Quomodo non improbabiliter dici etiam possit, quod actus ipse inferendi, seu immittendi cadauer intra sepulcri locum sit essentialiter pars sepelitionis, num. 9.

1 ADuerto 1. actus eorum, qui proprijs manibus proxime sepeliunt Excommunicati, vel Infidelis cadauer, ad tres proprie reduci, nimirum Primo ad actum fodiendi terram, seu faciendi sepulcrum. Secundo ad actum inferendi, seu immittendi cadauer intra sepulcrum. Tertio autem ad actum cooperiendi, seu tegendi ipsum sepulcrum, vel potius ipsum cadauer in sepulcro positum.

2 Aduerto 2. hinc fieri, vt duo præcipue sint modi sepeliendorum cadauerum: Alter est per Humationem, cadauera scilicet humando, hoc est, humo iniecta tegendo, quo in casu quia terra coacervari consueuit, colliculus nonnihil eminens; seu tumulus terreus in planitie aliquantulum eleuatus apparet, qui idcirco aliquando accipitur pro Sepulcro iuxta illud *Iob. 10. de vtero translatus ad tumulum*, cum sub eo tumulo, quasi in sepulcro cadauer condatur, & tumulare idcirco idem etiam est, ac sepelire iuxta illud *Catul. Argonaut.*

Nec iniecta tumulabor mortua terra.

Alter vero modus est cadauera quoquomodo codendo, Sepultus enim ex *Plin. l. 7. c. 64.* intelligitur quoquomodo conditus, adeo vt quodlibet cadaueris conditorium sepulcrum illius dicatur; nihil enim aliud est Sepulcrum, quam sepulturæ locus, vbi nimirum corpus, ossaue hominis condita sunt, vt ait *Vlpian. L. Prætor ait, ff. de sepul. viol. & L. Locum, ff. de relig. & sumpt. funer.* siue cadauer in tumba, vel crypta, vel hypogeo, siue in arca marmorea, vel metallica, siue in quouis alio conditorio positum fuerit.

3 Aduerto 3. licet *Sepelire* dictum videatur, quasi *Sepire*, eo quod sepelire sit quasi sepe circundare, & terra, vel alia materia circumcirca cingere, & sepire cadauer, quod sepelitur; tamen ad sepulturæ essentiam maxime requiri, quod cadauer recondatur, & veluti abscondatur, seu certe quoquomodo tegatur, vnde Mezentius apud *Virgil. 10. Aeneid.* dum rogat sepeliri, ait

Vnū hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi.

& *Lucan. l. 7.* inquit

Capit omnia tellus,
Quæ genuit, cælo tegitur, qui non habet vrnā.

immo *Cicero philip. 1. sepulturam* cælo apertam *insepultam* egregie appellauit. propterea etiam *Sepeliri* aliquando dicitur *Subterrari* ex *Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* sicuti Italice quoque dicimus *Sotterrare.* ideoque cadauer ipsum Sennacherib *Nahum 1.* quod inhumatum in templo diu relictum est, nihilominus dicitur, interprete *Ribera in eum locum num. 39. sepultum sculptilibus, & conflatilibus*, vel quia in templi tecto, quod cadauer illud tegebat, & quodammodo tumulabat, imagines deorum collocabantur, vel quia sub altari aliquo Idolorum absconditum fuit, vt diu iaceret inhumatum.

4 Dico probabile mihi videri, quod in hoc casu Ecclesia non polluatur, nisi per solum actum ipsum ibi proxime condendi proprijs manibus vel humo, vel in tumba cadauer Excommunicati, vel Infidelis; etiamsi prædictus actus alios præsupponat, sine quibus ca-

dauer non sepeliretur. Ratio est, quia Sepelire vere, & formaliter, quod etiam adnotauit *Castropal. de Censur. disp. 3. punct. 34. num. 2.* non est sepulcrum aperire, nec corpus defuncti deferre, &c. sed solummodo condere humo, vel in tumba, à qua sepeliendi expositione non abhorrent alij communiter, qui dicunt Sepelire esse inferre, vel immittere cadauera in sepulcrum: nunquam enim vere ante hunc actum condendi humo, vel in tumba cadauer, hoc dicitur sepultum; sed solummodo post prædictum actum, & c. loquuntur autem communiter de Sepulcro proprie dicto, quod hodie est Tumba profunda infra terram facta, prout docet *Seb. Medic. de Sepult. quæst. 3. num. 8. & quæst. 5. num. 3.* Dixi *infra terram, vel subter humum*, quia, quamquam antiquitus inoleuerat abusus, vt Capsæ, & Deposita, seu alia cadauerum Conditoria non solum in Ecclesijs super terram, verum etiam quodammodo super altaria ponerētur, vt *d. Med. ibid.* testatur; tamen *Pius V. per Bullam, quæ incipit, Cum primum, an. 1566. Kal. Apr.* cauit, sicut etiam alias statutum fuerat, vt omnia cadauerum conditoria super terram in Ecclesijs posita amouerentur, & defunctorum corpora deinceps in Tumbis profundis tantū infra terram collocarentur. vnde *Rituale* etiam *Romanum tit. de Exequijs, V. ubi viget*, inquit, *cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantum detur*.

5 Dices 1. ergo, si ostium Sepulturæ apertum sit, cadauera in ea posita vere iuxta prædicta erunt dicēda insepulta, quod absurdum, & omnino falsum videtur.

6 Respondeo Sepulturæ ostium multipliciter considerari posse: Primo, si illud non sit in tecto Sepulturæ, seu Sepulcri; sed ab aliquo illius latere: Secundo, si sit in ipso tecto, & parte superiori sepulcri, sed ostium prædictum paruum sit, adeo vt cadaueris in sepultura positi pars vel nulla, vel minor aliqua tantum non condita pateat per tale ostium: Tertio denique si ostium sit in tecto sepulturæ, & ita amplum, vt totum cadauer, vel maior illius pars nec humo, nec prædicti sepulcri tecto condatur; sed æq. pateat, ac si in fouea tantum non cooperta iaceret. Si ergo sepulcri ostium sit primo modo, etiamsi ostium hoc apertum fuerit, adhuc cadauer in tali sepulcro conditum vere ibi sepultum erit. actus enim ipse sepeliendi distinguitur tunc ab actu aduoluendi lapidem ad ostium monumenti, vt patet ex *Francol. de Hor. Canonic. c. 66. num. 20. & 21.* nec non ex *Baron. Annal. Ecclesiast. tom. 1. ad an. Ch. 34.* qui actum aduoluendi lapidem ad ostium monumenti ad ipsam sepelitionem non necessarium dicunt; sed tantum licitum in Sabbatho Hebræis, tum ne ipsum sepulcrum ita apertum pateret incursibus bestiarum, tum ne cadauer inde odorem exhalaret. Hoc autem vt clarius ab omnibus intelligatur, sciendum ex *Maldonat. in Io. 11. num. 38.* morem Hebræorum fuisse sepeliendi mortuos, præsertim honorabiliores, in speluncis, quarum ostium aduoluto grandi lapide, vel saxo claudebatur, & ostium illud tantæ erat altitudinis, ac latitudinis, vt multi erecti illud ingredi possent, teste *Iansen. in Concord. Euangel. cap. 31. in princip.* & hoc ipsum patere potest exemplo domus ipsius, quam viuentes inhabitamus, adhuc enim dicimur domi esse, etiamsi ostium domus pateat; sed non dicetur domus, nisi tectum habeat, quo illa cooperiatur, licet muros habeat, vt per se patet. Si vero sepulcri ostium sit secundo modo, adhuc cadauer intra talem sepulturam vere erit sepultum, quia modicum pro nihilo reputatur, quod fusius paulo inferius explicabitur. Si denique sepulcri ostium sit tertio modo, tunc cadauer in tali loco positum vere insepultum erit, quia non tegitur, nec talis locus vere, & proprie dici potest tunc *sepultura*, seu sepulcrum, cum tecto careat, nec tunc sit, vt mox dixi etiam de domo viuentium, vera, & sacra domus mortuorum. Quare, sicuti esse in fossa sursum aperta, seu esse in valle infra montes posita, non est esse proprie in sepulcro, nec humo, aut tumba condi, ita esse in sepulcro sursum penitus aperto non est condi in sepulcro, nisi apponatur etiam pars potissima sepulcri, scilicet pars sepulcri superior, quæ sepulcrum proprie constituat, & vere cadauera condat.

7 Dices 2. ergo cadauera in aliquo loco sursum cooperto posita vere dicentur sepulta, licet à quocumq. latere ea sint patentia, quod ridiculum est.

8 Respōdeo negando prędictam illationem: aliud enim est, quod ostium sepulcri sit apertum; aliud autem, quod sepulcrum ipsum sit circumquaque patens, & apertum, prout proportionaliter dictum est de domo viuentium, quæ adhuc domus erit, licet ostium habeat apertum; sed non erit amplius domus, si careat vel lateralibus muris tantum, sic enim potius Porticus, quam domus erit, vel tecto ipso, vt iam sæpius repetitum est. vnde cadauera Sanctorum, quæ alicubi in Sepulcris sursum apertis asseruantur, vt ea à sursum stantibus religionis ergò pie cerni, sancteque coli queant, si sint in Capsis suis condita, vt videre est Mediolani ad D. Caroli Borromæi Sepul-

crum

erum, vere illa ibi sepulta erunt; si vero cadauera ea sint sursum omnino patentia, & nullo claudantur conditorio, insepulta mihi potius, quam sepulta videntur; licet enim ea sint infra terram, non tamen sunt subter illam, nec subter aliud sepulcri tectum, quod ad sepulcri essentiam requiri satis iam pobatum est.

9 Colligo nō improbabiliter etiam dici posse, quod sepelitio constet ex ambobus actibus, 1. secundo, & tertio superius *num.* 1. explicatis, veluti ex duabus essentialibus partibus, seu concausis ad veram sepelitionem omnino necessarijs, quo in casu tam ponens vnum, quam alterum ex prædictis actibus Ecclesiæ pollutor esset, & casum reseruatum incurreret, vbi is reseruatus esset, dummodo tamen vterque actus interueniret, nam sine vtroque Ecclesia non pollueretur, nec casus esset consummatus.

CAPVT TERTIVM.

An Ecclesia per Excommunicati, vel Infidelis cadauer ibi ad aliquod tempus, & nō ad perpetuam sepulturam depositum polluatur.

SVMMARIVM.

Cadauera aliquando traduntur perpetuæ sepulturæ; aliquando non perpetuæ, & in depositum, num. 1.

Cadauera quandonam transferri possint sine Episcopi licentia de vno loco in alium, & quādo non, num. 2.

Sepulcri violati pœna non habet locum, nisi sepultura sit perpetua, ibid.

Sepelire propriè non est deponere Cadauer in loco sacro ad aliquod tempus tantum, num. 3.

Ecclesia per Excommunicati, vel Infidelis cadauer ibi pro aliquo tantum tempore, & non ad perpetuam sepulturam depositum non polluitur, num. 4.

Cadaueris prædicti præsentia in loco sacro non sufficit ad illum polluendum, nisi quando illud antea ibi perpetuæ sepulturæ traditum fuisset, num. 5.

1 ADuerto 1. cadauera defunctorum ex *Decian. prax. criminal, l.*6. *c.*42. *nu.*22. *Rot. Rom. decis.* 550. *p.* 1. *in nouiss. Robustery, Genuens. in prax. Neap. c.*56 *num.*3. *& Samuel. de Sepultur. tractat.* 1. *controuers.* 8. *num.* 21. aliquando tradi perpetuæ sepulturæ, & talia sic sepulta cadauera transferri nequeunt ex sepultura, vbi iacent, ad alium locum extra Ecclesiam, sine Episcopi licentia, quod etiam statuitur in *Ritual. Roman. Paul. V.* §. *de Exequijs*; aliquando vero ea perpetuæ sepulturæ non dari; sed tantum in loco sacro deponi, & per authenticum Instrumentum, quod tunc fieri debet, in depositum recipi, & cum obligatione ea restituendi, vt aliò transferantur, & talia cadauera sic in depositum, & non perpetuæ sepulturę tradita transferri aliò sine alia Ordinarij licentia possunt ex *Can. Corpora, de consecrat. dist.* 1. *Antonin. p.*3. *tit.*12. *c.*8. *ante primum* §. *Angel. V. Reliquiæ,* §. *Qua auctoritate, num.* 1. *Syluest. V. Cæmeterium, in fin. Alar. in Canon. Conscient. l.* 2. *V. Cæmeterium, num.*3. *& Rubeo in Aporism. Episcopor. V. Sepultura, num.*8. & ita hodie seruari tradit *dict. Genuens. ibid. iuxta L. Si necdum, C. de relig. & sumpt. fun.*

2 Aduerto 2. pœnam Sepulcri violati ex *Menoch. de Arbitr. Iud. cas.* 387. *num.* 24. *&* 25. *Farinac. crimin. qq.* 20. *num.* 128. *quæ est de Delict. & Pœnis, & Antonel. de regimine Eccles. Episc. l.*6. *c.*37. *num.*3. non habere locum, nisi quando Sepulturę perpetuę sunt; secus autem si perpetuæ non sint, ex *L.*3. §. *Non perpetuæ, ff. de sepulc. violat.*

3 Aduerto 3. ex his optimè erui posse, quod Sepelire propriè sit perpetuæ sepulturę tradere, non autem deponere cadauer etiam in loco sacro, & intra sepulcrum aliquod pro aliquo tantum tempore. Aliud enim est tradere absolute, seu donare alicui cētum; aliud autem est confidere eidem cētum ad aliquod tantum tempus, seu apud eundem deponere centum, vt depositarius ea restituere debeat, quoties, qui ea in depositum dedit, eadem exigat. Quare

4 Dico Ecclesiam per Excommunicati, vel Infidelis cadauer ibi ad aliquod tempus, & non ad perpetuam sepulturam depositum nō pollui. Ratio est, quia nomine sepelitionis in odiosis, & pœnalibus non venit prædicta cadauerum depositio, vnde Canones loquentes de Sepultura non debent hic extendi ad solam depositionem prædictorum cadauerū pro aliquo tempore in loco sacro, vt ex mox dictis, & alibi toties repetitis apertè infertur.

5 Colligo, licet, quando Infidelis cadauer in Ecclesia sepultum est, illud exhumandum sit, si discerni possit, antequam Ecclesia reconcilietur, vt inferius cum communi DD. sententia dicemus; tamen non bene inde inferri, quod Ecclesia polluatur per solam

præsentiam talis cadaueris ibi positi, ac proinde etiam ad aliquod tempus ibi tantum depositati, nam falsum est, quod Ecclesia polluatur per solam præsentiam talis cadaueris ibi positi, nisi quando illud ibi vere antea sepultum fuisset; vnde patet nunquam verè eam pollui, si ibi illud tantum depositetur, cum, ex iam positis, depositatio sola cadaueris propriè non sit vera sepelitio.

CAPVT QVARTVM.

An Ecclesia per Excommunicati, seu Infidelis Cineres, vel per aliquam tantum Cadaueris, vel Cinerum partem ibi sepultam polluatur.

S V M M A R I V M.

Vnius corporis sepultura plura sepulcra efficere non potest, num. 1.

Cadauer ibi sepultum dici debet, vbi pars illius principalior sepulta sit, num. 2.

Caput est corporis pars principalior, & membrorum omnium dignissimum, num. 3.

Ecclesia probabiliter per Excommunicati, seu Infidelis Cineres ibi sepultos polluitur, num. 4.

Cineres Excommunicati, vel Infidelis habent eam habitudinem ad ipsum Excommunicatū, vel Infidelem, quam habet cadauer, ibid.

Idem dicendum est de maiore cinerum parte, ibidem.

Ecclesia etiam per solum caput Excommunicati, vel Infidelis ibi sepultum polluitur, num. 5.

In Reliquijs cur non solum caput, sed etiam Brachium, Crus, &c. solemni cultu, ac Officio honoretur, non secus, ac si esset totum corpus, num. 6. & 7.

Ecclesia cur ibi esse dicatur, vbi est Pontifex, num. 7.

Caput Excommunicati, vel Infidelis, si dimidium in vna Ecclesia, & dimidium in alia fuerit sepultum, neutram polluit, num. 8.

Capitis maior pars Caput esse videtur, ibid.

Quod maior pars iudicauit, id ab omnibus iudicari videtur, ibid.

Plastella si scindatur in ludo, quid inspiciendum, & iudicandum sit, ibid.

Ecclesia an polluatur aliquando ob sepulturam Excommunicati, vel Infidelis sine capite, n. 9.

1 ADuerto 1. pro certo à me supponi, quod vnius tantum Cadaueris sepulturā plura Sepulcra efficere non possit, vt clare habetur in *L. Cum in diuersis, ff. de religios. & sumpt. funerum, &c.* & late explicat *Asinius in prædict. titul.*

2 Aduerto 2. æque certum mihi esse, quod, si cadaueris partes pluribus in locis sepultæ sint, ibi sepultum dici debeat cadauer, vbi pars illius principalior condita fuerit, vt *ll. cc.* subditur, à potiori enim sumitur appellatio, vt in cæteris quoque patet.

3 Aduerto 3. Caput non solum esse præcipuum, cæterorumque membrorum dignissimum ex *citata Lege*; sed etiam totum esse in corpore, vt docuit *Plato in Timæo*: vnde Platonici omnes Caput rationalis animæ Sedem nuncuparunt, teste *Asin. l. c. nu. 3.* & Capitis appellatione integer homo intelligitur: mēbra enim à capite fomentum, decorem, & formam recipiunt, nec non caput sequuntur omnia membra ex *Apost. ad Ephes. 4.* quibus stantibus,

4 Dico 1. Ecclesiā probabiliter per Excommunicati, seu Infidelis Cineres ibi sepultos pollui. communiter enim in ipsis cineribus est habitudo ad ipsum hominem Excommunicatum, vel Infidelem, quæ habitudo sicuti sufficit ad hoc, vt Reliquiæ Sanctorum, & Cineres etiam illorum adorentur, quia aliquid ipsorum existimantur, ità sufficere videtur ad hoc, vt per eorum sepulturam in casu nostro Ecclesia polluatur, nam in Cineribus, saltem moraliter, si non physicè, militat eadem ratio, quæ in cadauere ipso nondum in cineres redacto, quod non nisi ob respectum, & habitudinem ad Excommunicatum, vel Infidelem ipsum Ecclesiastica priuatur sepultura, & Ecclesiam polluit, in qua illud sepultum sit. ità colligitur ex *Vasq. in 3. p. tom. 1. disp. 112. num. 29. Putol de adoratione disp. 4. sect. 1. in solut. 2. argum. Segnio de Reliquijs, & Veneral. Sanctor. c. 48.* qui in Cineribus, & Fragmentis, seu Pulueribus aliquando totum, vel maiorem cadaueris partem contineri docet, & nullam in hac re inter Cadauer, & Cineres differentiam facit, & nouissimè ex *Riccull. Elucubrat. Ecclesiasticar. l. 1. c. 36.* idemque dicendum puto, si de maiore cinerum parte sermo sit, cum maior pars totum repræsentet.

5 Dico 2. Ecclesiam etiam per solum Caput Excommunicati, vel Infidelis ibi sepultum pollui, prout patet ex dictis *num. 3.* vnde probabiliter inferri potest, quod, si alicuius Excommunicati, vel Infidelis caput in vna Ecclesia; reliquum verò corporis in alia sepeliretur, illa, & non ista pollueretur, quia, cum vna Sepultura plura sepulcra efficere nequeat

ex

ex iam dictis, cumque caput sit totius corporis principalior pars, à qua totius denominatio sumi debet in ambiguis, ibi potius aliquis sepultus dici debet, vbi illius caput sepultum sit, quam vbi reliqua omnia corporis membra.

6 Dices. ab Ecclesia reputatur Insignis Reliquia, & solemni cultu, ac officio honoratur, vbi non solum Sancti alicuius Caput fuerit; sed etiam vbi Brachium, Crus, &c. pro vt tradit *Signius in suo Reliquiar. c. 47. & S. Rit. Congregatio in Decreto, quod ab Vrb. VIII. approbatum Breuiarijs præfigi solet*, &c. ergo etiam Ecclesia, in qua sepultũ fuerit Excommunicati, vel Infidelis alicuius Brachium, &c. inde polluta censeri debet.

7 Respondeo negando consequentiam, neque enim valet illatio à lege fauorabili ad odiosam, cum ea ampliari; hæc autem restringi debeat iuxta superius dicta. quare, licet ad abundantiorem Sanctarum Reliquiarum cultum sancte id à S. Congregat. prædicta statutum fuerit; nihilominus id ad casum hunc nostrum extendendum non est. immo, præscindendo à prædicto decreto, & similibus alijs, ibi Festa Sanctorum, teste *Bald. in d. L. Cum in diuersis ff. de religios. & sumpt. funer. et* quem DD. communiter secuti sunt, vt ait *Asin. l. c.* celebranda, vbi est eorum Caput, non cætera membra, sicuti etiam ibi est Ecclesia tota, vbi est Pontifex, quia Caput est totius Ecclesiæ.

8 Dico 3. Si dimidium caput Excommunicati, vel Infidelis sepultum fuerit in vna Ecclesia, & aliud dimidium in alia, neutram Ecclesiam pollui. quia non quælibet capitis pars caput est; sed ad summum maior tantum capitis pars caput esse videtur, sicuti, quod maior pars iudicauit, id etiam ab omnibus iudicati videtur ex *L. Sicuti ff. de recept. arbitr.* Si enim partes capitis æquales sint, nulla pars formam capitis magis retinet, quam alia, ac proinde, cum per vnius corporis sepulturam plura sepulcra ex sæpius dictis effici non possint, neutra pars caput efficit; vel enim capitis forma ex tali capitis ruptione, & diuisione penitus sublata est, vt sentit *d. Asin. l. c. num. 6.* vel tantummodo in maiore capitis parte est, quæ pars idcircò medietatem superare debet, pro vt docet *Capoll. de seruit. vrban. præd. cap. 82. num. 2.* qui id etiam notandum dicit pro ludentibus ad Plastellam, vel ad Par. & Impar. si Plastella scindatur, inspicitur enim maior pars, & cum partes æquales sunt, neutra valet.

9 Colligo, quamuis verè Caput Principalior corporis etiam mortui pars videatur, si illud vel integrum sit, vel saltem maiorem illius partem contineat; tamen, si capitis partes tales sint, vt earum nulla caput constituere videatur, tunc standum esse pro reliqua corporis parte principaliore; ac proinde, si caput integrum, vel maior illius pars nullibi sit, alicubi autem sepultum sit reliquum Excommunicati, vel Infidelis corpus, tunc Ecclesiam, in qua Excommunicati, vel Infidelis corpus sine capite sepultum fuerit, pollutam probabiliter censeri posse, tunc enim ibi tale corpus sepultum videtur, cum ibi sepulta sit principalior pars illius non relatiuè ad caput (quod nullibi tunc esse supponitur) sed ad alias corporis partes, quæ extent.

CAPVT QVINTVM.

An per Sepulturam Excommunicati Excommunicatione tantum minori Ecclesia polluatur.

S V M M A R I V M.

Ecclesiam pollui per Excommunicatorum sepulturam vnde habeatur, num. 1.

Excommunicationis nomen aliquando in Iure non solum de Maiori, sed etiam de Minori intelligitur, ibid.

Excommunicatio Maior, & Minor quid sint, ibidem.

Excommunicatio *secundum aliquos significat Minorem*; Anathemata *verò Maiorem*, *num. 2.*

Excommunicatio Minor est vere, & proprie Excommunicatio, num. 3.

Excommunicationis nomen absolute prolatum semper post Gregorium IX. significat Maiorem, ibidem.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati Excommunicatione Minori, num. 4.

Cap. Cum non ab homine, de Iudicijs, *& similia Decreta quomodo intelligenda sint, nu. 5.*

Excommunicatio, *& Anathema, seu Anathematizatio quomodo inter se differant, ibidem.*

Cap. 1. de Exception. in 6. *proponitur, & exponitur, num. 6. & 7.*

Sepultura non neganda Excommunicatis Excommunicatione minori contra aliquos, n. 8. et 9.

Excommunicationis vox cur in maiorem partem iam non sit accipienda, i. pro Minori Excommunicatione, num. 10.

1 ADuerto 1. cum *Innocentius 3. in Cap. Consuluisti, de consecrat. Eccles.* absolute dicat Cœmeteria (qua in re maior est ratio de Ecclesia, cum ipsa sit principalis; cœmeterium autem accessorium, vt docet *Glossa hic V. Cœmeterium*, vnde Doctores omnes hoc etiam in Ecclesia locum habere tradunt) in quibus Excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda esse, cumque Excommunicationis nomen in Iure non solum de Maiori; sed etiam de Minori Excommunicatione intelligatur, vt patet ex multis Canonibus, in quibus nomen Excommunicationis absolute prolatum non potest de Maiori intelligi, qui videri possunt apud *Suar. de Censur. disp. 8. sect. 3. nu. 2.* idcircò hic etiam dubitari posse, num sepelitio Excommunicatorum minori tantum Excommunicatione innodatorum Ecclesiam polluat. Maiorem Excommunicationem accipio, quæ priuat actiua, & passiua receptione Sacramentorũ, Suffragijs Ecclesię, & communione Fidelium; Minorem vero, quæ sola passiua Sacramentorum receptione priuat.

2 Aduerto 2. difficultatem hanc inde etiam potissimum crescere, quod aliqui cum *Duard. Commentar. in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 2. n. 14. ex Cap. Cum non ab homine, de Iudicijs* opinantur nomine *Excommunicationis* intelligi Minorem; *Anathematis* autem nomine Maiorem. Sed

3 Aduerto 3. quamuis Minor Excommunicatio vere, & proprie Excommunicatio sit; tamen Excommunicationem absolute prolatam semper de Maiori intelligi, vt expresse definiuit *Gregor. IX. in Cap. Si quem, penult. de sent. Excommunicat.* vnde Excommunicationis nomen post Gregorium prædictum nunquam pro Minori; sed pro Maiori semper sumitur; licet ante ipsum Gregorium Excommunicatio simpliciter sumpta sæpe pro Minori intelligeretur, vt constat ex *Cap. Sacerdote, de consecrat. dist. 1. & Can. Engeltrudam, 3. qu. 4.* ita *Glossa in Cap. Cum non ab homine, V. Excommunicato, de Iudicijs. Io. Andr. in Cap. 1. num. 16. & ibi Speculator num. 21. §. Viso; de Except. Abbas in Cap. Intelleximus, eod. tit. Suar. de Censur. disp. 3. sect. 2. num. 8. & disp. 28. sect. 4. num. 3. Vgolin. de Censur. Sum. Pontif. reseruat. p. 1. q. 15. Coninch. de Censur. disp. 14. dub. 1. Gambacurta de cas. reseruat. ad cap. 1. Bull. Cœn. num. 7. Alter. de Censur. tom. 1. l. 5. disp. 2. c. 1. Sousa Relect. Bull. Cœn. c. 21. in Annot. circa text. num. 4. Naldan Summa V. Excommunicatio, num. 3. Riccull. de Iure person. extra Eccles. grem. existent. l. 4. c. 31. num. 34. Pueron. in Bul. Cœn. cap. 1. num. 5. Couarr. cap. Alma. 2. p. §. 8. num. 5. Henriq. l. 13. c. 2. num. 2. Sayr. de Censur. l. 1. c. 4. num. 19. Laym. in Summa l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. nu. 1. Castropal. de Censur. disp. 2. punct. 2. num. 2.* & alij communiter. Quamobrem

4 Dico Ecclesiam non pollui per sepulturam Excommunicati Excommunicatione Minori, quia, cum ex iam dictis Excommunicationis nomine absolute prolato iam non veniat Excommunicatio Minor, neque etiam Excommunicatorum nomine absolute prolato venire debent Excommunicati Minori tantum Excommunicatione, ità in terminis nostris *Mazzol. in Breui Regul. ad Confessarij, & Confitentis munus rite obeundum part. 2. n. 259.* & ij omnes, qui ad prædictam pollutionem inducendam necessario requirunt, quod Excommunicati denunciati sint, & vitandi, vt *cap. seq.* dicemus, quæ in Excommunicatis Minori Excommunicatione locum non habent.

5 Ad prædictum ergò *Cap. Cum non ab homine, de Iudicijs*, & ad similia Decreta respondendum est ibi *Excommunicationis*, & *Anathematis* nomina discriminari non quo ad Minorem, vel Maiorem Excommunicationem; sed ex *Suarez, & Pueronoll. cc.* in hoc, quod Anathema, seu Anathematizatio supra Excommunicationem, si sit ab homine, addere videtur publicam denunciationem cum quibusdam exterioribus signis, ac cæremonijs terrorem, & damnationem maiorem indicantibus; si verò sit à Iure, maiorem delicti grauitatem, & culpæ exaggerationem, seu execrationem, & detestationem indicat; etiamsi Excommunicationis vox ipsa tam sola, quàm cum Anathemate iuncta semper Maiorem Excommunicationem significet, vt iam probatum fuit.

6 Dices 1. *in tex. Cap. 1. de Except. in 6.* dicitur, siquis in Iudicio Excommunicationem opponat, illius speciem declarare debet, ergo sub nomine Excommunicationis absolute prolato non venit semper Maior Excommunicatio, alioqui non opus esset illud explicare, quod tradit *Glossa ibidem*, scilicet, speciés Excommunicationis Maioris, vel Minoris, & tamen prædictus textus est post Gregorium superius allatum.

7 Respondeo, omissis alijs responsionibus, quas varij varie afferunt, textum illum loqui de speciebus Maioris Excommunicationis, v. g. de Excommunicatione ob violationem Ecclesię, ob percussionem Clerici, &c. vt non obscure colligitur ex verbis ipsis textus, & præcipuè ex *§. Si verò*, vt bene aduertit *Castropal. l. c. num. 4.*

8 Dices

8 Dices 2. Ecclesiastica sepultura neganda est Excommunicato minori Excommunicatione, saltem notoria, vt tenent *Summa Confess. l. 3. tit. 16. q. 3. Sylvest. V, Sepultura num. 9. vers. 10.* cum alijs, ergo etiam per talis Excommunicati sepulturam Ecclesia polluetur.

9 Respondeo primo negando antecedens cũ *Vivaldo de Interdict. num. 94.* qui secutus est *Innocentium in Cap. Sacris, de sepult. & Armillam, V. Sepultura, num. 16.* quæ sententia hodie communissima est. Secundo, etiamsi talis Excommunicatus priuandus esset Sepultura, non inde fieri, vt locus sacer statim fiat ob id pollutus, nam etiam publici Vsurarij, alijque multi Ecclesiastica carent sepultura, & nihilominus per illorum sepulturam nequaquam polluitur Ecclesia, quia hoc in Iure expressum non est.

10 Colligo cum *Suar. l. c. sect. 3. num. 6. in fin.* licet vox Excommunicationis pœnam significet, & in dubijs omnia sint in mitiorem partem interpretanda; nihilominus, cum ad tollendum hoc dubium illius vocis sensus iure ipso explicatus sit, in hoc iuridico, & iam proprio illius sensu eam iam accipiendam esse, vt pro Maiori tantum Excommunicatione sumatur.

CAPVT SEXTVM.

An Ecclesia polluatur per Sepulturam Excommunicati Excommunicatione Maiori; sed non denunciati.

SVMMARIVM.

Excommunicandi potestas est à Christo; sed Excommunicationis institutio ab Ecclesia, n. 1.

Censura, & Censuræ effectus immediate sunt de iure positiuo; ibid.

Ante Concilium Constantiense Excommunicatus se à Fidelibus, & Fideles ab eo se separare tenebantur, seu in publico, si Excommunicatio publica fuisset, seu secreto, si secreta, num. 2.

Post prædictum Concilium Fideles non sunt obligati vitare Excommunicatum siue à Iure, siue ab homine, nisi is denunciatus publice fuerit, vel notorius Clerici percussor. ibidem.

Constitutio Concilij Constantiensis Ad euitanda *scandala in praxi communiter recepta est tum in Vrbe, tum in Orbe; ibid.*

Excommunicati vitandi, vel non vitandi quinam hodie dicantur, seu tolerati, vel non tolerati, ibid.

Sepultura sacra quid spirituale censetur, & ad illam Ius habent solum Filij Ecclesiæ, num. 3.

Ad sepulturam sacram cum Fidelibus admitti communicatio quædam videtur cum Fidelibus in Diuinis. ibid.

Prædicta Sepulturę sacræ communicatio quomodo tum generaliter, tum specialiter interdicatur ab Ecclesia Excommunicatis. ibid.

Prohibitionis prædictæ bona congruentia affertur. ibid.

Prohibitio sola sepeliendi Excommunicatum in loco sacro non facit, vt locus inde polluatur. ibid.

Ecclesia per sepulturam cuiuslibet (excepto notorio Clerici percussore) Excommunicati Maiore Excommunicatione; sed non denunciati, nõ polluitur, num. 4.

Priuatio sepulturę sacrę, cum sit publica euitatio, semper, etiam ante Concilium Constantiense, publicam etiam Excommunicationem postulat, num. 5.

1 ADuerto 1. licet Excommunicandi potestas à Christo Domino suæ concessa fuerit Ecclesiæ: Excommunicationis tamen institutionem ab Ecclesia tãtum factam esse: verba enim *Matth. 18. Paul. ad Tit. 3. & Io. Epist. 2.* consilium tantum, & admonitionem denotant, ne cum Hæreticis, Incorrigibilibus, & contumaciter inobedientibus communicemus tum ob contagionis periculum, tum vt ipsi confusi resipiscant, prout bene tradit *Suar. de Censur. disp. 2. sect. 1. Coninch. disput. 14. dub. 2. in princip. Auil. p. 2. de Censur. c. 3. disput. 1. dub. 6. Hurtad. disput. 2. de Excommunic. diff. 2. & Castropal. de Censur. disput. 2. punct. 4. num. 2.* Quare, cum effectus Censuræ ex Institutione Ecclesiæ tantum sint (tota enim Censura est quædam Ecclesiastica prohibitio, seu collectio prohibitionum, vt sic dicam, quæ immediate est de Iure positiuo) propterea, quod Excommunicatio nunc separet Excommunicatum à communione Fidelium, idest, Excommunicatum separet, ne communicet cum alijs Fidelibus, specialiter autem, quod Excommunicatus Ecclesiastica careat sepultura, & hoc ad effectus Excommunicationis pertineat, prouenit ex immediata Ecclesiæ sanctione, quæ talem prohibitionem posuit, eamq. formaliter in censura Excommunicationis includi voluit, vt videre est apud *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. num. 10.* quam etiam tollere posset, si vellet, vt ex dicendis *num. seq.* clarum fiet.

2 Aduerto 2. quamquam olim ante Concilium


lium Constantiense tum ipse, qui erat Excommunicatus, se ab aliorum Fidelium conuictu, & communicatione, tum Fideles ipsi se ab illo separare tenebantur, ita vt si Excommunicatio publica esset, in publico; si vero secreta, secreto Excommunicatus à Fidelibus, & Fideles ab ipso segregari, seu seiungi tenerentur, vt patet ex *Cap. Cum non ab homine, de sent. Excommunic. Gloss. & Panormit. ibi num. 2. 3. & 7. Cap. Cum desideres, eod. tit. & ibi Innocent. Abbat. Heric. & Felin.* vt bene obseruauit *Castropal. l. c. num. 3.* tamen in *d. Concilio Constantiensi an. Dom.* 1414. celebrato, quod à Martino V. & à Leone X. confirmatum fuit, editam fuisse Constitutionem incipientem *Ad euitanda scandala, &c.* quæ licet in Tomis Conciliorum non extet, refertur tamen à *Io. Dried. de Libert. Christiana cap.* 88. *Adrian. in 4. tract. de Confess. quæst. 9. & tr. de Clau. quæst. 3. & tr. de Eucharist. quæst. vlt. Nauar. in Summa c. 27. num. 25.* & ab alijs apud *Castropal. l. c.* qui etiam eiusdem tenorem exhibet, eamq. in praxi receptam testantur *Antonin. p. 3. tit. 26. c. 3. Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. Guttier. qq. can. l. 1. c. 1. num. 1. Henriq. l. 13. c. 5. num. 1. Auil. de Censur. p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 1. Suar. de Censur. disp. 9. sect. 2. num. 5. Coninch. disput. 13. dub. 2. Sanch. de Decalog. l. 2. c. 9. num. 3.* de communi testatur *Layman l. 1. tr. de Excommunic. c. 4. num. 1.* immo de Vrbis, & Curiæ Romanæ, nec non totius Orbis vsu *Sayr. de Censur. l. 2. c. 12. num. 9.* & tenet *S. Rota, vt recent. p. 1. decis. 534. num. 12.* ex qua Constitutione habetur, quod Fideles non sunt obligati vitare quenquam Excommunicatum, licet notorium, siue facto, siue Iure, nisi talis Excommunicatus publice denunciatus etiam fuerit, vel certe notorius Clerici percussor, qui, tametsi denunciatus non sit, vitandus est, de quibus plura inferius suo loco dicemus. Vnde infertur Solos Excommunicatos publice Denunciatos, vel Notorios Clerici percussores nunc esse Excommunicatos non toleratos, seu vitandos; alios autem omnes dici toleratos, seu non vitandos, & nunc haberi pro Excommunicatis occultis.

3 Aduerto 3. cum Sepultura sacra quid spirituale censeatur, & ad illam ius habeant solum filij Ecclesiæ, qui ei obedientes fuerint, idcirco, quod quis ad eundem locum sepulturæ sacræ cum ijs admittatur, communicationem aliquam in diuinis videri cum Fidelibus, & consequenter huius communicationis prohibitionem non solum contineri in ea generali prohibitione, per quam communicatio in Diuinis cum Excommunicatis prohibetur; sed etiam peculiariter, & expresse haberi in *Cap. Sacris. de Sepult. Quia*; inquit, *quibus non communicamus Viuis, non debemus etiam communicare defunctis*, quod idem habetur in *Clement. 1. eod. tit. Cap. 2. de Heret. in 6. & Cap. Consuluisti, de consecrat. Eccl. vel altar.* & sumptum est ex *Leon. Papa epist. 90. vel 92. ad Rustic. c. 6. vel 7.* eique fauet congruentia illa, quod is, pro quo orare non licet, indignus est, vt corpus eius in loco sacro sepeliatur, vbi ob eam præcipue causam Fideles sepeliuntur, vt participes fiant suffragiorum, & orationum, quæ in ijs locis fiunt, vt constat ex *Suar. de Censur. disput. 12. sect. 4. num. 2.* Quia autem ex sola prohibitione sepeliendi Excommunicatum in loco sacro non fiebat, vt inde locus ille sacer pollueretur, nisi ad hunc effectum inducendum noua lex Ecclesiastica accederet, ideo, cum in *d. Cap. Consuluisti* supponatur per Excommunicati corpus locum sacrum pollui, id ab Ecclesia etiam specialiter statutum fuisse dicendum est.

4 Dico Ecclesiam per sepulturam cuiusuis (excepto Notorio Clerici percussore) Excommunicati Maiore Excommunicatione, sed tamen non denunciati, non pollui. Ratio est, quia post Concilium Constantiense non nisi Excommunicatos denunciatos, vel notorios Clerici percussores vitare, proindeque ab Ecclesiastica sepultura eos repellere tenemur, cum quilibet alius Excommunicatus censeatur vt non Excommunicatus, vel vt occultus tantum Excommunicatus, ex quo infertur, quod sicuti Excommunicatis non vitandis Sepultura sacra iam nunc concessa est, ita locus sacer per sepulturam ijs concessam iam nunc non polluitur, nam Ecclesiæ pollutio fundatur in priori prohibitione sepeliendi Excommunicatum in loco sacro, limitata autem ea prohibitione, limitatur etiam loci sacri pollutio, vt bene intulit *Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4. casu 4. & tom. 5. de Censur. disp. 12. sect. 4. num. 5. & tom. 1. de religion. tr. 2. l. 3. c. 2. num. 11.* & hanc sententiam docent *Victoria in Sum. tr. de Euchar. quæst. 99. Durand. in Ration. l. 1. c. 6. num. 42. Rodriq. p. 1. Summa cap. 154. conclus. 1. num. 2. Sayr. de Censur. l. 5. cap. 16. num. 22. Nald. in Sum. V. Ecclesia, num. 29. Sà V. Ecclesia num. 5. Henriq. l. 9. de Missa, cap. 27. num. 5. lit. R. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dubit. 1. conclus. 2. casu 3. & dubit. 4. conclus. 4. Reginald. in Prax. l. 29. c. 9. sect. 5. n. 184. casu 4. Fagund. de 1. Ecclesiæ præcept. l. 3. c. 14. num. 55. in fin. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 9. dub. 7. num. 67. Mazuchel. de cas. Reseru. disp. 2. c. 6. num. 39. Scarfell. in Sum. p. 3. c. 87. num. 9. Coninch. quæst. 83. num. 232. Filliuc. tr. 5. num. 117.*

117. *Bonacin. de Matrim. quaest. 4. pun. vlt.nu. 22. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 8. Scortia de Missa l. 2. c. 13. Cardin. de Lugo de Euchar. disput. 20. sect. 2. num. 56. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 10. num. 65. Th. del Bene de immunit. Eccles. p. 1. c. 2. dub. 11. sect. 5. num. 1. & 2. Nauar. in Summ. c. 27. nu. 35. & consil. 10. de Haretic. num. 4. in fin. Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 2. V. Sepultura, cap. 4. quaest. 3. vers. Item differentia, & V. Sacrilegium, cap. 5. in princip. Antonell. de regim. Eccles. Episcop. p. 1. l. 1. c. 16. num. 8. Squillant. de oblig. Cleric. p. 5. num. 95. Cassin. tit. 7. nu. 16. Castileus. in Polyanth. Seraph. V. Consecratio Ecclesia disfic. 6. conclus. 3. Castropal. p. 2. tr. 2. punct. 1. num. 1. in fin. Iordan. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 125. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 28. num. 52. Steph. à S. Gregor. de Diuin. piet. vinc. l. 3. c. 31. num. 20. Vgolin. de Offic. & Potest. Episcop. c. 29. §. 4. vers. Excipitur tamen. Bassaus in Flor. Theolog. V. Sacrilegium 1. num. 6.* & alij passim, contra *Abbatem, & alios in Cap. Consuluisti de Consecrat. Eccles. vel alt. & Alter. de Censur. tom. 1. l. 1. disp. 14. cap. 1. col. 6.* eo quod textus generaliter loquatur de quibuslibet Excommunicatis, vnde sic etiam loquitur *Azor. p. 1. l. 10. c. 26. quaest. 13.* & alij, qui nullam adhibent limitationem.

5 Colligo occultum quemuis Excommunicatum non solum post prædictam Constitutionem *Ad euitanda*, in Concilio Constantiensi factam posse absq. Ecclesiæ pollutionē in ea sepeliri, & prohibitum hoc non esse, vt iam vidimus; sed etiam ante prædictam Constitutionem, & secundum iura antiqua; semper enim priuatio Sepulturæ Sacræ, cum sit publica euitatio, publicam etiam Excommunicationem postulat ex *d. Cap. Cum non, ab homine, de Sentent. Excommunicat.* nunc autem neque sola Excommunicationis publicatio generaliter sufficit ad prædictam Sepulturæ euitationem; sed vlterius (præter quam in casu Excommunicationis ex notoria Clerici percussione) denunciatio ipsa requiritur, quæ ante prædictam Constitutionem necessaria non erat, vt ex prehabitis, & ex duobus proxime sequentibus capitibus abunde patebit.



CAPVT VII.

An Ecclesia per Sepulturam Excommunicati quomodocumq. Denunciati polluatur.

SVMMARIVM.

Excommunicatus denunciatus haberi potest quis secundum aliquos; sed falso, si Canon dicat: Qui hoc fecerit, Excommunicatus sit, *& id ab eo factum fuisse constet, num. 1.*

Neq. ad veram Excommunicationis denunciationem sufficit expressa; sed generalis tantum Nominatio, & Excommunicatio Hussitarum *v.g.* Vuiclephistarum, Lutheranorum, &c. *num. 2.*

Pontifices nominatim denunciant eos Hareticos, quos vitandos volunt, vt Pius V. Elisabetham Angliæ Reginam. ibid.

Siquis nominatim condemnetur, & publice declaretur condemnatus de Haresi, vel alio crimine, cui indubitatum, & notorium sit annexam esse Excommunicationem, cur adhuc ille non sit Excommunicatus denunciatus, num. 3.

Etiamsi per publicam sententiam quis declaretur reus talis criminis, & incidisse in omnes pœnas, & censuras tali crimini annexas, inter quas notorium sit esse Excommunicationem; nihilominus cur ille non sit adhuc Excommunicatus denunciatus. ibid.

Neq. etiamsi nominatim declaratoria sententia tum criminis, tum Excommunicationis crimini annexæ contra aliquem lata, & in Tribunali promulgata sit, nisi eadem publice denuncietur vel per Cedulones, aut in Ecclesia, vel alio loco publico iuxtà regionis consuetudinem. ibid.

Quid si sententia Excommunicationis fuisset solum de futuro, & sub conditione; non autem absoluta? ibid.

Prædicta Excommunicationis denunciatio cur suppleri nequeat per quancumq. notissimam famam aliunde habitam. ibid.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati quomodolibet denunciati, sed tantummodo per sepulturam Excommunicati specialiter, & expresse denunciati, num. 4.

Excommunicati prædicto modo tantum denunciati; vel notorius Clerici percussor, non alij, nunc vitandi sunt. ibid.

Specialiter, & expresse Excommunicationem *denunciare iuxtà communem interpretatio-*

nem est Nominatim *Excommunicationem denunciare, num.* 5.

Nominatim denunciare *Excommunicatum quid sit. ibid.*

Denunciationis notitia quænam sufficiat ad Excommunicatum vitandum. ibid.

In dubio denunciationis prædictæ talis Excommunicatus habendus est pro non denunciato. ibidem.

Quid sufficiat ad præsumendum Excommunicatum absolutum fuisse, vt cum eo communicari possit, & per illius sepulturam Ecclesia non polluatur. ibidem.

1 ADuerto 1. aliquorum sententiam fuisse (inter quos à *Sayro l. 2. Thes. l. 1. c. 12. num. 17. à Duard. in Bull. Cœnæ l. 2. can. 1. q. 7. num. 1.* & à *Pueron. in Bull. cœn. c. 1. num. 12.* refertur *Bernardus in Cap. A nobis il 1. de sent. Excommunic.* & *Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 1. conclus.* 3. qui hoc esse speciale in Hæreticis arbitratur propter enormitatem criminis, & infectionis periculum) quod, si Canon aliquis aliquem ità Excommunicet: *Quisquis hoc, vel illud fecerit, Excommunicatus sit*: tunc is censeri debeat denunciatus, & nominatim Excommunicatus, à quo talem actum prohibitum factum fuisse constiterit. Sed hoc omnino falsum esse, & contra communissimam DD. interpretationem bene probant ijdem *Sayr. Durand. & Pueron. ll. cc.* & clarius ex dicendis apparebit.

2 Aduerto 2. maius dubium esse, an sufficiat denunciatio generalis Excommunicatorum, v. g. specialis, & expressa nominatio, & Excommunicatio *Hussitarum, Vuiclephistarum, Lutheranorum, &c.* prout in *Can. 1. Bull. cœn.* prædictæ, aliæque Hæreticorum sectæ, immo aliquo modo etiam in particulari per ea verba *omnes, ac singuli* exprimuntur, & Excommunicantur. Sed negatiue adhuc respondendum esse bene docet *Tolet. in Sum. l. 1. c. 20. in 1. Excommunic. cœnæ num. 12. Vgolin. de Censur. Papæ reseru. p. 1. c. 14. in fin. Sayr. l. c. l. 3. c. 4. num. 32. Cauall. in Commun. contra Commun. quæst. 698. nu. 15. Sanch. in Decal. l. 2. c. 9. num. 3. Duard. l. c. Pueron. ibid. num. 13. Suar. de Censur. disp. 9. sect. 2. num. 10. Filliuc. tom. 1. tr. 16. c. 2. nu. 30. Bonac. de Censur. in partic. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 9.* cuius veritatis optimum est indicium ex *Pueron. ibid.* quod Pontifices adhuc nominatim denunciant eos Hæreticos, quos vitandos volunt, vt *Pius V. an.* 1569. Elisabetham Angliæ Reginam.

3 Aduerto 3. multo grauiorem adhuc difficultatem superesse, an, si quis per publicam sententiam de Hæresi, vel de alio crimine, cui certum, & notorium sit annexam esse Excommunicationem, nominatim condemnetur, & publice declaretur ab eodem nominatim tale crimen commissum fuisse, is haberi debeat pro Excommunicato denunciatio; aliqui enim affirmant, eo quod declarare aliquem reum criminis, cui indubitatum, & manifestum sit annexam esse Excommunicationem, perinde videatur, ac eum Excommunicatum declarare, ità *Sotus de Iust. & Iur. l. 9. quæst. 1. art. 8. ad 1. in fin. Petrus de Soto de Excommunicat. lect. 4. §. Iam vero. Medin. C. de Confessione scienter facta Excommunicato §. Per hæc patet. Gutterrez qq. Can. l. 1. c. 1. num. 42. Henriq. l. 13. de Excommunicat. c. 5. num. 4. Rodriq. in Sum. tom. 1. c. 82. num. 6. & in Bull. Cruciat. §. 9. num. 38. Suar. de Censur. disput. 9. sect. 2. num. 10.* Sed etiam in hac difficultate probabilior est pars negatiua, quoties enim quis condemnatur, & denunciatur de solo crimine cui constat adnexam esse Excommunicationem, tunc non est denunciata Excommunicatio ipsa specialiter, & expresse, hoc est nominatim, prout in *Extrauag. Ad euitanda &c. Concilij Constantiensis* exigitur; sed solum virtualiter, & per quandam consequentiam, ac proinde indirecte tantum; licet directe declaratum, & denunciatum sit crimen ipsum, quod secum Excommunicationem trahit: aliud autem est declarare, seu denunciare delictum, & ex consequenti Excommunicationem; aliud declarare, & publicare directe ipsam Excommunicationem, quod ad Excommunicationis ipsius propriam denunciationem necessario requisitum est, præcipue cum simus in materia pœnali, & odiosa; quæ extendi non debet ad alias improprias, seu latas denunciationes, vt optime docent *Couarr. in Cap. Alma p. 1. §. 2. num. 9. Nauarr. in Can. Quando, de Consecrat. dist. 1. Graff. decis. aur. l. 4. c. 16. num. 5. in fin. Sanchez in decal. l. 2. c. 9. num. 4. Pueron. l. c. nu. 18. vers. Nobis autem. Dian. p. 5. tr. 9. resol. 62. & tr. 14. resol. 97. Castropal. de Censur. disp. 2. punct. 4. num. 6. & Duard. l. c. nu.* 18. Immo, etiam si quis per publicam sententiam declaretur non solum reus talis criminis, cui sit annexa Excommunicatio; sed etiam in ea declaratoria is dicatur incurrisse omnes eius criminis pœnas, & Censuras; nihilominus contra *Pueronum l. c. num. 19.* adhuc is non erit vere, & proprie denunciatus Excommunicatus, quia adhuc ibi non est specialiter, & expresse, idest nominatim, denunciata Excommunicatio, ità *Conineb. de Sacram. disput. 14.*

dub.

dub. 2. num. 10. Reginald. in prax. tom. 1. l. 1. c. 10. num. 118. Sanch. in Decal. l. 2. c. 9. num. 4. Dian. d. p. 5. tr. 9. resol. 62. nec sufficeret sola Declaratoria sententia tum Criminis, tum simul etiam Excommunicationis ei annexæ nominatim mentionem faciens, & in tribunali promulgata, nisi insuper accederet etiã publicatio, seu denunciatio ipsa nominatim Excommunicati vel per cedulones, vt cum communi sententia ait *Thesaur. de pænis Ecclesiast. p. 2. V. Censura, c. 4. vers. Hac moderatio, in fin. cum Couarr. loc. cit. Auila p. 2. de Cens. c. 6. disp. 2. dub. 3. Suar. de Censur. disp. 9. sect. 2. num. 8. Laym. l. 1. de Excommunic. c. 4. §. 2. Molfes. in Summa tr. 6. c. 16. n. 74. Nauar. in Manual. c. 27. num. 35. Coninch de Censur. disput. 14. dub. 2. num. 10. Duard. l. c. quæst. 8. num. 17. Pueron. ibid. num. 20.* cum multis, quibus fauet *Gloss. in Clement. 1. Verb. Publice, de Sepult.* vel in Ecclesia, aut alio loco publico, iuxta regionis consuetudinem, vt dicit *Castropal. l. c. num. 6. cum Vasq. de Excommunicat. dub. 2. Hurtad. de Excom. diffic. 3.* & alijs; tametsi contrarium senserit *Adrian. in 4. tr. de Sacram. Euchar. Cap. Viso de impedimentis, vers. Quantum ad tertium, & tr. de Sacram. Confession. dub. 9. vers. Secunda propositio. Felin. in Cap. Rodulphus, num. 73. de rescript.* & aliquot alij, vt videre est apud *d. Castropal. ibid.* Quin etiam si sententia Excommunicationis contra certam personam lata fuisset solum de futuro, & sub conditione, & iuridice etiam publicata fuisset; adhuc taliter Excommunicatus non esset simpliciter denunciatus, nisi post impletam conditionem feratur absoluta sententia, & talis persona in particulari, & in indiuiduo nominatim denuncietur Excommunicata: ita *Maior, & Couar. cum Suar. de Censur. disp. 9. sect. 2. num. 10.* Deniq; prædicta Excommunicationis denunciatio suppleri nequit per quamcumque notissimam famam aliunde habitam: vnde etiamsi publica Ecclesiæ voce manifestissimum esset aliquem esse v. g. Hæreticum, & consequenter manifestissimum etiam esset eundem esse inde Excommunicatum; nihilominus ille inde non esset specialiter, & expresse, ac proinde nominatim, & auctoritatiue denunciatus Excommunicatus; sed manifestissimus tantum Hæreticus, & manifestissimus Excommunicatus, quæ manifestatio, seu notorietas Excommunicationis semper differt à publica denunciatione Excommunicationis; de qua prædicta Extrauagans constitutio Concilij Constantiensis loquitur, vt expresse tradunt *Sanch. in Decal. l. 2. c. 9. num. 6. Duard. loc. cit. nu. 18. & Pueron. vbi supra, num. 21.* contra *Henriq. l. 9. de Missa c. 15. num. 4.* quibus habitis,

4 Dico Ecclesiam nõ pollui per Sepulturam Excommunicati quomodolibet denunciati; sed tantummodò per sepulturam Excommunicati specialiter, & expresse denunciati; nisi forte is fuerit notorius Clerici percussor, de quo speciatim dicemus *cap. seq.* Conclusio autem satis ex mox allatis liquet, & expresse traditur à *Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. p. 1. c. 2. dub. 11. sect. 5. num. 1. & 2. Cardin. de Lugo de Euchar. disput. 20. sect. 2. num. 56. Puerono in Bullam Cœnæ c. 1. nu. 22. vers. Quamobrem. cum Nauar. Consil. 15. de Hæretic. num. 4. & Azor. p. 1. l. 8. c. 11. qu. 3.* nam *Can. Ecclesiam 1. & 2. de Consecrat. dist. 1. Cap. Sacris, de Sepult. Cap. Consuluisti, de Consecrat. Eccles. vel Alt. Cap. Adhæc, de Priuileg. & Clement. de Sepult.* intelligenda sunt de Excommunicatis vitandis; soli autem Excommunicati sic denunciati, vel notorius Clerici percussor post prædictum Concilium Constantiense ex vi Excommunicationis vitandi sunt, proinde ij soli ex vi Excommunicationis Ecclesiastica sepultura priuandi sunt, & consequenter à primo ad vltimum per eorum statum sic denunciatorum Excommunicatorum sepulturam Ecclesia polluetur.

5 Colligo, sicuti verba illa Extrauagantis *Ad euitanda* ex Concilio Constantiensi desumpta, scilicet *Specialiter, & expresse Excommunicationem denunciare*, ab omnibus, teste *Suarez l. c. num. 7. in fin.* exponuntur, vt significent *Nominatim denunciare*; ita *Nominatim denunciare esse Expresso nomine proprio, vel alijs indubitatis signis, ac circunstantijs appositis, quæ certò, & absq. vllo dubio personam demonstrent, manifestare*, vt ait *Glossa in Cap. Cum & plantare, §. Excommunicatos, in Verb. Nominatim, de Priuileg. & in Cap. Constitutionem, in Verb. Nominatim, de sent. Excommunicat. in 6. & in Clement. 1. in verb. Nominatim, de vita, & honest. Cleric. vbi abb. Panormit. in Cap. In Lateranensi, num. 7. de Prebend.* & alij, quos citat, & sequitur *Sayr. in Thesaur. l. 2. c. 12. num. 17. & Pueron. loc. cit. num. 21.* Quemadmodum autem ea Denunciatæ Excommunicationis notitia sufficit, vt Excommunicatus vitandus sit, quæ iure antiquo sufficiebat respectu Excommunicationis absolutæ; vt bene docuit *Suar. l. c. num. 9.* vnde satis est, quod per testimonia fide digna, vel publicam famam Excommunicationis denunciatio facta sciatur; dummodò tamen ea fama talis sit, quæ probabilem, & moraliter certam notitiam afferat; alioqui, si res du-

bia sit, melior erit conditio possidentis, & talis Excommunicatus haberi poterit pro non denunciato, ex eod. *Suar. ibid. et Verricell. Quæstion. Moral. & Legal. tr. 5. quæst. 5. num. 89.* itâ, si testis vnus fide dignus dixerit Excommunicatum fuisse absolutum, vel ipsemet Excommunicatus se fuisse absolutum, & nulla sit causa præsumendi eum esse mendacem, vel fama publica sit esse absolutum, vel communiter habeatur pro absoluto, vel si multum temporis transijt ab Excommunicatione, & considerata personæ, & negotij conditione, verisimile non sit, toto eo tempore eum in Excommunicatione insorduisse, idem *Verricellus ibid. num. 97. ex Nauar. in Man. c. 27. num 36. Syluest. V. Excommunicatio 5. nu. 26. & Suar. de Censur. disput. 15. sect. 2. §. Aliud dubium*, putat cum eo communicari posse, & sic per sepulturam illius, vt potè tunc non vitandi, tunc non polluetetur Ecclesia, quia hæc nō polluitur nisi per sepulturam Excommunicatorum vitandorum.

CAPVT VIII.

An Ecclesia polluatur, si in ea Clerici percussor quomodocumque notorius sepeliatur.

SVMMARIVM.

Constitutio Concilij Constantiensis incipiens Ad euitanda, & c. *circa Excommunicatos non vitandos in quo differat ab alia Concilij Basiliensis circa eandem rem, num. 1.*

Concilium Basiliense fuit Acephalum, nec Concilium; sed Conciliabulum iure appellatur. ibidem.

Constitutioni Concilij Constantiensi cur hodie absque dubio standum sit. ibidem.

Constitutio prædicta duabus partibus constat, & de qua notorietate in ijs sermo sit, num. 2.

Ad notoriam Clerici percussionem cur non satis sit sola famosa talis delicti publicitas, vel probabilitas sine euidentia facti, vel publicitate saltem manifesta. ibidem.

Præter euidentiam facti requiritur ad notariam Clerici percussionem, vt simul etiam constet, eundem Clerici percussorem nulla probabili ratione excusari posse, quin Excommunicationem Canonis inciderit, num. 3.

Cur non sufficiat qualibet excusatio, sed tantummodo probabilis, idest, probabilem dubitationem pariens, num is Excommunicationem incurrerit, vel non incurrerit. ibid.

Excusatio probabilis quaenam in prædicto casu esse possit. ibid.

Ecclesia, si in ea sepeliatur Clerici percussor, non polluitur, nisi talis percussio ab eo facta itâ notoriè constat, vt nec vlla tergiuersatione celari, nec vllo iuris remedio, vel suffragio probabiliter excusari possit, quin percussor Canonis Excommunicationem incurrerit, num. 4.

Ecclesia, si in ea Clerici percussor nondum per Iudicis sententiam declaratus, & denunciatus Excommunicatus sepeliatur, regulariter, & vt plurimum non polluitur, immo vix vnquam polluitur, num. 5.

Qui absolutè, & vniuersaliter asserunt, quod nunquam Clerici percussor sit Excommunicatus vitandus, nisi post Iudicis declarationem, & denunciationem, mihi falsum asserere videntur, num. 6.

1 ADuerto 1. licet in Concilio Basiliensi *sess. 20. in fin. tit. de Excommunicatis non vitandis*, quod Constantiensi Concilio posterius est, per nouam constitutionem statutum fuerit, vt non solum notorius Clerici percussor, sed quicumque notorius Excommunicatus vitandus sit, vbi enim Constitutio Constantiensis habet hæc verba: *Saluo siquem sacrilega manuum iniectione in Clericum, in sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxtà canonicas sanctiones*, Constitutio Basiliensis habet hæc alia: *Aut si aliquem ita notorie in Excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquomodo iuris suffragio excusari*; nihilominus, tum quia Concilium Basiliense, vt potè Acephalum, omni auctoritate destitutum fuit, & in Concilio Lateranensi sub Leon. X. *sess. 11.* propterea non Concilium; sed Conciliabulum vocatur, tum quia Constantiensis cōstitutio ab vniuersali Ecclesia recepta fuit, & communi vsu, ac consuetudine, quæ est optima legum interpres, probata est, nihil esse, cur hac de re amplius dubitetur; sed dubitari tantum vlterius posse, quid per notorium Clerici percussorem intelligatur, ex cuius sepultura, vt potè Excommunicati vitandi, Ecclesia polluatur.

2 Aduerto 2. in prædicta constitutione Constantiensi, vbi agit de notorio Clerici percussore, sermonem esse de notorietate Facti; nō autem Iuris; in hoc enim prior eius constitutio-

tutionis pars distinguitur ab hac posteriori, quod in illa traditur regula generalis, vt excommunicatus vitandus debeat esse notorius notorietate Iuris, .i. per sententiam publicã, prout *cap. præced.* dictum est; in ista vero ponitur hæc vna exceptio, vt in hoc particulari delicto percussionis Clerici sufficiat Excommunicatum esse notorium, euidentia scilicet facti. ità *Suar. de Censur. disp. 9. sect. 2. num. 11. & Durand. in Bull. Cœn. l. 2. can. 1. q. 8. num. 13.* qui proinde subdunt ad prædictam sacrilegæ percussionis notorietatem nõ sufficere, quod talis Clerici percussio per sufficientes testes in iure probari possit, adhuc enim ea percussio erit tantum probabilis; non autem notoria, nec quod de tali Clerici percussione sit publica fama absque facti euidentia, adhuc enim ea percussio erit tantum famosa, & non manifesta, vel notoria, quam solam à regula generali prædicta excipit Concilium Constantiense. Quid autem ad publicitatem Manifestam, & ad notorietatem, seu euidentiam facti requiratur, abunde dictum est *Disp. IV.* per totam; sed præcipuè *cap. 4. & sequent.* vnde præter *Suar. & Duard.* iam allatos *Escobar. in sum. tr. 4. exam. 2. c. 7. num. 16.* bene hac de re disserens dixit, *Requiritur, me authore, vt delictum coram multis testibus factum sit, & deinde ex eorum testimonio publicum actum.*

3 Aduerto 3. præter prædictam notorietatem, seu euidentiam facti, quam ad notorium Clerici percussorem constituendam mox necessariam dicebamus, requiri etiam, vt ex ipsius Constitutionis Cõstantiensis verbis liquet, notorietatem iniustitiæ ipsiusmet percussionis, ita vt notorium sit non modo quempiam fuisse Clerici percussorem; sed etiam eundem Clerici percussorem nullam habuisse legitimam causam, seu probabilem excusationem, qua in eo facto ab incursu Excommunicationis excusaretur. Dixi *legitimam causam, seu probabilem excusationem*, tum quia inepta aliqua, & ficta excusatio nunquam deesse posset delinquentibus, & sic irrita fieret prædicta exceptio, si qualibet excusatio ad id sufficeret, tum etiam quia causa, seu excusatio prædicta debet esse ita verisimilis, & apparens, vt constituat rem probabiliter dubiam, quo in dubio talis Clerici percussor non esset vitandus, quia exceptio prædicta facta fuit tantum pro casu certo, & indubitato, in quo tunc non essemus, vt optimè docuit *Suar. l. c. num. 13. Duard. vbi supra, & Fagund. de 1. Eccles. præcep. l. 2. c. 5. num. 12.* probabilis autem excusatio esse potest, si percussor vel alleget, vel allegare possit se non cognouisse percussum Clericum esse, se nesciuisse tali percussioni annexam esse Excommunicationem, se tunc ebrium fuisse, vel ira cæcatum, & mentis impotem, se ad iustam defensionem percussisse, & c. vnde nisi constet nullam excusationem probabilem pro eo allegari posse, non erimus in casu prædictæ exceptionis, & consequenter tunc is Clerici percussor non erit Excommunicatus vitandus, & quandiu id non constiterit, tandiu is non erit vere notorius Clerici percussor, de quo hic agimus, vt expresse habetur apud *pracit. DD.* & alios infra allegandos. Quare

4 Dico 1. Ecclesiam, si in ea sepeliatur Clerici percussor, non pollui, nisi talis percussio ab eo facta ità notorie constet, vt nec vlla tergiuersatione celari, nec vllo iuris remedio, vel suffragio probabiliter excusari possit, quin percussor Canonis Excommunicationem incurrerit. Ratio est, quia tunc tantum Clerici percussor dicitur notorius, & vitandus, vt ex prædictis patet, ac proinde tunc tãtum Ecclesiastica sepultura priuandus est, & consequenter etiam tunc tantum Ecclesia per illius sepulturam polluitur, cum non polluatur per sepulturam Excommunicati non vitandi, vt iam sæpius dictum est, nec in hoc grauem difficultatem video, cum id ex ipsiusmet Constitutionis Constantiensis verbis expressissime patere videatur. difficultas potius est in assignando casu aliquo, in quo notorium sit non solum à Titio v. g. percussum fuisse Clericum; sed etiam pro eodem Titio nullã afferri posse probabilem causam, quominus is in Excommunicationem inciderit, eo quod scilicet simul cõstet prædictam percussionem à Titio ità malitiosè factam fuisse, vt nulla probabili ratione à peccato mortali, & annexa Canonis Censura excusari queat, quod vix ante Iudicis sententiam constare posse multi mox afferendi affirmant, iuxta quam doctrinam.

5 Dico 2. Ecclesiam, si in ea Clerici percussor nondum per Iudicis sententiam declaratus, & denunciatus Excommunicatus, sepeliatur, regulariter, & vt plurimum non pollui, immo quam rarissime tantum, & vix vnquam pollui. Ratio est, quia prædicta notorietas ad Clerici percussorem vitandum requisita vix ante Iudicis sententiam constare potest, &, nisi de prædicta notorietate constet, nunquam Clerici percussor sit notorius, nec proinde vitandus, prout iam dictum est. ità *Sayr. de Censur. l. 2. c. 12. num. 18. Fagund. de 1. Eccles. precept. l. 2. c. 5. num. 12. Auil. de Censur. p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 4. §. Tertio sequitur. Duard. in Bull. Cœn. l. 2. can. 1. q. 8. num. 12. Vgolin. in Explicat.*

plicat. Bull. Cæn. p. 1. c. 14. in fin. Calistin. in Compend. Theol. Moral. tr. 3. c. 9. diffic. 3. Contucb. de Sacram. disp. 14. Crousers ad cap. 7. Reg. S. Francisci lect. 9. Bassæus in Flor. Theol. V. Excommunicatio 7. §. unic. num. 2. vers. Petes quarto. Diana p. 3. tr. 5. resol. 14. & p. 5. tr. 9. resol. 61. Escobar in Sum. tr. 4. exam. 2. c. 11. num. 32. Antonell. de Regim. Eccles. Episcop. p. 2. l. 8. c. 6. num. 14. Ianuar. p. 1. resolut. 65. n. 47. & Bordon. decis. 387. & Resolut. 78. q. 15. nec non decis. 391. vbi bene aduertit citari etiam pro hac sententia Couar. in Cap. Alma mater. p. 1. §. 2. num. 7. sed, si attente legatur, id non videri à Couar. dictum.

6 Colligo, licet ob frequentissimum prædictæ notorietatis defectum raro, & vix vnquā detur casus, in quo Clerici percussor ante prædictam Iudicis declaratoriam, & denunciationem sit vitandus; nihilominus vere dici non posse, quod is nunquam, nisi post prædictam Iudicis sententiam, vitandus sit; qua in re aliqui ex præcitatis DD. vniuersaliter, & absolute id asserentes mihi non placent ob rationes superius allatas, & idipsum sentire visa est S. Congregatio apud Bassæum l. c.

CAPVT NONVM.

An Ecclesia polluatur per sepulturam Excommunicati, qui alibi quidem denunciatus, vel notorius alibi Clerici percussor; sed, vbi sepultus est, erat occultus.

SVMMARIVM.

Vndenam prædictæ dubitationis decisio pendeat, num. 1.

Num Excommunicatus, qui in vno loco vitandus est, sit vbique, & eodem modo vitandus, multi multa dicunt. ibid.

Excommunicatio ibi non præsumitur occulta, vbi mox publica futura sit, num. 2.

Concilium Constantiense cur parti negatiuæ potius, quam affirmatiuæ fauere videatur, num. 3.

Denunciatio Excommunicationis, licet afficiat personam; tamen intelligenda est comparatione, & respectu illorum, quibus denunciatur, seu in quorum notitiam denunciatio deuenire potest. ibid.

Ecclesia per sepulturam Excommunicati alibi denunciati, vel notorij, & c. sed ibi occulti non polluitur, num. 4.

Excommunicatus publicus in vno loco, cur non sit censendus publicus in alio, ibid.

Sepelientes ibi prædictum Excommunicatum, neque etiam peccant, num. 5.

Non solum Communicatio publica, sed etiam occulta concessa est post Concilium Cōstantiense cum omnibus Excommunicatis vbique, præterquam cum denunciatis, vel notorijs Clerici percussoribus ibi publicis, ibid.

1 ADuerto 1. casus huius decisionem pendere à graui illa quæstione, An Excommunicatus, qui est nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor in vno loco, vitandus sit etiam in alio, vbi prædicta denunciatio, vel notorietas occulta sit, in qua multi multa, & adhuc sub Iudice lis videri potest. Aliqui enim cum Bonacin. de Censur. disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 2. nu. 48. absolute affirmatiuam sententiam docent. Alij communius respondent eum in occulto; sed non in publico, vitandum vbique esse. Alij denique distinguunt inter Excommunicatum denunciatum, & Notorium Clerici percussorem, indeque diuersimode de eo, ac de isto decidendum statuunt, quos passim videre est.

2 Aduerto 2. cohærenter ad ea, quæ diximus disput. 4. c. 11. num. 3. sermonem hic esse de tali loco, vbi prædicta denunciatio, seu notorietas ità occulta sit, vt mox publica futura non sit, attenta loci vicinitate, & alijs circunstantijs prudentis arbitrio, tunc enim moraliter iam publica præsumeretur, & essemus extra hunc casum, de quo hic loquimur, vt bene aduerterunt Fagund. de 2. Eccl. præcept. l. 8. c. 8. num. 28. & Barbos. ad Concil. Tridentin. sess. 24. de Reform. cap. 6. num. 28.

3 Aduerto 3. licet Concilium Constantiense, quod præcipit vitare Excommunicatum denunciatum, & manifestum Clerici percussorem, non restringat præceptum ad locum denunciationis, vel percussionis prædictæ, & licet denunciatio afficiat personam; nihilominus, cum ad Excommunicati vitationem prædictum Concilium absolute requirat vel denunciationem, vel notorietatem prædictam, cumque denunciatio, vel notorietas dicant ex se relationem, & respectum ad populum, cui denunciatur quis Excommunicatus, vel cui notoria est Clerici percussio, proinde ex ipsomet prædicto Concilio potius inferri, quod nullibi quis, nisi ibi prædicta denunciatio, vel notorietas publice constet, vitandus sit, quam oppositum. Quamobrem

4 Dico

4 Dico Ecclesiam per sepulturam Excommunicati, qui alibi quidem denunciatus, vel notorius alibi Clerici percussor; sed, vbi sepultus est, erat occultus, non pollui. Ratio est, quia ibi, vbi Excommunicatus prædictus sepultus fuit, non erat vitandus: perinde enim is erat comparatione, & respectu eius loci, in quo sepultus est, ac si idem nullibi denunciatus, vel nullibi notorius Clerici percussor fuisset, nam Excommunicatus publicus in vno loco non est censendus publicus esse in alio; & obligatio vitandi Excommunicatum post Concilium Constantiense non oritur ex Excommunicatione; sed ex prædicta illius denunciatione, seu notorietate, quarum neutram in eo loco, de quo sermo est, adesse supponimus: vnde nulla ibi proinde erat obligatio prædictum Excommunicatum vitandi, quo dato, certum est ex iam dictis per illius sepulturam ibi factam consequenter pollutam nō esse Ecclesiam: nullam autem ibi obligationem fuisse prædictum Excommunicatum vitandi ob prædictam rationem docet *Durand. in 4. dist. 18. q. 5. num. 14. in fin. Auila p. 2. c. 6. disp. 11. dubit. 12. vers. Conclusio, &c.* qui citat *Paluden. in 4. dist. 18. q. 6. art. 1. num. 5. Mexic. diffic. 11. de Excommunicat. in fin. Armill. V. Excommunicatio n. 61. Henriq. l. 13. c. 6. in Glossa lit. C.* & dicit communem esse inter Magistros, &c. idemq. expresse tradunt *Sanch. in Decal. l. 2. c. 11. nu. 20. Fagund. de 2. Eccles. præcept. l. 8. c. 8. n. 28. Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 24. de reformat. c. 6. nu. 28. Duard. in Bull. Cœn. l. 3. §. 2. q. 11. num. 10. Leo in Prax. Pœnitentiariæ Apostol. p. 2. de formul. Dispensat. Matrimonial. §. Quid sit Notorium factum, versic. Quæret aliquis. Trullench in Decal. l. 7. c. 1. dub 9. n. 7.* & alij *num. sequent.* allegandi. Hinc enim

5 Colligo neque etiam peccari à sepelientibus ibi talem Excommunicatum; quia nemo, neque etiam secreto, vitare tenetur Excommunicatum vllum post prædictum Constantiense Concilium, nisi vbi Excommunicatus sit denunciatus, aut notorius Clerici percussor, vel certe vbi de prædicta denunciatione, aut notorietate publice saltem per sufficientem famam constet. Concilium enim prædictum omnem Excommunicatorum vitationem non nisi erga publice denunciatos, & notorios, seu manifestos Clerici percussores iam superesse voluit; & inde cū cæteris omnibus omnis communicatio tàm secreta, quàm publica concessa videtur, prout tum generaliter, tum specialiter etiam in prędicto nostro casu dicunt *Præposit. in 3. p. q. 2. de Excommunicat. dub. 16. num. 114. Laym. l. 2. Summæ tr. 5. p. 2. c. 5. num. 3. vers. Adde tamen. Diana p. 5. tr. 9. resol. 134. Castropal. de Censur. disp. 1. punct. 4. nu. 9. vers. Sed verius. Iannar. de Casib. Reseru. resolut. 6. num. 4. in fin.* & nouissime *Verricell. in Quæstion. Moral. & Legal. tr. 5. q. 5. num. 96.* contra *Suar. tom. 4. de Pœnit. sect. 2. num. 2. Sanctarel. de Hæres. c. 5. dub. 6. num. 16. Nauar. Sayr.* & alios, qui putant non dici occultum delictum, quod alicubi, vbi scilicet commissum est, publicum sit, at in eo loco, in quo absolutio v.g. petitur, sit occultum.

CAPVT X.

An Ecclesia per sepulturam personaliter, & nominatim Interdicti polluatur.

SVMMARIVM.

Quæstio hæc Antiquis incognita, vel intacta non fuit, vt Suarez putauit, num. 1.

Excōmunicatus, & Interdictus quomodo æquiparentur quo ad Sepulturam, num. 2. & 5.

Turrecremata sententia, quæ contra nos videtur, affertur, num. 4.

Ecclesia per sepulturam personaliter, & nominatim Interdicti non polluitur, num. 4.

Sepelientes Interdictum prædictum in Ecclesia, cur mortaliter peccent, num. 5.

Iura loquentia de Excommunicatis non sunt extendenda ad alijs Censuris irretitos. ibid.

Excommunicatio grauior Censura est, & plures habet effectus, quam Interdictum. ibid.

1 ADuerto 1. licet *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. cap. 2. num. 12.* quæstionem hanc antiquis vel incognitam, vel intactam fuisse putet, ac proinde ab eodem nouiter mota videatur, ità vt sibi non occurrisse, dum *tom. 5. disp. 35. sect. 3.* de hoc effectu Interdicti egit, ipsemet *Suar. l. c.* ingenue fateatur; tamen ab antiquis etiam bene perspectam fuisse, vt videre est apud *Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. conclus. 6.*

2 Aduerto 2. rationem dubitādi inde ortam videri, quia persona Excommunicata, & persona personaliter, ac nominatim Interdicta quo ad Sepulturæ effectum æquiparantur in Iure, & paria iudicantur iuxta *Gloss. in Cap. 1. Verb. Obseruari, de Sentent. Excommunicat. in 6. per illum textum, & alia, quæ allegat,* ideoq. idem etiam quo ad pollutionem eius loci,

loci, in quo sepeliantur, dicendum esse videtur. Immo

3 Aduerto 3. *Turrecrematam* aliquibus videri pro sententia affirmante, cum enim in *Can. Nullus*, 1. *q.* 2. numerasset quindecim casus, in quibus alicui prohibetur sepeliri in Ecclesia, subiunxit in illis omnibus cadauer exhumandum esse iuxta *d. Cap. Consuluisti, de Consecrat. Eccles.* in quo cœmeteria ob Excommunicatorum sepulturam reconcilianda esse statutum est. Verum, his non obstantibus;

4 Dico Ecclesiam per sepulturam personaliter, & nominatim Interdicti non pollui. Ratio vnica, sed potissima omnium est, quia id nullo iure expressum est; pollutio autem prædicta, cum sit quasi pæna, vt alibi sæpius dictum est, ipso iure inflicta, locum non habet, nisi in casu expresso: vnde, cum Iura de Interdicti sepultura non dicant, nec nos dicere debemus, ne pænæ, quæ coarctandæ sunt, hic extendantur. & hoc supponere videntur DD. qui, dum actiones Ecclesiæ pollutiuas assignant, Excommunicatorum sepulturam nominarunt; sed nullam de Interdictorum sepultura mentionem fecerunt: si enim aliter eorum quisquam sensisset, valde probabile est, inquit *Suarez ibidem*, eorum aliquem idipsum traditurum, vel insinuaturū fuisse. prædictam ergo conclusionem nostrā expresse tenent *Palud, & Suar. ll. cc. Laym. l.5.tr.5.c.5.num.8. Sayr.de Censur.l.5.c.16.nu. 22. in fin. Vgolin. de offic. & Potest. Episc.c.29. §. in fin. Persic.de 1. Sacerdot. Offic. p.1.l.1.c.7. dub.7.nu.68. Iordan. Elucubr.tom.1.l.5.tit.12. num.131. Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles.c.2.dub.11.sect.5.num.4. & vterq. Lugo, Cardinalis scilicet de Euchar. disp.20.sect.2.nu. 56. & Franciscus de Sacram. p.1.l.5.c.6.q.10. num. 66. in fine.*

5 Colligo, quamuis peccent mortaliter, qui prædictum Interdictum sepeliunt in Ecclesia, quia id expresse est contra præceptum Bonifacij VIII. *in Cap. Is, cui, de sent. Excommun. in 6.* nihilominus ab ijs Ecclesiam ipsam non pollui, quia prædictus Interdictus non est Excommunicatus, & Iura loquentia in pænalibus de Excommunicatis extendi non debent ad alijs Censuris irretitos. *Cap. Odia restringi, reg.15. de reg. iur. in 6. Gloss. in Clem.1. de consanguin. Gloss. in Cap. fin. de iur. patr.* cum vulgar. vnde ad rationem dubitandi, & ad modum loquendi *Turrecremata* Respondetur Excommunicatorum, & Interdictorum sepulturas æquiparari in hoc, quod eorum cadauera, vt potè præcisorum ab Ecclesia, exhumanda sunt, si ab alijs discerni queant; non autem quo ad omnes alios effectus, ac proinde non quo ad loci sacri pollutionem inducendam, cum hoc nullibi postuletur in Iure, & tanto minus, quanto grauior Censura est Excommunicatio, quam Interdictum, vt proinde nil mirum, si plures effectus habeat illa, quam istud.

CAPVT XI.

An Ecclesia per cuiuscumque vel rei, vel personæ Excommunicatæ sepulturam polluatur.

SVMMARIVM.

Animalia irrationalia, vt brucus, locusta, & similia: immo etiam res inanimatæ aliquando Excommunicari dicuntur, & Anathematizari, num. 1.

Excommunicationis, seu Anathematizationis prædictæ mirabiles effectus nonnunquam visi sunt. ibidem.

Prædicta quo in sensu Excommunicari, & Anathematizari possint. ibidem.

Sententiæ, seu opiniones, & hæreses quomodo Anathematizari dicantur. ibidem.

Excommunicationis, seu Anathematizationis verba dicere contra aliquid rationis expers cum intentione ferendi Excommunicationis sententiam superstitiosum esset. ibid.

Per prædictorum Excommunicatorum sepulturam loca sacra non pollui apertissimum est. ibidem.

Si exanime hominis corpus Excommunicaretur, cur per talis corporis sepulturam Ecclesia non pollueretur, num. 2.

Cur nec anima separata à corpore, nec corpus separatum ab anima Excommunicationis capax sit. ibidem.

Ante mortem Excommunicatus potest post mortem denunciari Excommunicatus. ibidem.

Per prædicti sic declarati Excommunicati sepulturam Ecclesia pollueretur. ibid.

Nemo post mortem Excommunicatione ligari potest; etiamsi ante mortem Excommunicari meruerit. ibidem.

Excommunicationem non incurrit, nisi qui eius capax sit non solum in tempore, in quo dedit causam delicti, ob quod censura incurritur; sed maximè in eo, in quo delictum consummatur. ibidem.

Textus, & Exempla, quæ mortuos Excommunicari posse concludunt, quo pacto accipi debeant. ibid.

Absq-

Absq. culpa nemo capax est Excommunicationis. ibid.

Nec ante adultam quis ætatem, nec qui perpetuo amens fuit, Excommunicatione ligari potest. ibidem.

Iura loquentia de censuris impuberum quomodo intelligenda sint. ibid.

Quandonam etiam ebrius, vel amens tam à iure, quam ab homine Excommunicari queat. ibid.

Qui non est subditus eius, à quo Excommunicatio fertur, Excommunicari nequit, num. 3.

Summus Pontifex sicut cunctis hominibus, ita etiam & iuri praeest, & nec ab homine, nec à iure Excommunicari potest. ibid.

Probabile est, subditum Episcopi in aliena diœcesi existentem censuris præcepto siue generali, siue speciali sui Episcopi annexis alligari non posse. ibid.

Ecclesia non habet iurisdictionem directam super non baptizatos; ibid.

Ratio dubitandi de Catechumeno, num Excommunicationis capax, vel incapax sit. ibid.

Catechumenos Excommunicari posse quinam docuerint; ibid.

Fides, vel sanctitas sine baptismo non confert Ecclesiæ iurisdictionem in aliquem. ibid.

Ecclesia per sepulturam Catechumeni Excommunicati non polluitur, num. 4.

Seipsum quis neq. per sententiam, neq. per statutum cur Excommunicare nequeat. ibidem.

Excommunicationis nomen in Can. Facilius, de Pœnitentia dist. 1. *quid significet. ibid.*

Sensus Can. Nunc autem, dist. 27. *exponitur. ibidem.*

Etiamsi cadauer Excommunicati, & post sepelitionem denunciati statim post denunciationem prædictam extra Ecclesiam proijciatur; cur nihilominus Ecclesia ipsa inde polluta videatur, num. 5.

1 ADuerto 1. licet tum animalia irrationalia, vt brucus, locustæ, & similia insecta agros deuastantia, tum etiam inanimata ipsa, vt arbores, panis, & huiusmodi alia, aliquando Excommunicari, & Anathematizari dicantur, nec non aliquando mirabiles inde talis Excommunicationis, & Anathematizationis effectus apparuerint, vt videre est apud *Surium in Vita S. Vuolstani 15. Ianuar. Mar. Sucin. in Cap. Sacris, num. 34. de sent. Excomm. Ludouicum Granatens. 2. p. Catech. c. 27. §. 7. Petrum Ribadeneir. de Princip. Christian. l. 1. c. 34.* & *Antonium Dauroult. in Florib. Exemplar. tom. 1. p. 1. c. 1. tit. 60.* nihilominus tunc Excommunicationis, & Anathematizationis nomina accipi tantum pro actu Execrandi, Imprecandi, Detestandi, Maledicendi, & Separandi à nobis rem illam, quæ Excommunicatur, vel Anathematizatur, tanquam nociuam, & execrabilem; quo in sensu etiam sententiæ, vel opiniones, aut hæreses ipsæ, etiam ab ipsis hæreticis, cum errores suos abiurant, Anathematizari dicuntur; quamuis nec hæretici ipsi Excommunicationis censuram ferre, nec hæreses ipsæ Excommunicationis censura feriri queant: immo prædicta verba Excommunicationis, seu Anathematizationis dicere cum intentione ferendi contrà prædicta rationis expertia Censuram Excommunicationis, illicitum, & superstitiosum esset, vt bene dixit *Nauar. in Sum. c. 27. num. 13. Suar. de Censur. disp. 5. sect. 1. num. 2. & cæteri passim*, cum proprie, & in rigore loquendo, prout hic Excommunicatorum nomen accipi debet, solus homo Excommunicari possit, quia hic solus culpæ, & emendationis capax est, ideoque per prædictorum ratione carentium, & improprie tantum Excommunicatorum sepulturam loca sacra pollui non posse apertissimum est.

2 Aduerto 2. quod mox dicebamus de inanimatis, vel irrationalibus animantibus, idipsum etiam dicendum esse de corpore ipso examini hominis, nam, si post mortem hominis cadauer illius quauis ex causa Excommunicaretur, & Anathematizaretur, & propterea etiam in loco sacro sepeliri prohiberetur; adhuc per talis corporis sepulturam locus sacer nequaquam pollueretur, quia nequaquam corpus illud esset tunc vere, & proprie Excommunicatum, cum nec anima separata à corpore, nec corpus separatum ab anima proprie Excommunicationis capacia sint; non illa, quia est extra forum Ecclesiæ militantis; non istud, quia emendari non potest, qui est proprius Ecclesiasticæ censuræ finis. Immo hinc patet posse quidem, qui ante mortem Excommunicationis censura ligatus fuit, post mortem declarari Excommunicatum, ac proinde, prout tunc potest, vitandum (tunc autem per talis Excommunicati sic, i. post mortem, declarati, & denunciati sepulturam vere Ecclesia pollueretur) sed, qui ante mortem Excommunicationis censura vere ligatus non fuit, neque post mortem ligari posse; etiamsi is ante mortem talia perpetrasset, ob quæ Excommunicationis pœnam meruisset, vt si Clericũ occidi mandasset; sed ante mandati executionem obijsset: Excommunicationis enim censura non nisi ab eo incurri potest, qui non solum in eo tempore, in quo dedit causam delicti, ob quod censura incurritur; sed maxime

xime in eo, in quo effectus consummatur, Excommunicationis capax sit, qualis non est homo post mortem, vt cum communi docet *Nauar. in summa c.27.num.13. & c.28.nu.32. Conar. in Cap. Alma, n.p.6.11.num.8. Suar. de Censur. disp.5.sect.1. Auil.2.p. de censur. cap.4. disp.vnic.dub.8.concl.2. Laym.tr.5.p.1.c.4.n.22 Castropal. de Censur. disp. 1. punct.7. nu.1. vers. Tertio, & c. & Pueron. in Bull. cau. cap.1. n.8. in fin.* aduersus *Richard. Gabriel. & Vgolin.* vnde textus, & exempla, quæ afferri solent de Excommunicatis post mortem, intelligi debent vel de Excommunicatione, seu Anathematizatione tantum indirecta, præcipiendo scilicet Fidelibus, vt abstinerent ab Ecclesiastica eorum sepultura, & c. vel de Excommunicatione, seu Anathematizatione impropria modo superius explicato, vel deniq. de Excommunicationis, & Anathematizationis ipsius ante mortem incursæ declaratoria sententia, seu publicatione, & denunciatione, prout iam innuimus, quorum nihil contra nos est. Licet autem nemo absque culpa capax Excommunicationis esse possit, ac proinde nemo ante adultam ætatem, nec aliquis, qui semper rationis vsu caruerit, Excommunicatione ligari queat (iura enim de censuris impuberum loquentia, qualia sunt *Cap. primum, & vlt. de sent. Excommunicat.* intelligenda sunt de impuberibus doli capacibus, & cum rationis vsum habentibus, qui ad mortaliter peccandum sufficiat) tamen, siquis sui compos efficacem causam Excommunicationi contrahendę dedisset, & tempore, quo Excommunicatione ligandus erat, in ebrietatem, vel amentiam, etiam perpetuam incidisset, puto eum sine dubio Excommunicatione tàm à iure, quàm ab homine valide ligari posse; vsus enim rationis, & libera voluntas ad causam Excommunicationis apponendam, non autem ad Excommunicationem incurrendam requiritur, vti bene dixit *Suar. l.c. num. 20. cum Laym. & Castropal. vbi supra*, is autem alioqoin est homo viator, & capax aliquorum Sacramentorum, & consequenter inde etiam valde differt ab homine mortuo, vt mirum non sit, si diuersimode de illo, ac de isto sentiendum sit.

3 Aduerto 3. cum Excommunicari nemo queat, qui non sit subditus eius, à quo Excommunicatio fertur, par enim in parem non habet imperium, & ob id Summus Pontifex censuris alligari non possit neque ab homine, neque à iure, quia neminem in terris superiorem habet, qui cunctis est superior, & licet secundum Canonem viuere debeat, tamen, sicut cunctis hominibus, ità etiam & iuri præest; immo, cum subditus ipse, v. g. Episcopi, in aliena diœcesi, ideoq. extra Excommunicantis territorium existens, & delinquens eiusdem præcepto siue generali, siue speciali sui Episcopi annexis alligari nequeat, iuxta probabilem sententiam, vt videre est apud *Escobar Theol. Moral. tom. 1. lib. 9. sect. 1. c.11. problem. 5. num.142. & 143. & Basseum in Flor. Theol. V. Excommunicatio 2. nu. 12. vbi citat Salas, Conar. Coninch. & Diaft.* idcircò hic peculiarem quoque dubitandi rationem videri de Catechumeno, num scilicet valide Excommunicari queat, & si Excommunicaretur, & publice vitandus declararetur, num consequenter per illius sepulturam Ecclesia pollueretur: ratio autem dubitandi est, quia ex vna parte Ecclesia non habet iurisdictionem directam super non baptizatos, de his enim, quæ foris sunt, nihil ad nos, teste *Paul. 1. ad Cor. 5. & Cap. Gaudemus, de diuort.* vnde, cum Catechumenus nondum baptizatus sit, Ecclesiæ iurisdictioni nondum subest, & proinde videtur Excommunicationis incapax, vt expresse docent cōmuniter DD. apud *Escobar l. c. sect. 1. c. 5. num. 93.* ex altera vero parte, cum Catechumenus non censeatur infidelis; sed fidelis, & baptismo flaminis baptizatus præsumatur, per illius sepulturam Ecclesiam nō pollui multorum est sententia, qua de re inferius singillatim agemus, & Catechumenum Excommunicari etiam posse tradidit *Archidiac. in Can. Eos, de consecrat. dist. 4.* & nonnulli alij apud *Suar. de Censur. disp. 5. sect. 1. num. 25. in fin.* Verum, quia fides, vel sanctitas sine baptismo non confert iurisdictionem, vt bene idem *Suar. ibidem* aduertit.

4 Dico Ecclesiam per sepulturam Catechumeni Excommunicati non pollui, quia vere, & valide Catechumenus censuræ capax non est. nec obstat, quod neque is Infidelis censeatur, ac proinde neque per eius sepulturam locus sacer polluatur, hoc enim nullam arguit Ecclesiæ iurisdictionem in Catechumenum, vt bene consideranti patebit; ferre autem in Catechumenum censuras iurisdictionem infert, quam ex dictis Ecclesia in Catechumenum non habet. Quare, licet Ecclesia possit fauores suos extendere etiam ad non subditos; non tamen proprie, & directe eos pœnis punire potest, cum necessaria ad id iurisdictione careat, vt dictum est. immo ob eandem rationem neque potest quis se ipsum Excommunicare, neque per sententiam, neq. per statutum proprium, etiamsi à Romano Pontifice statutum illud confirmatū sit, dummodo illud ipsum Pontifex suum non faciat,

vt

& dixit Ugolin. de Censur. tab. 1. c. 13. §. 8. num. 4. & ante illum Graff. dec. 1. aur. l. 4. c. 8. nu. 42. nemo enim proprie sibi ipsi est subiectus, nec proinde se ipso superior, quorum vtrumque ad veram, & validam iurisdictionem exercendam omnino necessarium est: ideoque nomen Excommunicationis in Can. Facilius, de poenit. dist. 1. vbi habetur, quod facilius Deum sibi placabunt, qui in se ipsi voluntariæ Excommunicationis sententiam ferunt, idem significat ac se ab altari remouere, vt ibidem subiungitur; non autem Ecclesiastica censura afficere, & Synodus ex Can. Nunc autem dist. 27. à Marcellino Pontifice, qui Idolis sacrificarat, non petebat, vt suo se ore iudicaret, & condemnaret iudicialiter, & per sententiam, quod ille facere non poterat; sed, vt sponte renunciando, quod facere poterat, se Pontificatu abdicaret, & propterea, quamuis se ipsum quis quomodocumque Excommunicasset, & Excommunicatum publice denunciasset, non ob id tamen per eiusdem sepulturam pollueretur Ecclesia, quia is vere nequaquam Excommunicatus esset, vt abunde patet ex prædictis.

5 Colligo, si quis, postquam sepultus fuit in loco sacro, denuncietur Excommunicatus; licet statim is post prædictam denunciationem exhumetur, & extra locum sacrum proijciatur, nihilominus prædictum locum sacrum pollutum inde videri, si in eo cadauer iacuit post denunciationem, quia tunc verum est dicere in tali loco sacro sepultum iacuisse cadauer Excommunicati denunciati, quod ad illum inde polluendum sufficit, licet inculpabiliter id acciderit, cum ad Ecclesiæ pollutionem per sepulturam Excommunicati, vel Infidelis non requiratur culpa, prout in alijs de pollutionis casibus iuxta alibi dicta, & dicenda omnino requiritur.

CAPVT XII.

An Ecclesia per sepulturam iniuste Excommunicati polluatur.

SVMMARIVM.

Excommunicatio iniusta alia inualida, alia valida est, & quandonam talis sit, num. 1.

Per sepulturam iniuste, sed valide, Excommunicati sine dubio polluitur Ecclesia, num. 2.

Idem dico de valide Excommunicato, & valide, sed iniuste, declarato, ibid.

Cur non polluatur Ecclesia per Sepulturam valide Excommunicati, & inualide declarati, ibidem.

Inualide Excommunicatus tripliciter aliquis dici potest ab Iudice, num. 3.

Per sepulturam inualide in vtroque foro interno, & externo Excommunicati non polluitur Ecclesia, ibid.

Nec per sepulturam inualide in foro tantum externo Excommunicati, ibid.

Etiamsi culpa Excommunicatione digna notus esset Iudici, tanquam priuato homini; sed non iuridice tanquam Iudici, ibid.

Vnde nam aliquando oritur obligatio seruandi in foro externo Excommunicationem in foro interno inualidam, ibid.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati valide secundum allegata, & probata; sed inualide in foro interno, num. 4.

Excommunicatio, siue iusta, siue iniusta sit, timenda est; sed multipliciter id exponitur, num. 5.

Ecclesia posset statuere, vt Excommunicatio contra Fideles in conscientia innocentes, sed in iudicio probatos nocentes, priuaret eos ijs Ecclesiæ bonis, quibus priuat valide in vtroque foro Excommunicatos; at id nec expediens, nec factum videtur, ibid.

1 ADuerto 1. cum ad Excommunicationem aliqua essentialiter, aliqua vero accidentaliter tantum requirantur, inde fieri, vt ex illorum defectu Excommunicatio fiat iniusta, & inualida; ex istorum autem iniusta, sed valida, vnde consequenter constat Excommunicationem Iniustam aliam esse validam, aliam inualidam; ac proinde etiam ex iniuste Excommunicatis alios dici posse valide, alios inualide Excommunicatos, vt satis ex se notum est.

2 Aduerto 2. de iniuste, sed valide Excommunicatis dubium non esse, quin per eorum sepulturam polluatur locus sacer, in quo sepulti fuerint: si enim valida est Excommunicatio, vt supponitur, validi etiam supponendi sunt illius effectus, & consequenter valida loci sacri pollutio, quæ ad Excommunicationem validam consequitur. idemque dico de sententia Excommunicationis incursæ declaratoria accidentaliter tantum iniusta, ac proinde valida. Non pollueretur tamen locus sacer per sepulturam valide Excommunicati, sed essentialiter iniuste, ac proinde inualide (v. g. sine monitione) declarati Excommunicati, quia talis Excommunicatus non esset vitandus, nec consequenter esset ex ijs, qui polluunt Ecclesiam ex superius dictis: licet enim valeret censura quo ad effectus in-

dependentes à declaratoria, non tamen quo ad dependentes ab ista, quia etiam ista nulla esset, ut bene docuit *Filliuc. tr. 11. c. 8. num. 230.*

3 Aduerto 3. cum generaliter loquendo tripliciter aliquis ab homine dici possit inualide Excommunicatus: primò in foro tantum conscientiæ, v. g. eo quod re ipsa innocens; sed in iudicio legitime, sed falso reus probatus, Excommunicatus fuerit; secundò in foro tantum iudiciali, v. g. eo quod non legitime in eo probata fuerat culpa alioquin vera Excommunicati: tertio autem in utroque foro simul interno & externo, v. g. eo quod nec in Excommunicato vera culpa, nec legitima probatio in iudicio adfuerint, dubium hic nullum esse potest de inualide Excommunicatis tertio modo, quia hi nec vere, nec validè, nec in interno, nec in externo foro sunt Excommunicati; & proinde per illorum sepulturam Ecclesiam non pollui indubitatum omnino est: Idemque dico de inualide Excommunicatis secundo modo, quia sola culpa digna Excommunicatione non facit quemquam Excommunicatum, nisi autem ea culpa in foro externo probetur, semper occulta dicitur, & cum Ecclesia non iudicet de occultis, inualide quis à Iudice ob illam Excommunicatur ex defectu ordinis iuridici essentialis; licet ea culpa nota esset Iudici, tanquam homini priuato, sed non ut Iudici, tanquam Iudici, ut ex *Can. Ecum aliqui 6. q. 2. ex Glossa, & DD. in Cap. Sacro, de sent. Excommunicat.* apertum est. Unde tantum de inualide Excommunicatis primo modo dubium superesse uidetur, in quo Canonistæ communiter docent Excommunicationem ex causa in foro conscientiæ falsa, sed secundũ allegata, & probata apparenter vera, validam esse pro utroque foro, ut patet ex allegatis à *Sayrode Censur. l. 1. c. 17. num. 7. Menoch. de Arbitr. cas. 542. num. 1. & Thesaur. de Pœn. Ecclesiast. p. 1. verb. differ. 5. & Bassaeo in Flor. Theol. §. Excommunicatio. num. 9.* sed Theologi communiter, & probabilius asserunt taliter Excommunicatum non esse vere, & valide Excommunicatum, & dicunt taliter Excommunicatum teneri quidem in foro exteriori ad apparentis prædicta Excommunicationis apparentem obseruantiam, non ex vi censuræ, quæ, cum nulla sit, nullum proinde præstare impedimentum potest; sed ex vi iuris ipsius naturalis obligantis ad vitandum scandalum, & ne potestatis Ecclesiasticæ contemptor videatur, cum in foro externo prædicta Excommunicatio valida præsumatur, donec eiusdem nullitas in eodem manifestetur, ut egregie videre est apud *Castropal. tr. 5. Censur. disput. 1. punct. 8. num. 6. & Io. Martam de Castilione in Polyanth. Seraph. V. Censura diffic. 39.* qui plurimos alios ibi referunt. Quare

4 Dico per sepulturam cuiuslibet saltem in foro conscientiæ inualide Excommunicati vere Ecclesiam non pollui; sed pollutam tantum præsumi in foro externo, quando ille, eo valide Excommunicatus, & vitandus præsumitur, qui ibi sepultus fuit, & quousque vera Excommunicationis nullitas etiam in foro externo innotescat, patet apertè ex prædictis, quia ob prædictam Excommunicationem apparentem tantum; & non veram non priuatur quis, nisi in foro externo ob prædictam causam scandali, & contemptus, communione fidelium, & consequenter nec per illius sepulturam Ecclesia polluitur, cum non polluatur nisi per sepulturam Excommunicati vere vitandi, ut supra vidimus.

5 Colligo dictum illud *Gregorij homil. 26. in Euang.* relatum à *Gratiano Can. 1. & Can. Non solum 11. quæst. 3.* scilicet *Sententia Pastoris, seu iusta, seu iniusta sit, timenda est,* nihil obstare superius dictis; vere enim talis sententia timenda est vel in interno, vel in externo foro, prout iam diximus: *vel intelligi potest* de sententia accidentaliter tantum iniusta, & consequenter valida; & vere timenda: vel certe timenda est, quatenus non est contemnenda, nec violanda cum scandalo; unde *Gratian. l. c.* bene obseruat D. Gregorium non dixisse *Seruanda*, sed *timenda*: vel deniq. timenda est, sed cum iusta ab Excommunicato, iniusta autem ab Excommunicante: si enim iusta est, ut Excommunicato, si vero iniusta, ut Excommunicanti, ut ingeniosè docuit *Caramuel in Theol. Fundamental. fundam. 66. §. 1. num. 1304.* & quamuis posset Ecclesia Fideles etiam innocentes, sed in iudicio probatos nocentes, priuare suis ijs bonis, quibus priuat valide Excommunicatos, si id ad suam auctoritatem tuendam necessarium esset, vel expediret; hæc tamen priuatio nec necessaria, nec expediens fuit, quia satis eius auctoritati prouideri videtur per obligationem prædictam ortam ex iure naturali, seruando scilicet censuram in facie Ecclesiæ, & coram scientibus Excommunicationem, & nescientibus Excommunicati innocentiam, seu Excommunicationis nullitatem, unde id factum ab Ecclesia fuisse putandum non est, neque constat.

CAPVT

CAPVT XIII.

An per sepulturam illius, de cuius valida, vel inualida Excommunicatione dubitatur, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius solutio etiam ex capite vltimo primæ disputationis erui potest, num. 1.

In dubio, an quis incurrerit Excommunicationem, is præsumendus est non Excommunicatus, num. 2.

In dubio, an quis egressus sit Excommunicatione, is præsumendus est adhuc Excommunicatus, ibid.

Quænam reducantur ad primum, & quænam ad secundum ex prædictis dubijs, num. 3.

Ecclesia per sepulturam eius, de cuius Excommunicatione valida, vel inualida dubitatur, quandonam polluta, vel non polluta præsumi debeat, num. 4.

Quid in probabili vtrinque opinione dicendum sit tum in foro Ecclesiæ, tum in occulto, num. 5.

Et 6.

In casu, quo quis potest se iudicare non Excommunicatum, potest etiam iudicare alium non Excommunicatum, ibid.

Quid si opinio contra Iudicis sententiam, & consequenter contra Excommunicationis valorem, sit manifeste probabilior, ibid.

Ecclesia præsumptione polluta, præsumptionis falsitate patefacta, cessat esse polluta absque reconciliatione, quia non erat vere polluta, num. 6.

1 ADuerto 1. licet ex iam dictis disp. 1. cap. vlt. huic etiam dubio respondere facile quis possit, cum etiam hic standum omnino sit pro parte possidente, cuius conditio potior semper est, prout ibi dicebamus; nihilominus ad clariorem difficultatis huius explicationem singillatim de ea nonnihil addendum esse, quod magis huiusce loci proprium videtur. Vnde

2 Aduerto 2. difficultatem hanc reduci ad hæc duo dubia, nimirum ad dubium, an quis incurrerit Excommunicationem, in quo is præsumendus est non Excommunicatus, & ad dubium, an quis egressus sit Excommunicatione, in quo is præsumendus est adhuc Excommunicatus, vt bene aduertit, & expresse docuit Caramuel in Theol. Moral. l. 3. de conscient. dictam: cap. 1. disput. 1. corollar. 33. num. 1875. in primo enim dubio possessio stat pro libertate, & immunitate ab Excommunicationis ligamine; in secundo vero dubio possessio stat pro Excommunicatione ipsa, de qua constat, & egressio ex illa est incerta. & vt rem vlteriori etiam distinctione aperiamus.

3 Aduerto 3. cum quilibet fidelis possideat ius ad communicandum cum alijs fidelibus etiam in Diuinis, nec tali iure priuandus sit ob dubiam Excommunicationem, cumque proinde nemo nec iu dubio iuris, nec facti, nec in interno, nec in externo foro censeri debeat Excommunicatus, si præmissa debita inquisitione veritas haberi nequeat certitudo de Excommunicationis incursu, idcirco si dubium sit, an Iudex tulerit Excommunicationis sententiam, vel an impleta sit conditio, sub qua lata fuit, vel an verba contineant sententiam latam, vel ferendam, vel an Prælatus, qui non est in possessione censuras ferendi, habeat potestatem illas ferendi, vel an fuerit clericus, quem percussisti, vel an feceris talem actionem, cui annexa est Excommunicatio, standum esse contra Excommunicationem; si vero dubium sit, an Excommunicatio lata fuerit cum intentione ligandi, an solum terrendi, vel an fueris absolutus ab illa, vel an Iudex ligandi potestatem habeat, quando is est in possessione ligandi, vel an lata sit ex sufficiente causa, & seruato essentiali iuris ordine, vel an ante Excommunicationem latam præcesserit appellatio, standum esse pro Excommunicatione, cuius certa possessio præualet excusationibus prædictis dubijs, & Excommunicationis latæ valor præsumitur, dum oppositum non constat. ita Sanch. in Decal. l. 1. c. 10. num. 36. Baldell. in Theol. Moral. tom. 1. l. 4. disput. 9. num. 2. Meroll. tom. 1. disput. 3. c. 3. dub. 2. coroll. 17. num. 200. Caramuel l. 4. Bardi de Conscientia disc. 6. c. 7. §. 1. Castropal. de Censur. disp. 1. punct. 8. num. 8. Franc. de Lugo in Decursu præm. p. 1. c. 2. quæst. 28. Leonardi Opuscul. Moral. 1. c. 3. num. 13. & alij plures apud prædictos, quibus prehabitis,

4 Dico: Ecclesiam per sepulturam eius, de cuius Excommunicatione valida, vel inualida dubitatur, præsumendam esse pollutam, quando standum est pro Excommunicatione, non pollutam vero, quando standum est contra illam, iuxta mox allatam doctrinam: pollutio enim Ecclesiæ consequitur ipsam Excommunicationem valide latam, & denunciatam; & non ponitur, si Excommunicatio

catio

catio ipsa, vel eius denunciatio inualide ponantur, vt ex prædictis abunde patet.

5 Dices, vnusquisque potest operari iuxta probabilem suam opinionem; ergo saltem quando probabilis erit opinio, quod sepulti Excommunicatio fuerit inualida, poterit etiam Ecclesia per illius sepulturam censeri non polluta, licet Iudex eum iuxta aliam probabilem opinionem Excommunicauerit, & Excommunicatum denunciauerit, &c.

6 Respondeo negando consequentiam, non solum enim in dubio proprio, & suspendente vtrinque assensum probabilem, sed etiam in dubio admittente vtrinque probabilitatem reus debet stare pro Iudicis sententia, saltem in foro Ecclesiæ, & in pari probabilitate, semper enim pro Superioris sententia præsumendum est, nisi contrarium constet, vt communiter DD. asserunt, alioqui Superiores nunquam, nisi ex certa, & euidenti cognitione, aliquid præcipere, & ad id faciendum subditos obligare possent, ex quo multa incommoda communi bono sequerentur, vt bene monuit *Suar. de Censur. disput.* 4. *sect.* 4. *num.* 5. dixi, *saltem in foro Ecclesiæ*, quia in occulto, si pro se subditus habet probabilem opinionem, *Bordonus tom.* 1. *resolut.* 78 *num.* 198. putat eum posse non seruare sententiam, quia sic prudenter agendo non peccat coram Deo: eo autem casu, quo quis potest se iudicare non Excommunicatum, potest etiam iudicare alium non Excommunicatum, teste eodem *Caramuel ibid.* §. *Quarto*. dixi, *& in pari probabilitate*, quia, si probabilius manifeste sit Excommunicationem fuisse inualidam, & nullam, nulla etiam probabiliter erit Ecclesiæ pollutio per taliter Excommunicati sepulturam, vt post *Suar. l. c.* tenuit *Bonacina de Censur. in commun. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 11. tunc enim præsumptio pro Iudicis sententia compensatur maiori alterius partis probabilitate, vnde tunc vtraque pars æque probabilis reputatur, idemque dicendum videtur in dubio, etiam probabili, de valida, vel inualida Excommunicationis latæ denunciatione iuridice facta.

7 Collige, cum in rei veritate Ecclesia non polluatur per Excommunicati sepulturam, nisi sepultus vere Excommunicatus fuerit, propterea, si antequam Ecclesia præsumptiue polluta reconcilietur, sepultum non fuisse re vera Excommunicatum constiterit, talem Ecclesiam non indigere amplius reconciliatione, quia polluta reipsa non fuit. Vnde propter hanc eandem rationem bene *Diana p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 29. asserit Excommunicationis pænas vere non incurri, nisi in rei veritate, & non præsumptiue tantum, ea valida fuerit; licet ex incurri præsumantur.

CAPVT XIV.

An per sepulturam Excommunicati, qui appellauerat, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Dubium hic esse potest de appellatione vel ab Excommunicationis sententia; vel ab Excommunicationis incursæ declaratoria, nu. 1.

A sententia Excommunicationis à iure, vel à statuto lata dari nequit appellatio, ibid.

Appellatio post Excommunicationis sententiam latam, & seu à principio, seu conditionis impletione absolutam, etiam intra legitimum decendium facta cur non impediat Excommunicationis incursionem, num. 2.

Appellatio prædicta deuoluit causam ad Superiorem Iudicem, ad quem facta est. ibidem.

Appellatio quænam impediat Excommunicationis incursionem, ibid.

Appellatio à sententia declaratoria incursæ Excommunicationis cur liceat etiam quo ad effectum suspensiuum, saltem in his, quæ non sunt notoria, num. 3.

Quod dictum est de Appellatione, dicendum etiam de Recusatione Iudicis. ibid.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati, qui appellauit appellatione suspendente Excommunicationis, vel prædictæ declaratoriæ effectum, num. 4.

Polluitur vero, si appellatio prædictum effectum non suspendat. ibid.

Post legitimam appellationem à declaratoria criminis, vel incursæ Excommunicationis non potest fieri denunciatio, & cedulones, si affixi sint, remouendi, num. 5.

Quid si Excommunicatus appellasset tantum ab ipsa denunciatione facta?

1 ADuerto 1. cum dubium hic esse possit de appellatione vel ab Excommunicationis sententia, vel ab Excommunicationis incursæ declaratoria, cumque à sententia Excommunicationis à iure, vel à statuto latæ dari nequeat appellatio, ex *L. Sique pæna*, *ff. de verb. signif. Cap. Quia nos de Appellat. Gloss. in Cap. Cupientes*, §. *Quod si*, *Verb. priuatis*, *de elect. in* 6. *Felin. in Cap. Rodulphus*,

de

de rescript. Barbos. in d. Cap. Quia nos, & Thesaur. de Pœnis Ecclesiast. p. 1. verb. 5. §. Tertio, propterea sermonem hic esse posse tantum de appellatione ab Excommunicatione ab homine lata, vel certe de Excommunicationis denunciatione, de quibus mox agemus.

2 Aduerto 2. quia Excommunicatio lata secum trahit executionem, vt dicitur *Cap. Pastoralis, 53. de appellat.* ac proinde statim lata incurritur, seu executioni mandatur, idcircò per appellationem, quæ fiat post sententiam Excommunicationis latam, & siue à principio, siue impletione conditionis absolutam (quamuis fiat intra ipsos decem dies iure præscriptos) non impediri Excommunicationis incursionem, licet tunc deuoluatur causa ad Iudicem superiorem, ad quem appellatur. vnde Excommunicationis incursio tunc tantum impeditur per appellationem, quando hæc legitimè verbis, vel facto fit ante Excommunicationis sententiam siue à sui principio, siue postea conditionis (sub qua forte lata sit) impletione absolutam, vt patet ex *Cap. Licet, 14. de sent. Excommunic. in 6.* & DD. passim: cum enim in Iudice post prædictam appellationem iurisdictio impediatur, suspendatur, siue dormiter, etiamsi postea appellatio deseratur, inde fit, vt Iudex, à quo appellatum est, nequeat amplius valide Excommunicationis sententiam ferre, nec perfici possit sententia, quæ iam sub conditione ab eo lata fuisset; nisi forte Iudici concessum esset, vt, non obstante appellatione, in causa procederet.

3 Aduerto 3. quandoquidem appellatio semper est permissa, etiam quo ad verum suspensiuum effectum, vbi prohibita non apparet, propterea, licet prohibita sit appellatio à sententia lata Excommunicationis quo ad effectum suspensiuum, tamen nullibi prohiberi appellationem à sententia declarationis, & denunciationis, & consequenter licere etiam quo ad effectum suspensiuum, saltem in his, quæ non sunt notoria, vt constat ex *Glossa* communiter recepta *in Cap. Cupientes, §. Quod si per viginti, Verb. priuatos, de elect. in 6.* & innumeris DD. apud *Barbos. in Cap. Peruenit, 13. de appellat. Antonell. de regim. Eccles. Episcop. l. 8. c. 5. nu. 15. Cardinal. de Lugo Respons. Moral. l. 2. dub. 6, Dian. p. 5. tr. 9. resol. 30. Bassæum in Flor. Theol. V. Appellatio, num. 6. Escobar in Theol. Moral. tom. 1. l. 3. sect. 1. c. 8. n. 96.* cum quibus etiam dico, quod de appellatione dictum est, asserendum etiam esse de recusatione Iudicis, quia eadem omnino ratio militat. Hinc

4 Dico per sepulturam Excommunicati, qui legitimè appellauerat modo prædicto, appellatione suspendente vel Excommunicationis, vel declarationis sententiam, non pollui Ecclesiam; quia talis Excommunicatus, qui sic appellauit, vel non est verè Excommunicatus, vel non est valide declaratus Excommunicatus, ac proinde non est vitandus; pollui vero Ecclesiam per sepulturam Excommunicati, qui appellauerat appellatione vel inualida, vel certe non habente effectum suspensiuum alterius ex prædictis sententijs, quia adhuc talis Excommunicatus remanet, vt supponitur, valide Excommunicatus, & denunciatus, atque adeo vitandus; pro ut ex antea dictis abunde liquet.

5 Colliges, quamuis suspendatur declaratoria sententia Excommunicationis incursæ, & denunciandæ per legitimam appellationem factam ante, vel post prædictam sententiam, adeo vt non possit postea fieri denunciatio, nec affigi cedulones, & si affixi sint, remoueri debeant, vt bene dixit *Sanchez, & alij apud Thesaur. l. c. p. 1. c. 45.* eam tamen non suspendi, nec impediri denunciationem illam si appellatio fieret non à prædicta declaratoria sententia, vel incursæ Excommunicationis sed ab ipsa denunciatione iam facta; nec enim ipsa denunciatio est sententia, à qua appellari queat, & quæ sic suspendi possit, nisi appelletur à sententia ipsa declaratoria, & intra decendium ab illa; sic enim, ea suspensa, suspenderetur etiam subsequens denunciatio: vnde per sepulturam eius, qui appellasset tantum à prædicta denunciatione, verè pollueretur Ecclesia, quia is sic appellando nequaquam suspendisset Excommunicationis suæ denunciatæ effectus, & consequenter remansisset adhuc vitandus, vt erat antea.

CAPVT XV.

An per sepulturam Excommunicati ad reincidentiam absoluti, qui reinciderat, Ecclesia polluatur.

S V M M A R I V M.

Quid sit absoluere ab Excommunicatione ad reincidentiam, num. 1.

Absolutio ad reincidentiam duplex est, Propria, & Impropria, ibid.

An, & quandonam redeat per reincidentiam prior Excommunicatio, vel alia similis, nu. 2.

Quomodo

Quomodo differant inter se absolutio impropriè, & absolutio propriè ad reincidentiam, nu. 3.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati propriè ad reincidentiam absoluti, qui reinciderat; nisi post reincidentiam idem denuo denunciatus fuisset Excommunicatus, num. 4.

Prædictus reincidens cur non potuerit vere denunciari Excommunicatus ante actualem ipsam reincidentiam, ibidem.

Bonacina expresse visus est quæstionem hanc tetigisse, sed contrariam sententiam amplexus est. ibid.

Reincidens prædicto modo in Excommunicationem cur subijciatur eidem sententiæ Excommunicationis; sed non eidem declarationi, & denunciationi sententiæ, num. 5.

1 ADuerto 1. Absoluere ab Excommunicatione ad reincidentiam esse Tollere Excommunicationem non absolute; sed ita vt reditura sit vel post certum tẽpus, vel post talem effectum, vel certe ob defectum, seu non adimpletionem operis, seu alterius conditionis, sub qua absolutio data sit; vnde absolutio ad reincidentiam duplex est, seu duobus modis fieri potest: Primo modo, quando absolutio ex intentione absoluentis non conceditur, vt perpetua; sed ad limitatum effectum, vel tempus, vt cum quis absoluitur solum ad ferendum testimonium *ex Cap. Venitus, 2. de testib.* vel solum ad hunc effectum, vt Beneficij collatio valeat, vt colligitur ex *Cap. Apostolicæ, de Exception.* & est in communi praxi Ecclesiæ Romanæ in Literis collationum Beneficiorum, &c. & hæc absolutio impropriè dicitur ad reincidentiam, cum propriè sit absolutio ad certum tantummodo tempus, vel certum solummodo actum: Secundo autem modo, quando absolutio ex intentione absoluentis datur non ad definitũ tempus, vel actum, sed vt simpliciter valeat, & perpetua sit, sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi, qua conditione non impleta, iterum incidatur in prædictam Excommunicationem, & hæc propriè dicitur absolutio ad reincidentiam.

2 Aduerto 2. Excommunicatos primo modo absolutos adhuc post talem actum, vel tempus definitum sine dubio videri mihi, vt antea, Excommunicatos, &, vt antea, denunciatos, cũ non absolute absoluti fuerint; sed pro tali tantum tempore, vel actu; ideoque post tale tempus, vel actum ex vi eiusdem pristinæ sententiæ, & declaratoriæ tales Excommunicatos vere credo esse vitandos, pro vt erant ante tale tempus, vel actum, pro quo tantum fuerant absoluti, & cõsequenter etiam credo per illorum sepulturam Ecclesiam pollui ex antea dictis. tãtum ergo dubium est de propriè absolutis ad reincidentiam, & ratio dubitandi inde est, quia secunda Excommunicatio, quæ incurritur per reincidentiam propriè dictam (de qua tantum sermo erit in posterum) non est vere eadem cum prima Excommunicatione, à qua absolutio data est ad reincidentiam, sed est alia Excommunicatio, quæ saltem numero, si non specie, distinguitur à priori, vt annotauit *Sanchez in Summ. l. 2. c. 13. num. 28.* & expresse docuit *Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 8. vers. Secundo datur.* vnde reincidens in Excommunicationem non videtur propter hanc secundam Excommunicationem vitandus, cum hæc non fuerit denunciata, nec videtur amplius vitandus propter primam, quia ab ea iam fuit absolutus, & consequenter propriè reincidens in Excommunicationem, donec hæc etiam secunda Excommunicatio, qua reincidens ligatur, nominatim denuncietur, videtur Excommunicatus toleratus.

3 Aduerto 3. licet etiam in absolutione impropriè ad reincidentiam dicatur quis pro tali tempore, vel actu absolutus ab Excommunicatione, non secus ac in absolutione propriè ad reincidentiam; tamen vnam absolutionem valde differre ab alia, in absolutione enim impropriè ad reincidentiam non absoluitur quis à censura Excommunicationis; sed absoluitur ab aliquo tantum illius effectu, & ideo nullus alius a Põtifice vti potest eo modo absoluendi, quia nemini concessum est, stante censura, illius effectus (quos ex Pontificia institutione censura habet) impedire, præterquam in casu ad testimonium dicendum, quando alia via veritas haberi nõ potest, ex *d. Cap. Veniens, 2. de testib.* iuncto *Cap. Præterea, de offic. delegat.* sed in absolutione propriè ad reincidentiam vere absoluitur quis à censura Excommunicationis, ita vt vere cẽsura omnino destruatur, & aboleatur; licet postea, posita, vel non posita tali conditione, de nouo renascatur alia Excommunicatio priori destructæ similis, & æquiualens etiam in reseruatione, quia sic lata fuit sententia in absolutione à priori Excommunicatione, vt clare habetur ex *Castropal. de Censur. disput. 1. punct. 11. §. 2. num. 10. & 12.* Quare, his consideratis,

4 Dico per sepulturam Excommunicati propriè ad reincidentiam absoluti, qui reinciderat, Ecclesiam non pollui, nisi is etiam denuo post prædictam reincidentiam in Excommunicationem sub prædicta conditione latam denunciatus

nunciatus fuisset Excommunicatus ex vi prædictæ reincidentiæ, quod apertè colligitur ex iis, quæ *Cap. 7. huius disput. num. 3.* diximus cum *Suar. & alijs ibi citatis*, dum de sententia Excommunicationis solum de futuro, & sub conditione, non autem absoluta agebamus. Ratio autem est eadem, quam *num. 2.* diximus, quia scilicet sic reincidens in Excommunicationem non est vitandus ob priorem censuram, quia iam ab ea vere absolutus fuit, neque est vitandus ob secundam, quia Excõmunicatio nominatim non denunciata non facit Excõmunicatum vitandum; hæc autem Excommunicatio, qua sic reincidens ligatur, nõ potuit sic denunciari ante reincidentiam, quia non erat certa, & determinata; post reincidentiam vero non fuit denunciata, vt suppono, & consequenter sic reincidens nullo modo est vitandus, nec per illius sepulturam polluitur Ecclesia, quid quid in contrarium dixerit *Bonacina de Censur. in communi, disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 17.* à quo breuissime tactam quæstionem hanc vidi.

5 Colligo, quamuis Excommunicatus propriè ad reincidentiam absolutus, qui reincidit, reincidat in eandem sententiam, vt expresse habetur in *Cap. Eos, qui, de sent. Excommunic.* quia vere per eam sententiam reincidit in Excommunicationem; falsum tamen esse, quod sic reincidens in Excommunicationem subijciatur eidem declarationi, & denunciationi sententiæ, quia tunc nondum reinciderat in Excommunicationem, vnde nec certo, determinate, & absolute denunciari Excommunicatus tunc poterat, vt in similì dixit *Cardinal. de Lugo Respons. Moral. l. 2. dub. 6.*

CAPVT XVI.

An per sepulturam Excommunicati in articulo mortis à quocumque Sacerdote absoluti polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

Sacerdoti cuilibet licet valide absoluere in articulo mortis constitutos ab omnibus quantumcumque reseruatis peccatis, & censuris, num. 1.

Etiamsi prædictus Sacerdos sit degradatus, vel Excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, ibid.

An id verum sit, si pateat aditus ad Superiorem, immo si præsens sit alius approbatus, vel Superior ipse, qui non recuset absoluere. ibid.

Articulus, & periculum mortis, quo ad hunc effectum, pro eodem sumuntur, dummodo periculum sit necessario adeundum, num. 2.

Nihil refert, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco articulus, vel periculum mortis instet; ibidem.

Id fieri potest etiam à prima die periculosæ infirmitatis. ibidem.

Absolutio tunc valide impenditur, etiamsi non essentialia non seruentur, num. 3.

Necesse tamen tunc etiam est ad validam Excommunicationis absolutionem, vt absoluens absolutionem manifestet signo aliquo externo. ibidem.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati absoluti in articulo, vel periculo mortis à quocumque Sacerdote, & quocumque in casu, num. 4.

Periculum inualide prædictam absolutionem impendendi quomodo tunc vitetur, num. 5. & 6.

Ecclesia concurrit cum opinione probabili, & dat iurisdictionem necessariam pro salute Fidelium, num. 6.

Concilij Tridentini decretum, & ratio ab ipso allata quomodo intelligi debeant, & nobis nequaquam contrarientur, num. 7. & 8.

Multi adeo sunt infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur, num. 8.

Absoluendi facultas prædicta absolute, & simpliciter data fuit absque necessaria connexione ad Sacramentum Pænitentiæ, quicquid sit de occasione, qua Concilium Tridentinum impulit ad eam dandam, num. 9. & 10.

Casus Papalis, superueniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis, & c. non valet nisi extra articulum mortis, vel sit specialis commissio in Iure, num. 11. & 12.

Canon Presbyter, 26. q. 6. *& similes textus de quanam Pænitentia loquantur, num. 12.*

Pænitentia solemnis antiquitus quid esset. ibid.

Extrauagantes Inter cunctas, de Priuileg. *&* 1. de sent. Excommunic. *verba faciunt de absolutione danda extra mortis articulum. ibidem.*

Catechismus Romanus, *qui videtur contra nos, loquitur solum de congruentia, & ex æquo; non de necessitate. ibid.*

Declaratio Greg. XIII. quæ asseritur ab aliquibus pro contraria sententia, non habetur authentice. ibid.

Taliter absolutus vere est absolutus in vtroque foro, num. 13.

Q q Onus

Onus comparendi coram Superiore cur, & quando imponatur, ibid.
Sic absolutus non indiget alia absolutione nec directa, nec indirecta. ibid.

1 ADuerto 1. cum certum sit cuilibet Sacerdoti competere facultatem valide absoluendi constitutos in articulo mortis ab omnibus, etiam quomodolibet reseruatis peccatis, & censuris *ex multis decretis 26. q.6. Cap. fin. de Censur. & Cap. Eos, de sent. Excommun. in 6.* & nouissime *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 7.* vbi hanc semper generalem Ecclesiæ consuetudinem fuisse testatur, cumque communis DD. sententia idipsum asserat de quocumque simplici Sacerdote, quamuis sit degradatus, vel Excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, vt videre est apud *Bassaeum V. Absolutio, num. 31.* propterea dubium tantum videri in casu, quo simplex Sacerdos id faciat, etiamsi pateat aditus ad Superiorem, vel approbatum confessarium, immo etiam præsente Superiore, vel approbato ipso, qui non recuset absoluere, multi enim tunc id à simplici Sacerdote valide fieri absolute negant; alij absolute affirmant, & alij adhuc aliter distinguunt, vt videri potest apud *Zambran. de casib. articul. mort. cap. 4. dub. 4. num. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 13. num. 6. Dian. part. 1. tract. 5. resol. 5. & p. 5. tr. 9. resolut. 67.* & nouissime *Vidal de Pœnit. disquisit. 7. num. 5. & seq.*

2 Aduerto 2. quo ad hunc effectum, pro eodem sumi articulum, & morale periculum mortis; quantumuis alioqui hæc duo re, & nomine distinguantur; periculum tamen debet esse necessario adeundum, vt excludatur periculum in ludo hastarum, taurorum agitatione, & similibus, & præterea debet esse tale, vt saltem per verisimilem coniecturam ex eo secutura mors timeatur, vt quando quis suscepturus est nauigationem periculosam, vel iter prædonibus expositum, vel exscindendus est calculus, aut hernia, & c. nihil enim refert siue ab intrinseco, siue ab extrinseco periculum, vel mortis articulus instet; immo ad hunc effectum absolutionis valide impendendæ sufficit, si timeatur amissio vsus rationis perpetua; licet mors non timeatur, amittens enim vsum rationis absque absolutione ità est in periculo damnationis, & c. ac si absque absolutione moreretur, prout docent *Conar. in Cap. Alma mater, p. 1. §. 11. nu. 8. vers. 3.* vbi testatur de communi, *Reginald. l. 9. num. 10. Vasq. de Pœnit. q. 93. art. 1. dub. 5. num. 2. Suar. de Pœnit. disp. 26. sect. 4. num. 3. Molin. de Iust. & Iur. tom. 4. disp. 63. num. 6. Sayr. l. 2. Thesaur. cap. 2. num. 10. Croisers ad cap. 7. Regul. S. Franc. lect. 23. Sanchez, Bassaeus, & Diana ll. cc. nec non Sanctius in Select. disp. 12. num. 5.* qui idipsum fieri posse docet etiam à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris laterum, & c.

3 Aduerto 3. in tali articulo, seu periculo valide prædictam absolutionem impendi, etiamsi absoluens in tali absolutione solitas cæremonias, aut verba, aut alia tunc non essentialiter seruanda non seruaret, noluit enim Ecclesia, teste *Sanchez l. c.* absolutionis valorem in tanta necessitate ex absoluentis negligentia, aut ignorantia pendere. vnde sufficit, si vere absoluens Excommunicationis absolutionem manifestet aliquo signo externo, quod ad essentiam absolutionis pertinet, cum sit actus iurisdictionis, atque etiam restitutionis ad pristinam Ecclesiæ communionem, vt optime docuit *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 7.* & alij communiter.

4 Dico per sepulturam Excommunicati in articulo, vel periculo mortis à quocumque Sacerdote quocumq. in casu absoluti Ecclesiam non pollui. Ratio est, quia sic absolutus valide absolutus fuit iuxta sententiam animarum saluti fauorabiliorem, *quam libentissime sequimur*, ac proinde taliter absolutus non est amplius Excommunicatus, nec consequenter vitandus, vnde in loco sacro sepeliri potuit, quod affirmare coguntur, quicumque iuxta prædictam sententiam nobiscum sentiunt, & expresse tradunt *Suar. de Censur. disp. 12. sect. 4. num. 3. versic. Atque hinc, Megal. de Censur. l. 2. c. 2. num. 58.* alijq. ibi citati, qui sic absolutum in Ecclesia licite sepeliri posse dixerunt, & *Persic. de 1. Sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 7. num. 70.* qui in terminis nostris de Ecclesiæ pollutione loquitur, & per Excommunicati sic absoluti sepulturam locum sacrum nequaquam pollui apertissime docet, & plures alios allegat.

5 Dices 1. Simplex Sacerdos absoluens constitutum in articulo, vel periculo mortis, præsente approbato, vel Superiore, qui certo habet facultatem absoluendi etiam extra illũ articulum, vel periculum, exponit se periculo non solum illicite, sed etiam inualide absoluendi, & consequenter etiam exponit sic absolutum periculo priuationis effectuum et tali absolutione ob periculum inualiditatis prædictæ absolutionis, ergo in hoc periculo, & dubio standum est pro validitate Excommunicationis præcedentis, quæ certa est, & non pro validitate absolutionis sic datæ, quæ incerta est.

6 Respondeo sic absoluentem probabiliter, ac

ac proinde prudenter, & licito operari; vnde etiam probabiliter valide absolutus asseritur, qui sic absolutus fuit: dat enim Ecclesia iurisdictionem ad id necessariam pro salute animarum concurrendo cum opinione probabili, vt bene dicit *Diana p. 3. tr. de opinione probabili, resol. 2. & Bardo de Conscient. discept. 6. cap. 11. p. 4. §. 3. nu. 14.* & talis est vsus communis *ex Cardinal. de Lugo de Pœnit. disp. 19. num. 34.*

7 Dices 2. Interpretari debemus Concilium Tridentinum iuxta rationem ab ipso expressā in lege, hæc enim est optima legis interpretatio ex *Iason. L. de quibus, ff. de legibus, num. 5. Bald. L. si quis, C. de furt. num. 7. Castro lib. 1. de leg. pœnal. c. 7. docum. 3.* & alijs passim; sed ratio Tridentini est; *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quod obtinetur plenissime, si quicumque Sacerdos absoluat ex defectu legitimi, &c. ergo hoc tantum modo Concilij mens accipienda est.

8 Respondeo adhuc melius saluari rationem prædictam Tridentini, si cuicumq. Sacerdoti talis facultas absoluendi detur in quocumq. casu, vt absoluendus liberius eligat, quem velit, ad quod etiam fortasse respexit Synodus ipsa Tridentina; nec improbabile videtur: *multi* enim (inquit *D. Th. in 4. distin. 17. q. 3. art. 4. ad 6.*) *adeo sunt infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur.*

9 Dices 3. facultas absoluendi à censuris tunc cuilibet Sacerdoti conceditur; quia talis facultas sæpe necessaria est ad Sacramentalem absolutionem conferendam; ergo saltem quando absolutio à censuris datur sine absolutione à peccatis, nec in ordine ad illam, illa erit inualida, ex *Vidal. l. c. num. 40. 41. & 42.*

10 Respondeo cum *Laym. l. c. num. 2.* licet prædicta causa, seu occasio Concilium impulerit ad talem facultatem tunc cuilibet Sacerdoti concedendam; nihilominus per se, & simpliciter, atq. adeo sine necessaria connexione ad Sacramentū Pœnitentiæ concessam fuisse, vt verba Concilij aperte significant, quæ, quia fauorem, & gratiam continent, late interpretanda sunt.

11 Dices 4. ex regula communiter recepta, Casus Papalis, superueniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis; & Episcopalis fit Parochialis ob eandem rationem; ergo prædicta absoluendi facultas non debet credi concessa inferioribus, nisi in supplementum, & defectum Superiorum.

12 Respondeo prædictam regulam valere tantum extra articulum, vel periculum mortis, nisi specialis in iure commissio fiat, prout in tali etiam articulo, seu periculo absolutio eius, qui Clericum percussit, peculiariter Episcopo committitur, si adiri possit; quæ commissio cessat in alijs casibus etiam Papalibus, si non sit expressa in iure, vt docet *Laym. l. c. num. 5.* vnde decretum *Concilij Carthag. 3. can. 32. relatum Can. Presbyter 26. q. 6.* & similes textus, vbi prohiberi videtur, ne Presbyter, inconsulto Episcopo, reconciliet pœnitentem, nisi vltima necessitas, absente Episcopo, id cogat, intelligi debent non de absolutione interna, aut externa à peccatis, vel à censuris; sed de solemni quadam pœnitentia, quæ antiquitus ob notoria crimina publice imponebatur pœnitentibus, antequā absoluerentur; vt eruitur ex *Gloss. ibidem*, & aperte traditur à *Vidal. l. c. num. 36. & 37.* qui etiam *num. 39.* optime aduertit in *Extrau. Inter cunctas, §. Incendiarios, de Priuil. & Extrau. 1. §. decerpimus, de sent. Excommunic.* sermonem esse de absolutione danda extra mortis articulum, in quo id etiam ibi omnibus conceditur absolute: nec obstare putat Catechismi Romani doctrinam, vbi de Sacramento Pœnitentiæ apertissime docet, in ipso mortis articulo, si approbati Sacerdotis copia sit, non approbatum absoluere non posse, accipi enim debet ita, vt loquatur solum de congruentia, & ex æquo; non autem de necessitate, quod etiam fortasse dici potest ad omnes textus Canonicos, qui nobis contrarij videntur, cum non irritent contrarium; sed tantum id disponant, vt aliquid cōgruentius: & quamuis *Molina d. tom. 4. de Iust. tr. 3. disp. 63. n. 2.* asserat Gregorium XIII. idipsum contra nos declarasse; tamen *Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 18. sect. 2. §. 2. num. 24. in fin.* de prædicta declaratoria authentice non constare affirmat.

13 Colligo taliter absolutum vere esse absolutum in vtroque foro, quia sic absoluens habet ad id facultatem à Pontifice expressam in Concilio Tridentino *l. c.* vnde non requiritur alia absolutio pro foro externo ad talis absolutionis effectus obtinendos, v. g. ad Excommunicatum Sepeliendum in loco sacro, & c. sed sufficit, quod taliter absolutum fuisse cōstet saltem per vnicum testem, vel per fidem ipsius absoluentis, vt egregie docuit *Alphonsus de Leon. de Confess.* ideoque onus comparendi coram Superiore habente auctoritatem absoluendi extra illum mortis articulum, vel periculum, non ideo imponitur, vt absolutus iterum ab eo absoluatur, nec directè, nec indirectè, cum iam vere sit perfectè absolutus, ac si ab eodem Superiore absolutus fuisset

sed vt superior conuenientem medicinam adhibeat, & satisfactionem imponat, si imponendam iudicarit, vt expresse colligitur ex *Cap. Quamuis, de sent. Excommunicat. & Cap. de cætero, eod. tit.* & tradunt *Gloss. ibi V. Suscepturus, Abb. num. vlt. Enriq. l. 6. de Pænit. c. 6. num. 6. Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 6. & tom. 5. disput. 22. sect. 2. num. 62. Sanch. l. c. num. 27.* & nouissimè *Petrus Marchant.* in suo *Tribunali tom. 1. tr. 2. tit. 4. quæst. 7. conclus. 3.* qui tamen aduertit solum imponi prædictum onus comparendi in censuris ad externum, siue contentiosum forum deductis, quando obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præstanda est Superiori, aut etiam satisfactio parti læsæ, si læsa sit, vt videre est apud *Bassæum in Flor. Theol. V. Excommunicatio V. num. 7. Vers. Aduertit tamen.*

CAPVT XVII.

An per sepulturam Excommunicati in articulo mortis à non Sacerdote absoluti Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Clericus non Sacerdos, dummodo habeat Iurisdictionem in foro contentioso, vt Excommunicare, ita absoluere ab Excommunicatione potest, num. 1.

Clericis omnibus facultatem competere absoluendi à censuris in articulo mortis aliqui docuerunt, ibid.

Facultas absoluendi extra forum Pænitentiæ ab Excommunicatione à Papa concedi potest etiam Laico baptizato, num. 2.

De facto facultatem Laicis concessam fuisse, vt in articulo mortis absoluere possint à censuris, multi senserunt, ibid.

A Laicis exerceri Spiritualia odiosum est, & restringendum, num. 3.

Ecclesia, quando voluit aliquid spirituale exerceri posse à Laicis in casu necessitatis, id expressit. ibid.

Probabilius est, quod per sepulturam Excommunicati à quocumque non Sacerdote in articulo mortis absoluti Ecclesia polluatur, nu. 4.

Canon Quem pœnitet, de Pœnit. dist. 1. & Can. Sanctum est, de Consecr. dist. 4. *Explicantur ita, vt nihil ex iis sit contra prædicta, num. 5.*

1 Aduerto 1. nomine non Sacerdotis hic accipi posse vel Clericum à prima tonsura vsque ad Diaconatum inclusiue, vel Laicum quemcumque baptizatum; & quoad Clericum quidem, sicut Clericus non Sacerdos Excommunicare, ita etiam ab Excommunicatione absoluere potest, hæc enim Iurisdictionis sunt, & non Ordinis, & absoluendi potestas par est cum potestate ligandi, argum. *Can. Verbum, de Pænit. dist. 1. & L. Qui condemnare, ff. de reg. iur.* dummodo Clericus iurisdictionem in foro contentioso habeat, pro vt exemplum affertur ab *Enriq. l. 13. de Excommunicat. c. 27. §. 4.* de Vicario Episcopi, qui, etiamsi Sacerdos non sit, ab Excommunicatione absoluere potest etiam extra articulum mortis. Quare de his Clericis hic sermo non est; sed de aliis nullam huiusmodi Iurisdictionem in foro contentioso nec ordinariam, nec delegatam habentibus, & de his quæritur, an in articulo mortis valide ab Excommunicatione absoluere possint, sicuti in tali articulo facultas absoluendi ab omnibus peccatis, & Censuris cuilibet Sacerdoti competit ex *cap. præced.* & Doctores quidem non pœnitendi, vt ait *Sanch. in Decal. 6. 2. c. 13.* in casu nostro simplicibus Clericis, etiam prima tantum tonsura insignitis, facultatem absoluendi à censuris vel absolute, vel saltem sub ea conditione, *si possum*, competere affirmant, ita *Enriq. de Sacram. Pænit. l. 3. c. 9. §. 5.* qui ait hanc eandem fuisse sententiam *Victoriæ, Manrij, & Pennæ*, eamque secutus est *Rodriq. in Sum. p. 1. c. 59. num. 16.* & maximè, si talis clericus non Sacerdos haberet alioqui talem Iurisdictionem in foro contentioso, v. g. quia esset Vicarius Episcopi, licet absoluendus non esset alioqui sub illius Iurisdictione; tunc enim secundum plures probabile valde est Ecclesiam ex pietate materna prorogare talis Vicarii Iurisdictionem etiam ad talem moribundum, vnde etiam *Præpositus in 3. p. q. 1. de Censur. in communi, dub. 14. num. 97.* absolute probabile putat, quod omnis Clericus absoluere possit in tali articulo à censura saltem Excommunicationis, nec dissentit *Diana p. 5. tr. 9. resol. 7.* loquimur autem semper de absolutione Excommunicationis danda extra Sacramentum Pœnitentiæ, nam in foro illo Pœnitentiæ nemo non sacerdos in quolibet casu, & quacumque Iurisdictione, aut commissione, etiam Papali, absoluere potest, vt patet ex Tridentino *sess. 14. c. 6. de Pœnitentia*, & ex aliis, quæ affert *Sayr. de Censur. l. 2. c. 21. num. 3.*

2 Aduerto 2. quoad Laicum negari non posse, quin Laico Fideli tribui possit tam Ex-

com-

communicandi, quam absoluendi facultas à Papa; Pontificio enim tantum iure cautum est, vt Ecclesiastica Iurisdictio à solis Clericis exerceatur, *Cap. Decernimus, de iudic.* cui iuri Papa præest. vnde, cum vir baptizatus sit capax iurisdictionis necessariæ ad absoluendum ab Excommunicatione, non solum ex antiquioribus, sed etiam ex recentioribus plures senserunt de facto talem facultatem ex tacita delegatione Summi Pontificis benigne concessam fuisse Laicis, vt in articulo mortis à censuris absoluere possint, sicuti in tali casu Sacerdotibus omnibus concessum fuit, vt à peccatis omnibus absoluere queant, quia Sacerdotes omnes eius facultatis capaces sunt. Sic *Glossa in Cap. Pastoralis, §. præterea, vers. Præterquam in morte, de offic. ord. & in Cap. A nobis, & Cap. Non potuerit, de sent. Excommunicat. Syluest. V. Absolutio 1. num. 8. ad finem. Armilla ibi num. 39. Tabiena V. Absolutio 2. num. 8. Angel. V. Absolutio 3. num. 17. Abbas, & Felin. in d. Cap. A nobis, num. 10. Ripa tr. de Peste, cap. de Priuileg. Iudic. causa pestis, num. 46. D. Anton. p. 3. tit. 17. c. 4. casu 7. Ledesm. 2. p. 4. quæst. 26. art. 1. vers. Sed hasitabis, Margarita Confessor. fol. 139. B. Ledesm. de Sacram. vbi de Excommunicat. dub. 14. Cagnol. in L. Heratius, ff. de reg. Iur. Asin. in L. Scriptus hæres, §. sed tunc, nu. 93. ff. de relig. & sumpt. funer. Lauor. tit. 2. c. 12. num. 6. Io. de la Cruz in Director. Conscient. p. 2. de Excommunicat. dub. 4. conclus. 1. Ragut. in Lucerna Paroch. de absolut. quæst. 124. Io. Valer. in Different. vtriu q. fori. V. Absolutio, differ. 13. num. 3. Marchin. & Trullench. apud Samuel. de Sepultur. tr. 2. controuers. 9. n. 20.* qui concordat. & hanc eandem sententiam probabilem putant *Dian. p. 3. tr. 4. resol. 133. & p. 5. tr. 9. resolut. 7. Auila de Censur. p. 2. c. 7. disput. 1. dub. 3. Bassaus in Flor. Theolog. V. Excommunicatio 5. num. 7. Laym. in Summa l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 2. & Io. Sanch. in Select. disput. 44. num. 7.* cum enim Summus Pontifex talem versari opinionem sciat, nec contradicat, inde prædicti DD. probabile putant, quod tunc potestas prædicta Laico concedatur, vt defunctus sepeliri in loco sacro, & sacrificia pro eo offerri possint.

3 Aduerto 3. per se odiosum esse, & à iure alienum, quod Laicus exerceat Spiritualia, vt patet ex *d. Cap. Decernimus, de Iudicijs, Cap. Si vero, de sent. Excommunicat. & Can. Bene quidem, dist. 96.* cum ergo odia restringenda sint, & absoluere ab Excommunicatione sit exercitium Iurisdictionis Spiritualis, idcirco tale exercitium non esse Laico concedendum, nisi vel à Iure concessum, vel vsu introductum fuerit, vt bene aduertit *Bonacina de Censur. disput. 1. quæst. 3. num. 10.* Immo hinc factum est, inquit *Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 7.* vt, quoties Ecclesia voluit spirituale, & Ecclesiasticum quidpiam fieri posse à Laico in huiusmodi necessitatis casu, id ipsa aperte declarauit, vt de Baptismo habetur in *Can. In necessitate, de consecrat. dist. 4.* Quamobrem

4 Dico probabilius esse, quod per sepulturam Excommunicati à quocumque non Sacerdote in articulo mortis absoluti Ecclesia polluatur, quia probabilius est, quod inualide absolutus fuerit, cum talis facultas iuxta probabiliorem sententiam solis Sacerdotibus concessa fuerit, neque enim ex iure aliquo, neque ex vsu habemus, quod Ecclesia hanc potestatem Laico concesserit, etiam pro articulo mortis; vnde propter solas aliquas congruentias non est hæc facultas ad Laicos extendenda, maxime cum Concilium Tridentinum, & Iura etiam antiqua omnia, quæ de hac concessione pro articulo mortis loquuntur, semper nominent solum Sacerdotem, & consuetudo ipsa videatur tantum esse de Sacerdotibus, ita communiter Doctores tam Theologi, quam Canonistæ, cum quibus iure, ac merito concordant *Suar. tom. 5. in 3. p. disput. 7. sect. 6. num. 6. Reginal. l. 9. num. 9. Soto in 4. dist. 17. quæst. 4. art. 3. Villalob. in Summ. tom. 1. tr. 6. diffic. 20. nu. 14. Coninch. de Sacram. disp. 14. dub. 16. num. 236. Garzias de Benefic. tom. 2. p. 12. c. 5. num. 255. Faber de censur. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disput. 4. c. 8. num. 257. Turrian. de Censur. l. 2. disp. 24. dub. 4. Hartad. de Excommun. disp. 15. diffic. 1. num. 3.* & alij passim.

5 Colligo, licet in *Can. Quem pœnitet, de Pœnit. dist. 1.* consuli videatur, quod, si deest Sacerdos, confiteatur quis Proximo, & *Can. Sanctum est, de Consecrat. dist. 4.* quidam videatur reconciliatus Ecclesiæ per quendam Laicum; non tamen inde inferri, quod absolutio à Laico data valeat; in primo enim casu id factum est ad humilitatem, & contritionem ostendendam, non ad veram absolutionem; in secundo vero sermo est tantum de reconciliatione publici Pœnitentis, quæ non erat vera absolutio, vt superius etiam alibi dictum est, & clare tradidit *Filliuc. d. tr. 11. c. 10. num. 320.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

An per ſepulturam Excommunicati, qui ante mortem petijt, ſed non obtinuit abſolutionem; Eccleſia polluatur.

SVMMARIVM.

Excommunicatio abſolute, ac indefinite lata nullo alio modo tollitur, quam legitima abſolutione, num. 1.

Excommunicatio durat etiam poſt mortem tum Excommunicantis, tum Excommunicati; ibidem.

Excommunicatio non incurritur abſque contumacia; ſed non ceſſat, ceſſante contumacia, ibidem.

Excommunicatio quomodo duo contineat, ideſt tum Excluſionem à Diuina gratia, tum Priuationem aliquorum bonorum Eccleſiaſticorum, & alterum tolli poſſit ſine altero, nu. 2.

Excommunicati contritio non tollit Excommunicationis effectus coram Eccleſia; licet obtineat culpæ remiſſionem coram Deo, num. 3.

Eccleſia polluitur per ſepulturam Excommunicati; licet contritionis ſigna dederit, ſeu abſolutionem petierit, ſi hanc obtinere nequiuit, num. 4.

S. Congregationis declarationes de ſepeliendis in Eccleſia Excommunicatis, qui in articulo mortis pœnitentiæ ſigna dederunt, quomodo intelligendæ ſint, num. 5. & 6.

Qui concedit principale, concedit etiam acceſſorium, ſine quo principale executioni mandari nequit, num. 6.

De iure cadauer Excommunicati ſepeliri nequit, niſi prius per abſolutionem liberetur ab Excommunicatione. ibid.

S. Congregatio concedens Excommunicatum prædictum ſepeliri in loco ſacro cenſetur etiam delegare locorum Epiſcopis abſolutionem ab illius Excommunicatione, ſi hæc Papalis ſit, num. 7.

Ad probandum, quod Excommunicatus cum ſignis contritionis deceſſerit, cur ſufficiat vnus teſtis fide dignus. ibid.

1 ADuerto 1. licet Excommunicatio ſaltem valide ferri poſſit ſub conditione, ità vt cum primum Excommunicatus à contumacia receſſerit, vel ſatisfecerit, ipſo facto liber, & abſolutus exiſtat, vt probabiliter docet *Laym. l. 1. tr. 5. c. 7. nu. 1. cum Suarez, Couar. & Aegid.* quos ibidem citat, & ſequitur; tamen Excommunicationem abſolutè, ac indefinite latam, de qua hic loquimur, nullo alio modo tolli poſſe, quam legitima Iudicis abſolutione; ideoque nec tolli per mortem, aut depoſitionem Iudicis eam imponentis; nec finiri omnino per mortem ipſius Excommunicati; aut per eiuſdem contritionem, & depoſitionem contumaciæ. Quamuis enim abſque contumacia non incurratur Excommunicatio; nihilominus non ceſſat, ceſſante contumacia, Excommunicatio, vt colligitur ex *Cap. Cum deſideres, de ſent. Excommunicat.*

2 Aduerto 2. cum Excommunicatio non niſi pro culpa mortali imponatur, idcircò in Excommunicatione duo quodammodo cõtineri, ſcilicet Excluſionem à Diuina gratia, & Priuationem aliquorum bonorum Eccleſiaſticorum, cuiuſmodi ſunt Eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragia, quæ Eccleſiæ nomine pro mortuis à viuis fiunt; & vnum ab alio ità ſeparari poſſe, vt per Contritionem tolli quidem poſſit primum; ſed non neceſſario ſecũdum; per legitimam autem abſolutionem tolli poſſit ſecundum; ſed non neceſſario primum: nec enim neceſſarium eſt, vt vno ſublato, tollatur & aliud, quia Excommunicatus poteſt recipere à Deo gratiam, abſque eo quod recipiat ab Eccleſia communionem, vel contra ab Eccleſia communionem abſq. eo quod recipiat à Deo gratiam, vt clarius etiam ex inferius dicendis patebit.

3 Aduerto 3. donec Excommunicatus abſoluatur ab Eccleſia, interim eum cenſeri debere, & vere eſſe Excommunicatum coram Eccleſia, ac proinde vitandum etiam poſt mortem, ſi ante illam vitandus erat, quia adhuc Excommunicationis effectibus afficitur; quamuis per contritionem, cuius ſigna ante mortem, vel in morte dedit, à Deo culpæ remiſſionem talis Excommunicatus obtinuerit. Hinc

4 Dico per ſepulturam Excommunicati; licet contritionis ſigna dederit, ſeu abſolutionem petierit, ſi hanc obtinere nequiuit, Eccleſiam pollui. Excommunicatus enim ſemper Excommunicatus remanet, donec abſoluatur, nec talis eſſe deſinit, etiamſi contumaciam depoſuerit, & pœnitentiam exhibuerit, adeoque dignum ſe per talia ſigna oſtenderit, qui ab Excommunicatione ante, & poſt mortem abſoluatur, & Eccleſiæ communioni reſtituatur. ità expreſſe definiuit Innocentius III. *Cap. A nobis, il 2. de ſent. Excommunicat.* & habetur ex *Gloſſa ibid. & in Cap. Sacris,*

de

de sepult. idemque docent *Panormitan. in d. Cap. A nobis, num.* 10. *Syluest. V. Sepultura, num.9. Nauar. in Man. c.26. num.32. & Consil. 5. num. 1. & 3. de sepulturis. Sayr. de Censur. l.2.c.3.num.13. Vgolin. de Censur. tab.2. cap.9. Bonacin. de Censur. disp.2. q.2. pun.3.§.3. nu.7. Villalob. tom.1. Sum. tr.16. diffic. 20. num.20. Dian.p.5. tr.9. resolut. 24. Samuel. de Sepulturis tr.2. controuers.9.num.21. & 22. Auil. de Censur. p.2.c.4.disp.vnic.dubit.8. conclus.1. & conclus.5.notab. 1. & p.5. disp.7. dubit. 4. conclus. 4.fin. Suar.de Censur.disp.2. sect.4.nu.3.§. Atq. hinc. Persic.de 1. Sacerdot.offic. l. 1. c.7. dub.7. num.70. Couar. in Cap. Alma, p.1. §.11. nu.4. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. allegat.* 28. *num.52.in fin. & Iordan. Elucubrat. tom.1.l.5. tit.12. num.1*30.

5 Dices *S. Congregatio Episcoporum, & Regularium negotijs præposita in vna Nolana 19. Iulij* 1629. Excommunicatum quendam, qui in articulo mortis pœnitentiæ signa dederat, in loco sacro sepeliri iussit, vt videre est apud *Samuel. l. c.* apud *Gauant. in Manual. Episcop. V. Sepultura, num.* 16. qui aliam similem declarationem refert *ab eadem Congreg. factam* 17. *May* 1583. & apud *Cutill. in Addit. ad Mancin. in Tract. Visitandi Infirmos, tract. de Infirm. in ordine ad Sepult. dub.*34.ergo signum est Excommunicatum post talia signa non esse amplius Excommunicatum, nec per illius sepulturam Ecclesiam pollui.

6 Respondeo prædicta intelligi debere, dummodo cadauer prius absoluatur, vt declarauit *S.Congregatio Concil.* apud *Bellarminum in obseruat. super Trident. sess.* 24. *c.* 7. *vers. Excommunicatus, qui, &c.* & optime aduertit *d. Cutillus l.c.* qui enim concedit principale, puta, vt Excommunicatus in Ecclesia sepeliatur, concedit etiam accessorium, sine quo principale executioni mandari nequit, vt patet ex *L.2.ff.de Iurisdict.omn.iudic.& L.3.ff.pro socio,* cum de iure Excommunicati cadauer in Ecclesia sepeliri nequeat, nisi prius per absolutionem, quæ etiam post mortem dari potest, vt *cap. sequen.* dicemus, liberetur ab Excommunicatione: censetur autem Summus Pontifex id concedere non derogando iuri communi, si cum eius obseruantia talis concessio stare potest, vt hic optimè potest. Immo *Samuel. de Sepulturis tr.2. controuers.9. conclus. 4. nu.* 10. ait Sacram ipsam Congregationem id, quod diximus, expressè obseruandum statuisse, i. vt tunc cadauer antea absoluatur ab Excommunicatione, & postea tumuletur in Ecclesia, non antea, vt patet ex declaratione facta 16.*Nouembris* 1635.

7 Colligo, quando Sacra Congregatio concessit, vt Excommunicatorum (aliquibus tamen exceptis) cum signis contritionis morientiū cadauera in Ecclesia sepeliri valeant, tunc censeri delegatam quoque locorum Episcopis facultatem absoluendi, si Excommunicatio Papalis sit. Vnde sic optimè & Iuris vigor, & concessionis prædictæ valor absque vlla inconuenientia saluatur, vt bene docuit *idem Cutillus ibidem*, cui sententiæ fauent etiam *Antonut.in Catechesi Neapol.Tolet. Rodriq. Victorel. Auila, & Filliuc.* apud eundem *Cutillum l. c.* Ad probandum autem, quod Excommunicatus eum signis contritionis decesserit, sufficit vnus testis fide dignus, cum de nullius præiudicio agatur, vt tradit *Cutill. ibid.* & cum eo *Baic. Asteus.& Tolet.l.1. cap.15. num.6.*

CAPVT XIX.

An per sepulturam Excommunicati post mortem absoluti Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Vt Excommunicatio, ita absolutio ab Excommunicatione, cur non videatur exerceri posse in mortuos, num. 1.

Absolutio ab Excommunicatione Excommunicatis post mortem præstita quomodo secundum aliquos non sit vera absolutio, sed quadam tantum declaratio, num. 2.

Prædicta absolutio est vere absolutio, non quo ad Deum; sed tantum quo ad Ecclesiam, num. 3.

Per talem absolutionem tollitur in Excommunicato inhabilitas, quam corpus habebat, ad Ecclesiasticam sepulturam, & incapacitas communium suffragiorum, quæ in anima erat, ibidem.

Excommunicatus mortuus non debet absolui, nisi ex datis ante mortem pœnitentiæ signis quo ad Deum à culpa absolutus præsumatur. ibid.

*Ecclesia per sepulturam Excommunicati post mortem legitime absoluti non polluitur, nu.*4.

Excommunicatus non potest post mortem à quocumque absolui, vt poterat in articulo mortis, & cur. ibidem.

Inhabilitas, & incapacitas prædicta, quæ in Excommunicato mortuo tollitur per absolutionem, in quo consistat, num.5. & 6.

Quomodo ea differat ab Ecclesiæ præcepto, seu prohibitione, ne ministri Ecclesiæ talia bona applicent Excōmunicatis nondū absolutis.ibid.

Inten-

Intentio efficax Ecclesiæ excludens Excommunicatum à communibus suffragijs Ecclesiasticis facit, vt, si ista illi applicentur, inualide applicentur. ibid.

S. Pœnitentiaria solet committere absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro cõscientiæ tantum. ibid.

Post absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro conscientiæ præstitam quid adhuc in foro externo requiratur, vt licite quis Missæ Sacrificium pro taliter absoluto offerre valeat. ibid.

Absolutio ab Excommunicatione mortuorum in foro quoque externo quomodo præstanda sit, habetur etiam in Iure ipso Canonico, num. 7.

1 Aduerto 1. difficultatem hic nõ paruam esse ex eo, quod Excommunicatio, & absolutio, cum sint actus Iurisdictionis, non videntur exerceri posse in mortuos, vt potè non amplius Ecclesiasticæ Iurisdictioni subiectos: vnde, quod superius diximus de Excommunicatione, quæ ferri nequit in mortuos, idipsum hic dicendum videtur de absolutione ipsa, nisi discrimen assignetur, quod valde difficile apparet.

2 Aduerto 2. hinc ab aliquibus dictum fuisse absolutionem ab Excommunicatione Excõmunicatis post eorum mortem præstitam vere non esse absolutionem, sed quandam tantummodo declarationem, per quam, qui apud Deum absolutus decessisse creditur ex signis pœnitentiæ ante mortem editis, post mortem per absolutionem illam talis declaratur, & Ecclesiæ denunciatur, vt Fidelibus liceat cum illo in Ecclesiastica sepultura, & publicis suffragijs communicare, & ita sensisse videntur *Panormitan. et alij in d. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat. Castro l. 2. de iusta hæretic. punit. Nauar. in Sum. c. 2. num. 27. Alter. l. 3. disp. 2. Fauentin. de Censur. in 4. dist. 25. disput. 4. q. 1. c. 3. num. 13.* & nouissime *Io. Maria de Castilento in Polyanth. Seraph. V. Censura difficult. 16. vers. Verum est tamen.*

3 Aduerto 3. prædictam absolutionem, licet vere, & proptie absolutio non sit quo ad Deum, vt præcitati DD. bene dicebant (apud Deum enim per contritionem iam absolutus censetur) tamen esse veram absolutionem quo ad Ecclesiam, vt aduertit *Suarez de Censur. disp. 7. sect. 1. num. 4. Megal. p. 3. l. 1. c. 8. n. 4. & Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 1. c. 24. respon. 5. cum Matta de Iurisdict. par. 3. c. 19. num. 26.* per prædictam enim absolutionem tum corpus Excommunicati, quod inhabile remansit ad Ecclesiasticam sepulturam, tum anima eiusdem, quæ remansit incapax communium orationum, Indulgentiarum, & suffragiorum Ecclesiæ, fiunt habilia, & capacia horum bonorum Ecclesiasticorum, cum talis absolutio prædictam inhabilitatem, & incapacitatem tollat, quo ad hoc enim illa adhuc erant eatenus Ecclesiæ subdita, quatenus his bonis ea priuari poterant, licet mortui Ecclesiæ subditi non sint quo ad absolutionem peccatorum, & idcirco Ecclesia requirat pœnitentiæ signa, quia non debet quis mortuum ab Excommunicationis vinculo absoluere quo ad alios effectus, nisi prius ex præhabitis pœnitentiæ signis talem Excommunicatum quo ad Deum à culpa absolutum esse supponat, vt expressissime tradit *Zambran. in decision. artic. mort. cap. 5. dub. 2. num. 5.* vnde Ecclesia per Excommunicati mortui absolutionem declarat quidem illum absolutum quo ad culpam, & quo ad Deum; sed aliquomodo vere absoluit quo ad censuræ ligamen, & quo ad impedimentum inhabilitatis ad bona Ecclesiastica prædicta. His ergo positis,

5 Dico per sepulturam Excommunicati post mortem legitime absoluti Ecclesiam non pollui, quia non est amplius Excommunicatus, cum valide fuerit absolutus. Dixi, *legitime absoluti*, quia licet is, qui *cum signis pœnitentiæ* decessit, possit, *vt dictum est*, post mortem ab Excommunicatione absolui; non tamen à quocumque, sicut poterat in articulo mortis, sed ab eo tantum, qui in vita talem Excommunicatum absoluere poterat: ratio autem est, quia post mortem non est amplius ea necessitas, nec durat illud priuilegium absoluendi, quæ erant in articulo mortis, vt statuitur in *d. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat. §. Vt autem*, & docet *Glossa ibi, V. Non potuerit, & V. Forma.* nec non apertissime *Persicus de 1. Sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 7. n. 70. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. Allegat. 28. num. 52. in fin. Iordan. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 130. Antonell. de Regim. Ecclesiast. Episcopal. p. 1. l. 1. c. 16. num. 8. in fin.* & fere omnes *praced. cap. num. 4.* allegati, nisi aliud ex delegata quapiam facultate colligatur, vt *ibidem* dicebamus *num. 7.*

5 Dices non posse assignari, in quo consistat prædicta inhabilitas, seu incapacitas Excommunicati mortui, quæ post mortem per absolutionem tollitur, nisi vel in declaratione quadam, quod talis mortuus non sit amplius Excommunicatus, eo quod iam ab ea liber præsumatur ex prædictis pœnitentiæ signis ante mortem ab eo editis, vel certe in ablatione quadam præcepti, seu prohibitionis illius Ecclesiasticæ, quæ antea obligabat Fideles ad non communicandum per sepulturam,

ram, & per suffragiorum communium oblationem cum Excommunicatis; sed neutrum ex his est vera absolutio, nec vere mortuum Excommunicatum prædictorum bonorum intrinsece capacem facit; sed eum, qui capax illorum iam antea etiam erat, extrinsece talem declarat, & Fidelibus denunciat, vt licite cum eo communicare queant, ergo vel polluitur Ecclesia etiam post talem Excommunicati ibi sepulti absolutionem, vel nō polluitur per contriti Excommunicati sepulturam, etiam si post mortem absolutus non sit, quod *cap. præced.* falsum diximus.

6 Respondeo ex *Suar. de Censur. disp. 9 sect.* 1. *&* 4. & clarius ex *Filliuc. tr.* 12. *c.* 2. inhabilitatem, incapacitatem, & priuationem prædictam, quam ponimus in Excommunicato mortuo respectu prædictorum Ecclesiasticorum bonorum, antequam absoluatur, non esse nouam aliquam qualitatem, aut maculam vllam, vel quid simile in Excommunicato positum; sed tantummodo esse effectum quendam intentionis illius, quam habet Ecclesia, priuandi talibus bonis Excommunicatum, cum enim ea sint communia bona, ad Ecclesiæ dispensationem pertinent. Vnde Ecclesia, coniungendo cum potestate voluntatem, efficaciter excludit à talium bonorum participatione Excommunicatum, & hæc exclusio in Excommunicatis dicitur quædam quasi inhabilitas, & incapacitas (quam per peccatum, & contumaciam cōtra Ecclesiam ab Ecclesia ij meruere) licet hæc incapacitas potius pendeat ab Ecclesia, quam ab Excommunicato, quia iste in se, vt est Diuinæ gratiæ capax, ita etiam esset Ecclesiasticorum suffragiorum, nisi per prædictam Ecclesiæ intentionem bonis ijs priuatus, & ad ea ante Excommunicationis absolutionem inhabilis factus esset. Hæc autem Ecclesiæ intentio, per quam Ecclesia vere Excommunicatos à suis suffragijs ante Excommunicationis absolutionem excludit, est quid valde distinctum, & diuersum à Præcepto, quod inde Ecclesia imponit suis ministris, ne applicent Excommunicatis communia suffragia: illa intentio efficax excludendi Excommunicatos facit, vt, si eis talia suffragia à Fidelibus applicentur, inualide applicentur; istud autem facit ex se tantum, vt illicite applicentur: vnde, posita illa intentione, & præcepto, inualide, & illicite iam ea applicantur. voluntas illa Ecclesiæ, & efficax illius intentio excludens à communibus Ecclesiæ suffragijs Excommunicatos est quid fori interioris; & tollitur per absolutionem ab Excommunicatione etiam in foro interno tantum; præceptum vero ministris Ecclesiæ impositum, ne prædicta communia Ecclesiæ suffragia Excommunicatis applicent, est quid fori externi, & tollitur per absolutionem in foro externo, seu per declarationem publice factam absolutionis in foro interno præstitæ, & pro foro etiam externo acceptatæ, non secus ac si Excommunicatus absolutus vere fuisset in vtroque foro. Hinc absolutio ab Excommunicatione mortuorū, in foro interno tantum, committi solet à S. Pœnitētiaria, teste *Thesauro in Praxi Ecclesiast. par.* 1. *cap.* 24. *respon.* 5. *in fin.* & adhuc post talem absolutionem in foro conscientiæ datam, requiritur alia absolutio in foro externo, vel saltem declaratio, quod acceptetur prædicta etiam pro foro externo, si enim Excommunicatus absoluatur solum in foro interno post mortem, v. g. per commissionem prædictam à S. Pœnitentiaria habitam, vere in foro interno ille sic absolutus capax erit cōmunium Ecclesiæ suffragiorum, & licite poterunt Fideles occulte illum in Ecclesia sepelire, & consequenter etiam absq. illius Ecclesiæ pollutione; sed, si id facerent publice (cum in foro externo adhuc ille habeatur pro Excōmunicato vitando) illicite id facerent, & contra prædictum Ecclesiæ præceptum, quod, in re graui cum sit, grauiter etiam obligat, immo in foro externo puniri possent, tanquam Ecclesiæ pollutores, tunc enim etiam talis Ecclesia præsumeretur in foro externo polluta, & qui Missæ Sacrificium pro tali Excommunicato, qui in foro tantum interno absolutus fuit, offerret, illicite id faceret, quia in foro externo faceret contra Ecclesiæ præceptum; sed tale sacrificium, etiā quā ab Ecclesia oblatum, tali Excommunicato prodesset, & valide ei applicaretur, quia Ecclesia per absolutionem in foro interno præstitam abstulit à prædicto Excommunicato sic absoluto inhabilitatem, & incapacitatem prædictam ad talia suffragia, licet nondum Ecclesia abstulerit præceptum, & prohibitionem suam, ne pro tali Excommunicato, qui nondum in foro externo absolutus fuit, talia suffragia offerantur.

7 Colligo proinde absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro etiam externo adeo in Iure Canonico celebrem esse, & tritam, vt etiam forma illius assignetur in *dict. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat.* & tunc Excommunicati cadauer, si nondum sepultum, aut in loco non sacro sepultum sit, vel certe sepulcrum, si in loco sacro cadauer sepultum fuerit, flagellandum esse tradat *Marta de Iurisdict. par.* 3. *c.* 19. *num.* 26. cum multis *Vgolinus de censur. tab.* 2. *c.* 31. *num.* 3.

Quomodo differant inter se absolutio improprie, & absolutio proprie ad reincidentiam, nu. 3.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati proprie ad reincidentiam absoluti, qui reinciderat; nisi post reincidentiam idem denuo denunciatus fuisset Excommunicatus, num. 4.

Prædictus reincidens cur non potuerit vere denunciari Excommunicatus ante actualem ipsam reincidentiam: ibidem.

Bonacina expresse visus est quæstionem hanc tetigisse, sed contrariam sententiam amplexus est. ibid.

Reincidens prædicto modo in Excommunicationem cur subyciatur eidem sententiæ Excommunicationis; sed non eidem declarationi, & denunciationi sententiæ, num. 5.

1 ADuerto 1. Absoluere ab Excommunicatione ad reincidentiam esse Tollere Excommunicationem non absolute; sed ita vt reditura sit vel post certum tẽpus, vel post talem effectum, vel certe ob defectum, seu non adimpletionem operis, seu alterius conditionis, sub qua absolutio data sit, vnde absolutio ad reincidentiam duplex est, seu duobus modis fieri potest: Primo modo, quando absolutio ex intentione absoluentis non conceditur, vt perpetua, sed ad limitatum effectum, vel tempus, vt cum quis absoluitur solum ad ferendum testimonium *ex Cap. Veniens, 2. de testib.* vel solum ad hunc effectum, vt Beneficij collatio valeat, vt colligitur ex *Cap. Apostolicæ, de Exception.* & est in communi praxi Ecclesię Romanę in Literis collationum Beneficiorum, &c. & hæc absolutio improprie dicitur ad reincidentiam, cum proprie sit absolutio ad certum tantummodo tempus, vel certum solummodo actum: Secundo autem modo, quando absolutio ex intentione absoluentis datur non ad definitũ tempus, vel actum, sed vt simpliciter valeat, & perpetua sit, sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi, qua conditione non impleta, iterum incidatur in prædictam Excommunicationem, & hæc proprie dicitur absolutio ad reincidentiam.

2 Aduerto 2. Excommunicatos primo modo absolutos adhuc post talem actum, vel tempus definitum sine dubio videri mihi, vt antea, Excommunicatos, &, vt antea, denunciatos, cũ non absolute absoluti fuerint; sed pro tali tantum tempore, vel actu; ideoque post tale tempus, vel actum ex vi eiusdem pristinæ sententiæ, & declaratoriæ tales Excommunicatos vere credo esse vitandos, pro vt erant ante tale tempus, vel actum, pro quo tantum fuerant absoluti, & cõsequenter etiam credo per illorum sepulturam Ecclesiam pollui ex antea dictis. tãtum ergo dubium est de proprie absolutis ad reincidentiam, & ratio dubitandi inde est, quia secunda Excommunicatio, quæ incurritur per reincidentiam proprie dictam (de qua tantum sermo erit in posterum) non est vere eadem cum prima Excommunicatione, à qua absolutio data est ad reincidentiam, sed est alia Excommunicatio, quæ saltem numero, si non specie, distinguitur à priori, vt annotauit *Sanchez in Summ. l. 2. c. 13. num. 18.* & expresse docuit *Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. nu. 8. vers. Secundo datur.* vnde reincidens in Excommunicationem non videtur propter hanc secundam Excommunicationem vitandus, cum hæc non fuerit denunciata, nec videtur amplius vitandus propter primam, quia ab ea iam fuit absolutus, & consequenter proprie reincidens in Excommunicationem, donec hæc etiam secunda Excommunicatio, qua reincidens ligatur, nominatim denuncietur, videtur Excommunicatus toleratus.

3 Aduerto 3. licet etiam in absolutione improprie ad reincidentiam dicatur quis pro tali tempore, vel actu absolutus ab Excommunicatione, non secus ac in absolutione proprie ad reincidentiam; tamen vnam absolutionem valde differre ab alia, in absolutione enim improprie ad reincidentiam non absoluitur quis à censura Excommunicationis; sed absoluitur ab aliquo tantum illius effectu, & ideo nullus alius a Põtifice vti potest eo modo absoluendi, quia nemini concessum est, stante censura, illius effectus (quos ex Pontificia institutione censura habet) impedire, præterquam in casu ad testimonium dicendum, quando alia via veritas haberi nõ potest, ex *d. Cap. Veniens, 2. de testib.* iuncto *Cap. Præterea, de offic. delegat.* sed in absolutione proprie ad reincidentiam vere absoluitur quis à censura Excommunicationis, ita vt vere cẽsura omnino destruatur, & aboleatur; licet postea, posita, vel non posita tali conditione, de nouo renascatur alia Excommunicatio priori destructę similis, & æquiualens etiam in reseruatione, quia sic lata fuit sententia in absolutione à priori Excommunicatione, vt clare habetur ex *Castropal. de Censur. disput. 1. punct. 11. §. 2. num. 10. & 12.* Quare, his consideratis,

4 Dico per sepulturam Excommunicati proprie ad reincidentiam absoluti, qui reinciderat, Ecclesiam non pollui, nisi is etiam denuo post prædictam reincidentiam in Excommunicationem sub prædicta conditione latam denunciatus

nunciatus fuisset Excommunicatus ex vi prædictæ reincidentiæ, quod apertè colligitur ex iis, quæ *Cap.7. huius disput.num.3.* diximus cum *Suar. & alijs ibi citatis*, dum de sententia Excommunicationis solum de futuro, & sub conditione, non autem absoluta agebamus. Ratio autem est eadem, quam *num. 2.* diximus, quia scilicet sic reincidens in Excommunicationem non est vitandus ob priorem censuram, quia iam ab ea vere absolutus fuit, neque est vitandus ob secundam, quia Excõmunicatio nominatim non denunciata non facit Excõmunicatum vitandum; hæc autem Excommunicatio, qua sic reincidens ligatur, nõ potuit sic denunciari ante reincidentiam, quia non erat certa, & determinata; post reincidentiam vero non fuit denunciata, vt suppono, & consequenter sic reincidens nullo modo est vitandus, nec per illius sepulturam polluitur Ecclesia, quid quid in contrarium dixerit *Bonacina de Censur. in communi, disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 17.* à quo breuissime tactam quæstionem hanc vidi.

5 Colligo, quamuis Excommunicatus proprie ad reincidentiam absolutus, qui reincidit, reincidat in eandem sententiam, vt expresse habetur in *Cap. Eos, qui, de sent. Excommunic.* quia vere per eam sententiam reincidit in Excommunicationem; falsum tamen esse, quod sic reincidens in Excommunicationem subijciatur eidem declarationi, & denunciationi sententiæ, quia tunc nondum reinciderat in Excommunicationem, vnde nec certo, determinate, & absolute denunciari Excommunicatus tunc poterat, vt in simili dixit *Cardinal. de Lugo Respons. Moral. l. 2. dub. 6.*

CAPVT XVI.

An per sepulturam Excommunicati in articulo mortis à quocumque Sacerdote absoluti polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

Sacerdoti cuilibet licet valide absoluere in articulo mortis constitutos ab omnibus quantumcumque reseruatis peccatis, & censuris, num. 1.

Etiamsi prædictus Sacerdos sit degradatus, vel Excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, ibid.

An id verum sit, si pateat aditus ad Superiorem, immo si præsens sit alius approbatus, vel Superior ipse, qui non recuset absoluere, ibid.

Articulus, & periculum mortis, quo ad hunc effectum, pro eodem sumuntur, dummodo periculum sit necessario adeundum, num. 2.

Nihil refert, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco articulus, vel periculum mortis instet. ibidem.

Id fieri potest etiam à prima die periculosæ infirmitatis, ibidem.

Absolutio tunc valide impenditur, etiamsi non essentialia non seruentur, num. 3.

Necesse tamen tunc etiam est ad validam Excommunicationis absolutionem, vt absolutus absolutionem manifestet signo aliquo externo. ibidem.

Ecclesia non polluitur per sepulturam Excommunicati absoluti in articulo, vel periculo mortis à quocumque Sacerdote, & quocumque in casu, num. 4.

Periculum inualide prædictam absolutionem impendendi quomodo tunc vitetur, num. 5. & 6.

Ecclesia concurrit cum opinione probabili, & dat iurisdictionem necessariam pro salute Fidelium, num. 6.

Concilij Tridentini decretum, & ratio ab ipso allata quomodo intelligi debeant, & nobis nequaquam contrarientur, num. 7. & 8.

Multi adeo sunt infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur, num. 8.

Absoluendi facultas prædicta absolute, & simpliciter data fuit absque necessaria connexione ad Sacramentum Pœnitentiæ, quicquid sit de occasione, quæ Concilium Tridentinum impulit ad eam dandum, num. 9. & 10.

Casus Papalis, superueniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis, & c. non valet nisi extra articulum mortis, vel sit specialis commissio in Iure, num. 11. & 12.

Canon Presbyter, 26. q. 6. *& similes textus de quanam Pœnitentia loquantur, num. 12.*

Pœnitentia solemnis antiquitus quid esset. ibid.

Extrauagantes Inter cunctas, de Priuileg. *&* 1. de sent. Excommunic. *verba faciunt de absolutione danda extra mortis articulum. ibidem.*

Catechismus Romanus, *qui videtur contra nos, loquitur solum de congruentia, & ex æquo; non de necessitate. ibid.*

Declaratio Greg. XIII. quæ asseritur ab aliquibus pro contraria sententia, non habetur authentice. ibid.

Taliter absolutus vere est absolutus in vtroque foro, num. 13.

Onus comparendi coram Superiore cur, & quando imponatur, ibid.
Sic absolutus non indiget alia absolutione nec directa, nec indirecta. ibid.

1 ADuerto 1. cum certum sit cuilibet Sacerdoti competere facultatem valide absoluendi constitutos in articulo mortis ab omnibus, etiam quomodolibet reseruatis peccatis, & censuris *ex multis decretis 26. q.6. Cap. fin. de Censur. & Cap. Eos, de sent. Excommun. in 6.* & nouissime *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 7.* vbi hanc semper generalem Ecclesiæ consuetudinem fuisse testatur, cumque communis DD. sententia idipsum asserat de quocumqu: simplici Sacerdote, quamuis sit degradatus, vel Excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, vt videre est apud *Bassæum V. Absolutio, num. 31.* propterea dubium tantum videri in casu, quo simplex Sacerdos id faciat, etiamsi pateat aditus ad Superiorem, vel approbatum confessarium, immo etiam præsente Superiore, vel approbato ipso, qui non recuset absoluere, multi enim tunc id à simplici Sacerdote valide fieri absolute negant; alij absolute affirmant, & alij adhuc aliter distinguunt, vt videri potest apud *Zambran. de casib. articul. mort. cap. 4. dub. 4. num. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 13. num. 6. Dian. part. 1. tract. 5. resol. 5. & p. 5. tr. 9. resolut. 67.* & nouissime *Vidal de Pænit. disqu. sit. 7. num. 5. & seq.*

2 Aduerto 2. quo ad hunc effectum, pro eodem sumi articulum, & morale periculum mortis; quantumuis alioqui hæc duo re, & nomine distinguantur; periculum tamen debet esse necessario adeundum, vt excludatur periculum in ludo hastarum, taurorum agitatione, & similibus, & præterea debet esse tale, vt saltem per verisimilem coniecturam ex eo secutura mors timeatur, vt quando quis suscepturus est nauigationem periculosam, vel iter prædonibus expositum, vel alicui exscindendus est calculus, aut hernia, & c. nihil enim refert siue ab intrinseco, siue ab extrinseco periculum, vel mortis articulus instet; immo ad hunc effectum absolutionis validè impendendæ sufficit, si timeatur amissio vsus rationis perpetua; licet mors non timeatur, amittens enim vsum rationis absque absolutione ita est in periculo damnationis, & c. ac si absque absolutione moreretur, prout docent *Couar. in Cap. Alma mater, p. 1. §. 11. nu. 8. vers. 3.* vbi testatur de communi, *Reginald. l. 9. num. 10. Vasq. de Pænit. q. 93. art. 1. dub. 5. num. 2. Suar. de Pænit. disp. 26. sect. 4. num. 3. Molin. de Iust. & Iur. tom. 4. disp. 63. num. 6. Sayr. l. 2. Thesaur. cap. 2. num. 20. Crolers ad cap. 7. Regul. S. Franc. lect. 23. Sanchez, Bassæus, & Diana ll. cc. nec non Sancius in Select. disp. 12. num. 5.* qui idipsum fieri posse docet etiam à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris laterum, & c.

3 Aduerto 3. in tali articulo, seu periculo valide prædictam absolutionem impendi, etiamsi absoluens in tali absolutione solitas cæremonias, aut verba, aut alia tunc non essentialiter seruanda non seruaret, noluit enim Ecclesia, teste *Sanchez l. c.* absolutionis valorem in tanta necessitate ex absoluentis negligentia, aut ignorantia pendere. vnde sufficit, si vere absoluens Excommunicationis absolutionem manifestet aliquo signo externo, quod ad essentiam absolutionis pertinet, cum sit actus iurisdictionis, atque etiam restitutionis ad pristinam Ecclesiæ communionem, vt optime docuit *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 7.* & alij communiter.

4 Dico per sepulturam Excommunicati in articulo, vel periculo mortis à quocumque Sacerdote quocumq. in casu absoluti Ecclesiam non pollui. Ratio est, quia sic absolutus valide absolutus fuit iuxta sententiam animarum saluti fauorabiliorem, *quam libentissime sequimur*, ac proinde taliter absolutus non est amplius Excommunicatus, nec consequenter vitandus, vnde in loco sacro sepeliri potuit, quod affirmare coguntur, quicumque iuxta prædictam sententiam nobiscum sentiunt, & expresse tradunt *Suar. de Censur. disp. 12. sect. 4. num. 3. versic. Atque hinc, Megal. de Censur. l. 2. c. 2. num. 58.* alijq. ibi citati, qui sic absolutum in Ecclesia licite sepeliri posse dixerunt, & *Persic. de 1. Sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 7. num. 70.* qui in terminis nostris de Ecclesiæ pollutione loquitur, & per Excommunicati sic absoluti sepulturam locum sacrum nequaquam pollui apertissime docet, & plures alios allegat.

5 Dices 1. Simplex Sacerdos absoluens constitutum in articulo, vel periculo mortis, præsente approbato, vel Superiore, qui certo habet facultatem absoluendi etiam extra illũ articulum, vel periculum, exponit se periculo non solum illicite, sed etiam inualide absoluendi, & consequenter etiam exponit sic absolutum periculo priuationis effectuum et tali absolutione ob periculum inualiditatis prædictæ absolutionis, ergo in hoc periculo, & dubio standum est pro validitate Excommunicationis præcedentis, quæ certa est, & non pro validitate absolutionis sic datæ, quæ incerta est.

6 Respondeo sic absoluentem probabiliter, ac

ac proinde prudenter, & licite operari, valide etiam probabiliter valide absolutus asseritur, qui sic absolutus fuit: dat enim Ecclesia iurisdictionem ad id necessariam pro salute animarum concurrendo cum opinione probabili, vt bene dicit *Diana p. 3. tr. de opinione probabili, resol. 2. & Bardi de Conscient. discept. 6. cap. 11. p. 4. §. 3. num. 19.* & talis est vsus communis ex *Cardinal. de Lugo de Pœnit. disp. 19. num. 34.*

7 Dices 2. Interpretari debemus Concilium Tridentinum iuxta rationem ab ipso expressã in lege, hæc enim est optima legis interpretatio ex *Iason. L. de quibus, ff. de legibus, num. 5. Bald. L. si quis, C. de furt. num. 7. Castro lib. 1. de leg. pœnal. c. 7. docum. 3.* & alijs passim; sed ratio Tridentini est; *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quod obtinetur plenissime, si quicumque Sacerdos absoluat ex defectu legitimi, & c. ergo hoc tantum modo Concilij mens accipienda est.

8 Respondeo adhuc melius saluari rationem prædictam Tridentini, si cuicumq. Sacerdoti talis facultas absoluendi detur in quocumq. casu, vt absoluendus liberius eligat, quem velit, ad quod etiam fortasse respexit Synodus ipsa Tridentina, nec improbabile videtur: *multi* enim (inquit *D. Th. in 4. distin. 17. q. 3. art. 4. ad 6.*) *adeo sunt infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur.*

9 Dices 3. facultas absoluendi à censuris tunc cuilibet Sacerdoti conceditur; quia talis facultas sæpe necessaria est ad Sacramentalem absolutionem conferendam, ergo saltem quando absolutio à censuris datur sine absolutione à peccatis, neo in ordine ad istam, illa erit inualida, ex *Vidal. l. c. num. 40. 41. & 42.*

10 Respondeo cum *Laym. l. c. num. 2.* licet prædicta causa, seu occasio Concilium impulerit ad talem facultatem tunc cuilibet Sacerdoti concedendam; nihilominus per se, & simpliciter, atq. adeo sine necessaria connexione ad Sacramentũ Pœnitentiæ concessam fuisse, vt verba Concilij aperte significant, quæ, quia fauorem, & gratiam continent, late interpretanda sunt.

11 Dices 4. ex regula communiter recepta, Casus Papalis, superueniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis, & Episcopalis fit Parochialis ob eandem rationem, ergo prædicta absoluendi facultas non debet credi concessa inferioribus, nisi in supplementum, & defectum Superiorum.

12 Respondeo prædictam regulam valere tantum extra articulum, vel periculum mortis, nisi specialis in iure commissio fiat, prout in tali etiam articulo, seu periculo absolutio eius, qui Clericum percussit, peculiariter Episcopo committitur, si adiri possit, quæ commissio cessat in alijs casibus etiam Papalibus, si non sit expressa in iure, vt docet *Laym. l. c. num. 5.* vnde decretum *Concilij Carthag. 3. can. 32.* relatum *Can. Presbyter. 26. q. 6.* & similes textus, vbi prohiberi videtur, ne Presbyter, inconsulto Episcopo, reconciliet pœnitentem, nisi vltima necessitas, absente Episcopo, id cogat, intelligi debent non de absolutione interna, aut externa à peccatis, vel à censuris; sed de solemni quadam pœnitentia, quæ antiquitus ob notoria crimina publice imponebatur pœnitentibus, antequã absoluerentur; vt eruitur ex *Gloss. ibidem*, & aperte traditur à *Vidal. l. c. num. 36. & 37.* qui etiam *num. 39.* optime aduertit in *Extrau. Inter cunctas, §. Incendiarios, de Priuil. §. & Extrau. 1. §. decreuimus, de sent. Excommunic.* sermonem esse de absolutione danda extra mortis articulum, in quo id etiam ibi omnibus conceditur absolute: nec obstare putat Catechismi Romani doctrinam, vbi de Sacramento Pœnitentiæ apertissime docet, in ipso mortis articulo, si approbati Sacerdotis copia sit, non approbatum absoluere non posse, accipi enim debet ita; vt loquatur solum de congruentia, & ex æquo; non autem de necessitate; quod etiam fortasse dici potest ad omnes textus Canonicos, qui nobis contrarij videntur, cum non irritent contrarium; sed tantum id disponant, vt aliquid cõgruentius; & quamuis *Molina d. tom. 4. de Iust. tr. 3. disp. 63. n. 2.* asserat Gregorium XIII. idipsum contra nos declarasse; tamen *Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 18. sect. 2. §. 2. num. 24. in fin.* de prædicta declaratoria authentice non constare affirmat.

13 Colligo taliter absolutum vere esse absolutum in vtroque foro, quia sic absoluens habet ad id facultatem à Pontifice expressam in Concilio Tridentino *l. c.* vnde non requiritur alia absolutio pro foro externo ad talis absolutionis effectus obtinendos, v. g. ad Excommunicatum Sepeliendum in loco sacro, & c. sed sufficit, quod taliter absolutum fuisse cõstet saltem per vnicum testem, vel per fidem ipsius absoluentis, vt egregie docuit *Alphonsus de Leon. de Confes.* ideoque onus comparendi coram Superiore habente auctoritatem absoluendi extra illum mortis articulum, vel periculum, non ideo imponitur, vt absolutus iterum ab eo absoluatur, nec directè, nec indirectè, cum iam vere sit perfectè absolutus, ac si ab eodem Superiore absolutus fuisset

sed vt superior conuenientem medicinam adhibeat, & satisfactionem imponat, si imponendam iudicarit, vt expresse colligitur ex *Cap. Quamuis, de sent. Excommunicat.* & *Cap. de cætero, eod. tit.* & tradunt *Glossa ibi V. Suscepturus, Abb. num. vlt. Enriq. l. 6. de Pœnit. c. 6. num. 6. Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 6. & tom. 5. disput. 22. sect. 2. nu. 62. Sanch. l. c. num. 27.* & nouissimè *Petrus Marchant.* in suo *Tribunali tom. 1. tr. 2. tit. 4. quæst. 7. conclus. 3.* qui tamen aduertit solum imponi prædictum onus comparendi in censuris ad externum, siue contentiosum forum deductis, quando obedientia aliqua ob contumaciam in exterio foro præstanda est Superiori, aut etiam satisfactio parti læsæ, si læsa sit, vt videre est apud *Bassaeum in Flor. Theol. V. Excommunicatio V num. 7. Vers. Aduertit tamen.*

CAPVT XVII.

An per sepulturam Excommunicati in articulo mortis à non Sacerdote absoluti Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Clericus non Sacerdos, dummodo habeat Iurisdictionem in foro contentioso, vt Excommunicare, ita absoluere ab Excommunicatione potest, num. 1.

Clericis omnibus facultatem competere absoluendi à censuris in articulo mortis aliqui docuerunt, ibid.

Facultas absoluendi extra forum Pœnitentiæ ab Excommunicatione à Papa concedi potest etiam Laico baptizato, num. 2.

De facto facultatem Laicis concessam fuisse, vt in articulo mortis absoluere possint à censuris, multi senserunt, ibid.

A Laicis exerceri Spiritualia odiosum est, & restringendum, num. 3.

Ecclesia, quando voluit aliquid spirituale exerceri posse à Laicis in casu necessitatis, id expressit. ibid.

Probabilius est, quod per sepulturam Excommunicati à quocumque non Sacerdote in articulo mortis absoluti Ecclesia polluatur, nu. 4.

Canon Quem pœniter, de Pœnit. dist. 1. & Can. Sanctum est, de Consecr. dist. 4. *Explicantur ita, vt nihil ex ijs sit contra prædicta, num. 5.*

1 ADuerto 1. nomine non Sacerdotis hic accipi posse vel Clericum à prima tonsura vsque ad Diaconatum inclusiue, vel Laicum quemcumque baptizatum: & quo ad Clericum quidem, sicut Clericus non Sacerdos Excommunicare, ita etiam ab Excommunicatione absoluere potest, hæc enim Iurisdictionis sunt, & non Ordinis, & absoluendi potestas par est cum potestate ligandi, *argum. Can. Verbum, de Pœnit. dist. 1. & L. Qui condemnare, ff. de reg. iur.* dummodo Clericus iurisdictionem in foro contentioso habeat, pro vt exemplum affertur ab *Enriq. l. 13. de Excommunicat. c. 27. §. 4.* de Vicario Episcopi, qui, etiamsi Sacerdos non sit, ab Excommunicatione absoluere potest etiam extra articulum mortis. Quare de his Clericis hic sermo non est; sed de alijs nullam huiusmodi Iurisdictionem in foro contentioso nec ordinariam, nec delegatam habentibus, & de his quæritur, an in articulo mortis valide ab Excommunicatione absoluere possint, sicuti in tali articulo facultas absoluendi ab omnibus peccatis, & Censuris cuilibet Sacerdoti competit ex *cap. præced.* & Doctores quidem non pœnitendi, vt ait *Sanch. in Decal. 6. 2. c. 13.* in casu nostro simplicibus Clericis, etiã primâ tantum tonsura insignitis, facultatem absoluendi à censuris vel absolute, vel saltem sub ea conditione, si possum, competere affirmant, ità *Enriq. de Sacram. Pœnit. l. 3. c. 9. §. 5.* qui ait hanc eandem fuisse sententiam *Victoriæ, Mantij, & Pennæ*, eamque secutus est *Rodriq. in Sum. p. 1. c. 59. num. 16.* & maximè, si talis clericus non Sacerdos haberet alioqui talem Iurisdictionem in foro contentioso, v. g. quia esset Vicarius Episcopi, licet absoluendus non esset alioqui sub illius Iurisdictione; tunc enim secundum plures probabile valde est Ecclesiam ex pietate materna prorogare talis Vicarij Iurisdictionem etiam ad talem moribundum, vnde etiam *Præpositus in 3. p. q. 1. de Censur. in communi, dub. 14. num. 97.* absolute probabile putat, quod omnis Clericus absoluere possit in tali articulo à censura saltem Excommunicationis, nec dissentit *Diana p. 5. tr. 9. resol. 7.* loquimur autem semper de absolutione Excommunicationis danda extra Sacramentum Pœnitentiæ, nam in foro illo Pœnitentiæ nemo non sacerdos in quolibet casu, & quacumque Iurisdictione, aut commissione, etiam Papali, absoluere potest, vt patet ex Tridentino *sess. 14. c. 6. de Pœnitentia*, & ex alijs, quæ affert *Sayr. de Censur. l. 2. c. 21. num. 3.*

2 Aduerto 2. quo ad Laicum negari non posse, quin Laico Fideli tribui possit tam Ex-

com-

communicandi, quam absoluendi facultas à Papa; Pontificio enim tantum iure cautum est, vt Ecclesiastica Iurisdictio à solis Clericis exerceatur, *Cap. Decernimus, de iudic.* cui iuri Papa præest. vnde, cum vir baptizatus sit capax iurisdictionis necessariæ ad absoluendum ab Excommunicatione, non solum ex antiquioribus; sed etiam ex recentioribus plures senserunt de facto talem facultatem ex tacita delegatione Summi Pontificis benigne concessam fuisse Laicis, vt in articulo mortis à censuris absoluere possint, sicuti in tali casu Sacerdotibus omnibus concessum fuit, vt à peccatis omnibus absoluere queant, quia Sacerdotes omnes eius facultatis capaces sunt. Sic *Glossa in Cap. Pastoralis, §. præterea, vers. Præterquam in morte, de offic. ord. & in Cap. A nobis, & Cap. Non potuerit, de sent. Excommunicat. Sylvest. V. Absolutio 1. num. 8. ad finem. Armilla ibi num. 39. Tabiena V. Absolutio 2. num. 8. Angel. V. Absolutio 3. num. 17. Abbas, & Felin. in d. Cap. A nobis, num. 10. Ripa tr. de Peste, cap. de Priuileg. Iudic. causa pestis, num. 46. D. Anton. p. 3. tit. 17. c. 4. casu 7. Ledesm. 2. p. 4. quæst. 26. art. 1. vers. Sed hæsitabis, Margarita Confessor. fol. 139. B. Ledesm. de Sacram. vbi de Excommunicat. dub. 14. Cagnol. in L. Heratius, ff. de reg. Iur. Asin. in L. Scriptus hæres, §. sed tunc, nu. 93. ff. de relig. & sumpt. funer. Lauor. tit. 2. c. 12. num. 6. Io. de la Cruz in Director. Conscient. p. 2. de Excommunicat. dub. 4. conclus. 1. Rague. in Lucerna Paroch. de absolut. quæst. 124. 10. Valer. in Different. vtriusq. fori, V. Absolutio, differ. 13. num. 3. Marchin. & Trullench.* apud *Samuel. de Sepultur. tr. 2. controuers. 9. n. 20.* qui concordat, & hanc eandem sententiam probabilem putant *Dian. p. 3. tr. 4. resol. 133. & p. 5. tr. 9. resolut. 7. Auila de Censur. p. 2. c. 7. disput. 1. dub. 3. Bossius in Flor. Theolog. V. Excommunicatio 5. num. 7. Laym. in Summa l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 2. & Io. Sanch. in Select. disput. 44. num. 7.* cum enim Summus Pontifex talem versari opinionem sciat, nec contradicat, inde prædicti DD. probabile putant, quod tunc potestas prædicta Laico concedatur, vt defunctus sepeliri in loco sacro, & sacrificia pro eo offerri possint.

3 Aduerto 3. per se odiosum esse, & à iure alienum, quod Laicus exerceat Spiritualia, vt patet ex *d. Cap. Decernimus, de Iudicijs, Cap. Si vero, de sent. Excommunicat. & Can. Bene quidem, dist. 96.* cum ergo odia restringenda sint, & absoluere ab Excommunicatione sit exercitium Iurisdictionis Spiritualis, idcirco tale exercitium non esse Laico concedendum, nisi vel à Iure concessum, vel vsu introductum fuerit, vt bene aduertit *Bonacina de Censur. disput. 1. quæst. 3. num. 2.* Immo hinc factum est, inquit *Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 7.* vt, quoties Ecclesia voluit spirituale, & Ecclesiasticum quidpiam fieri posse à Laico in huiusmodi necessitatis casu, id ipsa aperte declararit, vt de Baptismo habetur in *Can. In necessitate, de consecrat. dist. 4.* Quamobrem

4 Dico probabilius esse, quod per sepulturam Excommunicati à quocumque non Sacerdote in articulo mortis absoluti Ecclesia polluatur, quia probabilius est, quod inualide absolutus fuerit, cum talis facultas iuxta probabiliorem sententiam solis Sacerdotibus concessa fuerit, neque enim ex iure aliquo, neque ex vsu habemus, quod Ecclesia hanc potestatem Laico concesserit, etiam pro articulo mortis; vnde propter solas aliquas congruentias non est hæc facultas ad Laicos extendenda, maxime cum Concilium Tridentinum, & Iura etiam antiqua omnia, quæ de hac concessione pro articulo mortis loquuntur, semper nominent solum Sacerdotem, & consuetudo ipsa videatur tantum esse de Sacerdotibus, ità communiter Doctores tam Theologi, quam Canonistæ, cum quibus iure, ac merito concordant *Suar. tom. 5. in 3. p. disput. 7. sect. 6. num. 6. Reginal. l. 9. num. 9. Soto in 4. dist. 17. quæst. 4. art. 3. Villalob. in Summ. tom. 1. tr. 6. diffic. 20. nu. 14. Coninch. de Sacram. disp. 14. dub. 16. num. 236. Garzias de Benefic. tom. 2. p. 11. c. 3. num. 253. Faber de censur. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disput. 4. c. 8. num. 257. Turrian. de Censur. l. 2. disp. 24. dub. 4. Hurtad. de Excommun. disp. 15. diffic. 1. num. 3.* & alij passim.

5 Colliges, licet in *Can. Quem pœnitet, de Pœnit. dist. 1.* consuli videatur, quod, si deest Sacerdos, confiteatur quis Proximo, & *Can. Sanctum est, de Consecrat. dist. 4.* quidam videatur reconciliatus Ecclesiæ per quendam Laicum; non tamen inde inferri, quod absolutio à Laico data valeat; in primo enim casu id factum est ad humilitatem, & contritionem ostendendam, non ad veram absolutionem; in secundo vero sermo est tantum de reconciliatione publici Pœnitentis, quæ non erat vera absolutio, vt superius etiam alibi dictum est, & clare tradidit *Filliuc. d. tr. 11. c. 10. num. 320.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

An per sepulturam Excommunicati, qui ante mortem petijt, sed non obtinuit absolutionem, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Excommunicatio absolutè, ac indefinite lata nullo alio modo tollitur, quam legitima absolutione, num. 1.

Excommunicatio durat etiam post mortem tum Excommunicantis, tum Excommunicati, ibidem.

Excommunicatio non incurritur absque contumacia; sed non cessat, cessante contumacia, ibidem.

Excommunicatio quomodo duo contineat, idest tum Exclusionem à Diuina gratia, tum Priuationem aliquorum bonorum Ecclesiasticorum, & alterum tolli possit sine altero, nu. 2.

Excommunicati contritio non tollit Excommunicationis effectus coram Ecclesia; licet obtineat culpæ remissionem coram Deo, num. 3.

Ecclesia polluitur per sepulturam Excommunicati; licet contritionis signa dederit, seu absolutionem petierit, si hanc obtinere nequiuit, num. 4.

S. Congregationis declarationes de sepeliendis in Ecclesia Excommunicatis, qui in articulo mortis pœnitentiæ signa dederunt, quomodo intelligendæ sint, num. 5. & 6.

Qui concedit principale, concedit etiam accessorium, sine quo principale executioni mandari nequit, num. 6.

De iure cadauer Excommunicati sepeliri nequit, nisi prius per absolutionem liberetur ab Excommunicatione. ibid.

S. Congregatio concedens Excommunicatum prædictum sepeliri in loco sacro censetur etiam delegare locorum Episcopis absolutionem ab illius Excommunicatione, si hæc Papalis sit, num. 7.

Ad probandum, quod Excommunicatus cum signis contritionis decesserit, cur sufficiat vnius testis fide dignæ. ibid.

1 ADuerto 1. licet Excommunicatio saltem valide ferri possit sub conditione, ita vt cum primum Excommunicatus à contumacia recesserit, vel satisfecerit, ipso facto liber, & absolutus existat, vt probabiliter docet *Laym. l. 1. tr. 5. c. 7. nu. 1. cum Suarez. Couar. & Aegid.* quos ibidem citat, & sequitur; tamen Excommunicationem absolutè, ac indefinite latam, de qua hic loquimur, nullo alio modo tolli posse, quam legitima Iudicis absolutione, ideoque nec tolli per mortem, aut depositionem Iudicis eam imponentis, nec finiri omnino per mortem ipsius Excommunicati; aut per eiusdem contritionem, & depositionem contumaciæ. Quamuis enim absque contumacia non incurratur Excommunicatio; nihilominus non cessat, cessante contumacia, Excommunicatio, vt colligitur, ex *Cap. Cum desideres, de sent. Excommunicat.*

2 Aduerto 2. cum Excommunicatio non nisi pro culpa mortali imponatur, idcirco in Excommunicatione duo quodammodo côtineri, scilicet Exclusionem à Diuina gratia, & Priuationem aliquorum bonorum Ecclesiasticorum, cuiusmodi sunt Ecclesiastica sepultura, & suffragia, quæ Ecclesiæ nomine pro mortuis à viuis fiunt; & vnum ab alio ita separari posse, vt per Contritionem tolli quidem possit primum; sed non necessario secundum; per legitimam autem absolutionem tolli possit secundum; sed non necessario primum: nec enim necessarium est, vt vno sublato, tollatur & aliud, quia Excommunicatus potest recipere à Deo gratiam; absque eo quod recipiat ab Ecclesia communionem, vel contra ab Ecclesia communionem absq. eo quod recipiat à Deo gratiam; vt clarius etiam ex inferius dicendis patebit.

3 Aduerto 3. donec Excommunicatus absoluatur ab Ecclesia, interim eum censeri debere, & vere esse Excommunicatum coram Ecclesia, ac proinde vitandum etiam post mortem, si ante illam vitandus erat; quia adhuc Excommunicationis effectibus afficitur; quamuis per contritionem, cuius signa ante mortem, vel in morte dedit, à Deo culpæ remissionem talis Excommunicatus obtinuerit. Hinc

4 Dico per sepulturam Excommunicati; licet contritionis signa dederit, seu absolutionem petierit, si hanc obtinere nequiuit, Ecclesiam pollui. Excommunicatus enim semper Excommunicatus remanet, donec absoluatur, nec talis esse desinit, etiamsi contumaciam deposuerit, & pœnitentiam exhibuerit, adeoque dignum se per talia signa ostenderit, qui ab Excommunicatione ante, & post mortem absoluatur, & Ecclesiæ communioni restituatur. ita expresse definiuit Innocentius III. *Cap. A nobis, il 2. de sent. Excommunicat.* & habetur ex *Glossa ibid. & in Cap. Sacris,*

de

de sepult. idemque docent *Panormitan. in d. Cap. A nobis, num.* 10. *Syluest. V. Sepultura, num.* 9. *Nauar. in Man. c.* 26. *num.* 32. *& Consil.* 5. *num.* 1. *&* 3. *de sepulturis, Sayr. de Censur. l.* 2. *c.* 3. *num.* 13. *Vgolin. de Censur. tab.* 2. *cap.* 9. *Bonacin. de Censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 3. *§.* 3. *nu.* 7. *Villalob. tom.* 1. *Sum. tr.* 16. *diffic.* 20. *num.* 20. *Dian. p.* 5. *tr.* 9. *resolut.* 24. *Samuel. de Sepulturis tr.* 2. *controuers.* 9. *num.* 21. *&* 22. *Auil. de Censur. p.* 2. *c.* 4. *disp. vnic. dubit.* 8. *conclus.* 1. *& conclus.* 5. *notab.* 1. *& p.* 5. *disp.* 7. *dubit.* 4. *conclus.* 4. *fin. Suar. de Censur. disp.* 2. *sect.* 4. *nu.* 3. *§. Atq. hinc. Persic. de* 1. *Sacerdot. offic. l.* 1. *c.* 7. *dub.* 7. *num.* 70. *Couar. in Cap. Alma, p.* 1. *§.* 11. *nu.* 4. *Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. allegat.* 28. *num.* 52. *in fin. & Iordan. Elucubrat. tom.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 130.

5 Dices S. *Congregatio Episcoporum, & Regularium negotijs præposita in vna Nolana* 19. *Iulij* 1629. Excommunicatum quendam, qui in articulo mortis pœnitentiæ signa dederat, in loco sacro sepeliri iussit, vt videre est apud *Samuel. l. c.* apud *Gauant. in Manual. Episcop. V. Sepultura, num.* 16. qui aliam similem declarationem refert *ab eadem Congreg. factam* 17. *May* 1583. & apud *Cutill. in Addit. ad Mancin. in Pract. Visitandi Infirmos, tract. de Infirm. in ordine ad Sepult. dub.* 34. ergo signum est Excommunicatum post talia signa non esse amplius Excommunicatum, nec per illius sepulturam Ecclesiam pollui.

6 Respondeo prædicta intelligi debere, dummodo cadauer prius absoluatur, vt declarauit *S. Congregatio Concil.* apud *Bellarminum in obseruat. super Trident. sess.* 24. *c.* 7. *vers. Excommunicatus, qui, &c.* & optime aduertit *d. Cutillus l. c.* qui enim concedit principale, puta, vt Excommunicatus in Ecclesia sepeliatur, concedit etiam accessorium, sine quo principale executioni mandari nequit, vt patet ex *L.* 2. *ff. de Iurisdict. omn. Iudic. & L.* 3. *ff. pro socio,* cum de iure Excommunicati cadauer in Ecclesia sepeliri nequeat, nisi prius per absolutionem, quæ etiam post mortem dari potest, vt *cap. sequen.* dicemus, liberetur ab Excommunicatione: censetur autem Summus Pontifex id concedere non derogando iuri communi, si cum eius obseruantia talis concessio stare potest. vt hic optimè potest. Immo *Samuel. de Sepulturis tr.* 2. *controuers.* 9. *conclus.* 4. *nu.* 10. ait Sacram ipsam Congregationem id, quod diximus, expresse obseruandum statuisse, i. vt tunc cadauer antea absoluatur ab Excommunicatione, & postea tumuletur in Ecclesia, non antea, vt patet ex declaratione facta 16. *Nouembris* 1635.

7 Colligo, quando Sacra Congregatio concessit, vt Excommunicatorum (aliquibus tamen exceptis) cum signis contritionis morientiū cadauera in Ecclesia sepeliri valeant, tunc censeri delegatam quoque locorum Episcopis facultatem absoluendi, si Excommunicatio Papalis sit. Vnde sic optimè & Iuris vigor, & concessionis prædictæ valor absque vlla inconuenientia saluatur, vt bene docuit *idem Cutillus ibidem*, cui sententiæ fauent etiam *Antonuc. in Catechesi Neapol. Tolet. Rodriq. Victorel. Auila, & Filliuc.* apud eundem *Cutillum l. c.* Ad probandum autem, quod Excommunicatus cum signis contritionis decesserit, sufficit vnus testis fide dignus, cum de nullius præiudicio agatur, vt tradit *Cutill. ibid.* & cum eo *Boic. Ascens. & Tolet. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 6.

CAPVT XIX.

An per sepulturam Excommunicati post mortem absoluti Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Vt Excommunicatio, ita absolutio ab Excommunicatione, cur non videatur exerceri posse in mortuos, num. 1.

Absolutio ab Excommunicatione Excommunicatis post mortem præstita quomodo secundum aliquos non sit vera absolutio, sed quædam tantum declaratio, num. 2.

Prædicta absolutio est vere absolutio, non quó ad Deum; sed tantum quo ad Ecclesiam, num. 3.

Per talem absolutionem tollitur in Excommunicato inhabilitas, quam corpus habebat, ad Ecclesiasticam sepulturam, & incapacitas communium suffragiorum, quæ in anima erat. ibidem.

Excommunicatus mortuus non debet absolui, nisi ex datis ante mortem pœnitentię signis quo ad Deum à culpa absolutus præsumatur. ibid.

Ecclesia per sepulturam Excommunicati post mortem legitime absoluti non polluitur, nu. 4.

Excommunicatus non potest post mortem à quocumque absolui, vt poterat in articulo mortis, & cur. ibidem.

Inhabilitas, & incapacitas prædicta, quæ in Excommunicato mortuo tollitur per absolutionem, in quo consistat, num. 5. *&* 6.

Quomodo ea differat ab Ecclesiæ præcepto, seu prohibitione, ne ministri Ecclesiæ talia bona applicent Excōmunicatis nondū absolutis. ibid.

Inten-

Intentio efficax Ecclesiæ excludens Excommunicatum à communibus suffragijs Ecclesiasticis facit, vt, si ista illi applicentur, inualide applicentur. ibid.

S. Pænitentiaria solet committere absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro cõscientiæ tantum. ibid.

Post absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro conscientiæ præstitam quid adhuc in foro externo requiratur, vt licite quis Missæ Sacrificium pro taliter absoluto offerre valeat. ibid.

Absolutio ab Excommunicatione mortuorum in foro quoque externo quomodo præstanda sit, habetur etiam in Iure ipso Canonico, num. 7.

1 ADuerto 1. difficultatem hic nõ paruam esse ex eo, quod Excommunicatio, & absolutio, cum sint actus Iurisdictionis, non videntur exerceri posse in mortuos, vt potè non amplius Ecclesiasticæ Iurisdictioni subiectos: vnde, quod superius diximus de Excommunicatione, quæ ferri nequit in mortuos, idipsum hic dicendum videtur de absolutione ipsa, nisi discrimen assignetur, quod valde difficile apparet.

2 Aduerto 2. hinc ab aliquibus dictum fuisse absolutionem ab Excommunicatione Excommunicatis post eorum mortem præstitam vere non esse absolutionem, sed quandam tantummodo declarationem, per quam, qui apud Deum absolutus decessisse creditur ex signis pœnitentiæ ante mortem editis, post mortem per absolutionem illam talis declaratur, & Ecclesiæ denunciatur, vt Fidelibus liceat cum illo in Ecclesiastica sepultura, & publicis suffragijs communicare, & ita sensisse videntur *Panormitan. et alij in d. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat. Castro l. 2. de iusta hæretic. punit. Nauar. in Sum. c. 2. num. 271. Alter. l. 3. disp. 2. Fauentin. de Censur. in 4. dist. 25. disput. 4. q. 1. c. 3. num. 13.* & nouissime *Io. Maria de Castileneto in Polyanth. Seraph. V. Censura difficult. 16. vers. Verum est tamen.*

3 Aduerto 3. prædictam absolutionem, licet vere, & propriè absolutio non sit quo ad Deum, vt præcitati DD. bene dicebant (apud Deum enim per contritionem iam absolutus censetur) tamen esse veram absolutionem quo ad Ecclesiam, vt aduertit *Suarez de Censur. disp. 7. sect. 1. num. 4. Megal. p. 3. l. 1. c. 8. n. 4. & Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 1. c. 24. respon. 5. cum Marta de Iurisdict. par. 3. c. 19. num. 26.* per prædictam enim absolutionem tum corpus Excommunicati, quod inhabile remansit ad Ecclesiasticam sepulturam, tum anima eiusdem, quæ remansit incapax communium orationum, Indulgentiarum, & suffragiorum Ecclesiæ, fiunt habilia, & capacia horum bonorum Ecclesiasticorum, cum talis absolutio prædictam inhabilitatem, & incapacitatem tollat, quo ad hoc enim illa adhuc erant eatenus Ecclesiæ subdita, quatenus his bonis ea priuari poterant, licet mortui Ecclesiæ subditi non sint quo ad absolutionem peccatorum, & idcircò Ecclesia requirat pœnitentiæ signa, quia non debet quis mortuum ab Excommunicationis vinculo absoluere quo ad alios effectus, nisi prius ex præhabitis pœnitentiæ signis talem Excommunicatum quo ad Deum à culpa absolutum esse supponar, vt expressissime tradit *Zambran. in decision. artic. mort. cap. 5. dub. 2. num. 5.* vnde Ecclesia per Excommunicati mortui absolutionem declarat quidem illum absolutum quo ad culpam, & quo ad Deum; sed aliquomodo vere absoluit quo ad censuræ ligamen, & quo ad impedimentum inhabilitatis ad bona Ecclesiastica prædicta. His ergo positis,

5 Dico per sepulturam Excommunicati post mortem legitime absoluti Ecclesiam non pollui, quia non est amplius Excommunicatus, cum valide fuerit absolutus. Dixi, *legitime absoluti*, quia licet is, qui cum signis pœnitentiæ decessit, possit, vt dictum est, post mortem ab Excommunicatione absolui; non tamen à quocumque, sicut poterat in articulo mortis, sed ab eo tantum, qui in vita talem Excommunicatum absoluere poterat: ratio autem est, quia post mortem non est amplius ea necessitas, nec durat illud priuilegium absoluendi, quæ erant in articulo mortis, vt statuitur in *d. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat. §. Vt autem*, & docet *Glossa ibi, V. Non potuerit, & V. Forma.* nec non apertissime *Persicus de 1. Sacerdot. offic. l. 1. c. 7. dub. 7. n. 70. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. Allegat. 28. num. 52. in fin. Iordan. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 130. Antonell. de Regim. Eccles. Episcopal. p. 1. l. 1. c. 16. num. 8. in fin.* & fere omnes *præced. cap. num. 4.* allegari, nisi aliud ex delegata quapiam facultate colligatur, vt *ibidem* dicebamus *num. 7.*

5 Dices non potest assignari, in quo consistat prædicta inhabilitas, seu incapacitas Excommunicati mortui, quæ post mortem per absolutionem tollitur, nisi vel in declaratione quadam, quod talis mortuus non sit amplius Excommunicatus, eo quod iam ab eo liber præsumatur ex prædictis pœnitentiæ signis ante mortem ab eo editis, vel certe in ablatione quadam præcepti, seu prohibitionis illius Ecclesiasticæ, quæ antea obligabat Fideles ad non communicandum per sepulturam,

ram, & per suffragiorum communium oblationem cum Excommunicatis; sed neutrum ex his est vera absolutio, nec vere mortuum Excommunicatum prædictorum bonorum intrinsece capacem facit; sed eum, qui capax illorum iam antea etiam erat, extrinsece talem declarat, & Fidelibus denunciat, ve licite eum eo communicare queant, ergo vel polluitur Ecclesia etiam post talem Excommunicati ibi sepulti absolutionem, vel nō polluitur per contriti Excommunicati sepulturam, etiam si post mortem absolutus non sit, quod cap. præced. falsum diximus.

6 Respondeo ex *Suar. de Censur. disp. 9 sect. 1. & 4.* & clarius ex *Filliuc. tr. 12. c. 2.* inhabilitatem, incapacitatem, & priuationem prædictam, quam ponimus in Excommunicato mortuo respectu prædictorum Ecclesiasticorum bonorum, antequam absoluatur, non esse nouam aliquam qualitatem, aut maculam vllam, vel quid simile in Excommunicato positum; sed tantummodo esse effectum quendam intentionis illius, quam habet Ecclesia, priuandi talibus bonis Excommunicatum, cum enim ea sint communia bona, ad Ecclesiæ dispensationem pertinent. Vnde Ecclesia, coniungendo cum potestate voluntatem, efficaciter excludit à talium bonorum participatione Excommunicatum, & hæc exclusio in Excommunicatis dicitur quædam quasi inhabilitas, & incapacitas (quam per peccatum, & contumaciam cōtra Ecclesiam ab Ecclesia ij meruere) licet hæc incapacitas potius pendeat ab Ecclesia, quam ab Excommunicato, quia iste in se, vt est Diuinæ gratiæ capax, ita etiam esset Ecclesiasticorum suffragiorum, nisi per prædictam Ecclesiæ intentionem bonis ijs priuatus, & ad ea ante Excommunicationis absolutionem inhabilis factus esset. Hæc autem Ecclesiæ intentio, per quam Ecclesia vere Excommunicatos à suis suffragijs ante Excommunicationis absolutionem excludit, est quid valde distinctum, & diuersum à Præcepto, quod inde Ecclesia imponit suis ministris, ne applicent Excommunicatis communia suffragia: illa intentio efficax excludendi Excommunicatos facit, vt, si eis talia suffragia à Fidelibus applicentur, inualide applicentur; istud autem facit ex se tantum, vt illicite applicentur: vnde, posita illa intentione, & præcepto, inualide, & illicite iam ea applicantur. voluntas illa Ecclesiæ, & efficax illius intentio excludens à communibus Ecclesiæ suffragijs Excommunicatos est quid fori interioris, & tollitur per absolutionem ab Excommunicatione etiam in foro interno tantum; præceptum vero ministris Ecclesiæ impositum, ne prædicta [illegible] munia Ecclesiæ suffragia Excomm[illegible] applicent, est quid fori externi, & to[illegible] absolutionem in foro externo, seu [illegible] rationem publice factam absolutio[illegible] foro interno præstitæ, & pro foro etiam externo acceptatæ, non secus ac si Excommunicatus absolutus vere fuisset in vtroque foro. Hinc absolutio ab Excommunicatione mortuorū, in foro interno tantum, committi solet à S. Pœnitētiaria, teste *Thesauro in Praxi Ecclesiast. par. 1. cap. 24. respon. 5. in fin.* & adhuc post talem absolutionem in foro conscientiæ datam, requiritur alia absolutio in foro externo, vel saltem declaratio, quod acceptetur prædicta etiam pro foro externo, si enim Excommunicatus absoluatur solum in foro interno post mortem, v. g. per commissionem prædictam à S. Pœnitentiaria habitam, vere in foro interno ille sic absolutus capax erit cōmunium Ecclesiæ suffragiorum, & licite poterunt Fideles occulte illum in Ecclesia sepelire, & consequenter etiam absq. illius Ecclesiæ pollutione; sed, si id facerent publice (cum in foro externo adhuc ille habeatur pro Excōmunicato vitando) illicite id facerent, & contra prædictum Ecclesiæ præceptum, quod, in re graui cum sit, grauiter etiam obligat, immo in foro externo puniri possent, tanquam Ecclesiæ pollutores, tunc enim etiam talis Ecclesia præsumeretur in foro externo polluta, & qui Missæ Sacrificium pro tali Excommunicato, qui in foro tantum interno absolutus fuit, offerret, illicite id faceret, quia in foro externo faceret contra Ecclesiæ præceptum; sed tale sacrificium, etiā quà ab Ecclesia oblatum, tali Excommunicato prodesset, & valide ei applicaretur, quia Ecclesia per absolutionem in foro interno præstitam abstulisset prędicto Excommunicato sic absoluto inhabilitatem, & incapacitatem prædictam ad talia suffragia, licet nondum Ecclesia abstulerit præceptum, & prohibitionem suam, ne pro tali Excommunicato, qui nondum in foro externo absolutus fuit, talia suffragia offerantur.

7 Colligo proinde absolutionem ab Excommunicatione mortuorum in foro etiam externo adeo in Iure Canonico celebrem esse, & tritam, vt etiam forma illius assignetur in *dict. Cap. A nobis, de sent. Excommunicat.* & tunc Excommunicati cadauer, si nondum sepultum, aut in loco non sacro sepultum sit, vel certe sepulcrum, si in loco sacro cadauer sepultum fuerit, flagellandum esse tradat *Marta de iurisdict. par. 3. c. 19. num. 26.* cum multis *Vgolinus de censur. tab. 2. c. 31. num. 3.* 1

...ouissime. *Persicus de 1. Saccrd. offic. l. 1. c. 7.* ... *num. 72. cum Gloss. in d. Cap. A nobis,* 2, ... *Excommun. V. Forma. Abb. ibidem nu*... *fin. Angel. V. Absolutio 3. num. 14. Sylu*... *q. 11. num. 15. Armill. V. Absolutio num. 62. & 70. Rosella V. Absolutio 1. num. 31. Nauar. in Man. c. 26. num. 32. §. Vigesimo quarto. Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. concl. 1. Auil. de Censur. p. 2. c. 4. disp. vnic. conclus. 5. notabili 2. & par. 5. disp. 7. dub. 4. concl. 4. fin. & Suar. de Censur. disp. 12. sect. 4. num. 3. in fin.*

CAPVT XX.

An per sepulturam cuiuslibet Infidelis Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Infidelis vnde dicatur, num. 1.

Infidelitas dupliciter accipitur. ibid.

Qui est in peccato mortali, quomodo dici possit ab aliquibus Infidelis. ibid.

Infidelitas, prout est contraria Fidei virtuti Theologicæ, alia Negatiua, alia Priuatiua, alia Positiua, num. 2.

Infidelitatis late sumptæ tres enumerantur Species, 1. Gentilismus, Iudaismus, & Hæresis. ibidem.

Infideles proprie dicuntur à Canonistis Gentiles tantum, & Iudæi; non autem Hæretici. ibidem.

Hæretici non sunt extra Ecclesiam, licet non sint sub ea, vt membra corporis. ibid.

Hæretici fiunt subditi Ecclesiæ per indelebilem Baptismi caracterem. ibid.

Inualide baptizatus non fit; licet præsumatur, Ecclesiæ subditus. ibid.

Docentes Ecclesiam pollui per sepulturam Infidelis, & Hæretici, quo in sensu accipiendi sint, num. 3.

Nomine Infidelis, per cuius sepulturam Ecclesia polluatur, intelligitur tantum proprie Infidelis, num. 4.

Gentilium nomine veniunt Pagani, Saraceni, Turcæ, Tartari, Persæ, &c. cum Mahumetanis omnibus, num. 5.

Non veniunt autem Apostatæ à Fide, &c. licet ad Iudaismum, vel Gentilismum transierint. ibidem.

1 ADuerto 1. cum Infidelis dicatur ab Infidelitate ex *Hostien. in Summ. l. 3. de conuers. Infidel. num. 1.* & Infidelitas sumatur aliquando, prout est contraria veritati promissionis iam factæ, quo in sensu Infidelis dicitur, quicumque est in peccato mortali, per *Turrecrem. in Can. Quotiescumq. 33. q. 4. num. 1.* & qui non habet intuitum rationis, & boni publici in dispensatione, per *Rebuff. in Cap. Postulastis, de Cleric. Excommunic. ministr.* iuxta illud *Luc. 12. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus, &c.* aliquando vero, prout est contraria Fidei virtuti Theologicæ, vt bene aduertit *Castropal. p. 1. tr. 4. disp. 2. punct. 1. n. 1.* sermonem hic esse tantum de Infideli infidelitate secundo modo accepta. Immo

2 Aduerto 2. licet Infidelitas late prædicto modo accepta alia sit Negatiua, alia Priuatiua, alia Positiua, & huius species tres enumerentur Gentilismus, Iudaismus, & Hæresis, vt communiter tradunt Theologi cum *D. Th. 2. 2. q. 10. art. 1. & seq.* nihilominus proprie Infidelium nomine, præcipue in Iure Canonico, venire solum Gentiles, & Iudæos, non autem Hæreticos, vt videre est apud *Hostien. l. c. & Decium in Cap. Canonum statuta, de constitut. lect. 1. nu. 56.* qui propterea duo tantum facit Infidelium genera, Gentilium scilicet, & Iudæorum, & idipsum docuit *Andr. ab Exea Repetit. in d. Cap. Canonum statuta, num. 252.* quæ est *tom. 2. Repetit. Canonic. pag. mihi 89.* vnde in *Cap. Gaudemus, de diuortijs* dicitur *Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur; quid enim secundum Apostolum de his, quæ foris sunt, iudicare?* ex quibus aperte patet Hæreticos Infidelium nomine non venire, Hæretici enim, licet non sint sub Ecclesia, vt membra corporis, quod late probat *Bellarm. l. 3. de Ecclesia cap. 4.* non sunt tamen extra eam, tanquam non subditi, quia subditi fiunt per indelebilem Baptismi caracterem ex *Cap. Minores, de baptism.* vt optime docuit inter alios *Riccinll. de iure personarum extra Ecclesiæ gremium existentium l. 5. c. 12. num. 3. & Pueron. Commentarior. in Bull. Cœn. cap. 1. num. 41.* qui proinde *num. 42.* bene infert per Baptismum inualidum, quacumq. ex causa inualiditas ortum duxerit, non reddi suscipientem Ecclesiæ subditum, licet subditus præsumatur, donec constet de nullitate baptismi, quod etiam ante illum tradiderat *Vgolin. de Censur. Pontif. reseru. par. 2. c. 1. §. 1. Sayr. in Thesaur. Casuum tom. 1. l. 3. c. 4. nu. 11. Sanchez in Precept. Decalog l. 2. c. 7. num. 35. & 36. Bonacin. tom. 3. de Censur. in particul. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 2. in fin. & alij.*

3 Aduerto 3. cum nonnulli DD. & signanter *Barbosa de offic. & potest. Episcop. Allegat. 28. num. 52. in fin.* parificauerint sepulturam Infidelis,

delis, & Hæretici, quo ad hunc effectum inducendæ pollutionis, eos esse intelligendos de Hæretico Excommunicato denunciato, prout bene aduertit *Pax Iordan. Elucubration. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 120.*

4 Dico nomine Infidelis, per cuius sepulturam Ecclesia polluitur, intelligi eum tantum, qui sit proprie Infidelis modo iam explicato. colligitur ex *Can. Ecclesiam. il 1. & 2. de Consecrat. dist. 1.* vbi nomen Infidelis explicari videtur nomine Pagani, & ex DD. passim, qui per Infideles, seu Paganos intelligunt non Baptizatos, vt expresse dixit *Thesaur. de Pœnis Ecclesiast. p. 2. V. Sacrilegium, cap. 5. & V. Sepultura, cap. 6. & Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. num. 8. vers. V.* vbi in terminis nostris de pollutione Ecclesiæ loquuntur.

5 Collige, vt nomine Gentilium hic veniant tum Pagani, & Saraceni, tum etiam ij omnes, qui Mahumeticæ Sectæ inhærent, siue sint Turcæ, siue Tartari, siue Persæ, siue Arabes, siue Aegyptij, siue Africani, siue Mauri, aut alterius cuiusq. nationis existant, omnes enim continentur sub Paganismo, vt clare patet ex *Trullench. in Decal. l. 1. c. 3. dub. 19. & 21. & Ignat. Lupo in Edict. S. Inquisit. par. 2. l. 1 r. art. 2. difficult. 12. vers. Notandum*, ita e contrario nequaquam venire Apostatas à Fide, licet post baptismum ad Iudaismum, vel etiam ad Gentilismum transierint, nec item eos, qui ab infantia post baptismum inter Iudæos, vel Gentiles enutriti semper fuerunt; cum enim hi omnes vere aliquando Christo nomen, & Ecclesiæ se per baptismum dederint, proprie inter eos, qui foris sunt, non sunt, nec proinde proprie Infideles appellari debent, vt aperte constat ex communi DD. sententia apud *Ghetium in Thesaur. Anim. p. 3. V. Infidelitas num. 1. Bassæum in Flor. Theolog. V. Infidelitas num. 7. & Theophil. Raynaud. de Apostat. cap. 1.*

CAPVT XXI.

An per sepulturam paruuli non baptizati, qui vel Fidelium, vel Infidelium filius sit, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Paruuli non baptizati negatiue tantum Infideles sunt, & sine eorum culpa; num. 1.

Paruuli Fidelium; licet non baptizati, non censentur ex secta, & statu Infidelium; prout censentur paruuli Infidelium, num. 2.

Quid sit sepeliri per se, & sepeliri in alio; num. 3.

Ecclesia per sepulturam paruuli ex Infidelibus orti polluitur; nequaquam vero, iuxta valde probabilem sententiam, per sepulturam paruuli ex Fidelibus orti, nondum baptizati, & per se sepulti, num. 4.

Paruuli non baptizati cur sepeliri non debeant in loco sacro, etiamsi sint ex Fidelibus parentibus orti, num. 5.

In dubio tamen, an valide baptizati fuerint, Ecclesiastica sepultura priuandi non sunt; ibidem.

1 Aduerto 1. rationem dubitandi esse posse, quia ex vna parte paruuli prædicti, cum nondum baptizati fuerint, videntur Infidelium nomine venire iuxta ea, quæ præcedenti capite diximus; ex alia verò parte, cum sint negatiue tãtum Infideles, ac proinde sine culpa, vnde eorum Infidelitas dici potest nuda Fidei carentia, non videntur proprie inter Infideles connumerandi, maxime in odiosis.

2 Aduerto 2. licet tam Fidelium, quam Infidelium paruuli negatiue tantum sint Infideles modo iam dicto, nihilominus inter paruulos Infidelium, & paruulos Fidelium hoc adhuc superesse discrimen, quod illi, cum sint ex parentibus Infidelibus orti, ex Infideliũ Secta censentur; isti verò, cum sint ex parentibus Fidelibus orti, & Infidelium secta nequaquam habentur, vt bene aduertit *Bordon. Consil. Regular. tom. 2. resolut. 89. num. 23. in fine.*

3 Aduerto 3. paruulos Fidelium sepeliri nonnunquam per se, nonnunquam in alio: per se sepeliri dicuntur, quando existunt extra vterum matris; in alio verò, quando existunt in vtero matris. vnde communiter DD. asserunt pollui Ecclesiam, si puer Fidelium ibi sepeliatur per se; non verò, si sepeliatur in alio.

4 Dico Ecclesiam per sepulturam paruuli non baptizati ex parentibus Infidelibus orti pollui; per sepulturam autem paruuli non baptizati ex Fidelibus parentibus orti iuxta sententiam valde probabilem non pollui; etiam si iste ibi per se sepultus fuerit. vtraque conclusionis pars probatur ea ratione, quam num. 2. attulimus ex *Bordono l. c.* quia scilicet Infidelium Filij ex Infidelium secta, & statu esse perhibentur; Fidelium autem Filij, licet nondum baptizati, cum Fidelibus connumerantur. Vnde, cum Ecclesia id in Infidelium sepultura statuisse credatur in detestationem

 talium

talium Sectarum falsarum, & Christianæ Reipublicæ damnosarum, talis quasi pœna ad sepulturam paruuli ex Fidelibus orti extendenda non est. primam conclusionis partem, quo ad paruulos Infidelium, docent expresse *Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 26. Vgolin. de Offic. & potest. Episcop. p. 2. c. 29. §. 5. in princ. Barbos. de offic. & potest. Episcop. Allegat. 28. num. 53. Iordan. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 117. & Franc. de Lugo*, qui testatur de communi, *de Sacram. l. 5. c. 6. quæst. 11. n. 70.* secundam vero partem, quo ad Filios Fidelium, tenent *Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. conclus. 5. in fin. d. Sayr. l. c. num. 25. Vgolin. ibid. vers. Tertio excipiuntur. Alarius in Canonibus Conscient. V. Ecclesia num. 11. Iordan. l. c. num. 121. & Bordon. l. c. num. 23.* quam probabilem esse fatetur etiam *Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 5. c. 6. q. 11. n. 71. in fin.* Quare per hanc nostram sententiam melius etiam saluari videtur, cur infans in vtero matris existens sepeliri possit in Ecclesia sine Ecclesiæ pollutione; ex contraria enim sententia sequi videtur, quod, si casu infantis cadauer ex matris iam mortuæ, & paulo post sepeliendæ, aut etiam paulo ante sepultæ vtero erumperet, tunc illud pollueret Ecclesiam, in qua sepultum fuisset; nequaquam vero, si non erumperet, quæ dura, & aliquibus fortasse ridicula videri possunt.

5 Colligo, licet valde probabile sit, vt vidimus, quod Ecclesia per sepulturam paruuli non baptizati, sed ex Fidelibus parentibus orti non polluatur; nihilominus nequaquam eum, si extra matris vterum sit, sepeliendum esse in loco sacro, prout neque de consuetudine sepelitur, nulli enim Ecclesiastica sepultura dari debet, nisi de quo creditur, quod tunc, vel quandoque intrabit in requiem Ecclesiæ triumphantis: nisi forte dubitetur, sit ne infans baptizatus, eo quod baptizatus fuerit baptismo dubio; tunc enim sic baptizatus nequaquam Ecclesiastica sepultura priuandus est, siue dubium sit ratione suscipientis, siue conferentis, siue materiæ, siue formæ, prout bene docuit *Homobon. in Consultation. Cas. Conscient. volum. 2. p. 7. resp. 67.* cum quo concordat *Dian. p. 4. tr. 3. resol. 69. & p. 5. tr. 3. resolut. 15. & 112.* apud quem *Iacobus Marchant. in Candelabr. Sacrament. de resolut. quæst. Pastoral. tr. 2. de Baptismo, c. 3. q. 1. cas. 1.* ait, quamuis longe infirmior sit pars fauens Baptismo; priuari tamen non debere iure loci sacri, nisi manifeste, & irrefragabiliter constet priuandum esse, & tale ius illi non competere.

CAPVT XXII.

An per sepulturam paruuli e parentum altero tantum, & dubie tantum Fideli orti Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Proles, etiam ante triennium, non semper remanet apud Matrem siue Fidelem, siue Infidelem, si Pater Fidelis sit, num. 1.

Aetatis, & Patria potestatis ratio cedit fauori Fidei. ibid.

Proles sequitur conditionem Parentis Fidelis in Fidei fauorem, siue Pater, siue Mater Fidelis fuerit. ibid.

Parens conuersus, & factus Fidelis, de Ecclesiæ foro est, & proinde etiam paruuli illius, numer. 2.

Dubium de Fidelitate Parentis quale hic esse debeat, num. 3.

Ecclesia probabiliter non polluitur per sepulturam paruuli ex alterutro tantum Parente Fideli orti, num. 4.

Quid si Parens non fuerit Fidelis ante ortum paruuli sui; sed postea factus sit? ibid.

Ecclesia probabiliter etiam non polluitur per sepulturam paruuli ex alterutro Parente dubie tantum Fideli, num. 5.

In dubio semper in fauorem Fidei inclinandum est, ibid.

Parentis Fidelitas in dubio probabili, seu verisimili, & rationabili, ad Prudentis arbitrium, cur præsumatur, num. 6.

Quid si vere neuter Parentum fuisset Fidelis; licet Fama, vel alia falsæ præsumptiones eorum Fidelitatem non improbabilem fecissent. ibid.

1 ADuerto 1. quamuis *Lancellot. Instit. Canonic. l. 2. tit. Quæ matrimonium impedire possint, §. Item si alter, V. assigaabitur*, non bene, vt bene aduertit *Sanchez de Matrimon. l. 7. disp. 73. num. 16. in fin.* dixerit, ante triennium prolem semper indistinctè remanere apud Matrem siue Fidelem, siue Infidelem, etiamsi Pater Fidelis sit; tamen, quia ætatis, & Patriæ potestatis ratio cedit fauori Fidei, quando alter Parens est Fidelis, Filium, vel Filiam tam maiorem, quàm minorem triennio semper apud Parentem Fidelem educari debere, partus enim sequitur conditionem Parentis Fidelis in Fidei fauorem, siue Pater, siue

siue Mater Fidelis fuerit, prout decernitur in *Concil. Tolet. 4. c. 62.* & refertur *Can. Iudaei, 28. q. 1.* esto quod alioqui ex *L. Neque, C. de Patr. Potest.* Filius minor triennio apud Matrem; maior autem apud Patrem educandus sit.

2 Aduerto 2. ex *Gloss. in d. Can. Iudaei, 28. q. 1. Verb. Iudaei,* rationem, cur eo ipso quod alteruter coniugum est Fidelis, ius habeat Ecclesia compellendi ipsum, vt prolem doli minime capacem baptizet (quod decernitur in eodem Concilio Toletano ibidem relato) esse, quia Parens conuersus de Ecclesiæ foro iam est, ac proinde etiam Filij eius: & idipsũ tenuit *D. Th. in 4. dist. 39. q. vnic. art. 4. ad 4.* ab vniuersis Theologis receptus, & Canonistæ omnes in *Cap. Final. de Conuers. Infidel.* vt videre est apud *Sanchez l. c. & Valent. tom. 4. disp. 4. q. 3. punct. 3. §. Quarto dico.*

3 Aduerto 3. nos hic loqui de dubio vtrinq. probabili, si enim improbabile sit ex parentibus alterum esse Fidelem; licet neq. certum sit eundem esse Infidelem; certum autem sit alterum esse Infidelem, non essemus in casu hic proposito, & secus dicendum esset, vt ex mox dicendis apparebit.

4 Dico 1. per sepulturam paruuli ex alterutro tantum Parente Fideli (siue hic Fidelis factus sit post paruuli ortum, siue etiam Fidelis fuerit ante illum) probabiliter Ecclesiam non pollui. Ratio est, quia ex prædictis paruulus ille censendus est Fidelium Filius, cum Fidei fauor præualere debeat, & non odium alterius Parentis Infidelis. Immo

5 Dico 2. probabile etiam esse, quod neque per sepulturam paruuli ex alterutro Parente probabiliter tantum Fideli Ecclesia polluatur. talis enim Parens in dubio (sed probabili) Fidelis censendus est, cum semper in dubio in fauorem Fidei inclinandum sit, vt optime docuit *Sotus in 4. dist. 39. in solut. ad 2. vers. Dubitatio, Sà V. Matrimonium, vbi de Impedim. dirimens. num. 8. vers. Conuersum, & Sanch. de Matrimon. lib. 7. disput. 73. num. 16.* Si ergo Parens in dubio prædicto censendus est Fidelis, vtique etiam Filius illius cẽsendus erit natus ex Fideli: vnde, cum proles sequatur Parentem Fidelem; etiam si Parens alter sit Infidelis, idcircò à primo ad vltimum etiã in nostro casu per paruuli ex prædicto parente orti sepulturam Ecclesiam non pollui probabiliter asserere poterimus, hocque colligi videtur ex *Rodriq. in Summ. par. 1. cap. 154. num. 7.*

6 Collige, licet facta non præsumantur, nisi probentur, nec præsumenda sit Parentis Fidelitas, nisi probetur, & consequenter Parens in dubio Infidelis censendus videatur, non autem Fidelis, vt nos antea diximus; nihilominus id non valere in dubio probabili, & ad prudentis arbitrium verisimili, ac rationabili, de quo hic tantum sermonem esse iam monuimus, & in quo adest propterea sufficiens probatio ad præsumendam Fidelitatem in fauorem Fidei, quæ etiam tunc præualere debet. Quinetiam, si verè neuter Parentum esset Fidelis; sed fama, vel aliæ falsæ præsumptiones Fidelitatem Parentum, vel alterutrius non improbabilem redderent, neque tunc Ecclesia per sepulturam paruuli ex eis orti pollueretur, Ecclesia enim non iudicat de occultis, vnde, quia tunc Paruulus ille coram Ecclesia esset ex Fidelibus ortus, inde etiã Fidelis ipse simul haberetur iuxta superius dicta.

CAPVT XXIII.

An per sepulturam eius, qui Baptismo tantum sanguinis baptizatus sit, Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Baptismi species multæ; sed potissimum tres à DD. afferuntur, num. 1.

Baptismata Sanguinis, Fluminis, & Flaminis quomodo inter se differant. ibidem, & num. 2.

Quodnam Martyrium sit Baptismus sanguinis, num. 3.

Ecclesia non polluitur per sepulturam eius, qui Baptismo Sanguinis baptizatus sit, num. 4.

In Adultis requiritur voluntarius consensus in Martyrium; non in Paruulis, num. 5.

Martyrij opus cum actuali complacentia peccati non est Baptismus Sanguinis. ibid.

Martyrium cur sufficiat, vt Ecclesia præsumat Martyrem inde factum fuisse Fidelem. ibid.

1 ADuerto 1. quamuis Baptismi species multæ à multis enumerentur, ita vt ab aliquibus octo, immo nouem etiam recenseantur, vt videre est apud *Zech. in Summ. tr. de Baptism. c. 1.* nihilominus tres potissimum, & communissime ex Sacris Literis, & Sanctis Patribus haberi, Sanguinis scilicet, Flaminis, & Fluminis, vel, vt alij loquuntur, in Sanguine, in Pœnitentia, & in Aqua, quæ omnes culpam omnem abstergunt, licet non omnes omnem pœnam, cum Baptismus Flaminis non nisi iuxta doloris, & contritionis quantitatem pœnam remittat. vnde

2 Aduer-

2 Aduerto 2. prædictas Baptismi species inter se differre etiam in eo, quod solus Baptismus Fluminis est Sacramentum, & solus Characterem imprimit: solus Baptismus Flaminis est adultorum tantum: solus autem Baptismus Sanguinis ratione Martyrij dat Aureolam, quæ fusè videri possunt apud *D. Th. 3. p. q. 66. art. 11. Syluium ibid. Tolet. l. 2. c. 18. Bonacin. de Sacrament. disp. 2. q. 1. Filliuc. tr. 2. c. 1. q. 13. 2. & 5. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 1. & 2. Pesant. p. 3. q. 66. disp. 6. & alios passim.*

3 Aduerto 3. Baptismum Sanguinis nihil aliud esse, quam Martyrium, non quodcumq. sed illud tantum, quod paruulis, vel adultis illatum loco Baptismi est, & non secus ac Baptismus Aquæ omnem abluit culpam, omnemque remittit pœnam, immo maiorē, quam Baptismus Aquæ, Gratiæ gradum impartit ob maiorem Martyris charitatem, qua nemo maiorem habere dicitur *Io. 15.* vnde in hoc sensu, i. non propriè, sed analogicè tantum, quatenus Martyrium tunc Baptismi Sacramentum supplet, dixit *Cyprian. l. 1. epist. 2.* quod *Martyr suo sanguine baptizatur*, Quicumque enim, non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quātum si abluerentur sacro fonte Baptismatis, ex *Augustin. l. 13. de Ciuit. c. 7.*

4 Dico per sepulturam eius, qui Baptismo Sanguinis tantum baptizatus fuerit, Ecclesiā non pollui, quia per talem is Baptismum desijt esse Infidelis, immo factus est verum Ecclesiæ membrum, & Ecclesiasticæ sepulturæ capax, adeo vt Ecclesia ipsa per sepulturā illius ornari potius, quam pollui dicenda sit. *ita Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 24. Vgolin. de Offi. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 5. versic. Excipitur tamen. Rodriq. in Sum. p. 1. cap. 154. num. 6. Mazuchel. de casib. reseru. disp. 2. cap. 6. num. 64. Cutill. in Addit. ad Practic. visit. infirm. Mancin. in tr. de Infirm. in ordine ad sepult. q. 34. §. 7. & Bordon. Consil. tom. 2. resolut. 89. q. 5. num. 28.*

5 Colligo, licet in Adultis necessario requiratur voluntarius consensus in Martyrium, tamen in Paruulis sufficere violentam mortē pro Christo, & quamuis Martyrij opus non suppleat vicem Baptismi Aquæ, si illud sit cum actuali complacentia peccati, tunc enim traditur corpus sine charitate, & consequenter adultus Infidelis per prædictum opus nequaquam fiat Fidelis; tamen, cum non sit verisimile, immo vix moraliter possibile sit, vt, qui patitur Martyrium, tunc sit in actuali affectu peccati, præsertim quando externus nullum signum præbet talis affectus, neque aliquid facit, quod merito possit malum iudicari; idcirco Martyrium ipsum sic susceptum potest esse Ecclesiæ sufficiens indicium, ac certum testimonium, quantum moraliter esse potest, quod Martyr non decesserit cum actuali affectu peccati, ac proinde Fidelis inde factus sit, cū in dubio pro actus sufficientia, perfectione, ac validitate iudicandum sit, iuxta *L. Quoties, ff. de reb. dub.*

CAPVT XXIV.

An per sepulturam eius, qui Baptismo Flaminis tantum baptizatus sit Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Baptismus Flaminis, seu Pœnitentiæ quid sit, num. 1.

Contritio non semper propriè est Baptismus Flaminis, de quo hic sermo est. ibid.

Baptismus Flaminis an det primam gratiam ex opere operato, vel operantis, num. 2.

Baptismus Flaminis semper, saltem implicitè & virtualiter, continet votum Sacramenti Baptismi. ibid.

Infantes quomodo in vtero sanctificati fuerint, et non per Baptismum Flaminis, num. 3.

Ad Baptismum Flaminis non sufficit in Paruulis voluntas Parentum, vt falso dixit Caietanus. ibidem.

Ecclesia non polluitur per sepulturam eius, qui Flaminis Baptismo tantum baptizatus sit, num. 4.

Dismas latro in cruce Christi prædicto Baptismo Flaminis baptizatus dicitur. ibid.

Signa sufficientia ad talem Baptismum præsumēdum in aliquo, quænam sint, Iudicis arbitrio relinquitur, num. 5.

1 ADuerto 1. Baptismum Flaminis, seu Pœnitentiæ, & in Voto, nihil aliud esse, quam internam contritionem cum proposito, seu desiderio, vel voto (saltem implicitè in actu contritionis latente) Baptismi suscipiendi, eiusque vicem supplens. Licet enim omnis contritio appellari soleat Pœnitentiæ, seu Lacrymarum Baptismus, vt constat ex *Damascen. lib. 4. de Fide, c. 10. & Nazian. orat. 39. ad finem*; tamen specialiori modo illa tantum contritio, quæ realem Baptismi susceptionem antecedit, & votum

eius

eius includit, Baptismus Flaminis appellatur, vt supra etiam innuimus de Martyrio, quãdo Baptismus Sanguinis est. ita *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 22. sect. 1. §. tandem solet. Maldonat. de Baptismo q. 4. & Molfesius in Sum. tom. 1. tr. 4. c. 1. num. 30.*

2 Aduerto 2. Baptismum Flaminis supplere vicem Baptismi Fluminis dando primam gratiam non ex opere operato proprie, vt facit Baptismus Fluminis, neq. ex priuilegio peculiari, & solum lato modo ex opere operato, vt facit Baptismus Sanguinis; sed tantum ex opere operantis, idest, ex dispositione operantis cum diuino auxilio, dum eius cor mouetur, & iuuatur à Spiritus Sancti Flamine, & impulsu sine sacramento ad diligendum Deum super omnia, & pœnitendum de peccatis, quod semper, saltem implicite, & virtualiter continet votum suscipiendi Baptismum Fluminis, cum primum fieri poterit, vt inter alios bene tradit *Zech. de Sacramento Baptismi cap. 1. vers. Quo ad secundum.*

3 Aduerto 3. licet Infantes in vtero sanctificati gratiam obtinuerint sanctificantem; id tamen non per Baptismum Flaminis; sed ex speciali Dei priuilegio factum fuisse; Deus enim gratiam suam non alligauit sacramentis, & dispensare potest in lege, quam tulit; quamuis huiusmodi dispensationem asserere nemo debeat, nisi ex reuelatione Diuina, vt bene *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 27. sect. 3.* cum communi Theologorum sententia contra *Caietanum ibidem citatum*, qui falso ad Baptismum Flaminis in Paruulis Parentum voluntatem sufficere dixit.

4 Dico per sepulturam eius, qui Flaminis Baptismo tantum baptizatus sit, Ecclesiam non pollui. Ratio eadem est, quæ *cap. praeced.* de Sanguinis Baptismo dicta fuit, quia scilicet sic baptizatus desijt esse Infidelis, & Ecclesiasticæ sepulturæ capax factus est, & tali Baptismo baptizatum fuisse Dismam Latronem in cruce Christi dicunt *Vngarell. ad Angel. V. Baptismus Schol. 6. & Castilent. in Polyanth. Seraph. V. Baptismus diffic. 11. conclus. 3.* sic autem in terminis ipsis prædictæ conclusionis sentiunt expressissime *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 5. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. nu. 24. Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. conclus. 5. Rodriq. p. 1. Summa c. 154. conclus. 6. Persic. de 1. Sacerd. offic. l. 1. c. 7. dub. 8. num. 79. Mazuchell. de casib. reseru. disp. 2. cap. 6. num. 6. Mar. Alter. de Censur. tom. 2. disp. 3. de Interdict. c. 1. vers. Sed postulabitur. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 28. num. 53. in fin. Iordan. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 120. Bonacin. de Matrim. q. 4. punct. vlt. num. 23. Venerus in Exam. Episcop. lib. 9. cap. 36. num. 16. Gargiar. de Aquis c. 12. num. 2. vers. Nec minus includitur, & Thesaur. de Pœnis Ecclesiastic. p. 2. V. Sepultura cap. 6. vers. Limita; quod Catechumenus.*

5 Colligo, licet nemo certo scire possit, quod aliquis prædicto Flaminis Baptismo baptizatus fuerit; sufficere tamen signa Fidei, & Contritionis ad id arguendum, & prudentis arbitrio relinqui, quænam sufficiant, dummodo semper in dubio faueatur reo iuxta vulgata Iura iam sæpius repetita.

CAPVT XXV.

An per Catechumeni nondum Baptismo vllo baptizati sepulturam Ecclesia polluatur.

SVMMARIVM.

Catechumenus *quis sit apud profanos Scriptores, num. 1.*

Catechumeni *apud SS. PP. quinam sint, & vnde varia eorundem appellationes, ibid.*

Catechumeni considerari possunt, vel vt iustificati per Baptismum Flaminis, vel vt nondum iustificati, num. 2.

Catechumeni alij Fidelium, alij Infidelium Filij, de quibus hic præcipue sermo est, num. 3.

Probabile videtur, quod per sepulturam Catechumeni cuiuscumque nondum Baptismo aliquo baptizati Ecclesia non polluatur, num. 4.

Catechumeni nomen Sacerdoti dare erat Catechismi initium, ibidem.

Nouitius, etiam vnius diei, non venit in odiosis nomine Secularis; sed nomine Religiosi in fauorabilibus, ibid.

Sponsa de futuro in fauorabilibus venit nomine Maritata, ibid.

Non omnis illicita Cadaueris sepelitio in Ecclesia Ecclesiæ pollutionem inducit; sed contra hæc inde illam arguit, ibid.

Cur tantum in materia Matrimonij per Infidelem *semper accipiamus* Non Baptizatum, *num. 5.*

1 ADuerto 1. quanquam Græcum Catechumenorum nomen apud profanos Scriptores quemlibet institutionis indigentẽ significat; tamen apud SS. PP. eos tantum dictos fuisse Catechumenos, quibus Fidei Mysteria viuæ vocis ministerio, & nonnunquam etiam per literas ægrotationis, vel absentiæ ergo, credebantur: idcirco autem multis

etiam

etiam alijs nominibus appellabantur, scilicet, Alumni, Audientes, Auditores nouæ vitæ, Nouitij, Nouitioli, Catuli adhuc infantiæ recentis, Tyrones Dei, Grex nouellus Dei, Initiati, & Christiani: immo, cum postpiam morum, Fideiq. disciplinam simul omnes Baptismum postulabant, Competentes vocabantur, & cum demum, factis scrutinijs, eligebantur, Electi quoq. nominabantur, non enim eodem die, quemadmodum nunc, cæremoniæ omnes, sed diuersis temporibus diuersæ, fiebant, vt videre est apud *Ios. Vicecom. Obseruat. Ecclesiastic. de Baptismo l. 2. c. 2. 3. & 4.* vbi etiam Catechumenorum antiquitatem, aliaque ad Catechumenos spectantia distinctissime, eruditissimeq. expressa admiraberis.

2 Aduerto 2. cum Catechumeni sint in duplici differentia, & dupliciter considerari possint, vel vt iusti, & iam per Baptismum Flaminis Deo grati, vel vt peccatores, & nondum per Baptismum vllum iustificati; sed per subsecuturum Baptismum tamen iustificandi, de secundis tantum sermonem hic esse: de primis enim dubium non est, vt ex præcedenti capite constat, & ex *Cap. 2. de Presbyt. non baptiz.* colligi abunde potest.

3 Aduerto 3 quæstionem hanc præcipue locum habere in Catechumenis Infidelium Filijs: nam de Filijs Fidelium iam diximus superius valde probabile esse, quod Infidelium nomine hic non veniant, nec proinde per illorum sepulturam polluatur Ecclesia.

4 Dico probabile mihi esse, quod per sepulturam Catechumeni nondum Baptismo aliquo baptizati, siue paruulus is fuerit, siue etiam adultus, Ecclesia non polluatur. Sicuti enim, ex quo quis est Filius Fidelium, vt iam dictum est, censetur sequi conditionem alterutrius Parentis Fidelis, nec venit in his propriè Infidelium nomine, ita, ex quo quis seu adultus, seu puer à Parentibus, vel ab alijs offertur Ecclesiæ pro Catechumeno, & ab Ecclesia pro Catechumeno receptus est, & in Catechumenorũ numerum admissus (quando enim Catechumenus Sacerdoti nomen dabat, Catechismi initium erat, teste *eod. Vicecom. ibid. l. 2. c. 12.*) non censetur amplius propriè Infidelis, præcipue in his odiosis, quæ restringenda sunt; vnde Nouitius etiam vnius diei in odiosis non venit nomine Sæcularis, sed in fauorabilibus nomine Religiosi, prout etiam in his nomine Maritatæ venit Sponsa de futuro ex *Alar. in Canon. Conscient. V. Matrimonium num. 31.* & alijs apud ipsum. Fauent huic sententiæ fere omnes *cap. præced. num. 4.* allati, dum absolute per Catechumeni sepulturam loca sacra non pollui dixerunt, & clare colligitur ex *Cutillo in Addit. ad Mancin. in Praxi Visit. Infirm. l. c. dub. 34. §. septimo*, nec non ex *Samuellio de Sepult. tr. 2. controuers. 4. num. 19.* qui, cum de ijs loquantur in ordine ad capacitatem Ecclesiasticæ sepulturæ, quam eis concedunt; licet in ea strictius proceditur (neque enim omnis illicita cadaueris sepelitio Ecclesiæ pollutionem inde arguit, sicut omnis Ecclesiæ pollutio ex alicuius cadaueris sepultura illicitam ipsam arguit sepulturam) multo magis idipsum dici potest in ordine ad Ecclesiæ pollutionem, in qua non tam stricte proceditur, cum multi, vt dictum est, ab Ecclesiastica sepultura arceantur, per quam tamen Ecclesia non polluitur, quod de Hæreticis, qui Excommunicati vitandi non sint, iam vidimus, & de vsurarijs publicis, alijsque similibus impœnitentibus, & notorijs peccatoribus communiter, & passim DD. asserunt.

5 Colligo, quamuis in materia Matrimonij per cultus disparitatem ita accipiatur *Fidelis cum Infideli*, vt idem sit ac *Baptizatus cum non Baptizato*, quia sic expresse in iure statutum est *Can. Caue, 28. quæst. 1.* prout ab omnibus tam Theologis, quam Canonistis asseritur; tamen id ipsum non valere, vbi id expressum non sit, prout in hac nostra materia id expressum non est, ita expresse *Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. nu. 24.* cur autem puniri nequeant Catechumeni ab Ecclesia; licet ij propriè Infideles non sint, à nobis iam dictum est *huiusce disput. c. 11. num. 3.*

CAPVT XXVI.

An per Excommunicati, vel Infidelis cadauer in loco antea non sacro Sepultum polluta remaneat Ecclesia, quæ in eodem loco postea construatur.

SVMMARIVM.

De quonam cadauere hic sermo sit, num. 1.

Casus prædictus cur publicus supponendus sit, num. 2.

Cadauer prædictum debet esse vere intra locum sacrum, num. 3.

Locus sacer, in quo Excommunicati vel Infidelis cadauer sepultum iaceat, probabiliter pollutus asseritur, num. 4.

Etiamsi

Etiamsi illud ibi sepultum fuerit, antequam locus ille sacer fieret, ibidem.
Ecclesia semper communicare videtur cum tali cadauere, siue illud in ea ponatur, siue ea construatur ibi, vbi illud est, ibid.
Locus, vbi tale cadauer sepultum iaceat, cur saltem post, & cur per Ecclesiæ, vel Cæmeterij constructionem, & Benedictionem non remanserit omnino purgatus, num. 5.


1 ADuerto 1. sermonem hic esse de eo Excommunicati, vel Infidelis cadauere, quod inde, antequam ibidem Ecclesia construeretur, extractum non fuerit; sed ibidem adhuc post Ecclesiæ constructionem iaceat, & sit in eodem ipso loco, in quo Ecclesia ipsa constructa est.

2 Aduerto 2. nos hic supponere, quod factum prædictum non occultum, sed publicum adhuc sit: si enim occultum esset, tunc, saltem ob defectum publicitatis ad Ecclesiasticæ pollutionis casus omnes necessariæ, certum esset, quod talis Ecclesia ibi constructa inde non pollueretur: vnde etiamsi tale cadauer alioqui esset Ecclesiæ pollutiuum, tunc, si ab alijs Fidelium, & non Excommunicatorum cadaueribus discerni posset, secrete illud inde extrahendum esset, & extra casum hunc, & dubium omne pollutionis huius essemus.

3 Aduerto 3. nos vlterius etiam hic supponere, quod prædicta Ecclesia, vel Cœmeterium, quæ ibidem constructa fuerint, ita contineant intra se tale cadauer Excommunicati, vel Infidelis, vt vere illud in ea, vel in eo esse censeatur iuxta superius dicta *disput. 2. c. 50.*

4 Dico Ecclesiam, vel Cœmeterium, in quibus Excommunicati, vel Infidelis alicuius cadauer sepultum iaceat, probabiliter polluta esse; licet illud ibi sepultum fuerit, antequam locus ille Ecclesia, vel Cœmeterium fieret. Colligitur ex *Can. Ecclesiam 1. & 2. de consecrat. dist. 1. & ex Gloss. ibid.* quæ eam affert rationem, quod scilicet Ecclesia repellat, & communicare nolit cum ijs mortuis, quos etiam viuos repellit, quales sunt Excommunicati, & Infideles; videtur autem Ecclesia communicare cum cadaueribus ibi siue ante, siue post Ecclesiæ constructionem sepultis, dummodo Ecclesia talia cadauera intra se habeat, fauent huic sententiæ, qui absolute dicunt Ecclesiam pollui, quando Paganus aliquis, vel Excommunicatus in ea sepelitur, vel sepultus iacet, inter quos est *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. cas. 5. & Mazuchel. de casib. reseru. disput. 2. cap. 6. num. 43.* siue enim fiat Ecclesia, vbi est tale cadauer, siue ponatur tale cadauer in Ecclesia ipsa, semper verum est dicere, in tali Ecclesia est tale cadauer, ac proinde ea cum eo per sepulturam communicat, vt bene consideranti clare constabit.

5 Colligo locum prædictum, vbi sepultum iaceat Excommunicati, vel Infidelis cadauer, etiam post Ecclesiæ, vel Cæmeterij constructionem, & benedictionem remansisse iuxta prædicta non omnino purgatum, & Ecclesiā, vel Cœmeterium, quæ inde polluta fuisse supponimus, per prædictam benedictionem reconciliata non esse, quia ad reconciliationem loci sacri polluti per sepulturam Excommunicati, vel Infidelis requiritur cuiusio, & ejectio cadaueris ipsius, ac proinde, tali cadauere non amoto, frustra fit reconciliatio, cum semper locus ille sacer inde pollutus remaneat, dummodo tale cadauer ab alijs discerni queat, vt paullo ante dicebamus, & fusius Deo dante, dicemus in *Tractatu de Reconciliatione Ecclesiarum*, quem propediem dabimus.



DISPVTATIO NONA

De Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus.

Pollutionis Ecclesiasticæ Causis, & Casibus hactenus expositis, Eiusdem in posterum Fructus, & Effectus explicabimus. Perparum, si non perperam, à nobis hucusq. actum fuisset, nisi perbene, quæ supersunt, enuclearentur. quid enim iuuaret Locorum Sacrorum Pollutiuas Actiones cognouisse, si, quid inde fiat, ignoraretur? quid iuuaret scire Ecclesiam, aut Cœmeterium hinc, aut inde pollui, si, quid ipsamet Ecclesiæ, vel Cœmeterij pollutio pariat, & impediat, nesciretur?



CAPVT PRIMVM.

Quinam sint Ecclesiasticæ Pollutionis effectus.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ effectus cur ex Sacris Canonibus peti debeant, num. 1.

Canones ipsi, vnde prædictos effectus colligere possumus, afferuntur, num. 2.

Actiones in loco sacro polluto prohibitæ cur effectus Pollutionis dicantur, num. 3.

Pollutionis huius effectus omnes ad vnam Diuinorum Prohibitionem redigi forte possunt, nu. 4.

Communiter ij distinctionis, & claritatis ergo ad tria capita reducuntur, ibid.

Quod Ecclesia, in qua Paganus, vel Excommunicatus sepultus fuerit, consecrari nequeat, quomodo non sit effectus Pollutionis, num. 5. & 6.

Peccatum, quod in non seruando Pollutionis Ecclesiasticæ effectus committitur, non est inter Pollutionis ipsius effectus, num. 7.

1 ADuerto 1. sicuti ex Sacrorum Canonum serie desumi debuere Casus, & Causæ, ex quibus oritur, & in quibus locum habet Ecclesiastica Pollutio, ita etiam inde desumendos esse Effectus ipsos, quos prædictæ Pollutionis proprios, vel saltem cum ea semper coniunctos esse voluere: hæc enim omnia non aliunde, quam à libera Legislatorum suorum voluntate pendent, qui in talibus euentibus talem moralem Locorum Sacrorum Maculam, seu tale Impedimentum morale cum talibus effectibus, seu annexis prohibitionibus instituerunt, & aliter illud, nec non in alijs quoque euentibus, immo cum alijs etiam effectibus instituere, vel denuo statuere possent, si vellent, vt absque controuersia vlla fatentur vniuersi.

2 Aduerto 2. loca, ex quibus Ecclesiasticæ Pollutionis effectus desumi posse videntur, esse Primo *Can. Ecclesiam, & Can. Ecclesiam, in qua mortuorum, de Consecrat. dist. 1.* nec non *Cap. Is, qui, de sentent. Excommunicat. in 6.* ex quibus apparet illicitum esse celebrare in Ecclesia Polluta: præcipue autem in *d. Cap. Is, qui,* ille dicitur temerarie agere, qui in Ecclesia Polluta celebrare præsumpserit: vnde colligitur celebrationem ibi prohibitam esse iuxta *Gloss. Margin. ibid.* quæ dicit eum dici temerarie agere, qui scienter facit actum sibi à iure prohibitum: Secundo *Cap. Fin. de consecrat. Eccles. vel Alt.* vbi per Ecclesiæ pollutionem Diuinæ laudis organa suspendi traditur, nec non *Cap. Tuarum, de priuileg.* vbi item Diuina Officia in Ecclesia Polluta ante Reconciliationē celebrari prohibentur: Tertio autem *Cap. Vnic. de consecrat. Eccles. vel Alt. in 6.* vbi dicitur, quod in Cœmeterio Polluto non debet aliquis sepeliri, idemque dicen-

dicendum etiam de Ecclesia ipsa Polluta, in qua iidem, qui in Cœmeterio, sepeliri prohibentur, vt patet ex *dd. Can. Ecclesiam, 1. & 2. de Consecrat. dist. 1.*

3 Aduerto 3. prædictas actiones, quæ in loco sacro polluto fieri prohibentur, idcirco dici Pollutionis ipsius quasi effectus, seu impedimenta ab eadem Pollutione deriuantia, quia, sicuti eas actiones, quæ Pollutionem ipsam inducunt, Pollutionis ipsius quasi Caussas superius appellauimus, ità hic eas actiones, quæ Pollutionem ipsam consequuntur, Pollutionis ipsius quasi effectus nominamus.

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ Effectus, licet ad hoc vnum, nimirum ad Diuinorũ Prohibitionem, redigi forte possint; non incongrue tamen, nec obscure ad tria capita in Iuribus mox allatis expressa à DD. communiter reduci, quæ sunt Primo Celebratio Sacramẽtorum, Secundo Persolutio Diuinorum Officiorum, & Tertio Ecclesiastica Sepultura, de quibus singilatim, ac fuse inferius agemus.

5 Dices, Ecclesia ex *dd. Can. Ecclesiam 1. & 2. de consecrat. Eccles. dist. 1.* in qua Paganus, vel Excommunicatus sepultus fuerit, consecrari nequit, ergo hic etiam inter Pollutionis Ecclesiasticæ effectus numerari debet, &, cum ad prædicta tria effectuum capita commode reduci nequeat, quartum ipse constituet.

6 Respondeo prædictum effectum nec generalem, nec proprium Pollutionis ipsius esse, sed tantum talis præsentiæ cadaueris: vnde Ecclesia, vbi talium cadauera sepulta fuerint, iis eiectis, consecrari potest, immo etiam iisdem adhuc præsentibus, si ab aliis Fidelium non eiiciendorum cadaueribus ea discerni nequeant, vt alibi quoque diximus.

7 Colligo peccatum, quod in non seruando Pollutionem Ecclesiasticam committitur, non esse proprie effectum Pollutionis, ac proinde necesse non esse, vt ad tria prædicta, vel ad alia effectuum capita reducatur; sed esse effectum, & quasi pœnam prædictæ transgressionis; vnde de tali peccato agendum erit, dum de pœnis violantium Pollutionis ipsius effectus *disput. sequent.* sermo erit.



CAPVT SECVNDVM.

An ad hoc, vt Ecclesiasticę Pollutionis effectus necessario seruari debeant, præter facti pollutiui publicitatem requiratur etiam Iudicis sententia declarans talem locum esse pollutum.

SVMMARIVM.

Pollutio Ecclesiastica est veluti quadam Censura, seu quoddam Interdictum à Iure latum, locale, & speciale, num. 1.

Pollutionis prædicta effectus iuxta aliquorum sententiam non habent locum, donec per sententiam Iudicis declaratum, & denunciatum sit talem Ecclesiam esse pollutam, num. 2.

Ecclesiastica Pollutio proprie nõ est Interdictum, nec vlla Censura, num. 3.

Pollutionis huius effectus, etiam post Concilium Constantiense necessario seruandi sunt post publicam facti pollutiui notitiam, non expectata Iudicis declaratoria, num. 4.

Hoc in praxi Romæ, & vbique communiter receptum est. ibid.

Prædicta Iudicis declaratoria, quando de Pollutione non constat, expectanda est. ibid.

Pollutionis Ecclesiasticæ effectus in quo conueniant cum Interdicti effectibus, num. 5.

1 Aduerto 1. Pollutionem Ecclesiasticam esse veluti quandam Censuram, seu quoddam Interdictum, à Iure latum, locale, & speciale, prout docent *Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. Syluest. V. Consecratio, q. 9. in fin. & V. Interdictum 2. q. 3. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 1. Auil. p. 5. disp. 6. dub. conclus. 3. in fin. Burgas. de Irregul. p. 6. de sent. Interdicti num. 29. Tolet. l. 1. cap. 21. num. 8. Catanens in Summ. V. Interdictum, §. 3. Felician. de Interd. cap. 13. Monet. de Distribut. p. 2. q. 16. num. 19.* & alii plures ex recentioribus, qui proinde dicunt Ecclesiam Pollutam ita esse Interdictã, vt ante Reconciliationem non debeant in ea Diuina Officia celebrari.

2 Aduerto 2. cum post Concilii Constantiensis Constitutionem, de qua fuse actum est *Disp. 8. cap. 6. 7. & 8.* nemo teneatur Interdictum seruare, donec per Iudicis sententiam Interdicti Censura publice denunciata fuerit, idcirco non defuisse, qui asseruerint Ecclesiam censendam non esse pollutam per quamcumque

que Polluriui facti notitiam, donec Iudicis sententia declaratum sit Ecclesiam illam esse Pollutam, sic publice docuit Salmanticæ grauis Theologus Dominicani Ordinis *Io. de la Penna 3. p. q. 64.* quem secutus est *Rodriq. in Sum. p. 1. c. 154. conclus. 11. num. 12. in fin.* & probabile id esse sensit *Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4. cas. 3. dub. 2. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. num. 34. Alter. de Censur. tom. 2. de Interd. disp. 3. c. 1. Diana p. 6. resol. 27. Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiast. p. 1. cap. 2. dub. 11. sect. 2. num. 27. & 28.* & nouissime *Io. Maria de Castilento in Seraphicâ Theologiæ Moralis Polyanthea Verb. Consecratio Ecclesiæ, diffic. 2. vers. Cæterum.* nec non *Elig. Bassaus in Florib. Theologic. Verb. Sacrilegium 1. num. 8. vers. Obseruandum.*

3 Aduerto 3. proprie inter Censuras numerandam non esse Pollutionem Ecclesiarum, nec proinde eam esse Interdictum proprie, vt aperte colligitur ex *Cap. Is, qui, de sent. Excommunicat. in 6.* & expresse docent cum communi sententia *Suar. l. c. & tom. 5. de Censur. disp. 37. de Interdict. sect. 1. num. 28. Mazuchel. de Casib. Reseru. disp 2. c. 6. num. 36. Fagund. & Alter. ll. cc. & Henriq. l. 9. de Missa c. 27. num. 7.* qui multos refert.

4 Dico, vt Pollutionis Ecclesiasticæ effectus necessario seruari debeant, præter facti pollutiui publicitatem non requiri prædictam Iuridicam, & Declaratoriam secutæ Pollutionis sententiam, & denunciationem, quia Concilij Constantiensis decretum ad Ecclesię Pollutionem extendendum non est, cum hæc improprijssime tantum inter Censuras numeretur. ita in terminis nostris apertissime *Suar. Mazuchel. Alter. & Fagund. ll. cc. Persic. de 1. Sacer. Offic. p. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 6. num. 65. vterq. de Lugo, Io. de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 55.* qui testatur Romæ praxi receptum esse, vt Ecclesiæ reconcilientur, etiamsi Pollutio denunciata non fuerit, *Franc.* autem *de Sacrament. lib. 1. cap. 6. quæst. 12. num. 92.* qui eandem esse aliarum Diœcesum Praxim censet. vnde in dubijs tantum casibus, & quãdo de Pollutione clare non constat, prædicta Iudicis Declaratoria, seu Denunciatio expectanda videtur, aliter enim magna irrogaretur Ecclesiæ iniuria, si, cum adhuc ea sit in possessione suæ puritatis, & munditiæ, nihilominus, ex vulgarium hominum iudicio, vel incerta fama, Polluta censeretur, vt bene aduertit *de Castilento l. c. & Bordon. Consil. Regul. tom. 2. resol. 89. num. 33.*

5 Colligo, licet Ecclesiastica Pollutio conueniat cum Interdicto in hoc, quod in Ecclesia Polluta, itemque in Interdicta Missarum, Sacramentorum, & aliorum Diuinorum Officiorum celebratio prohibetur; tamen hanc solam similitudinem, vel conuenientiam, nequaquam sufficere, vt Ecclesiastica Pollutio Interdicti nomine proprie venire debeat, nam etiam Cessatio à Diuinis hanc eorundẽ prohibitionem, dum Cessatio ipsa durat, secum affert; & nihilominus proprie Interdictũ non est, nec Censura vlla iuxta communem DD. sententiam. Quomodo autem Pollutionis huius effectus ab Interdicti, vel Cessationis effectibus differant, dicemus in sequentibus.

CAPVT TERTIVM.

An, & quomodo prædicta Diuinorum prohibitio in Ecclesia Polluta differat ab eorundem prohibitione in Ecclesia proprie Interdicta.

SVMMARIVM.

Nominum differentia differentiam rerum arguere solet, num. 1.

Differentia inter Pollutionis, & Interdicti effectus vnde peti debeat, num. 2.

Pollutionis violator non fit Irregularis, vt fit Interdicti violator, num. 3.

Effectus Pollutionis Ecclesiasticæ quam multipliciter differant ab effectibus Interdicti, num. 4.

Ecclesiasticæ Pollutionis effectus quomodo proprie non sint in pœnam; sed in significationem, num. 5.

1 ADuerto 1. cum *cap. præced.* dictum fuerit, in quo conueniant tàm Pollutionis huius, quàm Interdicti effectus, iure, ac merito videndum hic esse, in quo ijdem non conueniant: sicuti enim per Pollutionis nomen ab Interdicti nomine diuersum diuersa significantur (alioquin frustra nominum distinctio inducta fuisset, & falso ea, quę omnino vnum quid essent, duo dicerentur, *L. Papinianus exuli, ff. de minorib. L. Si idem, C. de codicil.*) ita, cum à diuersis causis diuersi producantur effectus, diuersificari debent effectus prædicti, ita vt ijdem ipsi, prout sunt à Pollutione prædicta, diuersificentur à se ipsis, prout sunt ab Interdicto.

2 Aduerto 2. diuersitatem, quam inquirimus, non nisi veluti ab extrinseco prædictis effectibus accidere posse, vt ex mox dicendis patebit;

bit; re ipsa enim eædem ipsæ actiones prohibentur tàm in Ecclesia Polluta, quàm Interdicta; licet fortasse non eodem modo, nec ob eandem rationem, &c. prohibeantur in illa, vt in ista.

3 Aduerto 3. quia, vt constat ex *Cap. Is, qui, de sentent. Excommunicat. in 6.* & nos *Disput. sequent.* fusius dicemus, Pollutionis Ecclesiasticæ violatio, seu, vt melius dicam, effectuum eius transgressio, & inobseruantia nullam parit in transgressore Irregularitatem; quam tamen parit propria Interdicti violatio ex *eod. Cap. Is, qui, & Cap. 1. de sent. Excommunic. in 6.* idcirco hoc vnum ab aliquibus assignatum fuisse discrimen inter prædictos Pollutionis, & Interdicti effectus, vt clare videri potest apud *Philiarc. de offic. Sacerd. tom. 1. l. 4. c. 4. in fin.* Verum

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ effectus, hoc est actiones prohibitas in Ecclesia tantum Polluta, quadrupliciter differre ab Interdicti, etiam localis, & à Iure lati effectibus, i. ab actionibus prohibitis in Ecclesia à Iure etiam, & proprie Interdicta: Primo, quo ad pœnam iam *num. præced.* explicatam: Secundo, quo ad Priuilegia aliqua, per quæ aliquando impediuntur, vel suspenduntur effectus Interdicti; non autem Pollutionis: Tertio, quo ad modum ipsum, quo omnino tolluntur effectus tàm Pollutionis, quam Interdicti; Quarto denique, quo ad rationem, ob quam tales effectus imponontur, prout ex dicendis melius constabit; in Interdicto enim, vt potè Censura, iidem effectus, seu prohibitiones eædem imponuntur in pœnam, & specialiter afficiunt personas, quæ causam dedere Interdicto; sed in Pollutione Ecclesiastica iidem effectus, & prohibitiones prædictæ principaliter imponuntur in signum fœditatis, & indecentiæ, qua affecta, & infecta est actio Ecclesiæ polluitiua, & propter quam Ecclesia ipsa quodammodo commaculata, pollutaque remansit, ita vt ea inde à Iure veluti inhabilis habeatur ad Diuina. Vnde

5 Colligo Pollutionis effectus proprie non esse pœnam, nec proprie esse per modum pœnæ, sed esse tantum effectus simplicis prohibitionis (qualis est prædicta Pollutio) ad indicandam prædictam quasi inhabilitatem ob talem maculam moralem ipsi Ecclesiæ per talem actum loci sacri polluitiuum inustam, ac proinde eos potius esse in Significationem, quam in Pœnam, modo iam explicato.

CAPVT QVARTVM,

An, & quomodo prædicta Diuinorū prohibitio, pro vt est Pollutionis Ecclesiasticæ effectus, differat ab eorundem prohibitione, quādo hæc est effectus Cessationis à Diuinis.

SVMMARIVM.

Cessatio à Diuinis, non secus ac Ecclesiastica Pollutio, non est Censura; sed simplex prohibitio, num. 1.

Ecclesiastica Pollutio cur ab aliquibus dicta sit Cessatio particularis à Diuinis, num. 2.

Cessatio à Diuinis nunquam à Iure, sed ab Homine tantum; Pollutio vero à Iure tantum, & nunquam ab Homine imponitur num. 3.

Pollutionis effectus tripliciter præcipue differunt ab effectibus Cessationis à Diuinis, num. 4.

Papa Pollutionis effectus quomodo vnico verbo tollere possit, num. 5.

1 Aduerto 1. maiorem hic difficultatem esse in assignanda differentia inter prædictos effectus, vt sunt à Pollutione Ecclesiastica, & vt sunt effectus Cessationis particularis à Diuinis, quam fuerit *cap. præced.* in differentia assignanda inter eosdem, pro vt à Pollutione, & ab Interdicto erant: ibi enim facile fuit recurrere ad qualitates censuræ Interdicti, & effectuum illius, quæ neque in Pollutionem, neque in illius effectus cadunt; sed hic sumus extra talis differentiæ casum, cum sermo fit de Cessatione à Diuinis, quæ, non secus ac Pollutio ipsa, Censura non est, sed simplex prohibitio, vt ex cummuni DD. sententia patet.

2 Aduerto 2. idcirco ab aliquibus Ecclesiasticam ipsam Pollutionem dictā fuisse Cessationem particularem à Diuinis in tali loco sacro indictam ipso iure, prout dixit *Thesaurus in Prax. Ecclesiast. par. 2. V. Cessatio à Diuin. c. 1. §. An autem, & V. Sacrilegium, c. 5. vers. An autem.* Sed

3 Aduerto 3. vere Cessationem à Diuinis nunquam à Iure latam inueniri; sed tantum à Iure permitti, vt imponatur, prout patet ex *Cap. Irrefragabili, de Offic. Iud. Ordin. & Cap. Quamuis, cod. tit. in 6.* & docent *Tolet. in Sum. l. 1. c. 23. num. 5. Soto in 4. dist. 22. q. 3. art. 2. Suar. de Censur. disp. 39. sect. 1. num. 3. Megal. 3. p. l. 6. c. 1.*

c. 1. q. 1. num. 2. in fin. & alij passim; Ecclesiasticam vero Pollutionem non nisi à Iure imponi. Quare

4 Dico Diuinorum prohibitionem, prout est Ecclesiasticæ Pollutionis effectus, ab eorundē prohibitione, prout est effectus Cessationis à Diuinis, multipliciter, sed præcipue differre in his, Primo, quia Pollutionis effectus statim post actionem Ecclesiæ polluttiuam, & publicam eiusdem facti notitiam ipso iure consurgunt; effectus autem Cessationis cōsurgunt tantum ex sententia ab homine lata, vt tam *num. antecedent.* dicebamus: Secundo, quia Pollutionis effectus non tolluntur per simplicem relaxationem Iudicis, vt tolluntur effectus Cessationis, sed per solam Reconciliationem, vt suo loco dicemus: Tertio autē, quia Cessationis effectus non imponuntur, nisi ob graue crimen, & cum contumacia, vt communior, & verior sententia docet; Pollutionis autē effectus insurgunt etiam ex actionibus quibusdam alias ex se se non peccaminosis, & sine contumacia, nec non tantum ex talibus actionibus in Iure expressis, & non ex alijs, licet grauioribus, vt alibi dictum est.

5 Colligo, licet Papa possit etiam Pollutionis Ecclesiasticæ effectus tollere per dispensationem vnico verbo factam, quia potest solo verbo auferre maculam illam moralem ex Ecclesiæ decreto perseuerantem, retractando scilicet in tali casu prædictum decretum, ad quod facit *tex. in Can. Aqua, de consecrat. Eccles.* & idipsum docet *Thesaur. de Pæn. Eccles. p. 2. V. Sacrilegium, cap. 5. vers. Circa modū*, vnde tunc quo ad hoc non differrent Pollutionis effectus ab effectibus Cessationis à Diuinis; tamen id fore de absoluta Ecclesiæ potestate, quæ pœnas à se impositas, prout vult, tollere, suspendere, & mutare potest; nos autem hic loquimur de Iure tātum communi.

CAPVT QVINTVM.

An omnes Ecclesiasticæ Pollutionis effectus ita connexi sint, vt nulla sit Pollutio partialis, nec in ijs ordinario Iure dispensari possit ab Episcopo.

SVMMARIVM.

Quæstio, an detur Pollutio partialis, quibusnam in casibus locum habere possit, num. 1.

Suspensionis, & Interdicti effectus de facto, & secundum aliquos Cessationis etiam à Diuinis de possibili sunt separabiles; non autem Excommunicationis, ibid.

Partialis Pollutio de facto non datur; de possibili per Papam non implicat, num. 2.

Episcopus, aut vllus Prælatus Inferior cur non possit vllo modo dispensare in Legibus Papæ, aut Superioris, nisi in casibus ipsi aliquo modo concessis ab eo, qui legem tulit, num. 3.

Episcopus, & quiuis Pontefice Inferior non potest impedire, nec suspendere Pollutionis effectus, neque vnum tollere sine alio, aut eos aliter, quam à Iure præscriptum sit, immutare, nisi id à Papa ei expresse, vel tacite concessum fuerit, num. 4.

Episcopus potest in sua Diœcesi, quod Pontifex in tota Ecclesia, nisi ab ipso Pontifice prohibeatur, *quomodo intelligi debeat, nu. 3. & 5.*

Dispensandi facultas in legibus Superioris non est ex his, quæ conueniunt Inferiori, nisi prohibeantur; sed ex his, quæ non conueniunt, nisi concedantur, num. 5.

Absoluendi facultas est secundum Ius; Dispensandi autem est contra Ius: illa concessa intelligitur, quandiu non prohibetur; ista autem prohibita, quandiu non conceditur. ibid.

1 ADuerto 1. cum sæpe, ac sæpius superius, sed maxime *Disp. 3. Cap. 10.* dictum à nobis fuerit Ecclesiasticam Pollutionem de facto à Iure tantum esse, & de possibili à Papa tantum imponi posse, propterea hic, quo ad primam difficultatem, quæstionem esse non posse, nisi in casibus à Iure expressis, vel à Papa exprimendis; num scilicet in omnibus casibus iam expressis semper imposita fuerit, vel saltem imponi possit in ijsdem, aut in alijs exprimendis totalis, vel aliquando etiam partialis tantum Pollutio, ita vt per eam vel semper omnia Diuina, vel aliquando aliqua tantum prohibita, adeoque Pollutionis effectus vel simul omnes connexi semper, vel inuicem nonnunquam separati, & vnus sine alio, sint, aut saltem esse possint, pro vt de facto effectus Suspensionis, & Interdicti tam à Iure, quàm ab homine lati aliquando separantur, & de possibili idipsum de Cessatione à Diuinis aliqui dicunt cum *Suar. de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 16.* & alijs; non autem Excommunicationis effectus, ex communi DD. sententia apud *Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. num. 4.*

2 Aduerto 2. sicuti certum mihi videtur, quod in casibus à Iure expressis non detur vnquam partialis Pollutio, quæ scilicet secum habeat vnum

vnum ex effectibus prædictis, & non alium; sed semper, & tantum totalis, ita certum quoque omnino esse, quod etiam partialis Pollutio à Papa institui queat, tum in casibus ipsis iam expressis, tum in alijs quibuscumq. ab eo exprimendis, cum sit supra omne ius Canonicum, à quo hæc ipsa pendent, vt ex alibi dictis apertissime constat.

3 Aduerto 3. quo ad secundam difficultatē, nimirum, an in prædictis Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus, vel impediendis, vel suspendendis, vel tollendis, vel aliter immutandis aliquando dispensare possit Episcopus, vel non possit, nodum omnem in eo esse, quod aliqui cum *Victor. Relect. de Potestate Eccles. num. 28.* hanc regulam constituant: *Vnusquisque Episcopus in sua Diœcesi potest, quicquid potest Papa in vniuersa Ecclesia, nisi ab ipso Pontifice prohibeatur*: vnde inferunt in ijs, in quibus Pontifex non limitat eius Iurisdictionem, Episcopū habere potestatem ordinariam, & sic posse dispensare in omnibus casibus non reseruatis Papæ, sicut confessor ordinarius potest absoluere ab omnibus peccatis non reseruatis Papæ, aut Episcopo; alij autem cum communi sententia probabilius docent Episcopum, aut alium Prælatum inferiorem non posse dispensare vllo modo in legibus Papæ, aut Superioris, nisi in casibus ipsi aliquo modo concessis ab eo, qui legem tulit, quia Inferior, quà talis, non potest vincere Superiorem, ideoque nec sua vi, & potestate impedire legem Superioris absque eius voluntate, vt fuse videre est apud *Couar. de Matrim. par. 2. cap. 6. num. 15. Gutierez Canon. quæst. l. 1. c. 5. num. 10. Suar. l. 6. de Legibus cap. 14. num. 4. Vasq. tom. 2. in 1. 2. disp. 178. cap. 2. Salas de Legibus disp. 20. sect. 3. num. 20. Sanch. de Matrim. l. 8. disp. 5. num. 9. & in Sum. l. 2. c. 40. num. 1. Pont. de Matrim. l. 8. c. 6. num 1. & seq. Arriag. de Legib. disput. 29. sect. 1. num. 3. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Alleg. 33. num. 18. & seq.* vbi dicit hanc sententiam hodie esse magis receptam, licet olim contraria magis communis fuerit. Vnde

4 Dico neque Episcopum, neque alium Papa inferiorem, nisi id à Papa expresse, vel tacite concessum ei fuerit, posse impedire, vel suspendere prædictos Pollutionis Ecclesiasticæ effectus, vel ex ijs vnum sine alio tollere, vel aliter eos, quam à Iure præscriptum sit, immutare: nam omnes Papa Inferiores Iuri cōmuni subijciuntur; in Iure autem talis dispensandi in Pollutionis effectibus facultas nullo modo alicui Papa Inferiori concessa inuenitur; sed potius expresse denegata censeri debet, si non specialiter, saltem generaliter, dum Ius generaliter eam prohibet per eas leges, quæ iubent, vt Canones, vel Ius commune ab inferioribus seruetur, qui non possunt in contrarium disponere, vt patet ex *Cap. 1. de constitut. Cap. Quod super his, de Maiorit. & obed. & Cap. Cum inferior, eod.*

5 Colligo Regulam illam, quod Episcopus possit in suo Episcopatu, nisi prohibeatur, quæ Papa potest in tota Ecclesia, esse veram, si intelligatur in his, quæ ad commune regimen, & gubernationem spectant, & antequā emanet lex Pontificia, quæ aliquid decernat, & eo ipso per suam Constitutionem illud excipiat ab ordinaria Iurisdictione Inferioris; falsam autem esse, si ea secus accipiatur, vt expresse probat *tex. in Clement. Ne Romani, de elect. & Cap. Dilectus, de tempor. ordinat.* ex quibus omnibus habetur facultatem dispensandi in legibus Superiorum nō esse ex his, quæ conueniunt Inferiori, nisi prohibeantur; sed ex his, quæ non conueniunt, nisi concedantur: nec obstat argumentum à facultate absoluendi desumptum iuxta *text. in Cap. Nuper, de sent. Excommunic.* aliud enim est Absolutio, aliud Dispensatio: illa non est contra Ius, sed secundum Ius, vnde non mirum, si concessa intelligatur absoluendi facultas, quandiu non prohibetur; ista vero est contra Ius, cum Dispensatio sit vulnus legis, vnde non mirum, si prohibeatur, quandiu non conceditur. An autem, & quo Iure Episcopus aliquando concedere possit, vel non possit, vt in Ecclesia polluta celebretur, dicetur inferius, cum de Sacrificio Missæ in Ecclesia Polluta celebrando peculiariter agetur.

CAPVT SEXTVM.

An Pollutionis huius effectus ita continui sint, vt neq. per concessionem *Cap. Alma Mater, de sent. Excommunic. in 6.* suspendantur.

SVMMARIVM.

Cap. Alma Mater, de sent. Excommun. in 6. *quomodo huic dubitationi causam det, num. 1.*

Concessio d. Cap. Alma Mater *secundum aliquos habet locum etiam in generali Cessatione à Diuinis, num. 2.*

Contrarium verius ab alijs creditur, num. 3.

Multo minus prædicta Concessio valet in Interdicto, vel Cessatione particularibus, ibid.

Pollu-

Pollutionis Ecclesiasticæ effectus non suspenduntur per Concessionem d. Cap. Alma Mater, *num. 4.*

Quid si in aliquo loco vnica sit Ecclesia, & ea sit Polluta, vel plures, sed omnes pollutæ? num. 5.

1 ADuerto 1. causam dubitandi inde ortam esse, quod in Interdicto locali ampla illa Diuinorum prohibitio, quæ prius iuxta dispositionem Iuris antiqui seruabatur ex *Cap. Si sententia, de sent. Excommunic. in 6.* cum sola concessione *Cap. Quod in te, de pænit. & remiss.* postea per Bonifacinm VIII. in *Cap. Alma Mater, de sent. Excommunic. in 6.* limitata fuit, & concessum est, vt singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missæ celebrentur, & alia Diuina Officia fiant, sicut prius, i. ante Interdictum; submissa tamen voce, ianuis clausis, Excommunicatis, & Interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis, & insuper, vt etiam in Festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis B. V. quinetiam in Festo Corporis Christi, & per totam illius Octauam ex concessione Martini V. & Eugenij IV. nec non in Festo Conceptionis Mariæ Matris Dei, & per eius Octauam in Partibus Hispaniarum ex Leone X. vt videre est apud *Suar. de Censur. disp. 34. sect. 1. num. 33. & seq. Filliuc. tract. 18. cap. 3. num. 79. Coninch. disp. 17. de Censur. dub. 2. n. 37. Bonac. de Censur. disp. 5. p. 4. num. 14. Bassæum in Florib. Theol. V. Interdictum 2. num. 16. & Megal. in Sum. par. 3. lib. 6. cap. 2. num. 4. & 5.* campanæ pulsentur, & ianuis apertis, alta voce, Diuina Officia solenniter celebrentur, Excommunicatis prorsus exclusis, sed Interdictis admissis, dummodo illi, propter quorum excessum huiusmodi Interdictum latum fuit, Altari nullatenus appropinquent. Vnde, cum Ecclesia polluta sit quodammodo Interdicta, prout superius explicauimus, dubitari potest, an prædicta moderatio *Cap. Alma Mater*, suspendat etiam in Ecclesia Polluta, & limitet prædictos Pollutionis effectus, idest Diuinorum prohibitionem.

2 Aduerto 2. dubitandi rationem crescere etiam ex eo, quod aliqui prædictam *Cap. Alma Mater* Concessionem admittunt in Cessatione ipsa à Diuinis, quæ tamen Censura non est, & cui magis, quam Interdicto, assimilari videtur Ecclesiæ Pollutio: ità *Enriq. l. 13. c. 52. num. 4. lit. I. Auil. p. 6. disp. 1. dub. 9. conclus. 2. Roderic. qq. Regul. 116. artic. 4. tom. 2. Mirand. tom. 2. q. 38. art. 6. conclus. 6. Sayr. l. 5. de Censur. c. 19. num. 8. & Gutier. qq. Canon. l. 1. c. 10. num. 4.* cum multis.

3 Aduerto 3. quicquid sit, an prædicta moderatio *Cap. Alma Mater* locum habeat in Cessatione generali, cuius tamen negatiuam partem veriorem putat *Thesaur. de Pæn. Eccles. p. 2. V. Cessatio, c. 1. cum Suar de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 25. Reginald. l. 32. num. 81. Laym. tr. de Interd. c. 6. num. 3. Barbos. in d. Cap. Alma mater, num. 16. & Gordon. in Sum. l. 7. q. 16. c. 2. num. 92.* certe eam locum non habere in Cessatione à Diuinis particulari, v.g. quando in vna Ecclesia Diuina Cessare iubentur, neq. in ipsomet Interdicto particulari, quia prædictum *Cap. Alma Mater* loquitur tantum de Interdicto generali, vt ex eiusdem lectura patet, & notat *Glossa ibid. Verb. Ecclesijs*, quã sequuntur *Anchar. Domin. Franc. & DD.* cõmuniter, teste *Couar. in d. Cap. Alma Mater, p. 2. §. 4. nu. 1.* qui multos alios citat, quibus adhærent *Nauar. in Sum. c. 27. nu. 173 & 175. Suar. l. c. disp. 34. sect. 2. num. 1. & sect. 3. num. 33. nec non disp. 39. sect. 2. num. 13. & Sayr. l. c. l. 5. c. 7. num. 12.* cum recentioribus propemodum omnibus, à quibus non dissentio, & consequenter

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ effectus non suspendi per Concessionem *d. Cap. Alma Mater*, quia, cum illud loquatur de *Interdicto*, & quidem generali, non est extendendum ad Pollutionem Ecclesiasticam; à diuersis enim ad diuersa non fit bona illatio: vnde, cum constet de Diuinorum prohibitione in Pollutione, & non constet de prohibitionis ipsius suspensione, aut exceptione in aliquibus diebus, prohibitio prædicta semper seruanda erit, & ita in terminis ipsis nostris de Ecclesię pollutione sentiunt *Glossa in Cap. Tuarum, de priuileg. Verb. Ad reconciliationem. Villadieg. de Irregularit. c. 5. num. 30. Enriq. l. 13. de Interdict. c. 51. num. 5. in fin. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dub. 3. conclus. 3. in fin. Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 30. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 12. num. 110. Thesaur. in Prax. Ecclesiastic. par. 2. V. Sacrilegium, cap. 5. Versic. An autem*, & nouissime etiam *Franc. de Lugo, de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 6. n. 41. in fin. & Iord. t. 1. l. 5. tit. 12. n. 141.*

5 Colligo, licet (non ex Iuris rigore, sed ex Ecclesiæ benignitate) aliqui prædictam *Cap. Alma Mater* moderationem probabiliter cõcedi posse putent in Cessatione ipsa à Diuinis generali; non autem in Cessatione, neque in Interdicto particularibus, ob eam rationem, quia in Interdicto, & Cessatione generalibus omnes Ecclesiæ ibi abstinent à Diuinorum celebratione; non omnes autem in particularibus, sed ea tantum Ecclesia, quæ specialiter Interdicta est, aut quæ peculiariter Cessare iubetur; nihilominus, si vnica ibi sit Ecclesia,

Ecclesia, aut etiam plures, sed omnes particulariter Interdictæ, aut Pollutæ sint, adhuc in ijs locum non habere prædictam moderationem *Cap. Alma Mater* (licet ibi peculiare Interdictum, aut Ecclesiæ Pollutio tunc quodammodo æquiualere videatur Cessationi, aut Interdicto generali) nam Diuinorum celebratio, stantibus prædictis Interdicti, aut Cessationis particularium, vel Pollutionis ipsius impedimentis, tunc fieri poterit extra Ecclesias specialiter Interdictas, vel specialiter Cessare iussas, vel Pollutas, quod in Interdicto, vel Cessatione generalibus fieri nequit, cum tunc omnis terra, & solum ipsum vniuersum sit Interdictum, & Cessare à Diuinis etiã extra loca sacra ibi necesse sit, vt ex alibi inferius dicendis melius constabit.

CAPVT SEPTIMVM.

Vndenam habeatur, quod in Ecclesia Polluta Sacramentorum administratio prohibita sit.

SVMMARIVM.

In qualibet Interdicti specie communiter prohiberi censentur Administratio Sacramentorum, Persolutio Diuinorum Officiorum, & Ecclesiastica Sepultura, num. 1.

Tempore Cessationis puræ à Diuinis cur concessa videatur in loco sacro Sepultura, modo fiat sine Officio Funebri, num. 2.

Ex prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia Polluta quare inferri non videatur prohibitio Administrandi in eadem alia Sacramenta, num. 3.

Prohibitio Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta nobis indicatur ex Cap. Tuarum, de Priuileg. *num.* 4.

Diuinorum Officiorum nomine quomodo veniat etiam Administratio Sacramentorum. ibid.

Licet in prædicto Cap. Tuarum de Priuileg. *Prohibitioni Iuris accesserit etiam Prohibitio hominis; nihil tamen inde infertur contra prædicto, num.* 5.

1 ADuerto 1. quamuis superius dixerimus Pollutionis Ecclesiasticæ effectus reduci posse ad tria illa Capita, videlicet ad triplicem illam prohibitionem, ne ibi Administreotur Sacramenta, Persoluantur Diuina Officia, & Sepeliantur Fidelium cadauera, in qualibet enim Interdicti specie hæc tria prohibita communiter censentur; peculiarem tamen difficultatem esse posse circa prædictã prohibitionem Celebrandi, seu Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta, eo quod Prohibitio hæc nullibi in prædictis Iuribus *Cap.* 1. allatis exprimi videatur, & *Cap. Alma mater, de sentent. Excommun. in 6,* in quo ea expresse habetur, ad Ecclesiæ Pollutionem extendendum non sit, vt iam *cap. præced.* conclusum est.

2 Aduerto 2. difficultatem hanc inde etiam augeri posse, quod sicuti tempore Cessationis puræ à Diuinis multi cum *Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. nu. 4.* diserte docent concessam videri sepulturam tum Laicis, tum Clericis in loco sacro, modo fiat siue Officio Funebri, quia pœnarum, seu effectuum odiosorum extensio ab Interdicto ad Cessationem facienda non est, cum diuersa sint, licet ratio fortasse similis; ita idipsum fortasse in nostro casu ob eandem rationem dicendum videtur in ordine ad Pollutionis effectus, adeoq. prohibitionem Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta, cum ea in Iuribus de Ecclesiæ Pollutione loquentibus non exprimatur, asserendam non esse; licet ea in Iuribus de Interdicto loquentibus habeatur; prout sepultura ipsa in loco sacro sine Diuino Officio facta tempore Cessationis à Diuinis, cum in Iuribus de Cessatione loquentibus prohibita non sit, prohibita non censetur, licet ea in Iuribus de Interdicto loquentibus prohibeatur.

3 Aduerto 3. neq. ex prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia polluta, quæ ex Iuribus iam *Cap.* 1. citatis clare constat, inferendam omnino esse prohibitionem Administrandi ibidem etiam alia Sacramenta, prout hæc inferenda aliquibus videri posset; nam fieri non debet in odiosis talis extensio, & multo minus hic, vbi fortasse peculiariter prohiberi potuit prædictum Missæ Sacrificium & Eucharistiæ; non autem aliorum Sacramentorum, Administratio ob peculiarem prædicti Sacramenti inter alia omnia Excellentiam, atque Puritatem ab omni pollutione, & macula quam maxime abhorrentem.

4 Dico Sacramentorum in Ecclesia Polluta administrandorum prohibitionem nobis indicari ex *Cap. Tuarum, de Priuileg.* ex eo enim Diuina Officia in Ecclesia Polluta ante Re- 1
conciliationem prohibita constat, sub nomine autem Diuinorum Officiorum contineri Sacramentorum Administrationem satis probat *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 5. §. 2. num. 2.* nec non *Monet. de Distributionib. quotid. p. 2. q. 16. num. 7.* & habetur ex *Cap. Non est vobis, de Sponsalib.* cum enim Alexand. III. in *tex. d.*

Cap. prohibuisset *Diuina Officia*, statim excipit duo Sacramenta, videlicet *Baptismum paruulorum*, *& Pœnitentias morientium*, quod etiam aperte docuit *Calderin. de Interdicto num.60.et Laym. loc. cit.*

5 Colligo, quamuis in prædicto *Cap. Tuarum, de Priuileg.* prohibitioni Iuris accesserit etiam prohibitio hominis; inde tamen non fieri, quin de Iure communi in Ecclesia polluta prohibeantur Diuina Officia, vt bene docuit *Socin.Sen. in d. Cap. Tuarum, num. 11.* & fauet *Glossa* ipsa *ibid.Verb. Ad reconciliationem*, quæ dicit hoc esse Interdictum Iuris, & non hominis. quicquid ergo sit, an Episcopus interdicendo ibi, ne celebretur in Ecclesia Polluta, posuerit nouum Interdictum, vel potius exequi voluerit Interdictum Iuris, certe tam vnum, quàm aliud secum affert prædictam Diuinorum Officiorum prohibitionem, & ità est communis DD. sensus; licet, quo ad pœnas transgressoribus impositas, alioquin differant, vt superius innuimus, & inferius suo loco fuse dicemus.

CAPVT OCTAVVM.

An in Ecclesia Polluta Sacramentorum administratio prohibita sit, etiamsi hæc ibi secrete fiat.

SVMMARIVM.

Ratio duplex dubitandi proponitur, num.1.& 2.

Priuata recitatio Diuini Officij in Ecclesia Polluta quanam sit, & cur non prohibeatur, nu. 3.

An detur etiam priuata alicuius Sacramenti administratio, ibid. remissiue.

In Ecclesia Polluta prohibetur Sacramentorum administratio, etiamsi hæc ibi secrete fiat, num. 4.

In genere prohibitorum omnia censentur prohibita, quæ non sunt expresse concessa, ibid.

Rationi dubitandi num. 1. *præposita satis fit, num. 5.*

1 ADuerto 1. dubium hoc inde sumptum videri posse, quod, sicuti actio Ecclesiæ Pollutiua, si secreta sit, & occulta, Ecclesiam actu non polluit, vt *Disp. 3. cap. 12.* dictum fuit, ita etiam fieri potest, vt Sacramentorum administratio, si secrete fiat, actualem ipsam Ecclesiæ Pollutionem nequaquam violet. Quinetiam

2 Aduerto 2. cum secreta, & priuata Diuini Officij lectio, seu recitatio, qualem describit *Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* non prohibeatur in Ecclesia Polluta, vt inferius dicemus, dum de Horarum Canonicarum persolutione in Ecclesia polluta specialis quæstio instituetur, hinc etiam fortius hic fortasse dubitari posse: Si enim in ipsa Diuinorum Officiorum prohibitione Sacramentorum quoque administratio continetur, vt *cap. præced.* dictum est, quidni in hac eorundem concessione hæc simul etiam includatur? Verum

3 Aduerto 3. prædictam Diuini Officij lectionem, seu recitationem, de qua *d. Cap. Quod in te*, loquitur, non ideo concedi, quia secrete sit; sed ideo non prohiberi, quia talis actio non est proprie, & Ecclesiastice Diuinum Officium; licet Officium ipsum, quod sic recitatur, sit quodammodo materialiter, &, quo ad substantiam, vere Diuinum. vnde id non facit contra nos in præsenti quæstione, in qua de secreta tantum Sacramentorum administratione sermo est. An vero, sicuti datur nõ solum secreta, sed etiam priuata Diuini Officij recitatio, ita detur etiam priuata aliquorum Sacramentorum administratio, patebit ex his, quæ de vniuscuiusq. Sacramenti administratione peculiariter inferius afferemus.

4 Dico in Ecclesia Polluta prohibitam esse Sacramentorum administrationem, etiamsi hæc ibi secrete fiat. Ratio est, quia, cum simus hic in genere prohibitorum, vt ex supradictis patet, omnia censentur prohibita, quę non sunt expresse concessa, vt probatur ex *Cau. Consuluisti, 2. q. 5. cap. 2. de translat. & Clem. 1. §. Porro, de verb. signific.* quare, cum ex vna parte constet de prohibitione administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta; ex alia vero nullo iure secreta eorundem administratio concessa appareat, idcircò hanc etiã prohibitam remanere dicendum est, prout apertissime dixit (etiam in Interdicto locali generali, in quo laxiores concessiones à Iure habemus) *Suar.de Censur.disp.33.sect.3.num.6. & disp.34. sect.3. num.28.* cum *Couar. Nauar.* & alijs apud *Megal.p.3.l.6. cap.2. num.21.* qui idipsum docet.

5 Colligo, cum ex Iure habeamus, quod actio Ecclesię pollutiua eam actu non polluat, nisi actio ipsa sit publica, vt *d. Disp. 3. cap. 12.* visum est; nullo autem ex Iure habeamus, quod prohibitio administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta locum non habeat, nisi prędicta administratio publica sit, propterea non bene vnum ex alio colligi posse, & consequenter rationem ipsam dubitandi *num. 1.* allatam nihil valere.

CAPVT

CAPVT NONVM.

An Sacramentorum omnium, vel aliquorum tantum administratio in Ecclesia polluta prohibeatur.

SVMMARIVM.

Sacramentorum omnium, & non aliquorum tantum prohibitio, vndenam haberi videatur, num. 1.

Vndenam contra aliquorum tantum, & non omnium Sacramentorum prohibitio colligi videatur; num. 2.

Ecclesia Polluta quo modo dici possit Interdicta. ibid.

Iura in Interdicto concedentia aliquorum Sacramentorum administrationem variè à varijs intelliguntur; num. 3.

In Ecclesia Polluta non omnium, sed aliquorum tantum Sacramentorum administratio prohibetur, num. 4.

Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore generalis Interdicti localis; ea ministrari etiã possunt in Ecclesia specialiter Interdicta, nec non in Ecclesia Polluta. ibid.

Etiamsi in casu specialis Interdicti localis, & Ecclesiæ Pollutæ cesset ratio necessitatis; quæ in casu Interdicti generalis afferri potest, adhuc prædicta vera sunt; num. 5.

1 Aduerto 1. pro vna parte videri Cap. Tuarum. de Priuileg. cum enim ibi omnia Diuina Officia absque vlla exceptione tam à Iure, quàm ab Homine in eo casu Pollutionis Ecclesiasticę prohibeantur, cumque, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, absolute inde sub nomine Diuinorum Officiorum, Sacramentorum etiam omnium administratio venire videtur.

2 Aduerto 2. pro altera parte videri nonnulla alia Iura, quæ, cum in Interdicto concedant aliquorum Sacramentorum administrationem, vt ex inferius de vniuscuiusque Sacramenti administratione dicendis patebit, idipsum etiam concedere videntur in Ecclesia Polluta, nam etiam Ecclesia Polluta, si non proprie, saltem improprie, & largo modo Interdicta dici potest, quatenus in ea tunc, æque ac in Ecclesia proprie Interdicta, Diuinorum celebratio interdicitur, vt bene aduerterunt inter alios *Stephan. Costa Repetit. in Cap. 14. cum de sent. Excommun. in 6. nu. 8. in fin. Mazzol. in Regul. Confess. & Pœnit. p. 5. de Interd. num. 4. & 2. Bannfeldius Enchirid. p. 5. c. 9. §. Primo quando, & Molin. in Aphorism. V. Interdictum, §. locale speciale.* Sed

3 Aduerto 3. dato etiam, & concesso, quod Ecclesia Polluta dici possit prædicto modo, & ad prædictum effectum Interdicta, adhuc dubium esse, num ea Iura, quæ in Interdicto cõcedunt Sacramentorum aliquorum administrationem, loquantur de Interdicto tantũ generali, an vero extendantur etiam ad Interdictum particulare, quale modo prædicto est Ecclesiæ Pollutio; aliqui enim id negant, & dicunt tales concessiones factas fuisse in Interdicto tantum generali ob necessitatem, quæ cessat in Interdicto speciali siue proprio, siue improprio; cum in alijs Ecclesijs non Interdictis Sacramentorum illorum administratio tunc commode fieri possit, quos sequitur *Megal. de Censur. lib. 6. cap. 3. num. 36.* aliqui id concedunt, sed addunt id honestius fieri, si in Ecclesia non Interdicta administrentur, dummodo id commode fieri possit, ita *Calderin. de Interd. membr. 2. Vers. Sed numquid. S. Antonin. de Interdict. c. 3. in princip. Conar. in Cap. Alma Mater, p. 2. num. 7. Hæc verò Sacramenta. Vgolin. de Censur. tab. 5. cap. 7. §. 4. num. 1. & c. 10. §. 1. num. 1. Anchar. Fabien. & Syluest.* cum multis alijs; aliqui vero existimant non solum licite, sed etiam æque honeste Sacramentorum in Interdicto à Iure concessorum administrationem fieri posse in Ecclesia etiam specialiter Interdicta, ita *Sayr. de Censur. l. 5. c. 6. num. 4. Henriq. l. 13. c. 45. num. 3. Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. n. 3. Coninch. disp. 17. de Censur. dub. 2. num. 4. Bonac. de Censur. disp. 5. punct. 3. §. 3. num. 3. Castropal. de Censur. disp. 5. punct. 4. §. 1. num. 4.* & alij plures apud illos. Ideoque

4 Dico in Ecclesia Polluta non omnium, sed aliquorum tantum Sacramentorum administrationem prohiberi, quamuis enim Sacramentorum omnium administratio ex vi generalis prohibitionis in d. *Cap. Tuarum* contenta videatur generaliter in Ecclesia Polluta prohiberi, & nulla ibi fieri alicuius Sacramenti exceptio, vel prędictæ generalis prohibitionis limitatio; tamen vere in illa prohibitione non includuntur, quæ alibi in Iure conceduntur, vt bene dixit *Calder. d. 2. part. 1. num. 19.* nam etiam ibi continetur implicita conditio *nisi à Iure aliqua excepta, & semper concessa sint*; prout de facto aliquorum Sacramentorum ministratio à Iure generaliter concessa est, vt de singulis Sacramentis suo loco dicemus. vnde allero aliquorum Sacramentorum con-

cessiones generaliter à Iure factas valere tàm in Interdicto locali quocumq. proprio, quàm in ipsa Ecclesiæ Pollutione, quam esse Interdictum quoddam impropriè dictum, locale, & à Iure latum superius vidimus. nam licet in casu Pollutionis huius, & cuiusuis Interdicti specialis localis cesset ex parte loci ratio necessitatis *praced. num.* allatæ, ob commoditatem scilicet ministrandi talia Sacramenta extra locum prædictum specialiter vel ab homine, vel à Iure, vel propriè, vel impropriè modo prædicto Interdictum; attamen cessare non debet legis dispositio vniuersalis, quæ sine vlla restrictione loquitur, *Cap. Solita, §. fin. de Maior. & obed. L. 1. §. & generaliter, ff. de legat. praest.* Quare ea Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore generalis Interdicti localis, secundum hanc benigniorem, & veriorem sententiam ministrari possunt ob generalem illorum concessionem etiam in Ecclesia Polluta, cum hæc, quo ad effectum ministrandi Sacramẽta prædicto modo cõcessa, non sit Interdicta, & sit ac si non esset Polluta, vt benè in simili dixit *Bonac. l. c. punct. 3. §. 1. nu. 3. cum Filliuc. de Interd. num. 32.* qui tamen subdit ratione scandali, si timeatur, ea alibi, i. in Ecclesia non polluta, ministranda esse, si id commodè fieri possit. Quod autem Sacramentorum aliquorum ministratio ob Iura generaliter id in quocumque Interdicto loci concedentia liceat etiam in Ecclesia polluta apertissimè docet *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. nu. 1. Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 140. Burgal. de Irregularit. par. 6. de sent. Interdicti num. 28. & 29.* & colligi etiam potest ex omnibus ijs, qui in quocumque Interdicto locali eam iuxta Iurium aliquorum concessionem licere putant, & Ecclesię Pollutionem inter Interdicta localia, specialia, & à Iure lata enumerant, qui multi sunt.

5 Colligo, cum Iura quædam absolutè aliquorum Sacramentorum ministrationem in Interdicto concedant, nec distinguant de generali, vel speciali, proprio, vel impropriò Interdicto, ea absolutè etiam à nobis accipienda esse, nec distinguendum, vbi lex non distinguit, maximè in fauoribus, qui ampliandi. Quare, cum concessio, & dispositio Iurium sit generalis, & vltra limites prædictæ rationis, quæ ibi reddi potest, i. necessitatis ea ibi ministrandi, arguendum est prædictam eius necessitatis rationem non fuisse omnino causalem, nec totalem; sed partialem, & occasionalem tantum, ex quibus patet, quid ad obiecta dici debeat.

CAPVT DECIMVM.

An Baptismi Sacramentorum in Ecclesia Polluta licitè ministrari possit.

SVMMARIVM.

Sacramenta, quæ in Ecclesia singulariter Interdicta licent; cur generaliter liceant etiam in Ecclesia Polluta, num. 1.

Baptismi ministratio quam multipliciter considerari possit, num. 2.

Qua de causa aliqui propositæ quæstioni negatiuè respondendum esse putarint, num. 3.

Sacramentum Baptismi licitè per se in Ecclesia Polluta ministrari potest, num. 4.

Quomodo per accidens aliquando idipsum non licere possit. ibid.

Facilitas adeundi aliam Ecclesiam non Interdictam, seu non Pollutam, vt in ea Baptismus ministretur, cur per se nullam inducat obligationem id faciendi. ibid. & num. 5.

1 ADuerto 1. cum ex superius dictis abundè colligi queat Ecclesiæ Pollutionem, licet non sit propriè Interdictum; aliquando tamen venire nomine Interdicti localis particularis, quando scilicet de hoc agitur in ordine tantum ad prohibitionem, vel concessionem aliquam celebrandi ibi Diuina (quo ad hoc enim Ecclesia Polluta vere dici potest Interdicta, vnde *Calderin. tr. de Interdict. p. 1. num. 12. D. Antonin. p. 3. tit. 26. c. 4.* alijq. multi Ecclesiam Pollutam inter Ecclesias singulariter Interdictas absolutè numerarunt) propterea ex generalibus ijs concessionibus, quæ in Ecclesijs specialiter Interdictis Sacramentum aliquod administrandi, vel alia Diuina celebrandi facultatem faciunt, generaliter etiam inferri posse, quod eadem facultas pro Ecclesijs quoq. Pollutis facta fuerit, prout idipsum illatum fuit à DD. *praced. cap. nu. 4.* adductis, & ex alijs etiam inferius adducendis facilè animaduertere licebit.

2 Aduerto 2. Baptismi administrationem multipliciter considerari posse, nimirum prout ministratur priuatim, vel solemniter; pueris, vel adultis, sanis, vel infirmis, &c. quæ quidem singulatim inferius discutienda erunt; sed hic de puerorum tãtum Baptismo, & in genere solum sermo erit, vt quam distinctissimè procedatur.

3 Aduerto

3 Aduerto 3. iuxta sententiam non solum *Io. Monach. in Cap. Præsenti, de sent. Excommu. in 6.* quem refert *Anchar. in Cap. Si ciuitas, n. 5. vers. Quinto, de sent. Excommun. in 6.* sed etiã nouissime *Megal. de Censur. lib. 6. cap. 2. nu. 50.* negatiue ad propositam quæstionem respondendum esse, putarunt enim Iura ipsa omnia, in quibus affirmatiua, & communis sententia fundatur, quatenus de Sacramentis quibusdã tempore Interdicti concessis verba faciunt, intelligenda esse de Interdicto locali generali tantum, ac proinde nullo Iure haberi, quod extra casum necessitatis illius, de qua *cap. præced.* diximus, Sacramentum vllum in Ecclesia specialiter Interdicta ministrare liceat. Verum contrariam, & veram sententiam secutus

4 Dico Baptismi Sacramentum per se licite in Ecclesia Polluta administrari posse, quia huius Sacramenti administratio in quolibet Interdicto, nullo excepto, semper excepta intelligitur, vt tum ex *Cap. Non est vobis, de Sponsalib. Cap. Quoniam, de sent. Excommun. in 6. & Cap. Quod in te, de pœnit. & remission.* tum ex *Glossis ibi* bene probant *Calderin. de Ecclesi. Interdicto, part. 1. num. 19. Anchar. l. c. Tabien. Syluest. & Angel. V. Interdictum Couar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 2. num. 7. vers. Hæc verò Sacramenta. D. Anton. l. c. Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 4. num. 1. in fin.* qui contrariam sententiam animarum saluti minus consulentem appellat, *Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 7. n. 1. Suar. de Censur. disput. 33. sect. 1. num. 3.* vbi *nulla, inquit, est lex prohibens Baptismi administrationem per aliquod Interdictum locale. Filliuc. tr. 18. cap. 2. num. 31. & Bassæus in Flor. Theol. V. Interdictum 2. num. 2.* qui subdit Parochum, cuius Ecclesia est Interdicta, non teneri aliam Ecclesiam non Interdictam adire, vt hoc Sacramentorum administret, quia propria illius Ecclesia quoad hunc effectum non est Interdicta. immo *Bonacus. de Irregularit. p. 6. de Interdi. sentent. num. 29. vers. Si autem,* vbi pro eadem opinione citat *Tarantas. & Herman. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. cap. 29. §. 7. num. 1. vers. Secundo, & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 140.* idipsum docent, & expresse singuli loquuntur in terminis hisce nostris de Ecclesia Polluta. Dixi *per se*, quia aliquando fortasse id non licebit per *accidens*, nimirum ratione scandali; sed tunc non Ecclesiæ Pollutio, sed Charitas violaretur, vt bene *Syluest. Suar. & Filliuc.* aduerterunt *ll. cc.*

5 Colligo, quamuis Baptismus absq. magna difficultate ministrari possit in alia Ecclesia non Polluta; tamen per se inde non induci obligationem vllam ad id faciendum, cum Ecclesia Polluta, quoad hunc effectum non sit Polluta, vt idipsum egregie alij dixerunt cum *Suar. & Sayr. vbi supra*, de Ecclesia singulariter Interdicta.

CAPVT XI.

An in Ecclesia Polluta ministrare liceat Baptismum Paruulis tam sanis, quam infirmis.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius occasio aperitur, num. 1.
Rationi dubitandi occurritur, num. 2.
Paruuli omnes ante Baptismum cur semper in mortis periculo videantur, num. 3.
In Ecclesia Polluta licite ministrari potest Baptismus Paruulis omnibus tam sanis, quam infirmis, num. 4.
Etiamsi omne omnino mortis periculum abesset, num. 5.

1 ADuerto 1. licet iam dixerimus Paruulorum Baptismum in Ecclesia Polluta prohibitum non esse; tamen, quia *Cap. Quoniam, de sent. Excommunic. in 6.* prædictum Paruulorum Baptismum *propter mortis periculum* concedi asserit, inde oriam esse dubitandi rationem, num is, cessante tali mortis periculo, ac proinde Paruulis sanis, & extra prædictum casum, in Ecclesia singulariter Interdicta, & Polluta licite ministrari queat. Sed

2 Aduerto 2. prædictam dubitandi rationem propemodum corruere, si ipsamet considerentur Canonum verba, per quæ à generali Diuinorum prohibitione semper in omni Interdicto Baptismi administratio simpliciter, & absolute excipitur, nam, cum non distinguant de Paruulis in periculo mortis, vel extra illud existentibus, Baptismum Paruulis omnibus tam sanis, quam infirmis concessum esse quodammodo confirmant. Immo

3 Aduerto 3. vere, & reipsa Paruulis omnibus, antequam Baptizati sint, semper mortis, quin mortis, & quidem æternæ periculum imminere, quatenus semper, & facile propter ætatis teneritudinem mori possunt, & cum Baptismus sit Ianua Salutis, sine illo saluari nequeunt. Hinc

4 Dico in Ecclesia Polluta licite ministrari posse Baptismum Paruulis tam sanis, quam infir-

infirmis, ità expressissime *Vgolin. de Offic. & Potest. Episcop. p. 2. c. 29. §. 7. num. 1. & Pax Iordan. Diuers. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 140.* cum iis omnibus, qui idipsum generaliter concedunt in Ecclesia singulariter Interdicta.

5 Colligo, quamuis aliquando omne omnino moræ periculum moraliter abesse videretur; adhuc semper Baptismum in prædicto loco licite ministrari posse, quia S. Mater Ecclesia prædictum *moræ periculum* expressit, tanquam motiuum, à quo induci potuit ad nunquam prohibendum in vllo Interdicto Baptismum; non tanquam suæ concessionis limitationem, vt in casu simili diximus *disp. 8. c. 16. num. 9. & 10.*

CAPVT XII.

An in Ecclesia Polluta licite Baptizari possint etiam Adulti, saltem Infirmi.

SVMMARIVM.

Boetinus Mantuanus per Baptisma Paruulorum *negat accipi, & comprehendi debere Baptisma Adultorum, num. 1.*

Quid differant inter se, saluari per Fidei Sacramentum *& saluari* per Fidem Sacramenti, *num. 2.*

Adulti quoque ob necessitatem, vt in omni tempore, ità in omni Ecclesia cur Baptizari posse videantur, num. 3.

In Ecclesia Polluta Baptismus licite ministrari potest etiam Adultis, saltem Infirmis, nu. 4.

Adulti quomodo vere veniant hic Nomine Paruulorum, num. 5.

Adultorum Baptismus *multipliciter dici potest* Paruulorum Baptismus, *ibid.*

1 ADuerto 1. cum in *Cap. Non est vobis, de Sponsalib. & in Cap. Responso, de sent. Excommunic.* à generali prohibitione Diuina celebrandi excipiatur *Baptismus Paruulorum*, inde dubitandi ansam arreptam fuisse ab aliquibus, num Adultorum, etiam si sint in periculo mortis, Baptisma ibi prohibeatur, maxime cum ex nullo alio Iure expresse, & nominatim Adultorum Baptismum exceptum fuisse colligamus; sicut expresse, & nominatim Paruulorum Baptismum *ll. co.* & alibi etiã exceptum videmus: immo *Boatin. Mantuan. Glosset.* apud *Socin. Senior. in d. Cap. Non est vobis, num. 9.* Adultorum Baptismum ibi non excipi absolute asseruit.

2 Aduerto 2. inde etiam difficultatem hanc augeri, quod Adulti saluari possunt etiam per Baptismum Flaminis, idest non tantum *per Fidei Sacramentum*, sed etiam *per Fidem Sacramenti*, vt loquitur *Burgas. de Irregularit. & dispensat. p. 6. de sent. Interdict. nu. 49.* & alij multi cum eo, quod nos etiam superius diximus *disp. 8. c. 24.* quod non valet in Paruulis ex *ibid.* dictis; ex quo colligi videtur, quod Baptismatis Sacramentum non sit tantæ necessitatis in Adultis, quantæ est in Paruulis, ac proinde nil mirum, si Paruulorum, & non Adultorum Baptisma ibi excipiatur. Sed

3 Aduerto 3. ex altera parte dicendum videri, quod etiam Adulti ipsi, saltem qui in mortis periculo constituti, vel infirmi sunt (de Adultis enim sanis *cap. sequen.* agemus) in Ecclesia Polluta licite Baptizari valeant; quia, cum in *Can. Si qui necessitate, de consecrat. dist. 4.* dicatur: *Si qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent Baptizari*; ob eandem rationem in omni etiam Ecclesia licite ij Baptizari posse videntur, bene idipsum ex *Can. Omnis Presbyter, de Consecrat. dist. 4.* colligit *Turrecremat. ibi num. 1.*

4 Dico in Ecclesia Polluta Baptismum licitè ministrari posse etiam Adultis, saltem infirmis, ità ij omnes, quos *cap. sequen.* adducemus pro sententia affirmante idipsum etiam de Adultis sanis. Probatur autem huiusce Capitis conclusio, quia, si Baptismus ibidem licite ministratur Paruulis, etiam sanis, vt iam vidimus, ob morale mortis periculum, quod in Paruulis prædictus propter ætatis teneritudinem continuum est, multo magis ministrari licite poterit etiam Adultis infirmis, qui sunt in simili periculo, & non habent aliud remedium ad salutem æternam, quam Baptismum Flaminis, quod, cum difficillimum sit, moraliter hic quodammodo impossibile reputatur, ex quo patet responsio ad secundam dubitandi rationem *num. 2.* allatam; ad primam enim respondeo, dum

5 Colligo primo, omnes, qui nondum Baptizati sint, dici Paruulos, & Paruulorum nomine *ll. co.* venire posse, quia, cum Baptismus sit Ianua omnium Sacramentorum, vt habetur *dist. 32. §. Verum, in fin.* qui nondum nati, seu regenerati per Christi Fidem sunt, verè Paruuli adhuc sunt. Secundo Baptismum à latore Canonis dictum fuisse Paruulorum, quia sic communiter accidit, cum hodie plures Paruuli, quam Adulti Baptizentur. Tertio

tio autem prædictum Sacramentum appellari Paruulorum, quia in Pueritia dandum est iuxta morem Ecclesiæ: vnde, quando Adultus Baptizatur, dici adhuc potest Baptismus Paruuli, quia in Pueritia dari poterat, & debebat, nam, si Puer Ius habebat ad tale Sacramentum etiam in Ecclesia Polluta, cur factus Adultus illud amisisse dicendus erit? Iure ergo, si non facto, Adulti Baptismus semper dici poterit Baptismus Paruuli. videantur inter alios *Suar. de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 22. & Burgas. l. c.*

CAPVT XIII.

An in Ecclesia Polluta Baptismus licite etiam Adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis ministrari possit.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius motiuum exponitur, num. 1.

Adulti cur magis indigeant Baptismo, quam Paruuli, num. 2.

Baptismi suscipiendi præceptum Diuinum positiuum quomodo semper in Adultis vrgeat, num. 3.

Baptismus licite ministrari potest in Ecclesia Polluta etiam Adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis, num. 4.

Baptizare præter necessitatem quoslibet alios, præter exceptos in Iure, alibi, quam in Ecclesijs; vbi sunt fontes specialiter Baptismo deputati, non licet, & mortale peccatum est, num. 5.

1 ADuerto 1. potiorem de adultis sanis, quam de adultis infirmis difficultatem inde esse, quod mortis periculum, propter quod ex dictis Baptismus ibi pro infirmis licere videtur, in sanis cessare censeatur. Verum

2 Aduerto 2. si non propter ætatis teneritudinem, vt de Paruulis etiam sanis *cap. 11.* dicebamus, saltem propter generale periculum vitæ, vt bene monuit *Suar. de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 22.* quod semper, etiam sanis, imminet, semper hoc Sacramentum reputari necessarium, eòque magis Adultis, quàm Paruulis, quò illi magis illo indigent propter maiorem gratiæ necessitatem ad vitanda peccata, exercenda merita, &c. Quin etiam

3 Aduerto 3. affirmatiuam sententiam adhuc probabiliorem effici ex eo, quod in Adultis vrget Baptismi Præceptum, quod omnibus tàm sanis, quàm infirmis Iure Diuino positiuo impositum est, & statim post agnitum à Baptismum ita semper obligat, vt, quàm primum commode possit, re ipsa suscipere debeat, vt cum communi docet *Franc. de Lugo de Sacram. part. 1. & 2. c. 10. q. 4. num. 21. & seqq.* Quamobrem

4 Dico Baptismum licite ministrari posse in Ecclesia Polluta etiam adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis. colligitur ex *d. Cap. Quoniam, de sent. Excommun. in 6.* vbi generaliter Baptismus excipitur ab omni Interdicto, & consequenter absolute sine vlla loci, aut personarum restrictione omnino libere concessus remanet, vt erat ante quodlibet Interdictum, eodem modo idipsum dicunt cum communi DD. sententia *Socin. Senior in Cap. Non est vobis, de Sponsal. num. 15. Couar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 2. num. 7. vers. Hæc autem Sacramenta. Squillant. de obligat. clericor. p. 5. n. 37. Sà V. Interdictum num. 17. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. Filliuc. tr. 18. c. 2. num. 31. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 31. nu. 22. Sayr. de Censur. l. 5. c. 6 num. 4. Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 33. sect. 1. num. 3.* & nouissime, ac omnium expressissime *Bassaus in Flor Theol. V. Interdictum 2. num. 2.* quibus omnibus de Ecclesia singulariter Interdicta, vel in qua singularis cessatio à Diuinis indicta sit, generaliter loquentibus accedunt etiam *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. cap. 29. §. 7. num. 1. Burgas. de Irregularit. & Dispensat. p. 6. de Interdict. sent. num. 29. & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 140.* qui de Ecclesia Polluta specialiter loquentes in ea absolute, & illimitate Baptismi administrationem, siue adsit mortis periculum, siue non, licere tradunt.

5 Colligo, licet aliqui, dum dicunt licitam esse Baptismi administrationem in Ecclesia Polluta, si talis Ecclesia sit Baptismalis; videantur innuere eam ibi licitam non esse, si talis Ecclesia non sit Baptismalis; nihilominus id ab ijs dictum fuisse, non quia in qualibet Ecclesia Polluta absq. vlla Pollutionis Ecclesiasticæ violatione Baptismus ministrari non possit (qualibet enim Ecclesia Polluta nullo modo est quo ad hoc interdicta) sed quia proprius administrandi locus est Ecclesia, in qua sit fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. ideoque in priuatis locis, necessitate excepta, nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut Magnorum Principum filij; cum quoslibet alios, præter necessitatem, & præter exceptos in Iure alibi baptizare, quàm in Ecclesijs, vbi sint

sint Fontes specialiter Baptismo deputati, mortale peccatum fit ex *Nauar. in sum. cap. 22. num. 7. Reginald. l. 27. nu. 35. Coninch. q. 67. n. 31 Bonacin. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 19. Soto, Ochagauia, Granados, Ledesma, Villalob.* & alijs, quos citat, & sequitur *Quintanaduen. tr. 1. singul. 20 num. 1. & Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 2. c. 5. nu. 17.* & 18. & c. 6. qua. n. 17. & 18. qui id probant ex multis Concilijs, sed præcipue ex *Clement. vnic. de Baptism. et Ritual. Rom.* vt fuse apud prædictos videre est.

CAPVT XIV.

An in Ecclesia Polluta Baptismus ministrari possit solemniter, & publice.

SVMMARIVM.

Baptismi solemnitates cur in Ecclesia Polluta minime licere videantur, num. 1.

Cæremoniæ, & Solemnitates in Baptismo solemniter celebrando adhiberi solitæ quænam sint, num. 2.

Baptismum sine solitis solemnitatibus extra necessitatem administrare graue peccatum est, num. 3.

Materiæ paruitas hic etiam à mortali excusare potest. ibid.

In Ecclesia Polluta Baptismus ministrari potest solemniter, & publice, num. 4.

Baptismi solemnitates sunt necessariæ non ad Sacramenti substantiam; sed ad illius decentiam, num. 5.

Concessio illimitate facta illimitate accipienda est. ibid.

Modificatio d. Cap. Alma mater celebrandi Diuina Officia ianuis clausis, & c. cur hic locum non habeat. ibid.

1 ADuerto 1. cum Baptismus, vt potè Sacramentum necessitatis, ob necessitatem Baptizandi, & summam Baptismi vtilitatem licite ministretur in quocumque Interdicto, pro vt superius dictum est, cumque Baptismales cæremoniæ, & Solemnitates, præter Baptismi Substantialia, minime necessariæ sint, quia satis est illud ministrare sine solemnitate ad satisfaciendum Baptizandi necessitati, idcirco dubitari posse, num cæ quoque cum Baptismo in Ecclesia singulariter Interdicta, & Polluta liceant, vel non liceant, prout ibi propterea non licent quædam Sacramenta non necessaria, ne sine necessitate Ecclesiasticæ disciplinæ vincula laxentur, vt ex inferius de vnoquoque Sacramento dicendis constabit.

2 Aduerto 2. Baptismi Solemnitates, seu Cæremonias in Baptismo solemniter ministrando adhiberi solitas, plures olim fuisse, & partim etiam nunc in vsu esse tam antecedenter, quam comitanter, & subsequenter ad Baptismum, quales sunt Nomen Ecclesiæ dare, Baptismum petere, Examen, Exorcismus, Salis gustatio, Aurium, & narium tinctio per saliuam Sacerdotis, Abrenunciatio Sathanæ, & operibus, ac pompis eius facta, Vnctio in scapulis, ac pectore oleo Catechumenorum, Fidei professio per Symboli recitationem, Sponsorum, seu Patrinorum vsus, Vnctio Chrismatis in vertice Baptizati, Vestis candidæ impositio, Cerei accensi gestatio, & c. quarum omnium Solemnitatum, ac Cæremoniarum narrationem, ac significationem fuse dabit *Catechismus Roman. Bellarm. de Baptism. c. 24. & 25. Molfes. in sum. tr. 4. c. 1.* & alij passim; sed quam selectissime, ac breuissime *Laym. l. 5. tr. 2. c. 8. Bassæus in Flor. Theolog. V. Baptismus 4. num. 8.* & *Castropal. tom. 4. tr. 19. disp. 1. punct. 12.*

3 Aduerto 3. sicuti grauiter peccat, *vt cap. praeced.* diximus, qui sine necessitate, vel sine Iuris priuilegio baptizat extra Baptismalem Ecclesiam, ita etiam grauiter peccare, qui extra necessitatem baptismum celebrat sine legitima illius solemnitate, nā hi ritus, quamuis accidentales, nihilominus grauissimi sunt, & ad debitam tali Sacramento reuerentiam conciliandam maxime necessarij, licet aliquando materiæ paruitas à mortali excusare possit, cum prædicta grauis obligatio ad singulas etiam leues cæremonias extendenda non sit, vt colligitur ex *Trident. sess. 7. can. 3.* & aperte tradunt *Suar. Henriq. Valent. Reginal. Less. Azor.* & alij, quos citat, & sequitur *Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. vlt. pun. vn. n. 4. & disp. 2. q. 2. p. 7. nu. 18. 19. & seq. Bassæus l. c. n. 9. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1 l. 2. c. 5. num. 17. et c. 6. num. 7. & 8. cum Filliuc. Zambran. Nauar. Coninch. Mour. & Laym. ibi citatis, nec non Quintanad. tr. 1. sing. 20. num. 2.* vbi colligit quatuor peccata mortalia committi à Laico, ac etiam à Subdiacono, vel Diacono domi infantem baptizante extra necessitatem, à Sacerdote non Parocho tria, & à Parocho proprium subditum sic baptizante duo, inter quæ, vt ibi videre est, semper illud numeratur, quod tunc extra necessitatem sine solemnitate Baptismus ministretur, in quo grauiter delinquitur.

4 Ad-

4 Dico in Ecclesia Polluta Baptismum ministrari posse solemniter, & publice, colligitur ex *Cap. Quoniam, de sent. Excommunic. in 6.* tum quia ibi fit mentio de vnctione Chrismatis in vertice, ac proinde etiam Solemnitatũ, quæ in Baptismi administratione semper supponuntur, tum quia, cum absolute ibi dicatur licitam esse huius Sacramenti administrationem in quocumque Interdicto, non solum innuitur licere eam quoque in Ecclesia Polluta, vt iam superius dictum est, sed etiam eam licere cum solita sacrorum rituum solemnitate, ac publicitate: neque enim censendus est permitti Baptismus aliter fieri, quã de iure faciendus præscribitur; vnde, cõcessa administratione Baptismi sine limitatione modi, vel formæ, concessa intelligitur iuxta modum, & communem Ecclesiæ vsum, qui solemniter, & publice fit. ita *Calderin. de Eccles. Interd. p. 2. num. 1. Syluest. V. Interdictum 5. q. 7. Nauar. in Man. c. 27. num. 177. Anchar. & Franc. in Cap. Alma mater, de sent. Excommun. in 6. Couarruu. ibi, p. 2. §. 2. num.* 8. *Suar.* qui communem esse sententiam testatur *de Censur. disp. 33. sect. 1. num. 2. & disp. 39. sect. 2. num. 23. Vgol. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 4. num. 1. Angel. S. Anton. Tabien. & Martin. Ledesm.* apud *Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 7. num. 3. Henriq. l. 13. c. 45. n. 1. & cap. 53. num. 4. Auil. de Censur. p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 4. conclus. 1. Bonae. de Censur. disp. 5. pun. 3. num. 2. Megal. p. 3. l. 6. c. 2. num. 22. Laym. in sum. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. Filliuc. tr. 18. nu. 31. Bassaeus V. Interdictum 2. num. 2. Castropal. p. 6. disp. 5. pun. 4. §. 1. num. 3.* & alij passim; licet enim loquantur de Baptismi administratione in Interdicto; tamen idipsũ *multo magis in Ecclesia Polluta* licet, vt egregie, & expresse dixit *Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. n. 146.*

5 Colligo, quamuis ad satisfaciendum Baptizandi necessitati, necessariæ non sint Baptismi solemnitates; eas tamen ad Sacramenti ipsius administrandi decentiam necessarias esse, cum aliter illud administrari non debeat extra necessitatem, vt iam dictum est. nec illarum publicitati obstat modificatio celebrandi Diuina Officia tempore Interdicti ianuis clausis, & c. in *d. Cap. Alma mater* facta, quia ibi, vt sæpius superius inculcatum est, sermo est de Interdicto tantum generali, & de Diuinorum Officiorum celebratione per se; non autem de Interdicto particulari, & de Sacramentorum administratione, quæ hic conceditur, prout ab Ecclesia extra necessitatem communiter fit, nisi Canon aliud exprimat, prout exprimere solet, quando modũ aliquem, vel formam particularem obseruari vult, vt signanter aduertit *Sayr. l. c.*

CAPVT XV.

An in Ecclesia Polluta fieri possint Benedictiones rerum ad solemnem Baptismi administrationem necessariarum.

SVMMARIVM.

De quibusnam Benedictionibus hic sermo fit; num. 1.
Causa dubitandi exponitur, num. 2.
Concesso principali, concessum etiam censetur accessorium, num. 3.
Concesso aliquo, omnia concessa existimantur, quibus ad illud peruenitur, ibid.
In Ecclesia Polluta fieri possunt Benedictiones, seu Consecrationes rerum ad solemnem Baptismi administrationem necessariarum, numer. 4.
Aqua Baptismalis Benedictio, seu Consecratio, nedum Chrismatis Confectio, solitis diebus in Ecclesia Polluta celebrari licite potest. ibid.
Infirma huiusmodi Benedictiones ibi liceret, si infinita ad Baptismum solemniter celebrandum necessaria essent, num. 5.

1 Aduerto 1. sermonem hic esse de quibusdam Benedictionibus, per quas præparantur aliqua ad Baptismi Solemnitates necessaria, quales sunt Benedictio, vel Consecratio aquæ Baptismalis, quæ hodie in Sabbatho tantum Paschæ, & Pentecostes fieri solet, Confectio Chrismatis in die Cœnæ Domini, & similia, sine quibus Baptismus more solito solemniter celebrari nequit.

2 Aduerto 2. dubitandi causam esse, quia istæ Benedictiones, cum non sint necessariæ ad Baptismum ipsum, nec sint inter illius Solemnitates, non videntur venire nomine Baptismi, nec nomine solemnitatum eius, & consequenter, licet, concesso Baptismo, concessa etiam intelligatur solemnis illius administratio ob rationes *cap. praeced.* allatas; nihilominus inde concessæ non videntur prædictæ Benedictiones, quia non sunt quid proxime connexum cum Baptismo; sed tantummodo præparationes, & dispositiones quædam remotæ ab illius administratione, quas propterea in Ecclesia Interdicta licere negat *Conar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 5. num. 6. versic. Decimotertio ipse, & c. cum Paludan. in 4. dist. 7. q. 3.* Sed

Vu 3 Aduer-

Pollutionis Ecclesiasticæ effectus non suspenduntur per Concessionem d. Cap. Alma Mater, *num.* 4.
Quid si in aliquo loco vnica sit Ecclesia, & ea sit Polluta, vel plures, sed omnes pollutæ? num. 5.

1 ADuerto 1. causam dubitandi inde ortam esse, quod in Interdicto locali ampla illa Diuinorum prohibitio, quæ prius iuxta dispositionem Iuris antiqui seruabatur ex *Cap. Si sententia, de sent. Excommunic. in 6.* cum sola concessione *Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* postea per Bonifacium VIII. in *Cap. Alma Mater, de sent. Excommunic. in 6.* limitata fuit, & concessum est, vt singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missæ celebrentur, & alia Diuina Officia fiant, sicut prius, i. ante Interdictum; submissa tamen voce, ianuis clausis, Excommunicatis, & Interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis, & insuper, vt etiam in Festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis B.V. quinetiam in Festo Corporis Christi, & per totam illius Octauam ex concessione Martini V. & Eugenij IV. nec non in Festo Conceptionis Mariæ Matris Dei, & per eius Octauam in Partibus Hispaniarum ex Leone X. vt videre est apud *Suar. de Censur. disp.* 34. *sect.* 1. *num.* 33. *& seq. Filliuc. tract.* 18. *cap.* 3. *num.* 79. *Coninch. disp.* 17. *de Censur. dub.* 2. *n.* 37. *Bonac. de Censur. disp.* 5. *p.* 4. *num.* 14. *Bassæus in Florib. Theol. V. Interdictum* 2. *num.* 16. *& Megal. in Sum. par.* 3. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 4. *&* 5. campanæ pulsentur, & ianuis apertis, alta voce, Diuina Officia solenniter celebrentur, Excommunicatis prorsus exclusis, sed Interdictis admissis, dummodo illi, propter quorum excessum huiusmodi Interdictum latum fuit, Altari nullatenus appropinquent. Vnde, cum Ecclesia polluta sit quodammodo Interdicta, prout superius explicauimus, dubitari potest, an prædicta moderatio *Cap. Alma Mater*, suspendat etiam in Ecclesia Polluta, & limitet prædictos Pollutionis effectus, idest Diuinorum prohibitionem.

2 Aduerto 2. dubitandi rationem crescere etiam ex eo, quod aliqui prædictam *Cap. Alma Mater* Concessionem admittunt in Cessatione ipsa à Diuinis, quæ tamen Censura non est, & cui magis, quam Interdicto, assimilari videtur Ecclesiæ Pollutio: ità *Enriq. l.* 13. *c.* 52. *num.* 4. *lit. I. Auil. p.* 6. *disp.* 1. *dub.* 9. *conclus.* 2. *Roderic. qq. Regul.* 1 16. *artic.* 4. *tom.* 2. *Mirand. tom.* 2. *q.* 38. *art.* 6. *conclus.* 6. *Sayr. l.* 5. *de Censur. c.* 19. *num.* 8. *& Gutier. qq. Canon. l.* 1. *c.* 10. *num.* 4. cum multis.

3 Aduerto 3. quicquid sit, an prædicta moderatio *Cap. Alma Mater* locum habeat in Cessatione generali, cuius tamen negatiuam partem veriorem putat *Thesaur. de Pœn. Eccles. p.* 2. *V. Cessatio, c.* 1. *cum Suar de Censur. disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 25. *Reginald. l.* 32. *num.* 81. *Laym. tr. de Interd. c.* 6. *num.* 3. *Barbos. in d. Cap. Alma mater, num.* 16. *& Gordon. in Sum. l.* 7. *q.* 16. *c.* 2. *num.* 92. certe eam locum non habere in Cessatione à Diuinis particulari, v.g. quando in vna Ecclesia Diuina Cessare inbentur, neq. in ipsomet Interdicto particulari, quia prædictum *Cap. Alma Mater* loquitur tantum de Interdicto generali, vt ex eiusdem lectura patet, & notat *Glossa ibid. Verb. Ecclesijs*, quã sequuntur *Anchar. Domin. Franc. & DD.* cõmuniter, teste *Couar. in d. Cap. Alma Mater, p.* 2. *§.* 4. *nu.* 1. qui multos alios citat, quibus adhærent *Nauar. in Sum. c.* 27. *nu.* 173 *&* 175. *Suar. l. c. disp.* 34. *sect.* 2. *num.* 1. *& sect.* 3. *num.* 33. *nec non disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 13. *& Sayr. l. c. l.* 5. *c.* 7. *num.* 12. cum recentioribus propemodum omnibus, à quibus non dissentio, & consequenter

4 Dico Pollutionis Ecclesiasticæ effectus non suspendi per Concessionem *d. Cap. Alma Mater*, quia, cum illud loquatur de Interdicto, & quidem generali, non est extendendum ad Pollutionem Ecclesiasticam; à diuersis enim ad diuersa non fit bona illatio: vnde, cum constet de Diuinorum prohibitione in Pollutione, & non constet de prohibitionis ipsius suspensione, aut exceptione in aliquibus diebus, prohibitio prædicta semper seruanda erit, & ita in terminis ipsis nostris de Ecclesię pollutione sentiunt *Glossa in Cap. Tuarum, de priuileg. Verb. Ad reconciliationem. Villadieg. de Irregularit. c.* 5. *num.* 30. *Enriq. l.* 13. *de Interdict. c.* 51. *num.* 5. *in fin. Auil. de Censur. p.* 5. *disp.* 7. *dub.* 3. *conclus.* 3. *in fin. Sayr. de Censur. l.* 5. *c.* 16. *num.* 30. *Persic. de* 1. *Sacerd. Offic. l.* 1. *c.* 7. *dub.* 12. *num.* 110. *Thesaur. in Prax. Ecclesiastic. par.* 2. *V. Sacrilegium, cap.* 5. *Versic. An autem*, & nouissime etiam *Franc. de Lugo, de Sacram. p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *q.* 6. *n.* 41. *in fin. & Iord. t.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 141.

5 Colligo, licet (non ex Iuris rigore, sed ex Ecclesiæ benignitate) aliqui prædictam *Cap. Alma Mater* moderationem probabiliter cõcedi posse putent in Cessatione ipsa à Diuinis generali; non autem in Cessatione, neque in Interdicto particularibus, ab eam rationem, quia in Interdicto, & Cessatione generalibus omnes Ecclesiæ ibi abstineant à Diuinorum celebratione; non omnes autem in particularibus, sed ea tantum Ecclesia, quæ specialiter Interdicta est, aut quæ peculiariter Cessare iubetur; nihilominus, si vnica ibi sit Ecclesia,

Ecclesia, aut etiam plures, sed omnes particulariter Interdictæ, aut Pollutæ sint, adhuc in ijs locum non habeat prædictam moderationem *Cap. Alma Mater* (licet ibi peculiare Interdictum, aut Ecclesiæ Pollutio tunc quodammodo æquiualere videatur Cessationi, aut Interdicto generali) nam Diuinorum celebratio, stantibus prædictis Interdicti, aut Cessationis particularium, vel Pollutionis ipsius impedimentis, tunc fieri poterit extra Ecclesias specialiter Interdictas, vel specialiter Cessare iussas, vel Pollutas, quod in Interdicto, vel Cessatione generalibus fieri nequit, cum tunc omnis terra, & solum ipsum vniuersum fit Interdictum, & Cessare à Diuinis etiã extra loca sacra ibi necesse sit, vt ex alibi inferius dicendis melius constabit.

CAPVT SEPTIMVM.

Vndenam habeatur, quod in Ecclesia Polluta Sacramentorum administratio prohibita sit.

SVMMARIVM.

In qualibet Interdicti specie communiter prohiberi censentur Administratio Sacramentorum, Persolutio Diuinorum Officiorum, & Ecclesiastica Sepultura, num. 1.

Tempore Cessationis puræ à Diuinis cur concessa videatur in loco sacro Sepultura, modo fiat sine Officio Funebri, num. 2.

Ex prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia Polluta quare inferri non videatur prohibitio Administrandi in eadem alia Sacramenta, num. 3.

Prohibitio Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta nobis indicatur ex Cap. Tuarum, de Priuileg. *num. 4.*

Diuinorum Officiorum nomine quomodo veniat etiam Administratio Sacramentorum. ibid.

Licet in prædicto Cap. Tuarum de Priuileg. *Prohibitioni Iuris accesserit etiam Prohibitio hominis; nihil tamen inde infertur contra prædicta, num. 5.*

1 ADuerto 1. quamuis superius dixerimus Pollutionis Ecclesiasticæ effectus reduci posse ad tria illa Capita, videlicet ad triplicem illam prohibitionem, ne ibi Administrentur Sacramenta, Persoluantur Diuina Officia, & Sepeliantur Fidelium cadauera, in qualibet enim Interdicti specie hæc tria prohibita communiter censentur; peculiarem tamen difficultatem esse posse circa prædictã prohibitionem Celebrandi, seu Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta, eo quod Prohibitio hæc nullibi in prædictis Iuribus *Cap. 1.* allatis exprimi videatur, & *Cap. Alma mater, de sent. Excommun. in 6.* in quo ea expresse habetur, ad Ecclesiæ Pollutionem extendendum non sit, vt iam *cap. præced.* conclusum est.

2 Aduerto 2. difficultatem hanc inde etiam augeri posse, quod sicuti tempore Cessationis puræ à Diuinis multi cum *Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. nu. 4.* diserte docent concessam videri sepulturam tum Laicis, tum Clericis in loco sacro, modo fiat sine Officio Funebri, quia pœnarum, seu effectuum odiosorum extensio ab Interdicto ad Cessationem facienda non est, cum diuersa sint, licet ratio fortasse similis; ita idipsum fortasse in nostro casu ob eandem rationem dicendum videtur in ordine ad Pollutionis effectus, adeoq. prohibitionem Administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta, cum ea in Iuribus de Ecclesiæ Pollutione loquentibus non exprimatur, asserendam non esse; licet ea in Iuribus de Interdicto loquentibus habeatur; prout sepultura ipsa in loco sacro sine Diuino Officio facta tempore Cessationis à Diuinis, cum in Iuribus de Cessatione loquentibus prohibita non sit, prohibita non censetur, licet ea in Iuribus de Interdicto loquentibus prohibeatur.

3 Aduerto 3. neq. ex prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia polluta, quæ ex Iuribus iam *Cap. 1.* citatis clare constat, inferendam omnino esse prohibitionem Administrandi ibidem etiam alia Sacramenta, prout hæc inferenda aliquibus videri posset; nam fieri non debet in odiosis talis extensio, & multo minus hic, vbi fortasse peculiariter prohiberi potuit prædictum Missæ Sacrificium & Eucharistiæ; non autem aliorum Sacramentorum, Administratio ob peculiarem prædicti Sacramenti inter alia omnia Excellentiam, atque Puritatem ab omni pollutione, & macula, quam maxime abhorrentem.

4 Dico Sacramentorum in Ecclesia Polluta administrandorum prohibitionem nobis indicari ex *Cap. Tuarum, de Priuileg.* ex eo enim Diuina Officia in Ecclesia Polluta ante Reconciliationem prohibita constat, sub nomine autem Diuinorum Officiorum contineri Sacramentorum Administrationem satis probat *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 5. §. 2. num. 2.* nec non *Monet. de Distributionib. quotid. p. 2. q. 16. num. 7.* & habetur ex *Cap. Non est vobis, de Sponsalib.* cum enim Alexand. III. in *tex. d.*

Cap. prohibuisset *Diuina Officia*, statim excipit duo Sacramenta, videlicet *Baptismum paruulorum*, *& Pænitentiae morientium*, quod etiam aperte docuit *Calderin. de Interdicto num. 60. et Laym. loc. cit.*

5 Colligo, quamuis in prædicto *Cap. Tuarum, de Priuileg*. prohibitioni Iuris accesserit etiam prohibitio hominis; inde tamen non fieri, quin de Iure communi in Ecclesia polluta prohibeantur Diuina Officia, vt bene docuit *Socin. Sen. in d. Cap. Tuarum, num. 11.* & fauet *Glossa* ipsa *ibid. Verb. Ad reconciliationem*, quæ dicit hoc esse Interdictum Iuris, & non hominis. quicquid ergo sit, an Episcopus interdicendo ibi, ne celebretur in Ecclesia Polluta, posuerit nouum Interdictum, vel potius exequi voluerit Interdictum Iuris, certe tam vnum, quàm aliud secum affert prædictam Diuinorum Officiorum prohibitionem, & ita est communis DD. sensus; licet, quo ad pœnas transgressoribus impositas, alioquin differant, vt superius innuimus, & inferius suo loco fuse dicemus.

CAPVT OCTAVVM.

An in Ecclesia Polluta Sacramentorum administratio prohibita sit, etiamsi hæc ibi secrete fiat.

SVMMARIVM.

Ratio duplex dubitandi proponitur, num. 1. & 2.
Priuata recitatio Diuini Officij in Ecclesia Polluta quanam sit, & cur non prohibeatur, nu. 3.
An detur etiam priuata alicuius Sacramenti administratio. ibid. remissiue.
In Ecclesia Polluta prohibetur Sacramentorum administratio, etiamsi hæc ibi secrete fiat, num. 4.
In genere prohibitorum omnia censentur prohibita, quæ non sunt expresse concessa. ibid.
Rationi dubitandi num. 1. *præposita satis fit, num. 5.*

1 ADuerto 1. dubium hoc inde sumptum videri posse, quod, sicuti actio Ecclesiæ Pollutiua, si secreta sit, & occulta, Ecclesiam actu non polluit, vt *Disp. 3. cap. 12.* dictum fuit, ita etiam fieri potest, vt Sacramentorum administratio, si secrete fiat, actualem ipsam Ecclesiæ Pollutionem nequaquam violet. Quinetiam

2 Aduerto 2. cum secreta, & priuata Diuini Officij lectio, seu recitatio, qualem describit *Cap. Quod in te, de pænit. & remiss.* non prohibeatur in Ecclesia Polluta, vt inferius dicemus, dum de Horarum Canonicarum persolutione in Ecclesia polluta specialis quæstio instituetur, hinc etiam fortius hic fortasse dubitari posse: Si enim in ipsa Diuinorum Officiorum prohibitione Sacramentorum quoque administratio continetur, vt *cap. praeced.* dictum est, quidni in hac eorundem concessione hæc simul etiam includatur? Verum

3 Aduerto 3. prædictam Diuini Officij lectionem, seu recitationem, de qua *d. Cap. Quod in te*, loquitur, non ideo concedi, quia secrete sit; sed ideo non prohiberi, quia talis actio non est proprie, & Ecclesiastice Diuinum Officium; licet Officium ipsum, quod sic recitatur, sit quodammodo materialiter, &c, quo ad substantiam, vere Diuinum. vnde id non facit contra nos in præsenti quæstione, in qua de secreta tantum Sacramentorum administratione sermo est. An vero, sicuti datur nō solum secreta, sed etiam priuata Diuini Officij recitatio, ita detur etiam priuata aliquorum Sacramentorum administratio, patebit ex his, quæ de vniuscuiusq. Sacramenti administratione peculiariter inferius afferemus.

4 Dico in Ecclesia Polluta prohibitam esse Sacramentorum administrationem, etiamsi hæc ibi secrete fiat. Ratio est, quia, cum simus hic in genere prohibitorum, vt ex supradictis patet, omnia censentur prohibita, quę non sunt expresse concessa, vt probatur ex *Can. Consulisti, 2. q. 5. cap. 2. de transact. & Clem. 1. §. Porro, de verb. signific.* quare, cum ex vna parte constet de prohibitione administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta; ex alia vero nullo iure secreta eorundem administratio concessa appareat, idcircò hanc etiā prohibitam remanere dicendum est, prout apertissime dixit (etiam in Interdicto locali generali, in quo laxiores concessiones à Iure habemus) *Suar. de Censur. disp. 33. sect. 3. num. 6. & disp. 34. sect. 3. num. 28.* cum *Couar. Nauar.* & alijs apud *Megal. p. 3. l. 6. cap. 2. num. 21.* qui idipsum docet.

5 Colligo, cum ex Iure habeamus, quod actio Ecclesię pollutiua eam actu non polluat, nisi actio ipsa sit publica, vt *d. Disp. 3. cap. 12.* visum est; nullo autem ex Iure habeamus, quod prohibitio administrandi Sacramenta in Ecclesia Polluta locum non habeat, nisi prædicta administratio publica sit, propterea non bene vnum ex alio colligi posse, & consequenter rationem ipsam dubitandi *num. 1.* allatam nihil valere.

CAPVT

CAPVT NONVM.

An Sacramentorum omnium, vel aliquorum tantum administratio in Ecclesia polluta prohibeatur.

SVMMARIVM.

Sacramentorum omnium, & non aliquorum tantum prohibitio, vndenam haberi videatur, num. 1.

Vndenam contra aliquorum tantum, & non omnium Sacramentorum prohibitio colligi videatur, num. 2.

Ecclesia Polluta quo modo dici possit Interdicta. ibid.

Iura in Interdicto concedentia aliquorum Sacramentorum administrationem variè à varijs intelliguntur, num. 3.

In Ecclesia Polluta non omnium, sed aliquorum tantum Sacramentorum administratio prohibetur, num. 4.

Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore generalis Interdicti localis; cur ministrari etiã possunt in Ecclesia specialiter Interdicta, nec non in Ecclesia Polluta. ibid.

Etiamsi in casu specialis Interdicti localis, & Ecclesiæ Pollutæ cesset ratio necessitatis, quæ in casu Interdicti generalis afferri potest, adhuc prædicta vera sunt, num. 5.

1 ADuerto 1. pro vna parte videri *Cap. Tuarum, de Priuileg.* cùm enim ibi omnia Diuina Officia absque vlla exceptione tàm à Iure, quàm ab Homine in eo casu Pollutionis Ecclesiasticæ prohibeantur, cumque, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, absolute inde sub nomine Diuinorum Officiorum, Sacramentorum etiam omnium administratio venire videtur.

2 Aduerto 2. pro altera parte videri nonnulla alia Iura, quæ, cùm in Interdicto concedant aliquorum Sacramentorum administrationem, vt ex inferius de vniuscuiusque Sacramenti administratione dicendis patebit, idipsum etiam concedere videntur in Ecclesia Polluta; nam etiam Ecclesia Polluta, si non propriè, saltem impropriè, & largo modo Interdicta dici potest, quatenus in ea tunc, æquè ac in Ecclesia propriè Interdicta, Diuinorum celebratio interdicitur, vt bene aduerterunt inter alios *Stephan. Costa Repetit. in Cap. 14. cum, de sent. Excommun. in 6. nu. 8. in fin. Mazzol. in Regul. Confess. & Pænit. p. 5. de Interd. num. 4. 5. Bonifacius Enchirid. p. 5. c. 9. §. Primò in nito, & Molin. in Ex plorisis. V. Interdictum, §. locale speciale.*

3 Aduerto 3. dato etiam, & concesso, quod Ecclesia Polluta dici possit prædicto modo, & ad prædictum effectum Interdicta, adhuc dubium esse, num ea Iura, quæ in Interdicto cõcedunt Sacramentorum aliquorum administrationem, loquantur de Interdicto tantũ generali, an verò extendantur etiam ad Interdictum particulare, quale modo prædicto est Ecclesiæ Pollutio: aliqui enim id negant, & dicunt tales concessiones factas fuisse in Interdicto tantum generali ob necessitatem, quæ cessat in Interdicto speciali siue proprio, siue improprio; cum in alijs Ecclesijs non Interdictis Sacramentorum illorum administratio tunc commode fieri possit, quos sequitur *Megal. de Censur. lib. 6. cap. 5. num. 30.* aliqui id concedunt; sed addunt id honestius fieri, si in Ecclesia non Interdicta administrentur; dummodo id commode fieri possit, ita *Calderin. de Interd. membr. 2. Vers. Sed numquid. S. Antonin. de Interdict. c. 3. in princip. Conar. in Cap. Alma Mater, p. 2. num. 7. Hæc verò Sacramenta. Vgolin. de Censur. tab. 5. cap. 7. §. 4. num. 1. & c. 10. §. 1. num. 1. Anchar. Fabien. & Syluest.* cum multis alijs; aliqui verò existimant non solum licite, sed etiam æque honeste Sacramentorum in Interdicto à Iure concessorum administrationem fieri posse in Ecclesia etiam specialiter Interdicta, ita *Sayr. de Censur. l. 5. c. 6. num. 4. Henriq. l. 13. c. 45. num. 3. Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. n. 3. Conninch. disp. 17. de Censur. dub. 2. num. 4. Bonac. de Censur. disp. 5. punct. 3. §. 3. num. 3. Castropal. de Censur. disp. 5. punct. 4. §. 1. num. 4.* & alij plures apud illos. Ideoque

4 Dico in Ecclesia Polluta non omnium, sed aliquorum tantum Sacramentorum administrationem prohiberi; quamuis enim Sacramentorum omnium administratio ex vi generalis prohibitionis in d. *Cap. Tuarum* contentæ videatur generaliter in Ecclesia Polluta prohiberi, & nulla ibi fieri alicuius Sacramenti exceptio, vel prædictæ generalis prohibitionis limitatio; tamen verè in illa prohibitione non includuntur, quæ alibi in Iure conceduntur, vt bene dixit *Calder. d. 2. parte, num. 19.* nam etiam ibi continetur implicita conditio *nisi à Iure aliqua excepta, & semper concessa sint*, prout de facto aliquorum Sacramentorum ministratio à Iure generaliter concessa est, vt de singulis Sacramentis suo loco dicemus, vnde altero aliquorum Sacramentorum con-

cessiones generaliter à Iure factas valere. tam in Interdicto locali quocumq. proprio, quàm in ipsa Ecclesiæ Pollutione, quam esse Interdictum quoddam impropriè dictum, locale, & à Iure latum superius vidimus. nam licet in casu Pollutionis huius, & cuiusuis Interdicti specialis localis cesset ex parte loci ratio necessitatis *praced. num.* allatæ, ob commoditatem scilicet ministrandi talia Sacramenta extra locum prædictum specialiter vel ab homine, vel à Iure, vel propriè, vel impropriè modo prędicto Interdictum; attamen cessare non debet legis dispositio vniuersalis, quæ sine vlla restrictione loquitur, *Cap. Solita, §. fin. de Maior. & obed. L. 1. §. & generaliter, ff. de legat. præst.* Quare ea Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore generalis Interdicti localis, secundum hanc benigniorem, & veriorem sententiam ministrare possunt ob generalem illorum concessionem etiam in Ecclesia Polluta, cum hæc, quo ad effectum ministrandi Sacraméta prædicto modo côcessa, non sit Interdicta, & sit ac si non esset Polluta, vt benę in simili dixit *Bonac. l. c. punct. 3. §. 1. nu. 3. cum Filliuc. de Interd. num. 32.* qui tamen subdit ratione scandali, si timeatur, ea alibi, i. in Ecclesia non polluta, ministranda esse, si id commode fieri possit. Quod autem Sacramentorum aliquorum ministratio ob Iura generaliter id in quocumque Interdicto loci concedentia liceat etiam in Ecclesia polluta apertissime docet *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. nu. 1. Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 140. Burgas. de Irregularit. par. 6. de sent. Interdicti num. 28. & 29.* & colligi etiam potest ex omnibus ijs, qui in quocumque Interdicto locali eam iuxta Iurium aliquorum concessionem licere putant, & Ecclesię Pollutionem inter Interdicta localia, specialia, & à Iure lata enumerant, qui multi sunt.

5 Colligo, cum Iura quædam absolute aliquorum Sacramentorum ministrationem in Interdicto concedant, nec distinguant de generali, vel speciali, proprio, vel improprio Interdicto, ea absolute etiam à nobis accipienda esse, nec distinguendum, vbi lex non distinguit, maxime in fauoribus, qui ampliandi. Quare, cum concessio, & dispositio Iurium sit generalis, & vltra limites prædictæ rationis, quæ ibi reddi potest, i. necessitatis ea ibi ministrandi, arguendum est prædictam eius necessitatis rationem non fuisse omnino causalem, nec totalem; sed partialem, & occasionalem tantum, ex quibus patet, quid ad obiecta dici debeat.

CAPVT DECIMVM.

An Baptismi Sacramentorum in Ecclesia Polluta licite ministrari possit.

SVMMARIVM.

Sacramenta, quæ in Ecclesia singulariter Interdicta licent; cur generaliter liceant etiam in Ecclesia Polluta, num. 1.

Baptismi ministratio quam multipliciter considerari possit, num. 2.

Qua de causa aliqui propositæ quæstioni negatiue respondendum esse putarint, num. 3.

Sacramentum Baptismi licite per se in Ecclesia Polluta ministrari potest, num. 4.

Quomodo per accidens aliquando idipsum non licere possit. ibid.

Facilitas adeundi aliam Ecclesiam non Interdictam, seu non Pollutam, vt in ea Baptismus ministretur, cur per se nullam inducat obligationem id faciendi. ibid. & num. 5.

1 ADuerto 1. cum ex superius dictis abunde colligi queat Ecclesiæ Pollutionem, licet non sit propriè Interdictum; aliquando tamen venire nomine Interdicti localis particularis, quando scilicet de hoc agitur in ordine tantum ad prohibitionem, vel concessionem aliquam celebrandi ibi Diuina (quo ad hoc enim Ecclesia Polluta vere dici potest Interdicta, vnde *Calderin. tr. de Interdict. q. 1. num. 12. D. Antonin. p. 3. tit. 26. c. 4.* alijq. multi Ecclesiam Pollutam inter Ecclesias singulariter Interdictas absolute numerarunt) propterea ex generalibus ijs concessionibus, quæ in Ecclesijs specialiter Interdictis Sacramentum aliquod administrandi, vel alia Diuina celebrandi facultatem faciunt, generaliter etiam inferri posse, quod eadem facultas pro Ecclesijs quoq. Pollutis facta fuerit, prout idipsum illatum fuit à DD. *praced. cap. nu. 4.* adductis, & ex alijs etiam inferius adducendis facile animaduertere licebit.

2 Aduerto 2. Baptismi administrationem multipliciter considerari posse, nimirum prout ministratur priuatim, vel solemniter, pueris, vel adultis, sanis, vel infirmis, & c. quæ quidem singulatim inferius discutienda erunt; sed hic de puerorum tãtum Baptismo, & in genere solum sermo erit, vt quam distinctissime procedatur.

3 Aduerto 3. iuxta sententiam non solum *Io. Monach. in Cap. Præsenti, de sent. Excommun. in 6.* quem refert *Anchar. in Cap. Si ciuitas, n. 5. vers. Quinto, de sent. Excommun. in 6.* sed etiã nouissime *Megal. de Censur. lib. 6. cap. 2. nu. 50.* negatiue ad propositam quæstionem respondendum esse, putarunt enim Iura ipsa omnia, in quibus affirmatiua, & communis sententia fundatur, quatenus de Sacramentis quibusdã tempore Interdicti concessis verba faciunt, intelligenda esse de Interdicto locali generali tantum, ac proinde nullo Iure haberi, quod extra casum necessitatis illius, de qua *cap. præced.* diximus, Sacramentum vllum in Ecclesia specialiter Interdicta ministrare liceat. Verum contrariam, & veram sententiam secutus.

4 Dico Baptismi Sacramentum per se licite in Ecclesia Polluta administrari posse, quia huius Sacramenti administratio in quolibet Interdicto, nullo excepto, semper excepta intelligitur, vt tum ex *Cap. Non est vobis, de Sponsalib. Cap. Quoniam, de sent. Excommun. in 6. & Cap. Quod in te, de pænit. & remission.* tum ex *Gloss. ibi* bene probant *Calderin. de Eccles. Interdicto, part. 1. num. 19. Anchar. l. c. Tabien. Syluest. & Angel. V. Interdictum Couar. in Cap. Alma mater, p. 1. §. 2. num. 7. vers. Hæc verò Sacramenta. D. Anton. l. c. Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 4. num. 1. in fin.* qui contrariam sententiam animarum saluti minus consulentem appellat, *Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 7. n. 1. Suar. de Censur. disput. 32. sect. 1. num. 3.* vbi *nulla*, inquit, *est lex prohibens Baptismi administrationem per aliquod Interdictum locale. Filliuc. tr. 18. cap. 2. num. 31. & Bassæus in Flor. Theol. V. Interdictum 2. num. 2.* qui subdit Parochum, cuius Ecclesia est Interdicta, non teneri aliam Ecclesiam non Interdictam adire, vt hoc Sacramentorum administret, quia propria illius Ecclesia quoad hunc effectum non est Interdicta. Immo *Burgas. de Irregularit. p. 6. de Interd. sentent. num. 29. vers. Si autem*, vbi pro eadem opinione citat *Tarantas. & Herman. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. cap. 29. §. 7. num. 1. vers. Secundo, & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. lib. 5. tit. 2. num. 140.* id ipsum docent, & expresse singuli loquuntur in terminis hisce nostris de Ecclesia Polluta. Dixi *per se*, quia aliquando fortasse id non licebit *per accidens*, nimirum ratione scandali; sed tunc non Ecclesiæ Pollutio, sed Charitas violaretur, vt bene *Syluest. Suar. & Filluc.* aduerterunt *ll. cc.*

5 Collige, quamuis Baptismus absq. magna difficultate ministrari possit in alia Ecclesia non Polluta; tamen per se inde non induci obligationem vllam ad id faciendum, cum Ecclesia Polluta, quoad hunc effectum non sit Polluta, vt idipsum egregie alij dixerunt cum *Suar. & Sayr. vbi supra* de Ecclesia singulariter Interdicta.

CAPVT XI.

An in Ecclesia Polluta ministrare liceat Baptismum Paruulis tam sanis, quam infirmis.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius occasio aperitur, num. 1.
Rationi dubitandi occurritur, num. 2.
Paruuli omnes ante Baptismum cur semper in moræ periculo videantur, num. 3.
In Ecclesia Polluta licite ministrari potest Baptismus Paruulis omnibus tam sanis, quam infirmis, num. 4.
Etiamsi omne omnino moræ periculum abesset, num. 5.

1 ADuerto 1. licet iam diximus Paruulorum Baptismum in Ecclesia Polluta prohibitum non esse; tamen, quia *Cap. Quoniam, de sent. Excommunic. in 6.* prædictum Paruulorum Baptismum *propter moræ periculum* concedi asserit, inde ortam esse dubitandi rationem, num is, cessante tali moræ periculo, ac proinde Paruulis sanis, & extra prædictum casum, in Ecclesia singulariter Interdicta, & Polluta licite ministrari queat. Sed

2 Aduerto 2. prædictam dubitandi rationem propemodum corruere, si ipsamet considerentur Canonum verba, per quæ à generali Diuinorum prohibitione semper in omni Interdicto Baptismi administratio simpliciter, & absolute excipitur, nam, cum non distinguant de Paruulis in periculo mortis, vel extra illud existentibus, Baptismum Paruulis omnibus tam sanis, quam infirmis concessum esse quodammodo confirmant. Immo 1

3 Aduerto 3. vere, & reipsa Paruulis omnibus, antequam Baptizati sint, semper moræ, quin mortis, & quidem æternæ periculum imminere, quatenus semper, & facile propter ætatis teneritudinem mori possunt; &, cum Baptismus sit Ianua Salutis, sine illo saluari nequeunt. Hinc

4 Dico in Ecclesia Polluta licite ministrari posse Baptismum Paruulis tam sanis, quam infir-

infirmis, ità expressissime *Vgolin. de Offic. & Potest. Episcop. p. 2. c. 29. §. 7. num. 1. & Pax Iordan. Diuers. Elucubrat. tom. 1. l. 9. tit. 12. num. 140.* cum ijs omnibus, qui idipsum generaliter cencedunt in Ecclesia singulariter Interdicta.

5 Colligo, quamuis aliquando omne omnino moræ periculum moraliter abesse videretur; adhuc semper Baptismum in prædicto loco licite ministrari posse, quia S. Mater Ecclesia prædictum *moræ periculum* expressit, tanquam motiuum, à quo induci potuit ad nunquam prohibendum in vllo Interdicto Baptismum; non tanquam suæ concessionis limitationem, vt in casu simili diximus *disp. 8. c. 16. num. 9. & 10.*

CAPVT XII.

An in Ecclesia Polluta licite Baptizari possint etiam Adulti, saltem Infirmi.

SVMMARIVM.

Boetinus Mantuanus per Baptisma Paruulorum *negat accipi, & comprehendi debere Baptisma Adultorum, num. 1.*

Quid differant inter se, saluari per Fidei Sacramentum *& saluari* per Fidem Sacramenti, *num. 2.*

Adulti quoque ob necessitatem, vt in omni tempore, ità in omni Ecclesia cur Baptizari posse videantur, num. 3.

In Ecclesia Polluta Baptismus licite ministrari potest etiam Adultis, saltem Infirmis, nu. 4.

Adulti quomodo vere veniant hic Nomine Paruulorum, num. 5.

Adultorum Baptismus *multipliciter dici potest* Paruulorum Baptismus. *ibid.*

1 ADuerto 1. cum in *Cap. Non est vobis, de Sponsalib. & in Cap. Responso, de sent. Excommunic.* à generali prohibitione Diuina celebrandi excipiatur *Baptismus Paruulorum*, inde dubitandi ansam arreptam fuisse ab aliquibus, num Adultorum, etiam si sint in periculo mortis, Baptisma ibi prohibeatur, maxime cum ex nullo alio Iure expresse, & nominatim Adultorum Baptismum exceptum fuisse colligamus, sicut expresse, & nominatim Paruulorum Baptismum *ll. cc.* & alibi etiã exceptum videmus; immo *Boetin. Mantuan. Glossat.* apud *Socin. Senior. in d. Cap. Non est vobis, num. 9.* Adultorum Baptismum ibi non excipi absolute asseruit:

2 Aduerto 2. inde etiam difficultatem hanc augeri, quod Adulti saluari possunt etiam per Baptismum Flaminis, idest non tantum *per Fidei Sacramentum*, sed etiam *per Fidem Sacramenti*, vt loquitur *Burgaſ. de Irregularit. & dispensat. p. 6. de sent. Interdict. nu. 49.* & alij multi cum eo, quod nos etiam superius diximus *disp. 8. c. 24.* quod non valet in Paruulis ex *ibid.* dictis; ex quo colligi videtur, quod Baptismatis Sacramentum non sit tantæ necessitatis in Adultis, quanta est in Paruulis, ac proinde nil mirum, si Paruulorum, & non Adultorum Baptisma ibi excipiatur. Sed

3 Aduerto 3. ex altera parte dicendum videri, quod etiam Adulti ipsi, saltem qui in mortis periculo constituti, vel infirmi sunt (de Adultis enim sanis *cap. sequen.* agemus) in Ecclesia Polluta licite Baptizari valeant; quia, cum in *Can. Si qui necessitate, de consecrat. dist. 4.* dicatur: *Si qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragij vrgentur, omni tempore debent Baptizari*; ob eandem rationem in omni etiam Ecclesia licite ij Baptizari posse videntur, bene idipsum ex *Can. Omnis Presbyter, de Consecrat. dist. 4.* colligit *Turrecremat. ibi num. 1.*

4 Dico in Ecclesia Polluta Baptismum licite ministrari posse etiam Adultis, saltem infirmis, ità ij omnes, quos *cap. sequen.* adducemus pro sententia affirmante idipsum etiam de Adultis sanis. Probatur autem huiusce Capitis conclusio, quia, si Baptismus ibidem licite ministratur Paruulis, etiam sanis, vt iam vidimus, ob morale mortis periculum, quod in Paruulis prædictis propter ætatis teneritudinem continuum est, multo magis ministrari licite poterit etiam Adultis infirmis, qui sunt in simili periculo, & non habent aliud remedium ad salutem æternam, quam Baptismum Flaminis, quod, cum difficillimum sit, moraliter hic quodammodo impossibile reputatur; ex quo patet responsio ad secundam dubitandi rationem *num. 2.* allatam; ad primam enim respondeo, dum

5 Colligo primo omnes, qui nondum Baptizati sint, dici Paruulos, & Paruulorum nomine *ll. cc.* venire posse, quia, cum Baptismus sit Ianua omnium Sacramentorum, vt habetur *dist. 32. §. Verum vlt. fin.* qui nondum nati, seu regenerati per Christi Fidem sunt, verè Paruuli adhuc sunt. Secundo Baptismum à latore Canonis dictum fuisse Paruulorum, quia sic communiter accidit, cum hodie plures Paruuli, quam Adulti Baptizentur. Ter-

tio autem prædictum Sacramentum appellari Paruulorum, quia in Pueritia dandum est iuxta morem Ecclesiæ: vnde, quando Adultus Baptizatur, dici adhuc potest Baptismus Paruuli, quia in Pueritia dari poterat, & debebat, nam, si Puer Ius habebat ad tale Sacramentum etiam in Ecclesia Polluta, cur factus Adultus illud amisisse dicendus erit? Iure ergo, si non facto, Adulti Baptismus semper dici poterit Baptismus Paruuli: videantur inter alios *Suar. de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 22. & Burgas. l. c.*

CAPVT XIII.

An in Ecclesia Polluta Baptismus licite etiam Adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis ministrari possit.

SVMMARIVM.

Quæstionis huius motiuum exponitur, num. 1.

Adulti cur magis indigeant Baptismo, quam Paruuli, num. 2.

Baptismi suscipiendi præceptum Diuinum positiuum quomodo semper in Adultis vrgeat, num. 3.

Baptismus licite ministrari potest in Ecclesia Polluta etiam Adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis, num. 4.

Baptizare præter necessitatem quoslibet alios, præter exceptos in Iure, alibi, quam in Ecclesijs, vbi sunt fontes specialiter Baptismo deputati, non licet, & mortale peccatum est, num. 5.

1 ADuerto 1. potiorem de adultis sanis, quàm de adultis infirmis difficultatem inde esse, quod mortis periculum, propter quod ex dictis Baptismus ibi pro infirmis licere videtur, in sanis cessare censeatur. Verum

2 Aduerto 2. si non propter ætatis teneritudinem, vt de Paruulis etiam sanis *cap. 11.* dicebamus, saltem propter generale periculum vitæ, vt bene monuit *Suar. de Censur. disp. 39. sect. 2. num. 22.* quod semper, etiam sanis, imminet, semper hoc Sacramentum reputari necessarium, eòque magis Adultis, quàm Paruulis, quò illi magis illo indigent propter maiorem gratiæ necessitatem ad vitanda peccata, exercenda merita, & c. Quin etiam

3 Aduerto 3. affirmatiuam sententiam adhuc probabiliorem effici ex eo, quod in Adultis vrget Baptismi Præceptum, quod omnibus tàm sanis, quàm infirmis Iure Diuino positiuo impositum est, & statim post agnitam Baptismum ita semper obligat, vt, quamprimum commodè possit, re ipsa suscipi debeat, vt cum communi docet *Franc. de Lugo de Sacram. part. 1. lib. 2. c. 10. q. 4. num. 2 1. & seq.* Quamobrem

4 Dico Baptismum licite ministrari posse in Ecclesia Polluta etiam adultis omnibus tàm sanis, quàm infirmis. colligitur ex *d. Cap. Quoniam, de sent. Excommun. in 6.* vbi generaliter Baptismus excipitur ab omni Interdicto, & consequenter absolute sine vlla loci, aut personarum restrictione omnino libere côcessus remanet, vt erat ante quodlibet Interdictum. eodem modo idipsum dicunt cum communi DD. sententia *Socin. Senior in Cap. Non est vobis, de Sponsal. num. 15. Couar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 2. num. 7. vers. Hæc autem Sacramenta. Squillant. de obligat. clericor. p. 5. n. 37. Sà V. Interdictum num. 17. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. Filliuc. tr. 18. c. 2. num. 31. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 31. nu. 22. Sayr. de Censur. l. 5. c. 6 num. 4. Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 33. sect. 1. num. 3.* & nouissime, ac omnium expressissime *Bassæus in Flor Theol. V. Interdictum 2. num. 2.* quibus omnibus de Ecclesia singulariter Interdicta, vel in qua singularis cessatio à Diuinis indicta sit, generaliter loquentibus accedunt etiam *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. cap. 29. §. 7. num. 1. Burgas. de Irregularit. & Dispensat. p. 6. de Interdict. sent. num. 29. & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 140.* qui de Ecclesia Polluta specialiter loquentes in ea absolute, & illimitate Baptismi administrationem, siue adsit mortis periculum, siue non, licere tradunt.

5 Colligo, licet aliqui, dum dicunt licitam esse Baptismi administrationem in Ecclesia Polluta, si talis Ecclesia sit Baptismalis, videantur innuere eam ibi licitam non esse, si talis Ecclesia non sit Baptismalis; nihilominus id ab ijs dictum fuisse, non quia in qualibet Ecclesia Polluta absq. vlla Pollutionis Ecclesiasticæ violatione Baptismus ministrari non possit (quælibet enim Ecclesia Polluta nullo modo est quo ad hoc interdicta) sed quia proprius administrandi locus est Ecclesia, in qua sit fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. ideoque in priuatis locis, necessitate excepta, nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut Magnorum Principum filij; cum quoslibet alios, præter necessitatem, & præter exceptos in Iure alibi baptizare, quàm in Ecclesijs, vbi

sint

sint Fontes specialiter Baptismo deputati, mortale peccatum fit ex *Nauar. in sum. cap. 22. num. 7. Reginal. l. 27. nu. 35. Comincb. q. 67. n. 3. Bonacin. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 19. Soto, Ochagauia, Granados, Ledesm. Villalob.* & alijs, quos citat, & sequitur *Quintanaduen. tr. 1. singul. 20 num. 1. & Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 2. c. 5. nu. 17. & 18. & c. 6. q. 2. n. 17. & 18.* qui id probant ex multis Concilijs, sed præcipue ex *Clement. vnic. de Baptism. et Ritual. Rom.* vt fuse apud prædictos videre est.

CAPVT XIV.

An in Ecclesia Polluta Baptismus ministrari possit solemniter, & publice.

SVMMARIVM.

Baptismi solemnitates cur in Ecclesia Polluta minime licere videantur, num. 1.

Cæremoniæ, & Solemnitates in Baptismo solemniter celebrando adhiberi solitæ quænam sint, num. 2.

Baptismum sine solitis solemnitatibus extra necessitatem administrare graue peccatum est, num. 3.

Materiæ paruitas hic etiam à mortali excusare potest, ibid.

In Ecclesia Polluta Baptismus ministrari potest solemniter, & publice, num. 4.

Baptismi solemnitates sunt necessariæ non ad Sacramenti substantiam; sed ad illius decentiam, num. 5.

Concessio illimitate facta illimitate accipienda est, ibid.

Modificatio d. Cap. Alma mater celebrandi Diuina Officia ianuis clausis, & c. cur hic locum non habeat, ibid.

1 ADuerto 1. cum Baptismus, vt potè Sacramentum necessitatis, ob necessitatem Baptizandi, & summam Baptismi vtilitatem licite ministretur in quocumque Interdicto, pro vt superius dictum est, cumque Baptismales cæremoniæ, & Solemnitates, præter Baptismi Substantialia, minime necessariæ sint, quia satis est illud ministrare sine solemnitate ad satisfaciendum Baptizandi necessitati, idcirco dubitari posse, num eæ quoque cum Baptismo in Ecclesia singulariter Interdicta, & Polluta liceant, vel non liceant, prout ibi propterea non licent quædam Sacramenta non necessaria, ne sine necessitate Ecclesiasticæ disciplinæ vincula laxentur, vt ex inferius de vnoquoque Sacramento dicendis constabit.

2 Aduerto 2. Baptismi Solemnitates, seu Cæremonias in Baptismo solemniter ministrando adhiberi solitas, plures olim fuisse, & partim etiam nunc in vsu esse tàm antecedenter, quàm comitanter, & subsequenter ad Baptismum, quales sunt Nomen Ecclesiæ dare, Baptismum petere, Examen, Exorcismus, Salis gustatio, Aurium, & narium tinctio per saliuam Sacerdotis, Abrenunciatio Sathanæ, & operibus, ac pompis eius facta, Vnctio in scapulis, ac pectore oleo Catechumenorum, Fidei professio per Symboli recitationem, Sponsorum, seu Patrinorum vsus, Vnctio Chrismatis in vertice Baptizati, Vestis candidæ impositio, Cerei accensi gestatio, & c. quarum omnium Solemnitatum, ac Cæremoniarum narrationem, ac significationem fuse dabit *Catechismus Roman. Bellarm. de Baptism. c. 24. & 25. Molfes. in sum. tr. 4. c. 1.* & alij passim; sed quam felicissime, ac breuissime *Laym. l. 5. tr. 2. c. 8. Bassæus in Flor. Theolog. V. Baptismus 4. num. 8. & Castropal. tom. 4. tr. 19. disp. 1. punct. 12.*

3 Aduerto 3. sicuti grauiter peccat, *vt cap. præced.* diximus, qui sine necessitate, vel sine Iuris priuilegio baptizat extra Baptismalem Ecclesiam, ita etiam grauiter peccare, qui extra necessitatem baptismum celebrat sine legitima illius solemnitate, nã hi ritus, quamuis accidentales, nihilominus grauissimi sunt, & ad debitam tali Sacramento reuerentiam conciliandam maxime necessarij, licet aliquando materiæ paruitas à mortali excusare possit, cum prædicta grauis obligatio ad singulas etiam leues cæremonias extendenda non sit, vt colligitur ex *Trident. sess. 7. can. 3.* & aperte tradunt *Suar. Henriq. Valent. Reginal. Less. Azor.* & alij, quos citat, & sequitur *Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. vlt. pun. vn. n. 4. & disp. 2. q. 2. p. 7. nu. 18. 19. & seq. Bassæus l. c. n. 9. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 2. c. 5. num. 17. et c. 6. num. 7. & 8. cum Filliuc. Zambran. Nauar. Cominch. Mour. & Laym. ibi citatis*, nec non *Quintanad. tr. 1. sing. 20. num. 2.* vbi colligit quatuor peccata mortalia committi à Laico, ac etiam à Subdiacono, vel Diacono domi infantem baptizante extra necessitatem, à Sacerdote non Parocho tria, & à Parocho proprium subditum sic baptizante duo, inter quæ, vt ibi videre est, semper illud numeratur, quod tunc extra necessitatem sine solemnitate Baptismus ministretur, in quo grauiter delinquitur.

4 Dico

4 Dico in Ecclesia Polluta Baptismum ministrari posse solemniter, & publice. colligitur ex *Cap. Quoniam, de sent. Excommunic. in 6.* tum quia ibi fit mentio de vnctione Chrismatis in vertice, ac proinde etiam Solemnitatũ, quæ in Baptismi administratione semper supponuntur, tum quia, cum absolute ibi dicatur licitam esse huius Sacramenti administrationem in quocumque Interdicto, non solum innuitur licere eam quoque in Ecclesia Polluta, vt iam superius dictum est, sed etiam eam licere cum solita sacrorum rituum solemnitate, ac publicitate: neque enim censendus est permitti Baptismus aliter fieri, quã de iure faciendus præscribitur; vnde, cõcessa administratione Baptismi sine limitatione modi, vel formæ, concessa intelligitur iuxta modum, & communem Ecclesiæ vsum, qui solemniter, & publice fit. ita *Calderin. de Eccles. Interd. p. 2. num. 1. Syluest. V. Interdictum 5. q. 7. Nauar. in Man. c. 27. num. 177. Anchar. & Franc. in Cap. Alma mater, de sent. Excommun. in 6. Couarrun. ibi, p. 2. §. 2. num.* 8. *Suar.* qui communem esse sententiam testatur *de Censur. disp. 33. sect. 1. num. 2. & disp. 39. sect. 2. num. 23. Vgol. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 4. num. 1. Angel. S. Anton. Tabien. & Martin. Ledesm.* apud *Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 7. num. 3. Henriq. l. 13. c. 45. n. 1. & cap. 53. num. 4. Auil. de Censur. p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 4. conclus. 1. Bonac. de Censur. disp. 5. pun. 3. num. 2. Megal. p. 3. l. 6. c. 2. num. 22. Laym. in sum. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. Filliuc. tr. 18. nu. 31. Bassæus V. Interdictum 2. num. 2. Castropal. p. 6. disp. 5. pun. 4. §. 1. num. 3.* & alij passim; licet enim loquantur de Baptismi administratione in Interdicto; tamen idipsũ *multo magis in Ecclesia Polluta* licet, vt egregie, & expresse dixit *Iordan. Elucubr. tom. 1. l. 5. tit. 12. n. 146.*

5 Colligo, quamuis ad satisfaciendum Baptizandi necessitati, necessariæ non sint Baptismi solemnitates; eas tamen ad Sacramenti ipsius administrandi decentiam necessarias esse, cum aliter illud administrari non debeat extra necessitatem, vt iam dictum est. nec illarum publicitati obstat modificatio celebrandi Diuina Officia tempore Interdicti ianuis clausis, & c. in *d. Cap. Alma mater* facta, quia ibi, vt sæpius superius inculcatum est, sermo est de Interdicto tantum generali, & de Diuinorum Officiorum celebratione per se; non autem de Interdicto particulari, & de Sacramentorum administratione, quæ hic conceditur, prout ab Ecclesia extra necessitatem communiter fit, nisi Canon aliud exprimat, prout exprimere solet, quando modũ aliquem, vel formam particularem obseruari vult, vt signanter aduertit *Sayr. l. c.*

CAPVT XV.

An in Ecclesia Polluta fieri possint Benedictiones rerum ad solemnem Baptismi administrationem necessariarum.

SVMMARIVM.

De quibusnam Benedictionibus hic sermo sit; num. 1.

Causa dubitandi exponitur, num. 2.

Concesso principali, concessum etiam censetur accessorium, num. 3.

Concesso aliquo, omnia concessa existimantur, quibus ad illud peruenitur. ibid.

In Ecclesia Polluta fieri possunt Benedictiones, seu Consecrationes rerum ad solemnem Baptismi administrationem necessariarum, numer. 4.

Aqua Baptismalis Benedictio, seu Consecratio, nedum Chrismatis Confectio, solitis diebus in Ecclesia Polluta celebrari licite potest. ibid.

Infinitæ huiusmodi Benedictiones ibi licerent, si infinitæ ad Baptismum solemniter celebrandum necessariæ essent, num. 5.

1 Aduerto 1. sermonem hic esse de quibusdam Benedictionibus, per quas præparantur aliqua ad Baptismi Solemnitates necessaria, quales sunt Benedictio, vel Consecratio aquæ Baptismalis, quæ hodie in Sabbatho tantum Paschæ, & Pentecostes fieri solet, Confectio Chrismatis in die Cœnæ Domini, & similia, sine quibus Baptismus more solito solemniter celebrari nequit.

2 Aduerto 2. dubitandi causam esse, quia istæ Benedictiones, cum non sint necessariæ ad Baptismum ipsum, nec sint inter illius Solemnitates, non videntur venire nomine Baptismi, nec nomine solemnitatum eius, & consequenter, licet, concesso Baptismo, concessa etiam intelligatur solemnis illius administratio ob rationes *cap. præced.* allatas; nihilominus inde concessæ non videntur prædictæ Benedictiones, quia non sunt quid proxime connexum cum Baptismo; sed tantummodo præparationes, & dispositiones quædam remotæ ab illius administratione, quas propterea in Ecclesia Interdicta licere negat *Conar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 5. num. 6. versic. Decimotertio ipse, & c.* cum *Paludan. in 4. dist. 7. q. 3.* Sed

3 Aduerto 3. ex aduerso obstare, quod, concesso principali, concessum etiam censetur accessorium: &, concesso aliquo, omnia etiam concessa existimãtur, quibus ad illud perueniτur, *arg. L. Ad rem mobilem, & L. Ad remilegatam, ff. de Procurat. & defensorib.* & semper mote solito, nisi aliud in contrarium à Iure statutum sit. Quare

4 Dico in Ecclesia Polluta fieri posse Benedictiones, seu Consecrationes rerum ad solemnem Baptismi administrationem necessariarum, ac proinde ibi posse non solum Chrismatis Confectionem (quod etiam *Couar. l. c.* concedit) sed etiam aquæ Baptismalis Benedictionem, seu Consecrationem prædictis diebus celebrari, quia, concesso Baptismo, omnia concessa censeri debent, quæ ad illius solemnitatem necessaria sunt, licet ad Baptismi substantiam necessaria non sint. ita *Anchar. in Cap. Fin. de sent. Excommun. in 6. nu. 7. vers. Sed quid dices de facientibus Officium: Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 4. num. 4. Suar. de censur. disp. 33. sect. 1. num. 2. Megal. p. 3. l. 6. c. 2. num. 22. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. & aly communiter.*

5 Colligo, si dari posset processus in infinitum respectu rerum ad Baptismum solemniter ministrandum necessariarum, tunc etiam posse absque absurdo concedi, quod illa omnia, concesso Baptismo, concessa censeri deberent.

CAPVT XVI.

An in Ecclesia Polluta Benedictiones prædictæ rerum ad Baptismi Solemnitatem præ requisitarum publice quoq. fieri possint.

SVMMARIVM.

Communis sententia cur negatiue respondeat, num. 1.

Concessio, seu exceptio illimitata prædictorum Benedictionum ab omni Interdicti prohibitione antiquior est, quam moderatio Cap. Alma mater, de sentent. Excommunicat. in 6. *num. 2.*

Prædictæ Benedictiones cur videantur concessæ, prout communiter fieri solent, num. 3.

In Ecclesia Polluta prædictæ Benedictiones, & c. rerum ad Baptismi solemnitatem prærequisitarum fieri publice quoq. possunt, num. 4.

Etiamsi prædictæ Benedictiones, & c. accessorie tantum ad Baptismi solemnitatem concessæ videantur, & ad id priuatim etiam factæ sufficere possint, num. 5.

1 ADuerto 1. communem sententiam stare pro parte negatiua, vt videre est apud *Archidiac. Ancharan. Gemin.* & alios in *Cap. Alma mater, de sent. Excommunic. in 6.* quos secuti sunt *Angel. Tabien. Couar. Vgolin. Enriq. Sylvest. Tolet.* apud *Bonacin. de Censur. disp. 5. punct. 3. §. 1. num. 2. Alterium de Censur. tom. 2. disp. 4. c. 2. vers. Communis, Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. num. 2. & Megal. p. 3. l. 6. c. 2. num. 22.* qui dicunt licitum quidem esse etiam in Ecclesia singulariter Interdicta conficere Chrisma in die Cœnæ Domini; sed tunc seruandam esse moderationem *d. Cap. Alma mater, vers. Adijcimus.* i. vt ianuę sint clausę, vox submissa, non pulsentur campanę, & excludantur Excommunicati, Interdicti, & c. prout ibi statutum est. Sed

2 Aduerto 2. cum *d. Cap. Alma mater*, vt toties dictum est, loquatur tãtum de Interdicto generali, nec locum habeat in ijs casibus, in quibus Interdicti prohibitio iam antiquiore Iure modificata fuit, me non videre, cur seruari nihilominus debeat prædicta prædicti *Cap. Alma mater* moderatio in his, quæ simpliciter, & illimitate ab alijs antiquioribus Iuribus concessa, seu ab omnibus Interdicti prohibitionibus excepta reperiuntur. Immo

3 Aduerto 3. quia, quando aliquid conceditur, conceditur prout fieri communiter solet, nisi aliter exprimatur, *argum. L. Si quando, C. de inofficioso testam.* vt superius etiam dicebamus de Baptismo, propterea prædictas Benedictiones prærequisitas ad Baptismi Solemnitatem videri etiam in Baptismi solemnis concessione ita concessas, vt communiter fieri solent, i. publice, cum nihil à Iure in illarum concessione de publica, vel priuata earũdem celebratione expressum habeamus. Vnde

4 Dico mihi probabilissimum esse, quod in Ecclesia Polluta Benedictiones quoque, seu Consecrationes, vel Confectiones rerum ad solemnem Baptismi administrationem prærequisitarum fieri publice possint. nam Moderatio *d. Cap. Alma mater* facta fuit non ad ampliandam Interdicti prohibitionem, ac proinde ad eam extendendam etiam ad casus illos, in quibus Interdicti prohibitio iure antiquo locum non habebat; sed ad temperandum Interdicti rigorem in ijs casibus, in quibus adhuc Interdicti prohibitio vim habebat.

baptizata *Barbosa de Offic. & Potest. Episcopi Allegat. 31. num. 25.* qui fatetur se non posse idcircò acquiescere communi, & contrariæ sententiæ, & hanc eandem sententiam probabilem putat *Castropal. p. 6. disput. 5. punct. 4. §. 1. num. 6.* qui pro eadem (sed male) citat etiam *Layman sum. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1.*

5 Colligo, licet Baptismus videatur principaliter, & per se concessus, prout de more celebrari solet; Benedictiones verò prędictę videantur concessæ tantummodo accessorie, & propter Baptismi Solemnitates, ad quod etiam sufficerent priuatim factæ; tamen ad prædictarum quoque Benedictionum publicitatem licite concedendam satis hic esse, quod ipsæ etiam concedantur, & nihil in contrarium in Iure habeatur, prout absolute tales Benedictiones vere iam ante d. *Cap. Alma mater* concessæ fuerunt, quod ex dictis compertum est.

CAPVT XVII.

An in Ecclesia Polluta licite, & publice suppleri possint etiam solæ cæremoniæ, & solemnitates in priuato Baptismo prætermissæ.

SVMMARIVM.

Dubitationis huius ansa proponitur, num. 1.
Cæremoniæ, & Solemnitates in Baptismo priuato prætermissæ suppleri postea debent à Parocho in Ecclesia, num. 2.
Probabilius est, quod supplendæ sint sub obligatione peccati mortalis, ibid.
Traditæ Cæremoniæ, & solemnitates supplendæ sunt etiam in Hæreticis, & adultis antea valide, sed priuatim Baptizatis, ibid.
Si Baptismus solemniter, sed inualide collatus repetatur, Cæremoniæ ipsæ, & solemnitates cur repetendæ sint, num. 3.
In Ecclesia Polluta licite, & publice suppleri possunt etiam Solæ Cæremoniæ, & Solemnitates in priuato Baptismo omissæ, num. 4.
Eadem etiam repeti ibidem possunt cum repetione Baptismi, quando solemniter, sed inualide antea fuit collatus, ibid.
Exorcismus quoq. cur post Baptismum priuatim collatum suppleri debeat, & qua intentione, num. 5.

1 ADuerto 1. cum Baptismales cæremoniæ, & solemnitates in Ecclesia Polluta concessæ videantur tantummodo ob Baptismi ipsius administrationem, vt superius dicebamus, cumq. in proposito casu Baptismus ipse non sit amplius in ea ministrandus, idcirco dubitari posse, num etiam sine Baptismi ipsius administratione (eo quod iam iste antea administratus supponatur) solæ solemnitates, & cæremoniæ in Baptismo solemniter administrando alias adhiberi solitæ, & in priuata prædicta Baptismi administratione omissæ possint postea licite, & publice in Ecclesia Polluta suppleri, iam enim non videntur amplius accessoriæ ad Baptismum, tanquam ad suum principale, cum non adsit ipsum principale, idest Baptismus.

2 Aduerto 2. certum esse, quod prædictæ cæremoniæ, & solemnitates ab Ecclesia in solemni Baptismo præscriptæ, quæ in priuato Baptismo prætermissæ fuerunt, suppleri debeant à Parocho in Ecclesia, vt Sacramentum complete administretur non solum quoad substantialia, verum etiam quo ad accidentalia, pro dixit *Bassæus in Flor. Theol. V. Baptismus 4. num. 9. vers. Item, & c. in fin.* & quia suam significationem, & effectum habere æq. possunt, ac si simul cum Baptismo factæ fuissent, prout dixit *Castropal. p. 4. tr. 19. pun. 12. num. 21.* & aperte colligitur ex *Can. Hanc regulam 1. quæst. 1. & Cap. 1. de Sacram. non iterand.* nec non ex vsu, & consuetudine recepta, & à Romano Rituali approbata. vnde, licet *Possevinus de Offic. Curat. c. 6. num. 23.* docuerit eas, secluso contemptu, sub veniali tantum supplendas esse, quod etiam probabile dixit *Io. Maria de Castilento in Polyanth. Seraphic. V. Baptismus, difficult. 43.* nihilominus ex eodem *Castilento ibid.* probabilius est prædictas cęremonias sub præcepto peccati mortalis supplendas esse, *quia*, inquit, *in re graui, vt est suppletio cæremoniarum Baptismalium, potius præcipere, quam consulere præsumitur Ecclesia*, immo oppositam doctrinam nullo pacto sequendam esse decidit *Pasqualig. decis. 431. num. 2.* quia in hoc consistit prima publica professio Fidei, ad quam vnusquisque tenetur, ex quo ad tales cæremonias, & solemnitates supplendas obligationem sub mortali oriri statuit, quem sequitur *Bassæus l. c. vers. Notandum tamen*, ideoque *S. Congreg. Concil. apud Bellarm. in Concil. sess. 7. de Sacram. in genere can. 13. & de Baptism. can. 4. in Addit. ad illum num. 1.* declarauit eas etiam in Hæreticis valide, sed priuatim Baptizatis supplendas esse, & ipsum etiam in adultis ipsis, si sine scandalo id fieri possit

 obiect-

obseruandum asserit *Laym. in Summa l. 5. tr. 2. c. 8. num. 10.* vbi subdit, *compertum enim fuit eos Fideles, qui priuatum Baptismum sine exorcismis, alijsque solemnitatibus acceperant, à Diabolo magis infestari solitos esse.* Hinc

3 Aduerto 3. si constaret Baptismum solemniter ministratum inualide ministratum fuisse, probabilius est, quod, eo repetito, ea quoque cum illo (si secluso scandalo, grauique Baptizati damno publice Baptismus celebrari possit) repetendæ essent, cum semper sint accessoriæ Baptismo, & propter legitimam eius administrationem institutæ, ac proinde, vt potè debitam illius administrationem cõponentes, semper eum eo adhibendæ, ne Baptismo debitus cultus, & ornatus deficiat, licet eæ antea cum Baptismo inualido ritè factæ fuissent, neque enim iterandum est, quod rite factum est, nisi sit accessorium illius, quod repeti debet. & ità sentiunt *D. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 14. §. 22. Barthol. ab Angelo de Sacram. dial. 2. §. 69. Sot. in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 3 col. vlt. Victor. quæst. 37. Viguer. c. 16. §. 1. verf. 6. in fin. Augl. 1. p. in 4. de Bapt. quæst. 4. art. vlt. diffic. vlt. conclus. 1. Zambran. in decis. cas. occurent. in art. mort. c. 1. dub. 17.* qui hanc sententiam communem asserit, *Reginald. l. 28. num 34. Castropal. l. c. num. 24. Franc. de Lugo de Sacrament. p. 1. l. 2. c. 6. qu. 2. num. 8. in fin.* & alij multi teste *Bassæo l. c. verf. Quando autem*.

4 Dico in Ecclesia Polluta licite, & publice suppleri posse etiam solas cæremonias, & solemnitates in priuato Baptismo prætermissas, vel repeti cum repetione Baptismi, vt iam dictum est *num. 2.* quia pertinent adhuc ad Baptismi decentiam, & completam illius administrationem, ideoque licent ibi eodem modo, quo licerent vna cum Baptismo, si ibidem, & eodem tempore ministraretur, nam adhuc faciunt vnum moraliter cum illo, & ad illum referuntur, tanquam illius complementum, & quasi pars administrationis illius; etiamsi vere ille iam essentialiter perfectus sit. vt ex dictis colligi potest, & maxime ex *Franc. de Lugo l. c. c. 4. qu. 9. num. 67.*

5 Colligo etiam post Baptismum priuatim collatum suppleri debere exorcismos ab Ecclesia in Baptismo solemni præscriptos, quod est contra *Comitolum*, qui *Responsor. moral. l. 1. quæst. 12.* dixit fore sacrilegium, & grauem Baptismi priuatim antea suscepti iniuriam, si Parochus puero priuatim baptizato (licite, vel illicite) postmodum in Ecclesia exorcismos adhibeat, sublato enim, inquit ille, per Baptismum peccato, ratione cuius Dæmon Homine dominabatur, iam censetur inimicus expulsus, ac propterea iam exorcismi ad illum expellendum necessarij non sunt; sed, cum Diabolus nunquam omnino infestare cesset, ideo communis, & vera sententia docet etiam tunc eos adhibendos esse ad perfectiorem Dæmonis expulsionem, maioremque cælestis gratiæ communicationem obtinendam, vnde in tali casu Minister ad hæc duo vltima intentionem suam referre debet, vel certe ad tempus præteritum, vt bene docuerunt *Richard. in 4. dist. 6. art. 6. qu. 1. Victor. de Baptism. num. 38. Villalob. in Summ. tom. 1. tract. 5. diffic. 23. num. 2. Franc. de Lugo l. c. c. 6. lib. 2. num. 10. Vivald. in Candelabr. de Bapt. c. vlt. num. 18. Diana p. 5. tr. 3. resol. 6. Bassæus V. Baptismus 4. num. 9. verf. Notandum tamen, in fin. & Castilens. V. Baptismus difficult. 43. conclus. 2.*

CAPVT XVIII.

An in Ecclesia Polluta licite ministrari possit Cõfirmationis Sacramentum cum omni sua solemnitate, & publicitate tàm adultis, quàm pueris.

SVMMARIVM.

Confirmationem omittere ex torpore, vel negligentia cur per se, secluso scandalo, ac cõtemptu, peccatum mortale non sit, num. 1.

Nec veniale peccatum est secundum aliquos. ibidem.

Communiter tamen cur sit veniale. ibid.

Confirmatio licite ministrari potest etiam extra Ecclesiam in quouis honesto loco. ibid.

Confirmatio vnde suum nomen acceperit, nu. 2.

Confirmatio quomodo sit veluti complementum Baptismi. ibid.

Baptismus, & Confirmatio in Iure paria facta fuerunt quo ad illorum ministrationem in Interdicto. ibid.

Prædictæ Purificationis ratio, & congruentia assignatur, num. 3.

In Ecclesia Polluta licite ministrari potest Confirmationis Sacramentum tàm adultis, quàm pueris cum omni sua solemnitate, & publicitate, num. 4.

Rationibus in contrarium adductis num. 1. *respondetur, num. 5.*

1 ADuerto 1. pro parte negante esse, primo quia, secluso contemptu, vel scandalo, per

per se non est mortale peccatum omittere Confirmationem ex torpore, vel negligentia, cum reuera nullum sit præceptum Diuinum, vel humanum, nec consuetudo communis obligans sub mortali ad eam recipiendam, vt tenent *Sotus, Adrian. Angel. Victor. et Couarruu.* quos refert, & sequitur *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 1. Vguald. Sayr. Valent. Nugn. Tolet. Reginald. & Ledesm.* quos citat, & sequitur *Bonacin. de Sacram. disput. 3. q. 1. pun. 2. Castropal. tom. 4. tr. 20. pun. 8. num. 5. Trullench de Sacram. l. 2. c. fin. num. 5. Henriq. l. 3. c. 1. num. 3. Zambran. de Casib. in artic. mort. c. 2. dub. 4. Laym. lib. 5. tr. 3. c. 5. Coninch q. 72. num. 88. Less. Auers. & alij cum Dian. p. 3. tr. 4. resol. 20. & 25. & p. 5. tr. 3. resol. 30.* immo per se loquendo nullum omnino peccatum est, vt dixit *P. de Ledesm. tom. 1. tr. de Confirm. cap. 8. conclus. 3. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. lib. 3. cap. 3. q. 1. num. 11. & Basseus in Flor. Theol. V. Confirmatio num. 3.* licet communiter ob prodigalitatem quandam spiritualem peccet venialiter, qui omittit Confirmationem, quando commode potest eam recipere, vt dixerunt *Suar. Nugn. Auers. Less. Ochagania, Zambran. Coninch. & Reginald.* apud *Franc. de Lugo l. c.* Secundo quia, licet *Nugn. 3. p. q. 72. art. 12. Granad. de Confirmat. tr. 2. disp. 2. Sà V. Confirmatio num. 1.* & alij communiter apud *Castropal. l. c. pun. 10. num. 6.* dicant Confirmationem, prout diximus de Baptismo solemni, debere sub graui culpa ministrari in Ecclesia, quoniā, inquiunt, excellentior est Cōfirmatio, quam Baptismus; nihilominus licite Confirmatio ministrari potest in quouis honesto loco, sic enim præscribit Pontificale, & sic Praxis obseruat, cum etiam in Episcopali Palatio, vel in simili loco ministrari soleat, vt bene tradunt *Suar. Henriq. & Laym. ll. cc. Præposit. in 3. p. q. 72. art. 12. num. 54. Bonac. Diana, Leand. Hurtad. Filliuc.* & alij, quos citat, & sequitur *Franc. de Lug. l. c. c. 4. q. 2. n. 10. Quintanad. tr. 2. sing. 2. nu. 4. & Barbos. de Offic. et Potest. Episc. p. 2. alleg. 31. n. 23.* vnde, cum nulla sit necessitas ministrandi tale Sacramentum, & multo minus illud ministrandi in Ecclesia, cessare videtur omnis ratio concedendi in Ecclesia Polluta prædicti Sacramenti ministrationem.

2 Aduerto 2. pro affirmatiua esse, Primo, quia Confirmationis Sacramentum Baptizatos cōfirmat (vnde etiam Nomen accepit) & roborat in Fide per Baptismum accepta, ac proinde est veluti complementum quoddam status Christiani hominis, cuius Professio est Baptismus, vt optime dixit *Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. num. 7.* vnde *Filliuc. tr. 18. cap. 2. num. 34. cum Sayr. in Thesaur. lib. 5. c. 6 num. 6.* Confirmationem Baptismi veluti complementum nominat; per Confirmationem enim Pleni Christiani efficimur, vt dixit *Vrban. Pont. de consecrat. dist. 5. in princip.* & ex eo *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 5. num. 1.* & alij communiter. Secundo, quia idcirco in Iure Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, quo ad illorum ministrationem in locis tam generaliter, quàm particulariter Interdictis paria facta fuerunt, vt patet apertissime ex *Cap. Responso de sent. Excommunic.* vbi de generali Interdicto sermo est, & ex *Cap. Quoniam, eod. tit. in 6.* vbi absolute eadem pariformiter in quocumque Interdicto concessa apparent, ex quibus

3 Aduerto 3. licet primaria prædictæ parificationis ratio fuerit libera sic instituentis Legislatoris voluntas, vt notauit *Suar. ibid.* tamen congruentias omnes de Baptismo allatas valere posse etiam de Confirmatione, qua maxime indigemus ad resistendum tentationibus, maxime contra Fidem, quam in Baptismo accepimus: vnde non solum in commodum Paruulorum, & innocentum merito debuit hic fauor ampliari etiam ad Cōfirmationem; sed etiam pro omnibus adultis ob moræ, & mortis periculum, ne vel viuentes, vel morientes Confirmationis auxilio, & ope destituti exponerentur periculo amittendi Fidem, quam per Baptismum receperunt. Quare

4 Dico in Ecclesia Polluta licite ministrari posse Confirmationis Sacramentum cum omni sua Solemnitate, & publicitate tam adultis, quam pueris, prout de Baptismo dictum fuit, & ob easdem rationes. nam etiam Confirmatio, vt potè *ex Castropal. p. 6. disput. 5. pun. 4. §. 1. num. 6.* Baptismo accessoria, absolute, vt vidimus, conceditur in quocumq; omnino Interdicto, ac proinde etiam in Ecclesia Polluta, vt ex alibi dictis patet, nec aliter ea ministrari solet, aut debet, cum non sit, regulariter loquendo, Sacramentum necessitatis, ob quam aliquando Sacramentum aliquod priuatim ministratur, vt de Baptismo iam ex dictis constat. colligitur autem aperte prædicta conclusio primo ex *Abbat. in d. Cap. Responso, num. 5. & in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. num. 6. Paludan. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 8. Antonin. p. 3. tit. 27. de Interd. c. 4. Angel. Syl. Tabien. Nauar. Vguald. Philiarch. Medin. Cuch. Summa Coron. & Henriq. cum Sayr. de Censur. l. 5. c. 6. num. 6. Couar. Bonac. Auil. & Barbos. cum Castropal. l. c. Antonel. de Regim. Eccles. Episcop. l. 2. c. vlt. num. 5. Franc. de Lug. de Sacram. p. 1. l. 3. c. 4. quæst. 2. num. 11. Filliuc. l. c. nu. 34. Megal.*

gal. p.3.l.6.c.2.num.25.& Bassaeo V. Interdictu 2. num. 2. qui omnes publicam Confirmationis Ministrationem expresse in Ecclesia etiam singulariter Interdicta licere tradunt; Secundo ex ijs etiam, qui, vt superius ostensum est, expresse de Ecclesia ipsa Polluta loquentes Baptismum in ea solemniter & publice ministrari licite posse docuerunt, cum eadem ratio ex iisdem Iuribus desumpta militet etiã in Confirmationis ipsius administratione ibidem concedenda, vt bene rem consideranti clare patebit.

5 Colligo ex dictis rationes in contrarium allatas num. 1. corruere; Canonum enim Latores, dum (quo ad hoc) Baptismi, & Confirmationis Sacramenta paria esse voluerunt, non respexerunt ad Confirmationis recipiendæ necessitatem, quæ vere nulla est, nec ad alterius loci, in quo ea ministrari posset, commoditatem, quæ vere etiam extra Ecclesiam fere semper suppetere solet; sed ad eam Confirmationis connexionem cum Baptismo, propter quam vere Confirmatio Baptismi quodammodo complementum est, vt superius declaratum est.

CAPVT XIX.

An in Ecclesia Polluta licite ministrari possit Pœnitentiæ Sacramentum tam sanis, quàm infirmis, & more solito.

SVMMARIVM.

Pœnitentia administratio sine dubio in Interdicto locali generali, & instante periculo mortis non est prohibita, num. 1.

Quod ea Sanis, & in Interdicto locali speciali non esset prohibita, cur non videretur in Iure expressum ante Decretalem Cap. Alma mater, de sent. Excommun. in 6. *num. 2.*

In d. Cap. Alma mater *aliqua de nouo concessa; aliqua verò tantum declarata fuerunt, num. 3.*

Quod Pœnitentia in quolibet Interdicto etiam sanis ministrari liceat, cur non de nouo concessum in d. Cap. Alma mater; *sed tantummodo declaratum censeri debeat, ibid.*

Sacramenta necessitatis semper de quolibet Interdicto excipiuntur, ibid.

Pœnitentia est Sacramentum summa necessitatis, ibidem.

Pœnitentiam dari posse in quolibet Interdicto etiam sanis quinam docuerint ante declaratio-nem d. Cap. Alma mater, ibid.

In Ecclesia Polluta licite ratione loci ministrari potest Pœnitentia Sacramentum tàm sanis, quàm infirmis, & more solito, num. 4.

Pœnitentia Sacramentum cur dicatur Pœnitentia morientium in textu, & in Glossa, nu. 5. & 6.

Pœnitentia Sacramentum cur publice, & more solito in Ecclesia Polluta ministrari liceat, num. 7.

1 ADuerto 1. indubitatum quidem esse, quod in Interdicto locali generali, & instante periculo mortis, Pœnitentiæ Sacramentum in Iure prohibitum non sit, hoc enim ab Interdicti prohibitione exceptum expresse supponitur in *Cap. Permittimus, de sent. Excommunicat.* & in *Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* sed inde non expresse colligi, quod in Interdicto locali speciali, quale largo modo est Interdictum Ecclesiæ Pollutæ, & extra prædictum mortis periculum, Pœnitentiæ Sacramentum licite ministrari possit: vnde aliunde hoc petendum est, vel non nisi licite id fieri posse asserendum est.

2 Aduerto 2. cum in Iure antiquo, antequam Bonifacius VIII. ederet Decretalem *Cap. Alma Mater, de sent. Excommunic. in 6.* nullibi expresse haberetur, quod in Interdicto sanis quoque licite ministrari posset Pœnitentiæ Sacramentum (quod tamen in *d. Cap. Alma mater* expresse licitum asseritur) propterea ab aliquibus dictum fuisse, quod Pœnitentia Iure nouo *d. Capit. Alma mater* quibuscunque etiam sanis concessa fuerit, & in quocunque locali Interdicto, ac proinde etiam in Ecclesia singulariter Interdicta: putant enim, quamuis *d. Cap. Alma mater* in principio videatur loqui tantum de Interdicto locali generali; tamen, cum in fine concessionis absolute dicatur *tempore Interdicti ab homine, vel à Iure prolati*, & deinde addatur, *siue Ciuitas, siue Locus alius, siue Vniuersitas Interdicti existant*, in quibus tria Interdicta continerì videntur, nimirum Interdictum locale tàm generale, quàm Particulare, & Interdictum personale generale, idcircò in illis omnibus Interdictis licitam esse Pœnitentiæ administrationem, & ita expressissime senserunt *Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. §. de Sacramento Pœnitentia, num. 14. Filliuc. tract. 18. c. 2. num. 36.* & alij recentiores. Sed

3 Aduerto 3. cum ex dictis à nobis *cap. 6. n. 3.* concessio *d. Cap. Alma Mater* loquatur tãtum de Interdicto generali, non autem de Particulari, ac proinde ea non valeat in Ecclesia Polluta, ideo ad alia recurrendo credidi tam

in d. *Cap. Alma mater* aliqua quidem de nouo concedi; aliqua tamen tantum declarari illa, idest de nouo concessa, in Generali tantum Interdicto, vt *l. c.* diximus; ista vero, idest declarata valere etiam in ijs omnibus, in quibus ante talem declarationem valebant, maxime quando declaratio, vt hic, est ampliatiua, & non restrictiua. Cum ergo ante *d. Cap. Alma mater* ex prædictis, & alijs antiquis Iuribus ab Interdicti prohibitione semper exciperetur Pœnitentia morientium, cumque per Pœnitentiam morientium tunc intelligeretur tantum Pœnitentia eorum, qui ad mortem ægrotarent, postea *d. Cap. Alma mater* declarauit, quod non tantummodo morientes, sed etiam viuentes, tam sani etiam, quam infirmi ad Pœnitentiam licite admitterentur, & rationem subdit, quia *Pœnitentia*, inquit, *propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum summe necessaria est*, ex quibus infertur prædictam Pœnitentiæ administrationem vere nunquam per quodlibet Interdictum prohibitam fuisse (licet ante declarationem *d. Cap. Alma mater* communiter per Pœnitentiam Morientium intelligeretur Infirmorum tantum) per Interdictum enim non prohibetur, quin Sacramenta necessitatis administrentur, teste *Molinan Aphorism V. Interdictum*, quin *Glossa* ipsa *in Cap. Non est vobis, de Sponsalib. & Matrim. V. Baptismum Paruulorum* ait: *Ista duo Sacramenta*, scilicet Baptismus, & Pœnitentia, *semper excipiuntur de quolibet Interdicto, quia sunt Sacramenta necessitatis* idemq. repetit etiam *in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. verb. Concedimus*. & vt ea clarius etiam indicet prædictam declarationem ampliatiuam Pœnitentiæ ad sanos valere tam in particulari, quam in generali Interdicto, *in Cap. Quoniam, de sent. Excommunic. in 6.* (in quo iam ex dictis sermo est de quolibet Interdicto tam particulari, quam generali) *verb. Adultis* idipsum asserit de Pœnitentia, quod ibi textus affirmat de Baptismo, & Confirmatione absolute semper tempore Interdictis concessis, vt iam vidimus dicens: *Idem hodie in Pœnitentia, quod dic, vt in Cap. Alma mater, hac eod. tit. & lib.* dicit autem ibi Glossa prædicta *Hodie*, non quia id de nouo concessum fuerit; sed quia id iam in *d. Cap. Alma mater* declaratum fuerat, cum id antea tantum esset sed opinione, quam tamen docuerant *Goffred. Tancred. & Vincent* qui in *d. Cap. Non est vobis, in fin.* vbi textus dicit *Pœnitentias morientium*, dixerant, *& etiam viuorum*, quoniam nulli deneganda est Pœnitentia, prout etiam idipsum dixit ob eandem rationem *Socin. Senior* in idem *Cap. Non est vobis, num. 1. & 15.* quæ opinio *Goffred. & aliorum*, ideo dicta fuit falsa à *Glossa in d. Cap. Alma mater, verb. Sani*, quia ante declarationem prædictam communiter Do-
3 ctores contrariam sequebantur. Nec ab hac nostra *d. Cap. Alma mater* explicatione abhorrere videtur *Suar. l. c. nu. 13*, vbi dicit in *d. Cap. Alma Mater* declaratum, seu concessum esse, vt cuilibet homini possit Pœnitentiæ Sacramentum tempore Interdicti cōcedi ob ipsius Sacramenti necessitatem coniunctam cum periculis, & facilitate hominum ad peccandum. Hinc

4 Dico in Ecclesia Polluta licite ministrari posse Pœnitentiæ Sacramentum tàm sanis, quàm infirmis, & eodem modo, quo ante Pollutionem licebat ratione loci. dixi *ratione loci*, quia hic loquimur de licita Sacramentorum administratione ratione loci; non autem ratione Personarum, nec proinde ratione Pœnitentium, si qui de Iure per *d. Cap. Alma mater*, vel alias excludi debent. ita *Suar. & Filliuc. ll. cc. Squillant. de obligat. Cleric. p. 5. num. 37. Philiarch. de offic. Sacerd. lib. 4. c. 3. §. conceduntur autem. Laym. in sum. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. §. est autem hoc loco. Syluest. V. Interdictum 5. q. 7. num. 9. Escobar in summa, tr. 4. exam. 4. c. 4. Sà V. Interdictum, num. 17. Tolet. in summ. l. 1. cap. 20. Alar. in Canon. Conscient. l. 6. V. Interdictum, num. 16.* & alij, qui omnes loquuntur etiam de Interdicto locali speciali; sed *Burgas. de Irregularitat. & Dispensat. p. 6. de sent. Interdicti, num. 29.* & apud eum *Tarantas. & Herman.* idem concedunt, & expresse in terminis nostris de Ecclesiæ Pollutione loquuntur.

5 Dices, *Gloss. ll. cc.* dicit *ista Sacramēta*, de quibus scilicet locutus est textus; sed iste tantum dixerat *Baptismum Paruulorum, & Pœnitentias morientium*, ergo etiam Glossa de his tantum accipienda est, & consequenter inde non habemus, quod Pœnitentia viuorum, & sanorum absolute ab omni Interdicto semper excipiatur, quod nos ex ea asserimus.

6 Respondeo primo à *Glossa in d. Cap. Quoniam* idem de Pœnitentia dictum fuisse, quod ibi à textu ipso absolute dictum fuerat de Baptismo, & Confirmatione: secundo, cum *Glossa* etiam *ll. cc.* absolute vsa fuerit illis verbis *Ista Sacramenta semper de quolibet Interdicto excipiuntur*, nec addiderit vllam limitationem quo ad Loca, nec quo ad Personas vllas, absolute etiam eam intelligendam esse de illorum Sacramentorum administratione licite quibuscumque tam sanis, quam infirmis, & in quibuscumque locis exercenda: Tertio Pœnitentiæ Sacramentum ibi di-

ci

ci Pœnitentiam morientium vel mystice, idest peccantium, vel denominatiue ab eo tempore, & casu potissimum, in quo illa debet ex præcepto Diuino, & Ecclesiastico ministrari, idest in periculo mortis, cum alias solum vrgeat præceptum Ecclesiasticum, idest semel in anno, vel denique ad significandum verum Pœnitentiæ Sacramentum, quod proprie *Pœnitentia Morientium* dici potest, quia tunc in tali periculo illud necessarium est, cum alias satis sit *Pœnitentia*, vt sic dicam, *viuorum*, seu *sanorum*, idest, *Pœnitentia virtus* cum voto Sacramenti prædicti suo tempore in re suscipiendi, idest quando vrgebit Diuinum, aut Ecclesiasticum illius suscipiendi præceptum.

7 Colligo, cum ex *Suar. l. c. num.* 18. prædictum Pœnitentiæ Sacramentum, etiam tempore Interdicti ministrari debeat cum omni decentia vel requisita, vel magis conueniente, & ad hanc decentiam spectet, quod extra necessitatem ministretur in Ecclesia, vel in loco sacro, proinde etiam in Ecclesia Polluta licite illud ministrari posse publice, & cũ solemnitate solita; concesso enim principali, concessa intelliguntur etiam accessoria ad principalis decentiam necessaria, & permissa permittuntur, secũdum quod Iura disponunt, & absentiat vsus, prout in terminis istis dixit *Matth. de Vgonibus tr. de Interdict.* apud *Syluest. V. Interdictum* 5. *num.* 9.

CAPVT XX.

An in Ecclesia Polluta Eucharistiæ Sacramentum licite aliquando, & publice ministrari possit.

SVMMARIVM.

In Eucharistia mysterio duplex ratio, scilicet Sacramenti, & Sacrificij considerari potest, num. 1.

Eucharistiæ Sacramentum dupliciter ministrari potest, vel vt Viaticum, vel vt Eucharistia, ibidem.

Pœnitentiæ nomine quandonam veniat Viaticum, num. 2.

In Ecclesia Polluta licite ministrari potest Eucharistia per modum Viatici tantum, & non aliter, ibid. & num. 4.

Ratio, cur etiam non per modum Viatici Eucharistia in Ecclesia Polluta licite ministrari posse videatur, proponitur, n. 3. *& eidem respondetur, num.* 4.

Prædicta Viatici delatio, & ministratio semper cum solita Publicitate, & Solemnitate fieri licite potest, num. 5.

1 Aduerto 1. cum in Eucharistiæ mysterio considerari possit tum ratio Sacramenti, tum ratio Sacrificij, sermonem hic fore de Eucharistia, quà Sacramentum est, inferius enim agemus de Eucharistia, quà Sacrificium est, cum de Diuinis Officijs in Ecclesia Polluta non celebrandis specialiter loquemur: &, quia Eucharistia, quà Sacramentum, dupliciter ministrari, & recipi potest, vt communiter DD. aiunt, nimirum vel per modum Viatici ob probabile mortis periculum ex infirmitate, seu ex alia causa extrinseca, vel extra prædictum periculum, idcirco hic de vtroq. Eucharistiæ ministrandæ, seu recipiendæ modo agendum esse.

2 Aduerto 2. cum in *Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* generalis illa regula tradatur: *Vbicumque in Iure Pœnitentia morientibus non negatur, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi debet, vt nec ipsum discedentibus denegetur*, cui consonat *Cap.* 2. *de furt. & Can. Pœnitentes, dist.* 50. *cum Glossis ibid. & in Clem. Cum secundum, de Pœnit. & remiss.* hæc enim communio nulli pœnitenti in morte est neganda, ne sine eo, qui est Panis Vitæ *Io.* 6. Christianus moriatur, prout bene dixit *Turrecrem. in d. Can. Pœnitentes, num.* 5. quod etiam docuit *Suar. de Censur. disput.* 33. *sect.* 1. *§. de communi vsu Eucharistiæ, num.* 31. & rationem subdit dicens, *quia in illo articulo habent illa Sacramenta necessariam quandam coniunctionem*, & post eum *Filliuc. tr.* 18. *nu.* 39. *Sayr. de Censur. l.* 5. *c.* 6. *num.* 16. *Reginald. l.* 29. *num.* 73. *Franc. de Lugo de Sacram. p.* 1. *l.* 4. *c.* 9. *quæst.* 3. *num.* 17. & alij plures, cumque iam superius dixerimus in quolibet Interdicto, etiam locali speciali, & multo magis in Ecclesia Polluta Pœnitentiæ Sacramentum morientibus licite impendi posse, propterea sine dubio dicendum etiam esse, quod in quolibet quoque Interdicto, atque in Ecclesia ipsa Polluta Eucharistia per modum Viatici licite ministrari queat, vnde, si v. g. moriens in ea decumberet, vel si periculosam nauigationem, aut pugnam initurus ad Ecclesiam singulariter Interdictam, aut Pollutam accederet, & Eucharistiam peteret, licite ibi ea ministrari posset, quia etiam tunc daretur per modum Viatici, *respectu cuius*, inquit *Suar. l. c. num.* 21. *per se non est prohibitio, neq. interdictio*, ità etiam expresse *Alter. de Censur. tom.* 2. *de Interdict. disput.* 4. *c.* 4. *dub.* 1. *Megal. p.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *quæst.* 2. *num.* 51.

in fin. & Zam[illegible]n. in decis. cas. art. mort. c. 3. dub. 5. num. [illegible] idipsum autem specialiter licere in Ecclesia Polluta colligitur ex *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. num. 1. in fin.* & *Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 147.* Quare

3 Aduerto 3. difficultatem superesse tantum quo ad Eucharistiæ ministrationem, seu sumptionem extra casum prædictum, i. extra occasionem mortis. ratio autem pro affirmatiua parte esse potest, quia, si vere in *d. Cap. Quod in te*, sub Pœnitentia comprehenditur etiam Eucharistia, vt mox dicebamus, Eucharistia dari poterit in Ecclesia Polluta, etiam extra mortis periculum existentibus, cum ex alibi dictis Pœnitentia etiam sanis licite ibi ministrari possit. Sed nihilominus

4 Dico in Ecclesia Polluta Eucharistiæ Sacramentum non nisi per modum Viatici licite ministrari, vel suscipi posse. Ratio est, quia à generali prohibitione ministrandi ibi Sacramenta non excipitur absolute Eucharistię ministratio, sed tantummodo per modum Viatici, vt patet ex verbis ipsis *d. Cap. Quod in te*, vnde quælibet alia Eucharistię ministratio, præterquam per modum Viatici, prohibita adhuc remanet, & sic patet responsio ad rationem pro contraria parte *num. 3.* propositam, vt aperte docuit *Suar. d. disp. 33. de Censur. sect. 1. num. 31. & 32.* & ex prædictis clare constat.

5 Colligo prædictam Viatici delationem, & ministrationem (siue illud ex Ecclesia Polluta desumendum, siue ex alia in Pollutam Ecclesiam, vbi forte moriens Viatico roborandus decumberet, deferendum sit) semper fieri posse, & debere cum ea Publicitate, Solemnitate, & Pompa, nec non campanæ etiam ad conuocandum Populum pulsatione, quæ alias adhiberi consueuerunt, vt à fortiori patet ex superius dictis de Baptismo, & Confirmatione. Si enim illa solemniter ministrari tunc possunt, multo magis Eucharistia in prædicto casu, cui longe maior reuerentia debetur, quò totus ille ornatus, comitatus, & pompa spectant. ita colligitur ex *Cap. Sane, de celebrat. Miss.* & expresse tradunt communiter DD. *Syluest. V. Interdictum 5. num. 9.* vbi rationem subdit, *quia cum aliquid permittitur, nisi aliud appareat, permissum intelligitur, prout ius disponit, & obseruat vsus, Nauar. c. 27. nu. 179. Vgol. de Censur. tab. 5. c. 7. 9. num. 26. Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. nu. 28. Megal. p. 3. l. 6. c. 2. n. 27. Bassæus V. Interdictum 2. num. 5. Couar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 2. num. 7. Bonacin. de Censur. disp. 5. punct. 3. §. 2. num. 1. Sayr. Coninch. Laym. Aula, Alter. & alij cum Castropal. p. 6. disp. 5. punct. 4. §. 1. n. 10.*

CAPVT XXI.

An in Ecclesia Polluta aliquando Extremæ Vnctionis Sacramentum licite, & publice ministrari possit.

SVMMARIVM.

Ex Viatici concessione cap. præced. *asserta cur hic inferri nequeat concessio Extremæ Vnctionis, num. 1.*

Causæ, cur Viaticum, & non Extrema Vnctio à Iure cum Pœnitentia morientium concedatur, diuersæ à diuersis afferuntur, num. 2.

Casus ministrandæ Extremæ Vnctionis in Ecclesia Polluta quomodo contingere possit, numer. 3.

In Ecclesia Polluta Sacramentum Extremæ Vnctionis ex genere suo, & per se illicite; sed aliquando ex accidenti licite ministrari potest, & debet, num. 4.

Extrema Vnctio aliquando, idest quando Infirmus nullum aliud potest recipere Sacramentum, conferre primam Gratiam, & peccata mortalia delere potest, ibid.

Alexander Sc[a]ppius Episc. Placent. *laudatur, ibidem.*

In prædicto casu Extrema Vnctio ab Excommunicato quoque ministrari potest, ibid.

Extrema Vnctio, vt Pœnitentiæ quodammodo complementum, videri potest venire posse nomine Pœnitentiæ morientium, num. 5.

Cur tamen de facto ea non veniat nomine Pœnitentiæ morientium, num. 6.

Extremæ Vnctionis administratio, quando in Ecclesia Polluta licet, licet etiam cum omni sua solemnitate, & publicitate, num. 7.

Ecclesiæ Pollutio in fauorabilibus venit nomine Interdicti absolute prolati; non vero in odiosis, & pœnalibus, ibid.

1 ADuerto 1. ex eo, quod morientibus, vt *cap. praeced.* dictum est, concedatur Viaticum, quod est Sacramentum omnium excellentissimum, non bene deduci posse, quod etiam Extrema Vnctio, quæ est quid minus, à nobis in Ecclesia Polluta concedi debeat: illud enim, vt vidimus, aperte venit nomine Pœnitentię morientium; hęc autem nequaquam: ideoque illud cum prædicta Pœnitentia à generali Sacramentorum prohibitione, quæ in Ecclesia Polluta locum

habet, clare excipitur; hæc vero, cum ad maiorem Ecclesiasticæ Disciplinæ obseruantiam non excipiatur, in generali prædicta prohibitione adhuc remanet, vt patet ex *text. Cap. Non est vobis, de Sponsal. & Cap. Quod in te, de Pœnit. & remiss.*

2 Aduerto 2. causam, cur morientibus Viaticum, & non Extrema Vnctio, à Iure simul cum Pœnitentia Morientium concedatur, à diuersis diuersam assignari, *Abbas* enim *in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. num. 9.* eam affert, quod in administratione Eucharistiæ non conficitur Sacramentum, sed confectum distribuitur; secus autem fit in Extremæ Vnctionis ministratione. *Castropalaus p.6.disp.5.pun.4.§.1.num.16.* causam refundit in Præceptum Diuinum recipiendi Eucharistiam in articulo mortis, quod de recipienda Extrema Vnctione ordinarie DD. non agnoscunt. *Suarez vero de Censur.disp.33.sect.1.nu.38.in fin.* putat à Iure in hoc factam esse differentiam inter Extremæ Vnctionis Sacramentum, & Eucharistiam, quia hoc non est ita necessarium, sicut illa.

3 Aduerto 3. casum ministrandi Extremam Vnctionem in Ecclesia Polluta contingere posse eodem modo, quo superius vidimus ibi aliquando Viatici etiam ministrandi occasionem occurrere posse: videlicet, si ægrotus ibi in mortis periculo constituatur, &c. quibus habitis,

4 Dico in Ecclesia Polluta Extremæ Vnctionis Sacramentum ex genere suo, & per se illicite; sed aliquando per accidens licite ministrari posse, & debere. Prior conclusionis pars de illicita administratione loquens generatim patet ex iam dictis *cap. 7.* & ex mox allatis *num 1.* in specie autem traditur, loquendo expresse de Ecclesia Polluta, à *Villadieg. de Irregularit. c.5. num. 10. Sayr. de Censur. lib.5. c.16. num.30. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc.p.2.c.29.§.7. nu. 1.* & expressissime à *Pace Iordan. Elucubrat. tom.1.l.5.tit.12. num.137.& 139.* Secunda vero conclusionis pars, quæ licitam, & debitam aliquando ibi Sacramenti huius administrationem asserit, probatur, quia, cum Extrema Vnctio ex accidenti interdum primam gratiam conferre, & peccata etiam mortalia, non minus quam ipsum Pœnitentiæ Sacramentum delere possit, quando scilicet Infirmus nullum aliud potest recipere Sacramentum, prout docent *Bellarm. de Extrem. Vnct. cap.8. Suar. tom.4. in 3. p. disp. 41. sect. 1. num. 19. & 22. Sayr. in Thesaur. lib. 5. c. 7. num. 33. Augustin. in Breu. notit. de Extrem. Vnct. nu. 10. Sylu. in Supplem. q.32. conclus. 2. & 4. Sanc. in Select. disp. 27. nu. 36. Bassan. V. Extrema Vnctio, num. 3. versic. Aduerte. Marc. Ser. de Offic. & Potest. Paroch. disp.6. diffic. vnic. q. vlt. num. 1.* & alij communiter, quibus nouissime accessit etiam *Synodus Diœcesana Placentina secundo habita ab vndecumque doctissimo illo, & omnium calculis integerrimo Episcoporum Speculo Alexandro Scappio* (cuius Manes felicissime Deo viuant, prout eius memoria gloriosissime nobiscũ perennabit) *de Extrem. Vnct. §. Caueant Parochi.* satis probabile est tunc licite ministrari posse, & debere morienti (& maxime si tunc careret sensu) Extremam Vnctionem in quolibet Interdicto, & proinde etiam in Ecclesia ipsa Polluta tum ob maximam necessitatem talis Sacraméti in tali casu, ne forte Infirmus attritus damnetur, si non recipiat Extremam Vnctionem, cum qua ex attrito fieri potest contritus, tum etiam quia voluntas Ecclesiæ, quæ ibi Baptismum, Pœnitentiam, & morienti Eucharistiam, vt iam vidimus, ideo concedit, quia sunt necessaria necessitate finis, vel præcepti Diuini, in prædicto etiam casu præsumitur hoc ipsum concedere, quod Pœnitentiæ vicem habet, ne moribundum eum tanto salutis æternæ periculo tali Sacramento priuet, &, cum pia mater sit, *tunc omne præceptum in contrarium suspendere censetur*, vt expresse dixit *Cutillus in Addit. ad Mancini Practicam 9. visit. infirm. dub. 14.* fauent huic sententiæ *Coninch. tom. 2. disput. 20. num.31. concl.2. & 3. Suar. l.c. disp. 44. sect.1. nu.7. & Serio l.c. disp.1. diffic. vnic. q. 11. num. 12.* qui in tali casu Extremam Vnctionem etiam ab Excommunicato ministrari posse ob id concedunt; in terminis autem nostris huius Sacramenti administrationem esse in tali casu licitam, & debitam, non obstante quolibet loci Interdicto, apertissime docent *Henriq. l.3. summa c.10. nu.3. lit. F. Petrus de Ledesm. de Extrem. Vnct. cap. vlt. concl. 4.* fuse *Zambran. in decis. Cas. occurrent. in mort. artic. c. 5. dub. 7. à num. 5. ad 9. Trullench. in Bull. Cruc. l.1.§.3. dub.7. num.2. Chapeauill. de modo administrandi Sacram. tempore Pestis c.4. q.3. Dian. p.5. tr. 10. resol. 78. Laym. l.1. tr.5 par.4.c.2. num. 1. vers. de Sacramento, & Castropal. p. 6. disp.5. punct.4. §.1. num.20.*

5 Dices, Sacramentum Extremæ Vnctionis est consummatiuum Pœnitentiæ, vnde credibile est simul ambo fuisse instituta *ex Laym. l. 5. tr. 8. c. 1. num. 2.* quando Christus *Ioan. 20.* Apostolis dedit potestatem remittendi peccata: tria enim sunt Sacramenta *ex Dandin. Ethic. Sacror. lib. 49. c. 5. §. Vnctionis effectus*, quorum præcipuus effectus est remissio peccatorum: Baptismus requi-

tit

tit Originale, & in adultis etiam actualia; Pœnitentia actualia post Baptismum commissa, & Extrema Vnctio Peccatorum reliquias, ergo nomine Pœnitentiæ morientium venire potest etiam Extrema Vnctio, vel saltem vt complementum Pœnitentiæ, sicuti nomine Baptismi venit, vt dictum est, etiam Chrisma, vt Baptismi complementum.

6 Respondeo negando consequentiam, ratio enim allata solum infert non defuisse aliquam congruentiam, propter quam Legislator, si voluisset, potuisset à generali Sacramentorum prohibitione excipere sub nomine Pœnitentiæ Extremam Vnctionem; sed, quod hæc excepta fuerit, nec ratio, nec lex vlla euincit, ideoque adhuc tam in loco generaliter, quam particulariter Interdicto, vel Polluto prohibita remanet. Chrisma venit sub nomine Baptismi, quia præter congruentias, & rationes habetur expresse ex textibus Canonicis superius allatis, quod de Extrema Vnctione non apparet, nec proinde sub nomine Pœnitentiæ venire debet.

7 Colligo, quando Extremæ Vnctionis administratio per accidens modo prædicto in Ecclesia Polluta licet, licere etiam publice, & absque conditionibus in *Cap. Alma mater, de sent. Excommunic. in 6.* aut alibi præscriptis, quia nullibi, cum prædictæ conditiones præscribuntur, sermo est de Pollutione Ecclesiæ, quæ in fauorabilibus quidem venire potest nomine Interdicti absolute dicti, cum etiam ipsa sit quoddam improprium Interdictum, vt alibi dictum est; sed in odiosis, & pœnalibus nunquam venit Interdicti nomine, vt clarius etiam patebit ex dicendis *disput. sequenti* quod, cum ad multas difficultates facile dissoluendas faciat, diligenter animaduertendum est.

CAPVT XXII.

An in Ecclesia Polluta Sacramentum Ordinis licite aliquando, & publice ministrari possit.

SVMMARIVM.

Ordinis Sacramentum cur ordinarie in loco Interdicto, & in Ecclesia Polluta licite administrari nequeat, num. 1.

Neque Clerici ad Ordines, quibus careant, promoueri possunt contra Innocentium, *num. 2.*

Quinam sit casus necessitatis, in quo Ordinis Sacramentum in Loco Interdicto licite ministrari posse credatur, num. 3.

In Ecclesia Polluta aliquando Sacramentum Ordinis licite ministrari posse videtur, num. 4.

Prædictis casus quomodo vix possibilis, sed possibilis tamen censeri debeat, num. 5.

1 Aduerto 1. cum in loco Interdicto iuxta *Cap. Responso, de sent. Excommunic.* procedat generalis prohibitio, quod ibi nulla Sacramenta administrentur (hoc enim de generali loci Interdicto dictum in *d. Cap. Responso*, seruata proportione, in Interdicto quoque particulari loci seruandum est, vt ex alibi sæpius repetitis claret, & clarissime docuit *Suar. de Censur. disput. 33. sect. 1. num. 42.* & multo magis in Ecclesia Polluta, vt apertissime dixit *Iordan. Elucubrat. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 139. & 146.*) nisi in Iure specialiter excipiantur, & cum nullibi reperiatur excepta Ordinis administratio à d. generali Sacramentorum interdictione in loco Interdicto, vt cum communi DD. sententia expressissime testatur *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 11. num. 21.* propterea indubitatum esse, quod ordinarie Ordinis Sacramentum in loco vel generaliter, vel specialiter, vel à Iure, vel ab Homine Interdicto, ac proinde etiam in Ecclesia Polluta licite administrari nequeat, vt merito resoluit *d. Barbos. loc. cit. & num. 22.* cum Canonistis *in Cap. Non est vobis, de Sponsal.* & Theologis *in 4. dist. 18.* quos ibi videre est.

2 Aduerto 2. nullum hic locum esse Exceptioni illi, quam facere videtur *Innocentius in d. Cap. Non est vobis de Sponsal.* inter Laicos, & Clericos, dum dicit Clericos, non obstante Interdicto, ad ordines, quibus careant, promoueri posse; hæc enim exceptio nullo Iure fundatur, vt bene probat *Suarez l. c. num. 45.* vnde contraria sententia vera est, quam sequuntur *Abbas in d. Cap. Non est vobis, Paludan. in 4. dist. 18. quæst. 8. nu. 29. Couar. in Cap. Alma mater, p. 2. §. 3. nu. 4. Nauar. in Man. c. 27. num. 179. Bonac. de Censur. disput. 5. p. 3. §. 3. num. 3. Fernandez Exam. Theol. Moral. p. 2. c. 12. §. 1. num. 17. Possent. V. Interdictum num. 24. Laym. l. 1. Summæ, tr. 5. par. 4. c. 2. num. 1. Castropal. p. 6. disp. 5. pun. 4. §. 1. numer. 21.* & omnes Summistæ cum *Alter. de Censur. p. 2. disput. 3. c. 6. dub. 2.*

3 Aduerto 3. aliam ab aliis hic exceptionem adduci, nempe in casu necessitatis, si v. g. tanta sit ministrorum penuria, vt administranda

stranda tempore necessitatis ea Sacramenta, quæ tempore Interdicti permittuntur, tunc proinde adesse videatur Prudentum arbitrio necessitas ordinandi alios Ministros ad id necessarios: tunc enim, aiunt, licitum esset conferre Ordines in loco Interdicto, si non esset alius locus commodus non Interdictus, in quo, tunc Ordines conferri possent. Sicuti enim ex *Cap. Quoniam, de sent. Excomm. in 6.* concessa censetur Chrismatis confectio tempore Interdicti, quia tempore Interdicti conceditur Baptismi, & Confirmationis receptio, & ministratio, sine Chrismate vero prædicta Sacramenta nec ministrari, nec recipi possunt, ita etiam tunc concessa censeri debet ordinatio eorum ministrorum, qui ad necessariam Sacramentorum tunc concessorum ministrationem necessarij sunt, & sine quibus prædicta Sacramentorum administrandorum concessio inutilis esset, cum absque ministris ordinatis, vt maxime patet in Ministris Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, Sacramenta confici non possint. licet autem hanc exceptionem licere neget *Sylvest. V. Interdictum 5. quæst. 7.* & in idem inclinent *Couar. l. c. & Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 7. §. 2. nu. 2.* eo quod ob hanc necessitatem nullibi in Iure huius Sacramenti ministratio concessa reperiatur, & nimia Clericorum abundantia videatur; affirmant tamen *Abbas l. c. num. 8. in fin. Henriq. l. 13. c. 45. num. 4. Sayr. de Censur. l. 5. c. 7. num. 38. Villadieg. de Irregularit. c. 5. num. 3. Auil. de Censur. p. 5. disput. 4. sect. 1. dub. 8. conclus. 2. Rodriq. qq. Regular. tom. 2. quæst. 109. art. 1. Viuald. in Candelabr. de Interd. num. 211. Bonacin. de Censur. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 3. Castropal. l. c. num. 23. Barbos. ibid. num. 24. & Bassæus in Flor. Theol. V. Interdictum 2. num. 9.* cum quibus, & ob easdem rationes

4 Dico in Ecclesia Polluta Sacramentum Ordinis licite aliquando, & publice ministrari posse, si prædictus necessitatis casus vere aliquando detur, quem aliqui omnino impossibilem dicunt, vnde

5 Colligo prædictæ necessitatis casum vix possibilem videri, & vix vnquam futurum in Ecclesia Polluta, quia vel poterit Episcopus ordinandos aliò mittere, vel iam ordinatos aliunde habere, vel aliò ipse ordinaturus accedere, vel in loco non sacro tunc electo celebrare, vt sacros Ordines ibidem conferre valeat, vel etiam Pollutam Ecclesiam prius reconciliare, & tunc cessaret prædicta necessitas ministrandi Sacramentum Ordinis in Ecclesia Polluta; non videri tamen impossibilem, quia, si prædicta commode fieri non possent, & Sacerdotum penuria tanta esset, vt Fidelium Saluti consuli requiret, casus prædictus de possibili fieret de facto.

CAPVT XXIII.

An in Ecclesia Polluta Matrimonij Sacramentum licite, & publice ministrari possit.

SVMMARIVM.

In Matrimonio considerari possunt, Primo Sponsalia, & Denunciationes, Secundo Matrimonij Contractus, & Sacramentum, & Tertio Benedictiones Nuptiales, num. 1.

Sponsalia, & Denunciationes licite in Ecclesia etiam Polluta fieri possunt, num. 2.

Benedictiones Nuptiales cur vere nequaquam in Ecclesia Polluta liceant; licet aliqui contra senserint. ibid.

Matrimonium secundum multos illicite contrahitur; secundum vero communem sententiam licite contrahitur tempore Interdicto, et etiā in Ecclesia specialiter Interdicta, num. 3.

In Ecclesia Polluta valide, licite, & publice Matrimonium ministrari potest, num. 4.

Per Interdicti Prohibitionem prohibentur ea tantum Sacramenta, quæ pure Sacramenta, & Ecclesiæ administrationi commissa sunt, quale non est Matrimonium, num. 5.

Prædicta conclusio quomodo recte probetur ex Cap. Capellanus, de ferijs, *num. 6.*

1 ADuerto 1. cum *Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. num. 46. & Alter. eod. tit. p. 2. disp. 3. c. 7.* in Matrimonio tria considerari posse, Primo ea, quæ Matrimonij substantiam præcedere solent, qualia sunt Sponsalia, & Denunciationes, Secundo ipsammet substantiam Matrimonij, i. contractum per verba de præsenti, Tertio autem Ecclesiasticas Solemnitates, & Sacerdotalem Benedictionem, quæ Matrimonij substantiam subsequuntur, de quibus omnibus singulatim hic dicendum est.

2 Aduerto 2. sicuti, quo ad Sponsalia, & Matrimonij denunciationes indubitatum omnino est, quod in Ecclesia Polluta licite fieri possint: illa enim neque Sacramentum, neque Diuinum Officium sunt, ac proinde non sunt inter ea, quæ per Pollutionis Ecclesiasticæ Interdictionem prohibentur, vt de Sponsalibus *Suarez l. c.* & de Denunciationibus

bus *Sanch. de Matr. l.7. disp.8. num. 7.* apertissime dixerunt, quorum vltimus propterea bene infert, quod, etiamsi ibi illicite Sacrum celebraretur; tamen in eo Denunciationes licite fierent: ita etiam e contrario indubitatum esse, quod Benedictiones Nuptiales in Ecclesia Polluta licite fieri nequeant, quia sunt Officium Diuinum, & ad actum Ordinis pertinent, cum solus Sacerdos, in Missarum tantum solemnijs, & precibus ad id ab Ecclesia peculiariter institutis, eas impendere possit, vt cum eodem *Sanch. ibidem num.* 10. tradunt innumeri DD. quicquid in contrarium dixerint aliqui apud *eundem numer. 9.* quorum argumenta bene soluuntur *ibidem num.* 20.

3 Aduerto 3. proinde quæstionem hanc omnem ad solam Matrimonij substantiam, i. ad illius contractum, & Sacramentum tantum reduci, in qua valde discordes sunt Auctores, & hinc inde acriter pugnatur, cum pro vtraque sententia tàm affirmante, quàm negante multi multa dicant, vt videre est ex vna parte apud *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 8. §. 3. num. 1. & c. 10. §. 1. num. 1. Suar. de Censur. disp. 33. sect. 1. nu. 51. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 7. n. 43. Bonac. de Censur. disp. 5. punc. 2. §. 3. nu. 8. Filliuc. tr. 18. c. 2. nu. 5. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 32. num. 197. & 200. Regnald. l. 32. c. 3. num. 28. Pont. de Matrim. l. 6. c. 9. Portel. V. Interdictum num. 19. Fabr. de Censur. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 5. c. 2. num 32. Præposit. in 3. p. q. 4. de Interd. dub. 3. num. 23. Cornejo in 3. p. tr. 5. de Interdic. §. 1. dub. 7. Serio de Offic. & Potest. Paroch. disput. 7. diffic. vnic. q. 7.* & alios, qui dicunt, cum Matrimonium sit vere, & proprie Sacramentum, & nullibi in Iure excipiatur, propterea comprehendi in prædicta illa generali prohibitione ministrandi Sacramenta in loco Interdicto, vnde iuxta prædictos consequenter etiam illicitum esset ea ministrare in Ecclesia Polluta. ex alia vero parte apud *Innocent. in Cap. Nō est vobis, de Sponsal. Abb. ibid. num.* 8. vbi etiam de communi DD. sententia testatur. *Angel. V. Interdictum 6. num. 30. Syluest. V. Interdictum 5. num. 9. vers. Quinta exceptio. Armil. V. Interdictum num. 53. Tabien. V. Interdictum 5. nu. 24. Gaet. Repet. Can. Ad limina, 30. q. 1. nu. 547. Henriq. l. 13. c. 45. num. 3. Philiarch. de offic. Sacerd. p. 1. l. 4. c. 3. §. vlt. Nauar. in Man. c. 27. num. 179. Sanch. de Matrim. l. 7. disp. 8. num. 6. Steph. à S. Greg. de Diuin. piet. vinc. l. 3. c. 111. num. 6. Zambran. in decis. cas. art. mort. c. 5. dub. 7. nu. 3. Ricc. in Prax. p. 4. resol. 567. Antonel. de Regim. Eccles. Episc. l. 2. c. vlt. nu. 9. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 1. Hurtad. de Interd. diffic. 8. Coninch. disp. 17. dub. 2. num. 48. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 267. & par. 5. tr. 10. resol. 81. Villalob. tom. 1. tr. 19. diffic. 3. num. 15. Castropal. p. 6. disp. 5. pun. 4. §. 1. nu. 23. Auil. p. 5. de Censur. disp. 4. sect. 1. dub. 6. Tolet. l. 1. c. 20. num. 9. Sà in Aphor. V. Interdictum num. 17. Rodriq. qq. Regul. tom. 2. qu. 109. art. 3. Alter. de Censur. tom. 2. disp. 4. c. 7. P. Ledesm. de Matrim. q. 50. art. 1. conclus. 4. Auers. de Matrim. q. 20. section. 2. in fin.* & alios, ex quibus nō solum generaliter tempore Interdicti habetur licite Matrimonium contrahi posse; sed etiam in Ecclesia specialiter Interdicta; omnia enim Sacramenta tempore Interdicti permissa, licite etiam in Ecclesia specialiter Interdicta ministrari possunt, cum nulla reperiatur prohibitio, eaq. Sacramenta ab omni Interdicto exempta sint; vt expresse tradunt *Henriq. Nauar. Couar. & Sanch. ll. cc.* idemque sentit *Ant. Gomez in Bull. Cruciat. ad 5. & 6. clausulam num.* 38. & 39. vbi pro eadem sententia citat etiam *Calderin. de Interdict. membr. 2. col. 1.* & si honestum esse eorum aliqui dicant, vt ea alibi celebrentur, si commode id fieri possit. quare consequenter ad hanc secundam, & communem DD. sententiam.

4 Dico in Ecclesia Polluta non solum valide, sed etiam licite, ac publice Matrimonij Sacramentum ministrari posse. Ratio autem est, quia, si id licet ex prædictis in Ecclesia specialiter Interdicta, multo magis id licere debet in Ecclesia Polluta, vt alibi dixi, & bene intulit *Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num.* 146. de Baptismo, & consequenter de alijs quoque Sacramentis ab Interdicti prohibitione liberis, cum eadem in omnibus militet ratio. vnde ad rationem pro prima sententia allatam *num.* 3.

5 Respondeo non inueniri in Iure exceptum ab Interdicti prohibitione Matrimonium, quia neque in Iure inuenitur vlla Interdicti prohibitio, quæ Matrimonium comprehendat, cum ea sola Sacramenta in Interdicti prohibitione contineri censeantur, quæ pure Sacramenta, & omnino Spiritualia, ac Ecclesiæ administrationi commissa sunt, inter quæ non est Matrimonium, quod propriè ab ipsis contrahentibus administratur, ac recipitur, & præcipue Contractus humanus, ac politicus est, cui ratio Sacramenti ex Christi institutione annectitur, tamquam quid accessorium, ita vt proinde sequatur naturam principalis, &, cum Interdicti tempore contractus humani non prohibeantur, non prohibitum haberi debeat.

6 Colligo cum *Megal. p. 3. Instit. Confess. l. 6. c. 2. num. 31.* prædicta recte probari, quicquid

quid alij sentiant, ex *Cap. Capellanus, de Ferijs*, vbi dicitur eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, vt Matrimonium quocumq. tempore contrahatur, si enim illud quocumque tempore licite contrahitur ergo etiam tempore Interdicti, & in quocumque loco Interdicto, cum in Iure valeat argumentum à tempore ad locum per *tex. in L. Vinum, & ibi Bart. & DD. ff. si certum petat.* & per *text. in L. fin. & ibi Bart. ff. de condit. triticar.* vt tradit *Euerard. in Loc. legal. in arg. à tempore ad locum*, & cum assignari non possit diuersitatis ratio ad hoc, vt hoc argumentum non valeat iuxta tradita ab eodem *Euerard. ibidem num.* 2. sicut enim ex *d. Cap. Capellanus* iam constat licite, & valide celebrari Matrimonium, licet celebretur tempore ab Ecclesia interdicto, cum tali tempore solummodo prohibita sit solemnitas nuptiarum ex eodem *Megal.* 2. 2. *l.* 2. *c.* 6. *num.* 257. ita pari modo licite, & valide celebratur in omni loco, & solummodo solemnitas nuptiarum in loco Interdicto prohibita est.

CAPVT XXIV.

An in Ecclesia Polluta Missæ Sacrificium à Iure sit omnino prohibitum.

SVMMARIVM.

Missæ Sacrificium inter Diuina Officia primum, ac præcipuum locum tenet, num. 1.

Concesso Viatico, concessum etiam videri potest aliquando Missæ Sacrificium, num. 2.

In Interdicto loci tàm speciali, quàm generali, cur, & quandonam semel, & pluries, si opus sit, celebrare liceat, num. 3.

In Ecclesia Polluta, in qua Eucharistia ad Infirmorum Viaticum alias seruari soleat, semel in hebdomada, & pluries etiam, si ad prædictum finem opus sit, Missæ Sacrificium à Iure non prohibetur, num. 4.

Multominus à Iure prohibitum est Eucharistiæ Sacramentum intra Ecclesiam Pollutam retinere, & custodire more solito, num. 5.

1 ADuerto 1. quia primum, ac præcipuum locum inter Diuina Officia Missæ Sacrificium tenet, ideirco dubium non esse, quin in Ecclesia Polluta (vbi Diuina Officia vsque ad Reconciliationem interdicta esse, diximus *Disput. præsent. c.* 1.) expresse, ac præcipue interdictum sit; sed solummodo dubitari iam posse, an à Iure illud omnino interdictum sit, ita vt neque ad renouandum, & conseruandum Eucharistiæ Sacramentum pro Infirmorum, & periclitantium Viatico Missæ Sacrificium in ea celebrare liceat. Ratio autem dubitandi est, quia

2 Aduerto 2. concessa, vt iam vidimus, Viatici administratione, concessum etiam consequenter Missæ Sacrificium videri, vt congruenti tempore renouari ad id Eucharistia in eo possit: hoc enim ad debitam Sacramenti reuerentiam, & necessariam illius conseruationem spectat, quod non nisi in Missæ Sacrificio licite conficitur: vnde, saltem ad prædictum finem, in Ecclesia Polluta, si in ea Eucharistiæ Sacramentum asseruari soleat, Missæ Sacrificium à Iure non omnino prohibitum, sed aliquando permissum, & necessarium censeri potest, vt per se patet.

3 Aduerto 3. propterea in *Cap. Permittimus, de sent. Excommun.* licitum decerni, vt in Interdicto non solum generali, sed etiam speciali loci (vt bene docuit *Nauar. c.* 27. *n.* 173. cum communi sententia, ibi enim absolute dicitur *tempore Interdicti*, & concessionis ratio id exigit) semel in Hebdomada celebretur ad Eucharistiam renouandam pro infirmis, immo pluries in eadem Hebdomada, si opus fuerit, v. g. si Infirmorum necessitas vrgeat, nec Formulæ in illa Missa consecratæ sufficiant, & in tali Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum ad prædictum finem conseruari soleat, vel debeat; sicuti docent præter *Nauar. l. c. Sayr. in Thesaur. l.* 5. *c.* 5. *num.* 6. *Suar. de Censur. disp.* 34. *sect.* 3. *ad fin. Aul. eod. tit. p.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 1. *versic. Secundo notandum. Rodriq. in Addit. ad Bullam Cruciat. §.* 5. *n.* 29. *Megal. Instit. Confess. p.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *num.* 51. *Castropal. p.* 6. *disp.* 5. *pun.* 4. *§.* 2. *num.* 10. *vers. Vnde in Interdicto, in fin.* & alij, quorum doctrinæ cohærenter etiam procedendo

4 Dico in Ecclesia Polluta, si in ea Eucharistiæ Sacramentum pro Infirmorum Viatico asseruari alias soleat, vel debeat, Missæ Sacrificium à Iure non ita prohibitum esse, vt pro prædicti Sacramenti renouatione, & conseruatione ad prædictum effectum ibi semel in hebdomada, & pluries etiam, si necessitas postulauerit, licite celebrari non possit. Patet hæc conclusio à fortioti ex ijsdem rationibus, propter quas in Ecclesia etiam singulariter interdicta idipsum licere docent prædicti DD. vt rem omnem bene perpendenti omnino constabit. in terminis autem nostris de Ecclesiæ Pollutione traditur ab *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p.* 2. *c.* 29. *§.* 7. *num.* 1. *in fin.*

fin.& à Iordan. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 12. nu. 147. & in hoc illud idem dicendum puto, quod de quibusdam Sacramentis ab omni localis Interdicti prohibitione exemptis, & de quibusdã Diuinis Officijs ad debitam talium Sacramentorum administrationem necessarijs superius dictum est.

5 Colligo intra Ecclesias prædictas Pollutas multo minus à Iure prohibitum esse Eucharistiam retinere, vel custodire more solito, vt inde, cum opus fuerit, Infirmorum Viaticum desumi possit, prout apertissime dixit *Iordan. l. c.*

CAPVT XXV.

An in Ecclesia Polluta Missæ Sacrificium, quando à Iure in ea prohibitum non est, publice, ac solemniter celebrare per se liceat.

SVMMARIVM.

Conditiones seruandæ in Interdicto locali tam generali, quàm speciali, dum Diuina Officia ibi à Iure permittuntur, quænam sint, num. 1.

Solemnis Missæ celebratio quænam hic dicatur, num. 2.

Conditiones prædictæ, quæ seruandæ sunt in Interdicto, cur etiam seruandæ videantur in Ecclesia Pollutione, num. 3.

In Ecclesia Polluta Missæ Sacrificium, quando à Iure in ea prohibitum non est, publice celebrare per se licet, num. 4.

Cur Conditiones prædictæ in Interdicto propriè sumpto à Iure præscriptæ fuerint; non autem in Ecclesia Polluta, ibid.

Solemnis Missæ celebratio nunquam licet in Ecclesia Polluta, num. 5.

Euangelium, vel Epistolam solemniter in Missa cantare est inter Diuina Officia, ibidem, remiss.

An, & quomodo ex Cap. Permittimus, de sent. Excommunic. *inferatur permitti etiam aliquando in Ecclesia Polluta Missæ sacrificiũ. num. 6. & 7.*

Ad Missam in Ecclesia Polluta aliquando permissam conuenire, licet licitum per se sit, per accidens tamen illicitum esse potest, num. 8.

1 ADuerto 1. cum permissio celebrandi Missam tàm in generali loci Interdicto per *Cap. Alma Mater, de sentent. Excommunic. in 6.* quàm in Ecclesiæ particulariter Interdicta per *Cap. Permittimus, de sent. Excommunic.* semper adiunctas habeat quatuor illas conditiones in prædicta Missæ celebratione seruandas, videlicet, 1. Non pulsatis cãpanis, 2. Submissa voce, 3. Ianuis clausis, & 4. Excommunicatis, & Interdictis exclusis, propterea hic etiam dubium esse posse, num eædem quoque conditiones in celebratione Missæ, quam in Ecclesia Polluta *Cap. praeced.* aliquando à Iure non prohibitam diximus, seruandæ sint.

2 Aduerto 2. per Missam solemniter celebratam hic eam accipi, quam Sacerdos cum assistentia Diaconi & Subdiaconi solemniter in officio suo ministrantium celebrat.

3 Aduerto 3. difficultatem cõtra prædictam Missæ non solum solemnem, sed etiam publicam celebrationem inde etiã crescere, quod, quamquam Missæ celebratio ad prædictum Sanctissimi Viatici conseruationem aliquando necessaria est; nihilominus ad id necessaria non sit prædictæ celebrationis publicitas, & multo minus solemnitas prædicta, ideoq; prædictæ conditiones *in d. Cap. Permittimus* præscriptæ seruandæ videantur.

4 Dico 1. probabile mihi esse, quod in Ecclesia Polluta Missæ Sacrificium, quando à Iure in ea prohibitum non est, publice celebrare per se liceat. Probatur Primo, quia in d. *Cap. Permittimus* sermo est de Interdicto propriè sumpto, quale non est Ecclesiæ Pollutio ex sæpius superius repetitis, vnde in restrictiuis huiusmodi ab vno ad aliud arguere non licet. Secundo, quia DD. qui Missæ celebrationem nominatim in Ecclesia Polluta aliquando ad prædictum finem licitam esse docent, nullam prædictarum conditionum in *d. Cap. Permittimus* expressarum, nec ipsius *Cap. Permittimus* mentionem faciunt, vt videre est apud *Vgolinum*, & *Iordanum*, quos *praeced. cap.* retulimus. Tertio, quia, si in sententia multorum, vt *cap. sequent.* videbimus, in Ecclesia Polluta ex Episcopi licentia celebrare licet, vt Fideles aliquando Sacrum audire possint; cur, quando Sacrum ibidem à Iure permittitur, vt *cap. praecod.* diximus, Fideles ab eo arcendi erunt? Disparitas autem, cur in Interdicto proprio prædictæ conditiones à Iure præscriptæ fuerint; non autem in Ecclesiæ Pollutione, ea esse potest, quod Interdictum propriè in pœnam ponitur; Ecclesiæ vero Pollutio non propriè in pœnam, sed in significationem turpitudinis, & maculæ Loci sacri sanctificationi quodammodo inustæ, propter quam, vt ita dicam, inhabilis postea factus

factus videtur ad Diuina, vt alibi dictum est.

5 Dico 2. nec prædictam Missæ celebrationem, quæ à Iure aliquando permissa est in Ecclesia Polluta, nec aliam vnquam solemniter ibi fieri posse, prout *num.* 2. explicuimus. Ratio autem est, quia prædicta solemnitas Diaconi, & Subdiaconi ibi assistentium, & Euangelium, ac Epistolam ex Officio suo cantantium non est necessaria ad Missæ Sacrificium tunc necessarium, & ex alia parte est inter Diuina Officia, vt inferius videbimus, quæ ex generali regula superius tradita generaliter ibi prohibentur.

6 Dices, DD. prædictam Missæ celebrationem in Ecclesia Polluta licere colligunt ex *d. Cap. Permittimus*, ergo ea etiam non nisi cum conditionibus in eo expressis licebit.

7 Respondeo dupliciter: Primo DD. potuisse ex *d. Cap. Permittimus* colligere, quod Missæ celebratio ad eundem ipsum finem, ad quem ibi permittitur, permitti etiam debeat in Ecclesia Polluta; nec tamen debuisse inferre, quod ea eodem modo tam in Ecclesia proprie Interdicta, quàm in Ecclesia Polluta, & improprie tantum Interdicta fieri debeat, vt ex prædictis erui potest: Secundo negando, quod DD. ex *d. Cap. Permittimus* prædictam Missæ celebrationem ad prædictum finem in Ecclesia Polluta aliquando licere deduxerint, id enim proprie, & vere etiam in Interdicto ipso proprio, non tam conceditur in *d. Cap. Permittimus*, cum nunquam, saltem quo ad prædictum finem, à Iure prohibitum fuerit, vt *cap. praeced. num.* 2. & 3. innuimus, & indicat *Suar. de Censur. disp* 34. *sect.* 1. *num.* 2. quam permissum declaratur. vnde potius crediderim id ab ijs erutum ex eo, quod, cum Viaticum nunquam sit morientibus denegandum, & ad id semper Eucharistia in Ecclesia conseruanda sit, ex intrinseca, & necessaria connexione cõsequens est, vt ad Eucharistiam renouandam Missæ quoque Sacrificium aliquando ibidem celebretur, & proinde à Iure non omnino prohiberi debuerit, vel potuerit: concesso enim principali, conceduntur etiam ad illud necessaria, prout de Baptismi, & Confirmationis Sacramentis, nec non de necessarijs ad illa iam alibi diximus.

8 Colligo ad prædictam Missæ ex 1. conclusione aliquando in Ecclesia Polluta à Iure nõ prohibitæ celebrationem per se licite omnes palam conuenire posse; nec id ex genere suo absurdum esse. Dixi tamen semper *per se*, quia *per accidens* aliquando, si videlicet vel contemptus Ecclesiasticæ prohibitionis, vel scandalum, vel quid simile adesset, secus esset.

CAPVT XXVI.

An in Ecclesia Polluta licite (seclusa etiam necessitate renouãdi Eucharistiam pro Infirmis) Missæ Sacrificium vel aliquando quis celebrare, vel Episcopus id concedere valeat.

SVMMARIVM.

Episcopus ex multorum sententia potest concedere, vt in casu grauis necessitatis in Ecclesia Polluta Missæ sacrificium celebretur, num. 1.

In Ecclesia Polluta aliquando etiam Missa celebrari potest absque Episcopi licentia iuxta aliquorum sententiam, num. 2.

Quanam hic dicenda sit grauis necessitas in ordine ad prædictam celebrationem, num. 3.

Tutius est concedere Missæ celebrationem in casu prædictæ necessitatis extra locum Sacrum, quam in loco Sacro Polluto, num. 4.

Canon. Missarum, & Hic ergo, de Consecrat. dist. 1. *cur non bene probent contrariam sententiam, & quomodo intelligendi sint, num.* 5.

1 ADuerto 1. vt ab hoc vltimo initium sumamus, quod iam *Cap.* 5. *huiusce Disput. num.* 5. *in fin.* promissum fuit, Episcopum iuxta multorum sententiam, quos statim afferemus, in casu vrgentis necessitatis concedere posse, vt in Ecclesia Polluta, antequam Reconcilietur, Missa licite celebretur. Sicuti enim Episcopus aliquando potest dare licentiam celebrandi in loco non sacro, ita etiam in loco sacro Polluto. Præterea, cum Triburiense Concilium relatum in *Can. Missarum, de Consecrat. dist.* 1. absolute dicat Missas celebrari posse, *Vbi Episcopus permiserit*, eunique *Clemens Papa epist.* 3. relatus in *Can. Hic ergo, de Consecrat. dist.* 1. idipsum generaliter affirmet, *Vbi*, inquiens, *Episcopus proprius iusserit*, propterea sub hac generali regula comprehendi videtur etiam Ecclesia Polluta, si Episcopus in ea celebrari iusserit, vel permiserit. ita expresse, ac in terminis hisce nostris docet *D. Th. p.* 3. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. *in fin. Victor. q.* 99. *de Euchar. in fin. Sot. in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *argum.* 2. *dict.* 4. *§. Ait verò. Rodriq. in Sum. p.* 1. *c.* 154. *conclus.* 14. *num.* 5.

Sayr.

Sayr. de Censur. l. 5. c. 16. num. 29. Tolet. in Sum. l. 2. c. 2. num. 2. in fin. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. §. His positis. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dubit. 3. conclus. 2. Reginald. in Prax. l. 29. nu. 179. Fagund. de 1. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. n. 2. Perfic. de 1. Sacerd. offic. par. 1. l. 1. c. 7. dub. 12. num. 106. Mirand. in Man. Prælat. tom. 2. q. 39. artic. 6. in fin. Sà V. Ecclesia num. 19. & 23. Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 2. V. Sacrilegium, c. 5. §. An autem. Vittorell. ad Tolet. l. 5. c. 8. addit. vlt. Th. del Bene, de Immunit. & Iurisdict. Eccles. p. 1. c. 2. dub. 2. sect. 10. num. 21. Cassin. in Mystag. V. Ecclesia, tit. 7. num. 22. Fernand. in exam. Th. Moral. p. 3. c. 5. §. 10. nu. 3. Mazuchel. de Casib. Reseru. disp. 2. c. 6. diffic. 3. num. 68. in fin. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 2. num 63. Franc. de Lugo de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 6. num. 42. Bonacin. de Matrim. q. 4. punct. vlt. nu. 27. Antonel. de Regim. Eccles. Episc. p. 1. l. 1. c. 16. §. 2. num. 16. Alar. in Canon. Conscient. l. 2. V. Ecclesia, num. 18. Alter. de Interd. disp. 3. c. 2. versic. Sed non caret. Steph. à S. Gregor. de Diuin. piet. vinc. l. 3. c. 31. num. 13. Filliuc. tr. 5. c. 4. num. 117. & alij passim. immo

2 Aduerto 2. tantam, ex aliquorum sententia, esse posse ibidem celebrandi necessitatē, & tam difficilem aditum ad Episcopum, & ad eius Vicarium, vt etiam sine ipsorum licentia celebrari possit in Ecclesia Polluta, eò quòd Ecclesiasticum Pollutionis prædictæ obseruandæ præceptum nequaquam tunc videatur cum tanto rigore obligare, ita Suarez, Fagundez, Reginald. Rodriquez, Th. del Bene, & Cardin. de Lugo ll. cc. Auersa de Euchar. q. 11. sect. 14. §. Decimo tandem, & Perficus vbi supra, nu. 168. vbi hanc sententiam valde probabilem, & in praxi etiam tutam appellat. Hinc

3 Aduerto 3. quænam sit grauis necessitas, sine qua non liceat in Ecclesia Polluta ante Reconciliationem celebrare, cum in hoc non extet expressa Iuris determinatio, iudicis arbitrio relinqui, vt bene docuit Naldus in Sum. V. Ecclesia, num. 26. Exemplum ponit Petrus à S. Ioseph in Idea Vniuersæ Theol. p. 2. de Missæ sacrificio, cap. 6. resolut. 2. si Moniales v. g. alias non essent audituræ Sacrum die Paschatis: alij autem apud Franc. de Lugo l. c. vniuersaliter dicunt, si populus non habeat aliam Ecclesiam, in qua possit die Festo Missam audire. Verum

4 Dico extra casum necessitatis praced. capite explicatæ, attento Iure communi, facilius, & tutius mihi videri, quod Episcopus concedat, vt tunc in loco non sacro celebretur, vel in Priuatis Oratorijs, aut alijs locis ad Diuina destinatis, quam in loco Sacro Polluto. ita Barbos. de offic. & Potest. Episc. Allegat. 28. nu. 65. Ganant. in Manual. Episc. V. Ecclesiæ Reconciliatio, num. 9. & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 152.

5 Colligo contrariam sententiam non benè ex prædictis Canonibus probatam videri, vt bene aduertit Henriq. in Summa l. 13. c. 51. §. 5. lit. H. cum Canones illi intelligendi sint de loco quocumque habili; non autem de quocumque positiue etiam, quodammodo inhabili, qualis est locus Sacer, sed Pollutus, ante Reconciliationem.

CAPVT XXVII.

An inchoatum Missæ Sacrificium, aut aliud Diuinum Officium, si interim Ecclesia Polluatur, licite perfici possit, aut etiam debeat.

SVMMARIVM.

Fundamentum propositæ difficultatis exponitur, num. 1.

Eadem difficultas militat etiam, quando Excommunicatus denunciatus, dum Missa celebratur, Ecclesiam ingreditur, & exire non vult, num. 2.

Missæ Sacrificium dupliciter inchoatum dici potest, vel Substantialiter, vel Non Substantialiter, & quid vtrumque sit, num. 3.

Si Ecclesia polluatur, quando Missæ Sacrificium substantialiter inchoatum est, licite perfici potest, immò debet, num. 4.

Si Missæ Sacrificium non substantialiter inchoatū sit, & interim Ecclesia Polluatur, licite perfici nequit, & à celebratione cessandum, ibidem.

Idipsum fieri debet etiam in casu, quem num. 2. exposuimus, nimirum in aduentu Excommunicati, & c. ibid.

Alia Diuina Officia in proposito casu semper abrumpenda fuere, nec vlterius in eorum celebratione procedendum, num. 5.

1 Aduerto 1. difficultatem inde esse, quod ex vna parte Sacrificij, aut alterius Diuini Officij iam inchoati integritas tunc videtur in primis attendenda; ex alia vero parte Pollutionis Ecclesiasticæ effectus tunc videntur ex graui ipsiusmet Ecclesiæ præcepto seruandi. immo

2 Aduerto 2. hanc eandem difficultatem

tunc etiam insurgere, & proinde tunc quoque ab Auctoribus agitari, quando in Ecclesiam, inchoato iam Missæ sacrificio, ingreditur Excommunicatus denunciatus, & inde exire nō vult: quandoquidem tunc etiam pro vna parte stat Sacrificij iam inchoati integritas, & pro alia Ecclesiæ prohibitio, ne coram Excommunicato denunciato celebretur. Sed

3 Aduerto 3. Missæ Sacrificium dupliciter dici posse inchoatum, Substantialiter, & Non substantialiter: Substantialiter inchoatum dicitur, quando Missæ Canon inchoatus est, cum tunc Hostia parata iam sit ad Consecrationem: Non substantialiter inchoatum dicitur, quando Missa inchoata est, sed non illius Canon. Quare

4 Dico, si Missæ Sacrificium substantialiter sit inchoatum, licet interim Ecclesia polluatur; nihilominus illud licite perfici posse, immo debere: quia non decet illud imperfectum relinqui: Si vero inchoatum non substantialiter sit, nequaquam illud licite perfici posse, sed ab incepto desistendum, cum enim tunc Sacrificium non sit substantialiter inchoatum, omitti potest, & debet, prout etiam fieri debet coram Excommunicato denunciato, quando ab Ecclesia exire nollet, ita in terminis nostris de Ecclesiæ Pollutione *Graff. decis. aur. p. 1. l. 2. c. 42. num. 11. Zanard. in Director. de Sacram. Euchar. c. 14. in fin. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. in fin. Reginald. in Prax. l. 29. nu. 179. Fagund. de 1. Eccles. praecep. l. 3. c. 14. nu. 7. Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 12. nu. 113. Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. nu. 3. Cassin. tit. 7. nu. 52. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 28. num. 63. Steph. à S. Gregor. de Diuin. piet. vincul. l. 3. c. 31. num. 25. Alter. de Censur. tom. 2. disput. 3. c. 3. in fin. Th. del Bene de Immunit. & Iurisdict. Eccles. p. 1. c. 2. dub. 2. sect. 12. nu. 1. 2. & 3. Coninch. q. 83. art. 2. dub. 1. num. 236. Marchel. de cas. reseru. disp. 2. c. 6. diffic. 2. num. 83. & Layman in Sum. l. 5. tr. 5. c. 5. num. 13.*

5 Colligo cum *Vgolin. l. c.* quo ad alia Diuina Officia, si Ecclesia polluatur, dum ea celebrantur, semper tunc ab eorum celebratione cessandum, nec vlterius procedendum esse, quocumque tempore fiant, ex quo graue damnum non imminet.

CAPVT XXVIII.

An in Ecclesia Polluta omnis omnium Diuinorum Officiorum celebratio à Iure prohibeatur.

SVMMARIVM.

Diuinum Officium, quod ab Ecclesia per Interdictum, vel alias prohibetur, consistit semper in aliqua actione exteriori, num. 1.

De substantia Diuini Officij semper est, vt adsint in eo verba, per quæ illud ad Deum proxime dirigatur. ibid.

In Officio Diuino duo consideranda, Deprecatio, vel Laudatio Diuina, & Modus, quo ea fieri debet, num. 2.

Modus Diuini Officij faciendi alius Ecclesiasticus, alius Laicalis, & quid sint. ibid.

Ecclesiasticus Diuini Officij modus, seu solemnitas rursus est vel Substantialis, vel Accidentalis, & vterque explicatur, num. 3.

In Ecclesia Polluta à Iure non prohibentur, nisi ea Diuina Officia, quæ etiam quo ad Modum, & Solemnitatem Substantialem sunt Ecclesiastica, num. 4.

Diuina Officia prædicto modo proprie Ecclesiastica, siue publice, siue secrete fiant, semper sunt Publica, & in Ecclesia Polluta à Iure prohibentur, num. 5.

Diuina Officia, quæ non sunt proprie Ecclesiastica, siue publice, siue secrete fiant, semper sunt Priuata, nec in Ecclesia Polluta à Iure prohibentur. ibidem.

1 ADuerto 1. quia præter Sacramenta, & Missæ Sacrificium alia quoque sine dubio Diuinorum Officiorum nomine venire possunt, eorumque celebratio multiplex esse solet, idcirco, cum hactenus de Sacramentis, & Missæ Sacrificio satis actum sit, iam de reliquis etiam agendum esse, & videndum, quid præter prædicta per Diuinum Officium hic accipi debeat, & quotuplex eius celebratio esse possit, vt, quid omnino in Ecclesia Polluta à Iure prohibeatur, vel permittatur, inde clarius eruatur. In primis autem indubitatum esse suppono cum *Suar. de Censur. disp. 33. sect. 3. num. 5. & Alter. de Censur. disp. 5. cap. 5. versic. Primo igitur,* Diuinum Officium, quod ab Ecclesia per Censuram, vel alias

2 aliquando prohibetur, semper consistere in aliqua

aliqua actione exteriori (de actionibus enim sacris pure mentalibus, quamuis quo ad Deum Diuina Officia sint, Ecclesia tamen non disponit; cum non iudicet de occultis, vt alibi dictum est) & semper de substantia Diuini Officij esse, vt adsint in eo verba, hoc est, deprecatio aliqua, vel laudatio Diuina, per quam tale Officium ad Deum proxime dirigatur, & per expressam significationem populo Ecclesiastico accommodatam fiat. Vnde

2 Aduerto 2. in Officijs Diuinis duo considerari posse, Primo prædictam deprecationem, seu laudationem Diuinam, quam primam Diuini Officij substantiam proinde multi appellare solent: Secundo autem modum, quo prædicta deprecatio, seu laudatio Diuina fieri potest (Diuina enim huiusmodi Officia interdum includunt cæremonias in actionibus, vel alijs ritibus, aut vestimentis, &c. cósistentes, quas ad Diuini Officij modum spectare dubium non est) quem modum rursus duplicem esse dico; alium scilicet Ecclesiasticum, Publicum, & Solemnem; alium vero Laicalem, Priuatum, & Communem: Ecclesiasticus Diuini Officij modus est, quem Ecclesia à Ministris ab ipsa deputatis ex ipsorum Officio Ecclesiæ nomine, & auctoritate seruandum instituit, ideoque ijs solis permittitur: Laicalis vero Diuini Officij modus est Priuata quæcumque recitatio, quæ à qualibet persona fieri potest, licet in ea recitatione assumantur eæ deprecationes, seu laudationes Diuinæ quas Ecclesia ad publicum vsum proprie ordinauit, & ad quas ministros suos specialiter deputauit.

3 Aduerto 3. Ecclesiasticum, & solemnem Diuini alicuius Officij modum, & solemnitatem iterũ distingui posse in Substantialem, & in Accidentalem; licet aliquando idem modus, qui alicui Diuino Officio est accidentalis, sit alteri substantialis, vt patet in sacro illo apparatu, cum quo Diaconus, & Subdiaconus ratione sui ministerij recitant in solemni Missæ Sacrificio Euangelium, & Epistolam, qui in ordine ad Missam, siue ea in ratione Sacrificij consideretur, siue etiam quatenus ea est Actus ordinis sacerdotalis, semper est solemnitas quædam illi accidentalis; sed in ordine ad sacrum ministerium Diaconale, & Subdiaconale semper est illi substãtialis, quia sine illo sacro apparatũ eadem Euangelij, aut Epistolæ recitatio vere non esset actus proprius prædicti ordinis sacri Diaconalis, & Subdiaconalis, nec subinde Diuinum Officiũ, vt suo loco speciatim dicemus, & egregie docet *Gibalin. de Irregularit. c. 5. q. 2. corollar. 8. num. 19.* quibus expositis,

4 Dico in Ecclesia Polluta à Iure non prohiberi nisi ea Diuina Officia, quæ etiam quo ad modum, & solemnitatem substantialem eorum sint Ecclesiastica. Ratio autem est, quia ea tantum vere, proprie, & absolute Ecclesiastica sunt, cum Ecclesiæ totius nomine, ac auctoritate ab Ecclesiæ Ministris ad publicum Ecclesiæ vsum celebrentur, ideoq. ea tantum prohibere intendit Sancta Mater Ecclesia per Interdictum, vel alias prohibitiones suas, vt bene cum multis aduertit *Suar. l. 1.* nec non *Alter. vbi supra, Fillius. tr. 18. c. 3. num. 78.* & alij passim, qui de hac materia scribunt.

5 Colligo, quotiescumque in Diuinorum Officiorum celebratione aliquid deest, propter quod ea non sint, tam quo ad materiam, vt ita dicam, quam quo ad formam substantialem, proprie Ecclesiastica modo iam superius explicato, semper ea, siue publice, siue secrete fiant, Priuata esse, nec in Ecclesia Polluta à Iure prohiberi: sicuti e contrario Diuina Officia modo predicto proprie Ecclesiastica, siue publice, siue secrete fiant, semper Publica sunt, & in Ecclesia Polluta à Iure prohibentur, vt clarius ex inferius dicendis de singulis Diuinis Officijs constabit.

CAPVT XXIX.

An Horæ Canonicę Ecclesiasticis omnibus, ideoq. etiam Monialibus in Ecclesia Polluta à Iure prohibeantur.

SVMMARIVM.

Horæ Canonicæ, *quasi antonomastice* Diuinum, *vel* Ecclesiasticum Officium *dicuntur, num. 1.*

Eæ à Clericis licite in Ecclesia Polluta cum ordinaria solemnitate recitari nequeunt. ibid.

Interim tamen Canonici, dummodo prædictæ Pollutioni causam non dederint, quotidianis Distributionibus priuandi non sunt. ibid.

Horæ Canonicæ, si à Monialibus recitentur, cur videri possint non prohibitæ in Ecclesia Polluta, num. 2. & e contrario prohibitæ, num. 3.

Horæ Canonicæ Ecclesiasticis omnibus, etiam Monialibus, prout cum ordinaria solemnitate recitantur, in Ecclesia Polluta à Iure prohibitæ sunt, num. 4.

An etiam Laici ab Ecclesia deputari possint ad prædictum, & similia Diuina Officia, num. 5.

1 ADuerto 1. Horas Canonicas sine dubio quidem quo ad substantiam esse Diuinum, & Ecclesiasticum Officium, cum ex propterea, quasi per Antonomasiam, *Diuini Officij*, seu *Officij Ecclesiastici* nomine nuncupari soleant; sed quo ad modum illas recitandi dubium aliquod esse posse, vt ex insequentibus difficultatibus apparebit, vnde, sicuti certum est eas, quatenus à Clericis cum ordinaria solemnitate recitantur, sub Diuinorum Officiorum prohibitione comprehendi, cum institutæ sint, vt Ecclesiæ nomine à Clericis eo modo recitentur, ac proinde eas in Ecclesia Polluta à Clericis sic recitari licite non posse, prout expresse dixerunt. *Moneta de Distribut. quotid. p. 2. q. 16. num. 28. Cened. Canonic. l. 1. q. 1. num. 60. Bonacin. de Hor. Can. disp. 2. q. 5. punct. 2. §. 6. Sanctarel. var. resol. q. 9. num. 14. & Barbos. de Canon. & Dignit. c. 24. num. 48.* qui omnes propterea subdunt Canonicos tunc priuandos non esse distributionibus, licet tunc Horas Canonicas ibi non recitarint, dummodo Pollutioni huiusmodi causam non dederint, ita dubium esse potest, num eæ sub Diuinorum Officiorum prohibitione comprehendantur, vel non comprehendantur, ideoq. prohibeantur, vel non prohibeantur in Ecclesia Polluta, quatenus eæ à Monialibus ibi more solito recitantur, pro qua dubitatione

2 Aduerto 2. cum Moniales careant omni Ordine Clericali, & Diuinorum Officiorum nomine comprehendi soleant ea tantum, quæ alicui Ordini Clericali deputata sunt, idcirco ea, quæ à Monialibus recitantur, cum non videantur Officia Diuina quo ad illorum modum, prohibita non videri in Ecclesia Polluta. Sed e contrario

3 Aduerto 3. cum Moniales, & si careant Clericali Ordine; non tamen careant Clericalibus Priuilegijs, & vere sint Ecclesiasticæ Personæ Deo consecratæ, propterea hac in re eas etiam videri posse Ecclesiæ Ministros. Quare

4 Dico Horas Canonicas, si cum ordinaria solemnitate persoluantur, Ecclesiasticis omnibus, ideoque etiam Monialibus ipsis in Ecclesia Polluta à Iure prohibitas esse, quia adhuc Horæ Canonicæ sic recitatæ sunt vere Diuinum, & Ecclesiasticum Officium, ita *Suar. de Censur. disp. 34. sect. 3. num. 9. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. num. 2. & Castropal. p. 6. disp. 5. punct. 4. §. 2. num. 1.* qui dicunt tunc per prædictam recitationem Horarum Canonicarum à Monialibus solemniter factam directe Interdicti localis, & consequenter etiam Pollutionis Ecclesiasticæ Leges violari.

5 Colligo, licet etiam Laici possint ab Ecclesia deputari ad prædictum, vel simile aliud Diuinum Officium Ecclesiæ nomine faciendum; congruentius tamen deputari Personas Ecclesiasticas, etiam vtriusque sexus, vt inferius singillatim de Diuinis Officijs à Confraternitate aliqua Laicorum factis dicemus.

CAPVT XXX.

An Horæ Canonicæ, & similia Officia aliquando, vel aliquo modo ab Ecclesiasticis licite in Ecclesia Polluta recitari possint.

SVMMARIVM.

Officia Diuina Horis Canonicis similia, de quibus hic agitur, quænam sint. num. 1.

Quænam sit ea Officiorum recitatio, de qua hic dubitatur, num. 2.

Priuatæ Orationes, seu Preces in Ecclesia Polluta non prohibentur. ibid. & num. 4.

An modus recitandi in Interdicto locali Horas Canonicas, qui expressus est in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. *ibi concedatur, vel non prohibitus declaretur, num. 3. & 5.*

Horæ Canonicæ, & similia Officia licite recitari possunt in Ecclesia Polluta à duobus, vel tribus, & à binis, vel ternis, si seruetur priuatæ orationis modus, num. 4.

Diuina Officia aliqua ita sunt ex se Publica, vt, si rite fiant, nunquam Priuata esse queant. num. 5.

1 ADuerto 1. hic agi tum de Personis omnibus Ecclesiasticis vtriusque sexus, tum de Officijs ijs omnibus, quæ aliquando pro temporum diuersitate, & locorum consuetudine cum horis Canonicis coniunguntur, qualia sunt Officium Paruum B. V. Officium Defunctorum, Psalmi Graduales, & Pœnitentiales, in his enim militat eadem ratio, vt bene dixit *Bonacin. de Interdicto disp. 5. punct. 4. num. 2.* & alij communiter.

2 Aduerto 2. dubium hic esse posse de ea Canonicarum Horarum recitatione, quam Personæ Ecclesiasticæ intra Ecclesiam Pollutam, vel singulæ seorsim, vel binæ, aut ternæ alternatim, sine cantu, & sine solemnitate ordinaria peragant: ex vna enim parte licitum id censeri potest, cum priuata oratio, vt expresse docuit *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. num. 2. Iordan. Elucubrat. diuers.*

tom.2.l.5.tit.12. nu. 150. & ante eos *Nauarrus de Haret. consil.15. q.4.* in Ecclesia Polluta nō prohibeatur; ex altera vero illicitum id videtur, cum Horæ Canonicæ ex se, dum à talibus Ecclesiæ ministris persoluuntur, semper videantur esse Oratio Publica, quæ in persona totius Ecclesiæ fiat, & consequenter esse Officium Diuinum, & Ecclesiasticum in tali loco à Iure prohibitum.

3 Aduerto 3. cum in *Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* concedi videatur facultas recitandi Horas Canonicas in Interdicto (vt superius diximus) generali, dummodo bini, & bini, vel simul tres eas legant, ianuis clausis, & seruatis alijs ibi præscriptis conditionibus, inde ab aliquibus inferri, quod prædicta Horarum Canonicarum lectio, seu recitatio sit Officium Diuinum, & Ecclesiasticum, ideoq. ex natura rei non licere in Interdicto loci generali, multoque minus in speciali, & in Ecclesia Polluta. His tamen non obstantibus,

4 Dico Horas Canonicas, & similia Officia licite recitari posse in Ecclesia Polluta à duobus, vel tribus, vel etiam à binis, vel ternis, si id ita fiat, vt orationis priuatæ modus seruetur. Ratio autem est, quia tunc talia Officia recitantur, quo ad modum, vt priuata Oratio, & etiam à Clericis, & Ecclesiasticis Personis, vt à Personis priuatis; Priuata autem officia ibi non prohibentur, etiamsi eadem dicantur, quæ in Breuiario continentur, ita *Sà V. Interdictum num. 15. Suar. de Censur. disp.34.sect.3.num.6. & Laym.lib.1.Sum.tr.5. par.4.c.2.num.2.* prædictam vero Horarum Canonicarum, &c. recitationem non esse Diuinum Officium, & Ecclesiasticum patet ex eo, quod illa ex tali modo suo deputata non est alicui Ordini sacro, nec Personis tantum Ecclesiasticis, sed communis omnibus est, etiam laicis; sic enim etiam laici Officia alioquin ex se Diuina recitare possunt, vt inferius videbimus. Vnde talia Officia, idest eo modo recitata, quem in conclusione diximus, licet alias sint propria Clericorum, vel Ecclesiasticarum saltem Personarum, & licet etiam ab ijs actu, & reipsa recitentur; nihilominus, cum Laicorum, & non Ecclesiasticorum more, ac proinde iuxta modum nō Ecclesiasticum, sed communem recitentur, ita vt ea recitationis ratio priuatum orandi modum non excedat, vt suppono ex *Suar. l.c. num.12.* nunquam per Ecclesiasticum Interdictum vllum à Iure, cum id nullibi in Iure repeciatur, & consequenter etiam nunquam in Ecclesia Polluta prohiberi censentur. Quamobrem

5 Colligo in *d. Cap. Quod in te*, prout etiam superius innuimus in hac eadem *disp.9. cap.8. num. 2. & 3.* contineri potius declarationem non prohibitionis, quam concessionem Priuilegij alicuius, quo ad hanc eius Cap. partem. Declaratum autem id ibi forte fuit, quia prædicta recitatio ratione loci videri poterat Publica, quamuis ea vere ratione modi semper habita fuerit Priuata, prout reuera talis est. Ab hac tamen priuata prædictorum Officiorum recitatione nequaquam argumentari liceret ad alia omnia Diuina Officia, cum aliqua ex his semper sint ita ex se Publica, vt nunquam priuata esse queant, si rite fiant, quale est Sacrosanctum Missæ Sacrificium, vt iam ex alibi dictis patet.

CAPVT XXXI.

An in Ecclesia Polluta Horas Canonicas, & similia Officia Laicis more suo recitare à Iure interdictum sit.

SVMMARIVM.

De quinam Horarum Canonicarum, & similium Officiorum recitatione hic agatur, nu. 1.

Modus quo à Laicis prædicta aliquo modo publice, & solemniter recitari possunt, duplex est, num. 2.

Laicis cur non liceat prædictas Horas, & Officia Ecclesiasticorum more solemniter peragere, num. 3.

Laici in Ecclesia Polluta Ecclesiastico modo Horas, & similia Officia peragentes ab Ecclesiastico Iudice puniri possunt. ibid.

In Ecclesia Polluta Laicis ex se, & ratione talis Pollutionis à Iure interdictum non est prædictas Horas, & Officia more Laicorum, etiam in Choro ipso, cantare, num. 4.

Quomodo idipsum etiam Ecclesiasticis ipsis non interdictum videatur, ibid.

Hebdomadarium solemniter, etiam inter Laicos, exercere Sacerdotum proprium munus est, ibidem.

Quid in prædicta Officiorum recitatione, & auditione semper cauendum sit, num. 5.

1 ADuerto 1. quæstionem hic esse non de ea Horarum Canonicarum, & similium Officiorum priuata omnino recitatione, quæ etiam Clericis, & Ecclesiasticis ipsis licet in Ecclesia Polluta, prout *præced. cap.* dictum est; sed de ea recitatione, quæ alias à Laicis

à Laicis licite præstari potest, & sæpe solet, maxime in eorum Confraternitatibus; vbi ea à Confratribus quodammodo publice, & suo modo solemniter aliquando cantantur. Dixi: *licite*, nam

2 Aduerto 2. duplicem quoque esse modum, quo à Laicis prædicta Officia aliquo modo publice, & solemniter recitari possunt: Primus est, si id ij præstent more proprio Laicorum, qui modus est ex se licitus: Secundus autem, qui ex se illicitus est, si id ij præstent more Ecclesiasticorum, qualiter id præstando Ecclesiastici Pollutionis Ecclesiasticæ leges violarent, vt superius dictum est. Modorum autem prædictorum diuersitas peti debet ex cantu, actione, vestibus, & similibus Ecclesiasticę modi, & non Laicalis proprijs, prout etiam alibi iam innuimus. Dixi: *qui est ex se illicitus*, quia

3 Aduerto 3. certum quidem esse, quod ibi Laicis non liceat more Ecclesiasticorum prædicta Officia solemniter peragere, prout communiter à DD. asseritur; sed incertum tamen esse, num id non liceat ex eo, quod ibi tunc Laici sic violent Pollutionis Ecclesiasticæ effectus, an potius ex eo tantum, quod sic vsurpent Ordinis, seu saltem muneris Ecclesiastici vsum, & grauem inde Ecclesiastico statui iniuriam irrogent, quod vltimum vere mihi omnino verum videtur, vt docuit *Castropal. p.6. disp.5. punct. 5. num. 5. cum Laym. l.1. tr.5. par.4. cap.3. num.2.* vnde idcirco tale Laicorum peccatum, vt potè Ecclesiasticum, à Iudice Ecclesiastico puniri posse docent *Sayr. de Censur. l.5. c.14. num.2. Alter. de Interd. disp.3. cap.3. vers. Secundo dicimus*, & alij.

4 Dico in Ecclesia Polluta Laicis ex se, & ratione talis Pollutionis à Iure interdictum non esse quocumque Laicorum more, etiam in Choro, prædictas Horas, & Officia recitare, seu cantare: immo nec Clericis ipsis, nisi forte Sacerdotes ipsi, quorum id proprium munus est ex *Filliuc. tr.12. num.99.* Hebdomadarium, licet inter Laicos, exercerent, inchoando Officium, dicendo Capitulum, Orationem, & c. sic enim ibi Sacerdotis munere solemniter fungerentur. generalis autem prędictorum omnium ratio est, quia, quamuis Horę Canonicę, & similia Officia semper sint, vt iam dixi, Diuina quo ad substantiam, & Ordinis Ecclesiastici, vt habetur toto *tit. de celebrat. Missar.* & tradit *Sylu. V. Horæ Canonicæ num.3. & Armil. ibi num.1.* si tamen prædicta Officia peragantur non Ecclesiastico more, sed Laicali, non erunt Officia Ecclesiastica ab Ecclesia per Interdictum, aut Pollutionem prohibita, nec erunt Ordinis alicuius Clericalis, aut Ecclesiastici, etiamsi à Personis ipsis Ecclesiasticis vel solis more Laicorum, vel vna cum Laicis peragantur. ita in specie de Horis Canonicis in loco Interdicto docet *Vgolin. de Censur. tab. 5. cap. 8. num. 1. & 3.* qui proinde dicit, quod canere Officium B. V. Mariæ, prout fit communiter à Laicis Confraternitatum, seu Disciplinatorum societatibus, non est Ordinis alicuius, & publice fieri potest. immo idem generaliter de Officijs omnibus recitari solitis à Confraternitatibus tradit *Filliuc. tr.18. num.79.* idemque omnino dicendum puto de Horis ipsis Canonicis omnibus, quando non Ecclesiastico modo; sed Laicali dicuntur, quia omnes ob talem modum Laicis communem tunc non sunt Officia Ecclesiastica, sed fiunt Horæ, seu Officia nullius Ordinis Ecclesiastici; & sic euadunt Officia Priuata ita, vt ab Ecclesia in nullo Interdicto prohibita censeri debeant, prout rem bene perpendenti bene constabit. Dixi vero in conclusione; *Ex se*, & ratione talis Pollutionis, nam inde

5 Colligo tàm in prædictis Horis Canonicis, vel alijs Officijs recitandis; quam in alijs ad audiendum admittendis diligenter cauendũ semper esse, ne, habita ratione loci, personarum; & similium, prædicta recitatio videatur Ecclesiastico modo facta, & Officia illa proinde vere Ecclesiastica appareant: ratione enim scandali, vel contemptus, vel alia simili de causa per accidens aliquando prædictorum tàm recitatio, quàm auditio illicita esse potest; licet alioquin per se, & ratione Pollutionis ipsius neutra prohibita à Iure sit.

CAPVT XXXII.

An in Ecclesia Polluta aliquo modo Litaniæ recitari, & Processiones fieri licite possint.

SVMMARIVM.

Litaniæ aliquando simul; aliquando autem separatim ab Horis Canonicis in Ecclesia recitari solent, num. 1.

Litaniæ Communes, quæ vulgo etiam Omnium Sanctorum dicuntur, quandonam Diuini Officij pars, & Oratio Publica censeantur, numer. 2.

Litaniæ B. V. cur nunquam ex se videantur Officium

cium proprie Ecclesiasticum, ibidem.

Quod Litaniæ recitentur, vel cantentur, nihil hic refert, num. 3.

Litaniæ quandoque cum Processione, quandoque sine illa recitantur. ibid.

Processionis Sacræ nomine quid hic accipiatur. ibidem.

Dicere Orationem cum Dominus vobiscum *ad Diaconorum, vel Sacerdotum munus proprium pertinet, num. 4.*

Litaniæ, etiam Omnium Sanctorum, quomodo in Ecclesia Polluta sine Pollutionis violatione cantari possint, ibid.

Processiones quomodo in Ecclesia Polluta licite fieri queant, num. 5.

Si Clerici recitent more Ecclesiasticorum proprio, & Processionaliter Litanias vel Communes, vel B. V. sed sine Dominus vobiscum, *& c. quid tunc dicendum videatur, num. 6.*

1 ADuerto 1. licet aliquando pro temporum diuersitate ex institutione Ecclesiæ, & consuetudine Locorum Litaniæ, & alia huiusmodi Officia, prout paulo antea *Cap. 30.* dictum est, Horis Canonicis adiungantur, idemque tunc de ijs, ac de illis, eadem in omnibus ratione militante, diximus; tamen, quia aliquando etiam non vt pars Horarum Canonicarum, sed ab illis ex separatim, & per se solæ à Fidelibus recitari, canique solent in Ecclesia vel Processionaliter, vel etiam sine vlla Processione, idcirco peculiariter de ijs hic inquirendum esse, an ç lure in Ecclesia ob Ecclesię Pollutionem prohibeantur.

2 Aduerto 2. Litanias quidem communes, quas vulgo Omnium Sanctorum appellamus, quandoquidem aliquando ex Ecclesiæ deputatione, scilicet in diebus S. Marci, & Rogationum, veluti pars Officij Diuini, recitandæ sunt, prout docent *Lezan. in Summ. qq. Regul. p. 1. c. 12. num. 23. Castropal. tom. 2. disput. 2. punct. 2. num. 13.* & alij plures cum *Dian. p. 2. tr. 12. resol. 42. & p. 4. tr. 4. resol. 236.* vere tunc, & proprie ex se Diuinum & Ecclesiasticum Officium, ideoque Orationem Publicam censeri, æque ac Horas ipsas Canonicas, de quibus idipsum certum est ex superius dictis *Cap. 29. num. 1.* Litanias vero B. V. nunquam ex se videri Diuinum, & proprie Ecclesiasticum Officium, cum nunquam videantur alicui Ordini, aut muneri Ecclesiastico deputatæ, nec institutæ, vt Ecclesiæ totius nomine ab aliquibus aliquando recitentur. Vnde consequenter hæ semper ex se vere, videntur nomine Orationis Priuatæ, etiamsi publice à Clericis ipsis cantentur, dummodo tamen ea semper omittantur, quæ ab Ecclesia peculiaribus aliquibus ministris suis forte deputata sint, prout ex dicendis clarius apparebit.

3 Aduerto 3. Litanias omnes recitari, aut etiam cani (hoc enim hic nihil facit, vt dixit *Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 5. num. 40.*) solere vel Processionaliter, vel non Processionaliter. Hoc fit, quando Litaniæ cantantur sine Ordine procedendi, sine Crucis eleuatæ gestatione, & sine Stola, ac superpelliceis, prout tradunt *Henriq. l. 13. c. 44. §. 1. Sayr. l. c. Filliuc. tr. 18. num. 79.* & cæteri passim; illud autem fit, quando cum prædictis canuntur, vel recitantur. Hinc

4 Dico 1. Litanias omnes ex se, quando non sunt pars Horarum Canonicarum, non solum à Laicis, sed etiam à Clericis, vel Ecclesiasticis omnibus absque Pollutionis Ecclesiasticæ violatione cantari posse, dummodo tunc sine Ecclesiastica Processione id fiat, & Diaconi, ac Sacerdotes abstineant ab *Oratione* cum *Dominus vobiscum*, similibusq. Officijs Ordinis alicuius proprijs, qualia sunt mox à nobis dicta, quæ, vt aduertit *Enriq. l. c. Suar. de Censur. disp. 12. sect. 2. num. 13. Alter. de Inte dicto disp. 5. c. 5. vers. Quare primo licitum est, Filliuc. tr. 12. num. 93.* & alij multi, ad Officium Diaconorum, vel Sacerdotum proprium pertinent, &, cum omnes Ordinum, saltem Sacrorum actus, vt *Cap. sequent.* videbimus, Ecclesiastica Officia sint, propterea in Ecclesijs Pollutis prohibita sunt. prædicta ergo conclusio nostra, si in Interdicto proprio, quod plus est, conceditur a *Rodriq. qq. Regul. tom. 2. q. 109. art. 2. & in Addit. ad Bull. Cruc. §. 5. nu. 23. Nauar. c. 27. nu. 166. et 171. Fernand. Exam. Theol. Moral. p. 2. c. 12. num. 10. Alar. in Canon. Conscien. l. 6. V. Interdictum num. 15. Megal. Instit. p. 3. l. 6. c. 1. num. 8. vers. Vnde etiam. Quintanaduen. in Append. ad singular. tr. 1. dub. 18. num. 3. & 4.* & ab alijs, multo magis concedi debet in Ecclesiæ Pollutione, prout bene argumentatus est *Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 146.*

5 Dico 2. Sacras, & proprie Ecclesiasticas Processiones, quales iam *num.* 3. descripsimus, non posse à Clericis in Ecclesia Polluta absque Pollutionis Ecclesiasticæ violatione fieri, si in ijs Diuinum aliquod Officium recitetur; secus autem esse, si in ijs non Publicæ, sed Priuatæ tantum Orationes, vel Publicæ quidem, sed mentaliter solum dicantur. Ratio vtriusque partis est, quia in primo casu tum substantia, tum modus Orationis illius vere, ac proprie Diuinum, & Ecclesiasticum Officium constituunt, vt bene dixit

Suar.

Suar. de Censur. disp. 12. *sect.* 2. *num.* 2. in alijs vero casibus secus est ob alterius defectum, vt rem bene considerantí clarum fiet, & colligi potest ex *Rodriq. & Quintanad. ll. cc.*

6 Colligo, si Clerici in Ecclesia Polluta processionaliter recitent Litanias B. V. sed sine *Dominus vobiscum*, & similibus ad Ordinum actus spectantibus, nunquam ab ijs Ecclesiæ Pollutionem violari, cum sic nullum ibi celebrent Diuinum Officium; eam tamen ab ijsdem violari, si processionaliter, & Ecclesiastice ibidem recitent Litanias omnium Sanctorum, licet abstineant à prædicto *Dominus vobiscum*, & c. quia, cum hæ aliquando, i. in aliquibus diebus, vt superius diximus, sint vere, & proprie Officium Ecclesiasticum (quod de Litanijs B.V. dici nequit, cum ex se nunquam Ecclesiasticis Ministris deputatæ sint) signum est has, quo ad substantiam ipsam, esse vere Orationem Publicam, ergo, quotiescunque, pro vt in hoc casu fieri supponitur, à ministris Ecclesiasticis, & more Ecclesiastico recitentur, tunc plene Ecclesiasticum Officium erunt tàm quo ad substantiam, quàm quo ad modum, & consequenter in Ecclesia Polluta à Iure prohibitæ erunt; non tamen illæ, i. Litaniæ B. V. nisi forte per accidens, & ratione *Dominus vobiscum*, vel similium, quæ ad ordinis alicuius actum pertinent; vt iam dictum est. Immo, si hæc ipsa ibi Laici quoque facerent, v. g. Communes ibi Litanias cum Ecclesiastica Processione prædicta recitando, vere illicite facerent, non eo quod sic Ecclesiæ Pollutionem violarent, sed eo quod Ecclesiastici Ordinis munus vsurparent, vt in re simili iam alibi superius aduerti.

CAPVT XXXIII.

An actus Ordinum Clericalium tàm Minorum, quàm Maiorum in Ecclesia Polluta à Iure prohibeantur.

SVMMARIVM.

Actus Ordinum Clericalium communiter inter Officia Diuina à DD. numerantur, num. 1.

Ordo quandonam solemniter exerceri dicatur. ibidem.

Minorum Ordinum actus nunc eodem prorsus modo tàm à Laicis, quàm à Clericis fieri solent. num. 2.

Modus exercendi Minores Ordines more Ecclesiastico iam non differt à modo, & more Laicorum, num. 3.

Actus omnes omnium Ordinum ex se, & præcisa omni consuetudine, in Ecclesia Polluta à Iure prohibiti sunt, num. 4.

Minorum Ordinum actus regulariter nunc de facto in Ecclesia Polluta non sunt prohibiti. ibidem.

Secus tamen aliquando dicendum videtur, & casus exponitur. ibid.

Quid si Clericus in Ecclesia Polluta actum Ordinum Minorum faciens vere intenderet Ordines suos exercere? num. 5.

Actus Ordinum Minorum nunc extrinsece non sunt amplius proprie Ecclesiasticum Clericalium Ordinum munus, ibidem.

1 ADuerto 1. quoniam inter Officia Diuina, & Ecclesiastica communiter à DD. Solemne Clericalium Ordinum exercitium numeratur, ideoque in Ecclesia Polluta consequenter à Iure prohibitum censetur, consequenter etiam dubitari posse, num Maiorum tantum, vel Minorum quoque Ordinum actus Diuinorum prædictorum Officiorum nomine venire debeant. Dixi *Solemne Clericalium Ordinum exercitium*, nisi enim Ordo solemniter exerceatur, prædictum Ecclesiasticæ Pollutionis Interdictum non violatur, vt bene aduertit *Sayr. de Censur. l.* 4. *c.* 16. *nu.* 9. Solemniter autem Ordo exercetur, si ex Officio, & Ecclesiastico modo exerceatur, vt alibi dictum est.

2 Aduerto 2. dubitationis huius causam esse, quia Minorum Ordinum exercitia non videntur Clericorum tantum propria; sed Laicorum etiam cuilibet communia, ita vt iam eadem eodem prorsus modo passim tàm à Laicis, quàm à Clericis ex generali Ecclesiæ consuetudine exerceri soleant, hinc

3 Aduerto 3. modum Minores Ordines exercendi more Clericorum non amplius distingui à modo eos exercendi more Laicorum, cum vnus, & idem omnino omnium sit; vt colligitur ex *Suar. de Censur. disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 9. & ante ipsum ex *Syluest. V. irregularitas num.* 14. & *Tabien. ibi, nu.* 4. *in principio*. Quamobrem his inhærendo

4 Dico, licet omnes actus Ordinum Clericalium omnium ex se, & præcisa prædicta recepta Ecclesiæ consuetudine, in Ecclesia Polluta generaliter à Iure (sic enim, Officia vere, & proprie Ecclesiastica reputantur) prohibiti censeri debeant, vt colligitur ex *Syluest. & Tabien. ll. cc.* & clare docet *Leo in Prax. S. Pœnitentiaria p.* 3. *pag.* 361. *in principio*;

cipio; nihilominus, posita prædicta generali Ecclesiæ consuetudine, regulariter prædictos Minorum Ordinum actus in Ecclesia Polluta prohibitos non esse, quia ob prædictam rationem nõ amplius ij Officia proprie Ecclesiastica reputantur, cum non amplius modo Ecclesiasticorum proprio fiant, & nihil habeant non commune Laicis, vt clare docuit *D. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 1. §. 1. Henric. l. 14. c. 7. num. 1. lit. B. Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. cõclus. 5. Sayr. in Thesaur. l. 7. c. 9. num. 4. Auil. de Censur. p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13. Laym. l. 1. Summæ tr. 5. par. 5. cap. 5. assert. 3. versic. Ex quo infertur, & Gibalin. de Irregularit. c. 5. q. 2. Consectar. 15. versic. Tertio idem.* dixi vero *regulariter*, quia *Suarez de Censur. disput. 12. sect. 2. num. 10.* putat aliter aliquando, sed quam rarissime, rem se habere posse, vt si Clericus Exorcista veste sacra indutus ibi exorcismos Ecclesiæ super Energumenos proferret, cum hoc à Laicis fieri non soleat, & tamen Ordinis Minoris actus sit.

5 Colligo; si Clericus Minorum Ordinum actum aliquem in Ecclesia Polluta faciens vere intenderet tales Ordines ibi exercere, peccaturum affectiue, & interius; non autem exterius, & effectiue contra Pollutionis Ecclesiasticæ leges, cum ob prædictam consuetudinem nunc tales actus non sint amplius extrinsece proprium alicuius Ordinis Clericalis munus, sed licite fiant etiam à non ordinatis, & à Laicis, vt aperte habetur ex doctrina *Campanil. in Diuersor. Iur. Can. Rubric. 11. c. 11. num. 24. Vgolin. de Irregularit. cap. 37. per totum, & Suar. l. c.*

CAPVT XXXIV.

An in Ecclesia Polluta actus Ordinis Subdiaconalis à Iure interdicantur.

SVMMARIVM.

Actus Ordinum quandonam proprie, & solemniter exerceri dicantur, num. 1.

Actus Ordinis Subdiaconalis proprius, & solemnis quisnam sit, num. 2.

Subdiaconi habitus proprius est Manipulus, num. 3.

Manipulus est de substantiali solemnitate Ministerij Subdiaconalis, ibid.

Subdiaconalis Ordinis solemnem actum exercere in Ecclesia Polluta à Iure interdictum est, n. 4.

Epistolam in Missa solemniter cantare cum manipulo quomodo aliquando Subdiaconis licere possit in Ecclesia Polluta, num. 5.

1 ADuerto 1. sermonem hic esse de actibus proprijs, & solemnibus Ordinis Subdiaconalis, i. de ijs, qui fiunt cum eo ritu, & apparatu, cum quo fieri licite nequeant ex Ecclesiæ constitutione, nisi ab habente talem Ordinem, & non à Laico, aut etiam Clerico, qui simili Ordine careat. quod etiam in alijs omnibus Clericalium Ordinum actibus, obseruandum est, quia tunc tantum Ordinis alicuius proprius actus exercetur; si enim idem actus eo modo, quo ab Ordinatis Ministris exercetur, exerceri licite possit etiam à non Ordinatis, re vera talis actus non est ordinis actus, sed alius illi similis, qui à non Ordinatis æque fieri solet, vt bene docuit *Suar. de Censur. disp. 12. sect. 2. num. 9. Bonac. de Irregularit. disp. 7. q. 3. punct. 6. nu. 9,* & clarissime *Gibalin. de Irregularit. cap. 5. q. 2. num. 4.* & in hoc tantum ministerium Clericale à nõ Clericali, seu ministerium solemne, & ex officio à priuato discerni potest.

2 Aduerto 2. tunc tantum à Subdiacono proprie solemnem Subdiaconatus actum, qui fit Diuinum Officium, fieri, quando, tanquã minister ab Ecclesia ad id deputatus, sacris Subdiaconalis Ordinis vestibus indutus in Sacrificio Missæ Epistolam cantat, prout expresse illi committitur in traditione Libri Epistolarum, dum Ordinatur, & passim docent DD.

3 Aduerto 3. proprium Subdiaconi habitũ, sine quo nequaquam solemniter Epistolam cantare diceretur, cum ille sit de substantiali solemnitate ministerij subdiaconalis, esse Manipulum. cum enim sæpe iam in Missa solemni cantetur Epistola cum Dalmatica absque Manipulo ab ijs etiam, qui Subdiaconi non sunt, propter hanc consuetudinem factum est, vt cantare Epistolam sine Manipulo modo mox dicto etiam in Missa solemni non sit amplius actus Subdiaconalis Ordinis proprius, vt DD. communiter asserunt cum *Castropal. p. 6. disp. 6. punct. 18. num. 3.*

4 Dico proprium Subdiaconalis Ordinis actum, i. solemniter Epistolam in Missa cantare, ex se esse inter Officia Diuina, quæ in Ecclesia Polluta à Iure prohibentur, prout ex prædictis DD. aperte inferri potest.

5 Colligo, si alicubi sit Priuilegium, vel Consuetudo, vt solemniter in Missa cantetur Epistola à non Subdiaconis cum Manipulo, prout fieri à Clericis non Subdiaconis in Ecclesijs Fratrum Minorum testatur *Nauar. in Man.*

c.27.nu.241. Auil.de Censur.p.7. disp.9. sect. 2. dub.13. & Castropal. l. c. talem actum ibi non esse Ordinis actum, nec proinde ex se in Ecclesia Polluta prohibitum, etiamsi à Subdiaconis fiat, vt aduertit etiam *Campanil. in Diuersor. rubr. 11. c. 11. num. 24.* & prolixius *Vgolin. de Irregul. c.37.*

CAPVT XXXV.

An in Ecclesia Polluta actus Ordinis Diaconalis a Iure interdicantur.

SVMMARIVM.

Diaconi Officium præcipuum quodnam sit. num.1.

Diaconi Officia aliqui decem, & plura etiam referunt, num. 2.

Cantant in Missa solemniter Euangelium cum Dalmatica absque stola etiam non Diaconi. num.3.

In Ecclesia Polluta proprius Diaconalis Ordinis actus cur à Iure prohibeatur, num. 4.

Diaconus solemniter Baptizans vere exercet Diaconalis Ordinis actum, qui propterea est Officium Diuinum, & Ecclesiasticum, numer. 5.

Idem alij dicunt de Diacono Eucharistiam ministrante. ibid.

1 ADuerto 1. quæ diximus de Subdiacono, proportione seruata, eadem dicenda de Diacono, cuius præcipuum munus est Euangelium in Missa solemniter cum stola cantare, prout DD. communiter asserunt. Dixi *præcipuum*, quia

2 Aduerto 2. alia ab aliquibus Diacono officia assignari, quæ videri possunt apud *Auers. de ord.q.2. sect.7.* vbi decem, & plura etiam referuntur, quæ tamen vel non amplius in vsu sunt, vel in necessitate tantum, quam ob Sacerdotum copiam raro contingere docet *Tiber. in Instruct. Ordinand. c. 5. q. 32.* vel certe non huius tantum Ordinis propria videntur, vt apud prædictos DD. & alios ab illis allegatos cernere est.

3 Aduerto 3. quamuis *Suarez de Censur. disp. 12. sect.2. num.11.* affirmet Diaconi ministerium, de quo *num.1.* dictum est, non solere, vt potè sacratius, quam Subdiaconi munus, à Laico fieri; tamen à *Castropal. p.6. disput.6. punct.18. num.3.* absolute idem asseri de Diacono, quod *cap. præced.* diximus de Subdiacono, sæpe scilicet Euangelium quoque solemniter in Missa cum Dalmatica absque stola ab ijs etiam cantari, qui Diaconatus Ordine initiati non sunt.

4 Dico in Ecclesia Polluta proprium Subdiaconalis Ordinis actum à Iure prohiberi, quia, prout etiam de Subdiaconalis Ordinis actu diximus, Ordinis huius Officium ex se Diuinum, & Ecclesiasticum est. ita cũ communi DD. sententia *Sayr. de Censur. l.7.c.10.num.3. & 4. Suar. eod. tit. disput.42. sect. 4. num. 16. Coninch. eod. tit. disp.18. dub. 6. Bonacin. de Irregularit. disput. 7. q. 3. punct.6.num.1. & 2. Gibalin. eod. tit. c.5. q. 2. consectar. 8. num.19. Laym.lib.1. Sum.tr.5 par.5. cap.3. num. 1. & Castropal. l. c.* quorum vltimus conclusionem limitat in casu, quo prædictum Diaconi Officium ex Priuilegio, vel Consuetudine alicubi nõ Diaconis etiam commune factum fuisset, prout iam de Subdiaconatus actu asseruimus.

5 Colligo, quando Diaconus solemniter in Ecclesia Polluta baptizat (siue id ei tunc licitum, vel illicitum aliunde sit) vere ab eo Diaconalis Ordinis actum exerceri, teste *Auers.l.c. & Quintanad.tr.1.singular.10.nu.3.* idemque alij dicunt de actu dispensandi Eucharistiam, ac proinde actum illum solemniter baptizandi vere esse Diuinum, & Ecclesiasticum Officium, quod consequenter in eo loco prohibitum esset, nisi cum Baptismo ipso eiusdem quoque solemnitas ibidem ab omni prohibitione exciperetur, vt iam vidimus *Disput. huius cap. 14.*

CAPVT XXXVI.

An in Ecclesia Polluta Concionari, seu Prædicare, & similia liceant.

SVMARIVVM.

Prædicare quomodo dicatur Officium aliquando Lectoris, aliquando Diaconi, num.1.

Actus Prædicandi, seu Concionandi cur videatur aliquibus Officium Diuinum, num. 2.

Officium Prædicandi Iurisdictionis potius, quam Ordinis actus ab alijs creditur, num. 3.

In Ecclesia Polluta à Iure non prohibetur Concio, seu Prædicatio, nec Lectio S. Scripturæ, nec Disputationes, &c. num. 4.

Ad prædicta populus campanarum sono conuocari

curi potest, ibidem.

Sacerdos, vel Diaconus in Ecclesia Polluta Prædicans licite vtitur superpelliceo, et Stola, num. 5.

Habitus prædictus aliquando est substantialis solemnitas, aliquando est mere per accidens, ibidem.

1 ADuerto 1. Prædicare, absque solemnitate, quasi per modum Catechismi, instruendo Catechumenos, dici vnum ex Officijs Lectoris à *Vasq. in 3. p. disp. 236. c. 2. & à Tiberio in Instruct. Ordinand. cap. 5. qu. 30.* cum solemnitate vero pertinere ad Diaconum ex *eod. Tiber. ibid. q. 32.* quia Diaconis ab Episcopo dicitur *Oportet Diaconum Prædicare*, vt habetur in Pontificali, & communiter tradunt DD. apud *Auers. de ordin. q. 2. sect. 7. vers. Tertium*.

2 Aduerto 2. à *Nauar. in sum. c. 27. nu. 163. vers. Ost suo infertur*, & ab alijs dictum fuisse, quod actus Prædicandi soli Sacerdotio institutione Diuina attributus (Christus enim Sacerdotibus tantum dixit: *Prædicate Euangelium*) sed lege, & consuetudine humana Diaconatui deputatus fuerat iuxta *Can. Adijcimus, 16. q. 1.* & consequenter ab his omnibus actum Concionandi censeri actum Ordinis, & subinde esse Diuinum Officium. Sed

3 Aduerto 3. à *Suar. de Censur. disp. 12. sect. 2. num. 4. à Filliuc. tr. 12. num. 86. ab Auers. l. c.* & alijs Officium Prædicandi Iurisdictionis potius, quam Ordinis vllius actum credi. vnde, quando Christus dixit: *Prædicate Euangelium*, non dedit, inquiunt, potestatem Ordinis, sed Iurisdictionis: nec enim hic actus Ordinem, sed Pastoris Auctoritatem requirit ex eorum sententia.

4 Dico in Ecclesia Polluta à Iure nequaquam prohiberi Concionem, seu Prædicationem, nec similia, hoc est, Lectionem S. Scripturæ, aut Theologiæ, vel Iuris Canonici, Explicationem Doctrinæ Christianæ, Disputationes de rebus sacris, Repræsentationes spirituales, &c. etiam cum Campanarum sono, vt populus more solito ad prædicta conuocetur. Ratio est, tum quia ista sub Diuinorum Officiorum nomine non comprehenduntur, cum non sint actus ex Diuina, vel Ecclesiastica institutione alicui Ordini Clericali peculiariter adnexi, sed Clericis omnibus, & Laicis etiam concedantur, prout expresse tenent *Suar. & Filliuc. ll. cc. Laym. in Sum. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. num. 3. Castropal. p. 6. disput. 2. punct. 9. num. 10. Rodriq. qq. Regul. tom. 2. qu. 109. art. 2. versic. Septimo*, & alij apud ipsum, & alibi passiua, tum quia ista non ad Deum immediate, quod ad rationem Diuini Officij requiritur iuxta superius dicta *Cap. 28. num. 1.* sed ad populum instruendum, vel excitandum ordinantur, vt obiter etiam dixit *Suar. l. c. disp. 34. sect. 3. nu. 5.*

5 Colligo Sacerdotem, vel Diaconum in Ecclesia Polluta Concionantem, vel Prædicantem licite vti posse superpelliceo, & stola: quia talis habitus, licet proprius Sacerdotum vel Diaconorum sit, non facit eos actus inde esse alicuius Ordinis proprios, nec proinde facit eos inde esse Officia Diuina, & Ecclesiastica, cum tunc talis habitus sit mere per accidens; & non substantialis solemnitas alicuius Diuini Officij: aliunde autem vnusquisque tunc potest licite vti habitu sibi alias concesso, si absit, vt suppono, scandalum, contemptus, & similia extrinsece aduenientia. Dixi *tunc*, quia talis habitus aliquando est solemnitas substantialis alicuius Diuini Officij, vt colligi potest ex *Cap. 32. num. 3.*

CAPVT XXXVII.

An in Ecclesia Polluta à Iure interdictum sit canere *Te Deum laudamus*, pro gratiarum actione, & similia.

SVMMARIVM.

In toto absolute prohibito prohibitæ videntur proportionaliter partes, num. 1.

De Cantico: Te Deum laudamus, *eadem supponenda, quæ superius dicta de Horis Canonicis, & Litanijs, num. 2.*

Idipsum etiam dicendum de alijs Canticis, Hymnis, Salutationibus, & Rosario B. V. cæterisq. similibus, num. 3.

In Ecclesia Polluta a Iure ex se prohibitum non est recitare, vel etiam cantare solemniter prædicta, dummodo Laicorum more, num. 4.

Modus recitandi Horas Canonicas Ecclesiasticorum, vel Laicorum more ex Vgolino traditur, ibid.

Per prædicta, secluso scandalo, Pollutio Ecclesiastica vere non illuditur, num. 5.

1 ADuerto 1. dubium inde ductum censeri, quod Canticum prædictum, vt porè pars aliquando Diuini, & Canonici Officij,

 per

per Diuinorum Officiorum prohibitionem ibi prohibitum videri posse: qui enim prohibet absolute totum, proportionaliter etiã, & regulariter prohibere videtur partes ipsas.

2 Aduerto 2. Canticum istud, prout superius diximus de Horis ipsis Canonicis, cantari posse vel Ecclesiasticorum, vel Laicorum more; siue ab Ecclesiasticis, siue à Laicis, siue ab vtrisque simul; ac proinde vel vt partem Horarum Canonicarum, vel vt Orationem priuatam, iuxta ea, quæ de Litanijs etiam iam statuimus *cap. 32.* nam hic quoque locum habent.

3 Aduerto 3. quæ hic dicimus de Cantico *Te Deum laudamus*, dici etiam debere de Hymno *Veni creator Spiritus*, nec non alijs Canticis, Hymnis, Psalmis, Salutationibus, & Rosario ipso B. V. multoque magis de Carminibus, & Laudibus Cœlitum, atque similibus omnibus, vt singula consideranti planum fiet.

4 Dico in Ecclesia Polluta à Iure ex se prohibitum non esse cantare publico, solemni, & Musico cantu, ac symphonia Canticum prædictum: *Te Deum laudamus*, vel Hymnum: *Veni creator Spiritus*, aut alia prædicta, & similia omnia, etiamsi cantentur ab Ecclesiasticis ipsis: Laicorum tamen more, eo nimirum modo, qui nullius Clericalis Ordinis proprius sit, sic enim nunquam prædicta vere sunt Officia Diuina, & Ecclesiastica, & consequenter à Iure in Ecclesia Polluta nequaquam interdicuntur. licet enim aliquando nonnulla ex ijs alias sint Horarum Canonicarum pars, & proinde semper, quo ad substantiam, sint Diuinum Officium; tamen non semper talia sunt, quo ad modum: vnde in hoc nostro casu, cum in eo Ecclesiasticum modum deesse supponamus, proprie Diuina esse nequeunt. tunc autem Horas Canonicas Laicorum more dici docet *Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 14. §. 1. num. 26.* quando, qui eas cantant, vel recitant, etiamsi re vera Clerici sint; eas nihilominus recitant, seu cantant sine *Dominus vobiscum*, sine stola, & superpelliceo, neque de more sedent, &c. patet ergo conclusio ex superius dictis, eamque colligere licet, saltem quo ad aliqua ex prædictis (vnde tamen fas est alia inferre) ex *Rodriq. qq. Regul. tom. 1. q. 109. art. 2. Fernand. in Exam. Theol. Moral. p. 2. c. 12. §. 1. Gibalin. de Irregularit. c. 5. q. 2. conclusr. 15. versic. Primo* & clarius ex *Quintanaduen. in Append. ad singul. tr. 1. dub. 18. num. 3. & dub. vlt. num. 1.* qui aperte dicit prædicta prædicto modo cantata vere non esse Officium Diuinum, & vere nam solemnitates prædictæ, cum sint mere accidentales respectu talium actuum, quibus adiunguntur, non faciunt eos inde fieri Ordinis alicuius proprios, vt per se patet.

5 Colligo, secluso scandalo, &c. per prædicta Ecclesiasticam Pollutionem vere non illudi; sed bene eam seruari, si Diuina Officia ibi ante Reconciliationem non celebrentur. prædictæ enim Pollutionis effectus, seu impedimenta extendere etiam ad id, quod re vera Diuinum Officium non sit, non est Ecclesiasticam Pollutionem seruare; sed gratis odia ampliare, quæ semper merito restringenda.

CAPVT XXXVIII.

An in Ecclesia Polluta Benedictiones omnes à Iure interdictæ sint.

S V M M A R I V M.

Benedictionis nomine non semper idem venit, num. 1. remissiue.

Benedictio generaliter quomodo definiatur. ibidem.

Maledicere, & Benedicere quid sint. ibid.

Benedictio alia Publica, seu Ecclesiastica, alia Priuata, & qualiter differant, num. 2.

Benedictiones Ecclesiasticæ aliæ Constitutiuæ, aliæ autem Inuocatiuæ tantum, num. 3.

Benedictionum quædam Pontificales, quædam Episcopales, & quædam Sacerdotales sunt. ibidem.

Agnus Dei an à solo Pontifice benedici, seu consecrari soleat, & quandonam. ibid.

In Ecclesia Polluta à Iure non interdicuntur Benedictiones Priuatæ, etiamsi à Presbyteris fiant, num. 4.

Inter prædictas Benedictiones à DD. præter Paternam numeratur etiam Benedictio Mensæ, & Gratiarum actio, item fructuum, nec non sacculi, & baculi pro Peregrinis, & Vestium pro Nouitijs, vel Tertiarijs. ibid.

Benedictiones, quæ non sunt ex natura sua Publicæ, etiamsi accedat eis solemnitas, seu modus Ecclesiasticus, cur nihilominus inde non fiant vere Ecclesiasticæ, nec Publicæ, num. 5.

1 ADuerto 1. cum Benedictionis nomine non semper idem significetur, vt fuse videre est apud *Leonem in Thesaur. For. Ecclesiast. p. 1. c. 8. nu. 1. & seq. & Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 15. num. 1. & seq.* hic à nobis

nobis generaliter accipi pro *Sanctificationis, & gratiarum vorum collatione*, sic enim Benedictionem definit *S. Ambros. lib. de Benedictionib. Patriarch. c. 2.* vnde, sicuti Maledicere est alicui malum imprecari, ita Benedicere est alicui bonum precari, à Deo videlicet bonorum omnium largitore, prout docet *Laym. in Summ. l. 5. tr. 9. c. 13. num. 1.*

2 Aduerto 2. Benedictionum alias esse Priuatas, alias autem Publicas: Priuatæ sunt, quæ à quolibet Fideli vtriusque sexus conuenienter etiã fiunt; licet aliquando à Presbiteris quoque impendantur. Publicæ vero sunt, quæ fiunt speciali ritu à ministris Ecclesiæ, & ex speciali eius institutione, vt habeant specialem effectum, saltem per modum impetrationis, in nomine totius Ecclesiæ: vnde hæ dicuntur esse Ritus quidam, seu Formulæ Orationum, à Ministris Ecclesiæ, ex eiusdem Institutione, super personis, aut alijs rebus sensibilibus pronunciari solitæ ad Dei dona impetranda: illæ non ad Sacramentalia, sed ad Orationem potius priuatam pertinent; istæ autem merito inter Sacramentalia numerantur, nec nisi à Sacerdotibus fieri possunt, vt egregie dixit *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 3. l. 4. c. 14. nu. 1. & 2. & Bassæus in Flor. Theol. V. Benedictio, num. 1. & 9.* qui proinde has vocat proprie Ecclesiasticas.

3 Aduerto 3. ex prædictis Benedictionibus Ecclesiasticis, vt bene dixit *Caiet. 2. 2. q. 88. artic. 11.* aliquas esse Constitutiuas, i. quæ constituunt rem, quæ Benedicitur, Sacram, vt ad vsum profanum postea sine irreuerentia applicari non possit: alias Inuocatiuas tantum, quæ non constituunt rem sacram, & ex his omnibus alias fieri solere à solo Pontifice, prout de *Agnus Dei* docuit *Laym. l. c. num. 7. & Glianes in sum. Censur. V. Agnus Dei, num. 3. in fine* dicens *Agnos veros solus Pontifex consecrare solet pridie Dominic. in Albis.* de quorum origine, & virtutibus edidit Romæ peculiarem tractatum *Vincentius Bonardus Ord. Præd.* teste *Leon. l. c. num. 6.* vbi eorum Benedictionem, seu Consecrationem Pontificibus ipse quoque attribuit: alias à solis Episcopis de iure ordinario, & communi impartiri, qualis est Benedictio aquæ, qua Ecclesia consecrata, & Polluta reconciliatur, nec non quæ cum sacro Chrismate fieri solent, & aliæ huiusmodi: alias vero nec Pontificibus, nec Episcopis, neque Iure, neque consuetudine reseruatas, sed Sacerdotalis Ordinis proprias esse, quales sunt Benedictiones nuptiarum ex *Can. Sponsus, dist. 23. & Concil. Trident. c. 1. de reform. Matrim. sess. 24.* Benedictiones aquæ lustralis, & similes, de quibus omnibus fusius infra.

4 Dico in Ecclesia Polluta à Iure interdictas non esse Benedictiones Priuatas, licet à Presbyteris etiam fiant. Ratio est, quia tales Benedictiones non sunt Officia Diuina, non enim sunt per se actus ordinum, vt clare tradidit *Suar. l. c. Lazar. in Compend. Nauar. V. Interdictum, num. 5. Sayr. de Censur. lib. 5. c. 5. num. 8. & Gibal. de Irregularit. c. 5. q. 2. consectar. 15. vers. Primo.* Hinc inter priuatas Benedictiones absque dubio est Benedictio, quam Pater præbet Filio, vel Superiores Subditis, vel Senex Iuueni, vel Personæ sanctitate excellentes dant super alias Personas, vel alias res: immo inter easdem enumerat Benedictionem Mensæ, & Gratiarum actionem *Pisanella V. Interdictum, §. Quid de Benedictione mensæ. Tabien. V. Interdictum 6. §. Tertio. Fernand. in Exam. Theol. Moral. par. 2. cap. 12. nu. 12.* & alij plures cum *Ant. Gomez. in Bull. Cruc. ad 5. & 6. regul. num. 51.* vbi testatur de communi sententia. Benedictionem Fructuum *Rodriq. qq. Regular. tom. 2. q. 109. art. 2. in princip. & Nauar. c. 27. num. 172.* Benedictionem Peræ, seu Sacculi, & Baculi pro Peregrinis *Summa Astens. p. 2. l. 7. tit. 16. art. 3. q. 3. & Syluester V. Interdictum 5. num. 6. q. 4. vers. Quintum.* & Benedictionem Vestium pro Nouitijs, vel Tertiarijs *Angel. V. Interdictum 5. num. 2. Sayr. & Rodriq. ll. cc.*

5 Colligo Benedictiones, quæ ex natura sua non sunt Publicæ, Publicas non fieri ex adiectione cuiuscumque solemnitatis eis accidentariæ, vt satis ex alibi dictis constare potest, ac proinde eas, etiamsi more Diuinorum Officiorum fiant, nunquam inde fieri vere, ac proprie Diuina Officia, & Ecclesiastica, vt de solemni Mensæ Benedictione innuit *Rodriq. l. c.*

CAPVT XXXIX.

An in Ecclesia Polluta dari possit Benedictio super Populum à Sacerdote, vel Episcopo.

SVMMARIVM.

Benedictio tam Sacerdotalis, quam Episcopalis super Populum duplex est, Solemnis, & Simplex, seu Priuata, num. 1.

In Benedictione Episcopali si sine cantu recitentur verba illa: Sit nomen Domini, &c. *ea Benedictio censetur Priuata, num. 2.*

Priuata

Priuata Benedictio ab Episcopo dupliciter super Populum impenditur, num. 3.

An Benedictio Episcopalis in apparatu Pontificali, & triplici Crucis signo data semper sit solemnis, ibid.

In Ecclesia Polluta dari potest absque prædictæ Pollutionis transgressione à Sacerdote, vel Episcopo super Populum Benedictio simplex, seu Priuata; non vero Solemnis, num. 4.

Benedictio Episcopalis solemnis super Populum, an competat Episcopo ratione Ordinis, vel Iurisdictionis, & Dignitatis. ibid.

Talis quis esse existimatur, qualis vestitu indutus proficiscitur, num. 5.

Quid si Sacerdos, vel Episcopus priuatam Benedictionem dantes intenderent actum Ordinis exercere? ibid.

1 ADuerto 1. Populum in Ecclesia dupliciter Benedici posse tàm à Sacerdote, quàm ab Episcopo, nimirum vel Solemniter, vel Simpliciter: Solemniter fit, quando vel Sacerdos in principio Missæ, prout diebus Dominicis fieri solet, solemniter aspergit Populum aqua Benedicta cum Antiphona *Asperges, & c.* & cum Oratione, seu Collecta propria: vel Episcopus cum apparatu Pontificali Benedicit Populo cum cantu: *Sit nomen Domini Benedictum, & c.* & versu: *Adiutorium nostrum, & c.* iuxta formam præscriptã in *Cæremonial. Episcop. l. 2. c. 25.* cui præmittenda sunt verba illa: *Humiliate vos ad Benedictionem*. Simpliciter vero fit, quando vel Sacerdos, vel Episcopus in fine v.g. Concionis, aut intrando in Ecclesiam, & c. simpliciter Benedicunt Populo, vel illum aspergunt aqua Benedicta, & c. vt bene docuit *Suar. de Censur. disp. 34. sect. 4. num. 11. Zerol. in Prax. p. 1. V. Episcopi num. 35. & Iordan. Elucubrat. tom. 1. lib. 5. tit. 15. num. 36.* Sed

2 Aduerto 2, ideo à nobis, dum de solemni Benedictione, quam Episcopus dat, *num. præced.* sermo fuit, aperte dictum fuisse *cum cantu: Sit nomen Domini, & c.* quia sola prædicta verba: *Sit nomen Domini, & c.* absque cantu non sufficiunt ad constituendam illam Benedictionem solemnem, vnde sine cantu cẽsetur Priuatã, prout expresse docent *Zerol. & Iordan. ll. cc.* & consequenter

3 Aduerto 3. Priuatam Benedictionem ab Episcopo dupliciter impendi: Primo, quando Episcopus, nullis verbis dictis, signo Crucis benedicit Fidelibus, de qua *Cæremonial. Episcop. l. 1. cap. 5. in princip. & Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. par. 2. cap. 32. §. 2. num. 2.* etiamsi publice id faciat, vt bene aduertit *Rodriq. qq. Regul. q. 109. tom. 2. artic. 2. versic. Sexto*, *Barbos. de Offic. et Potest. Episcop. allegat. 30. in Addit. seu alias num. 6.* immo, etiamsi incederet in apparatu Pontificali, vt absolute docuit *Sayr. de Censur. l. 5. c. 6. num. 11.* quamuis *Calderin. de Interdict. membr. 6. n. 39.* dixerit tunc ad maiorem securitatem abstinendum esse. Secundo autem, quando prædictis etiam verbis: *Sit nomen Domini, & c.* non cum cantu, sed submisse, & (vt inquit *Iordan. l. c. num. 39.*) recitaneo prolatis, demum triplici quoque signo Crucis, & tribus distinctis locis, benedicitur Populus, quod etiam innui videtur à *Bonifac. in Clem. Archiepiscopus, de Priuileg. num. 9.*

4 Dico in Ecclesia Polluta dari posse absque prædictæ Pollutionis violatione à Sacerdote, vel Episcopo Benedictiones super Populum Priuatas, seu Simplices; non vero Solemnes, prout eas iam distinximus. Ratio est, quia tales actus, si solemniter fiant, Sacris Ordinibus annexi, & proprie Sacrorum Ordinum actus, ac subinde Diuina Officia sunt; secus autem, si simpliciter, & priuate fiant, i. sine prædicta solemnitate, vnde in primo casu, & non in secundo per prædictum Pollutionis Ecclesiasticæ Interdictum prohibentur. Primam conclusionis partem tenent communiter omnes, vt de ea nullam esse dubitationem dixerit *Villadieg. de Legat. q. 6. num. 6.* nec dubitari posse putauerit *Sayr. l. c.* licet *Syluest. V. Interdictum 5. num. 6.* dixerit idem dicendum de Simplici, ac de Solemni Benedictione, quando ea datur ratione Ordinis, non ratione Aetatis, vel Sanctitatis. Secundam docent expresse *Calderin. Suar. & Rodriq. ll. cc. D. Antonin. 3. p. tit. 27. de Interd. c. 4. ante fin. Nauar. c. 27. num. 177. Angel. V. Interdictum 5. num. 2. Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 8. §. 5. nu. 4. Zabar. Anchar. & alij cum Sayr. l. c. Barbos. l. c. Anton. Gomez. in Bull. Cruc. ad clausul. 5. & 6. num. 52.* subdens solemnem Benedictionem prædictam Episcopo competere ratione Ordinis Episcopalis ex *Can. Ministrare, 23. q. 6.* contra *Villadiegum l. c. num. 7. & 8.* qui prædictam Benedictionem Episcopo competere putat non ratione Ordinis, sed Iurisdictionis, & Dignitatis, nec fortasse improbabiliter.

5 Colligo, quamuis ex *Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 14. §. 1. nu. 10.* talis quis esse existimetur, qualis vestitu indutus proficiscitur *arg. Cap. In audientia nostra, de sent. Excommun.* tamen aliud esse, quod Sacerdos, vel Episcopus per talem habitum ostendat se Sacerdotem, vel Episcopum, quod vtique verum est: aliud est, quod, quicquid tunc in tali habitu agunt, agant ex officio, vel ex Ordine suo, quod vtique falsum est. Si enim tunc in tali habitu

recitent

recitent v.g. Litanias B.V. non inde protinus illæ erunt actus Ordinis, nec proinde Officium Diuinum, & Ecclesiasticum; etiamsi illi forte intenderent facere Actum Ordinis: neque enim hoc ex illorum intentione tantū pendet, neque ex tali habitu tantum; sed ex Ecclesiæ institutione, vel consuetudine, quæ talem actum tali Ordini Sacro deputarit, vt superius explicatum est; Ideoque, si in Ecclesia Polluta intenderent actum Ordinis exercere, & ille actus verè Ordinis actus non esset, affectiuè tantum; sed non effectiuè contra Pollutionem Ecclesiæ agerent.

CAPVT XXXX.

An in Ecclesia Polluta à Iure prohibeatur Benedictio, seu Purificatio mulieris post partum.

SVMMARIVM.

Variæ DD. sententiæ quo ad hanc quæstionem referuntur, num. 1.

Introductio Puerperæ in Ecclesiam alia Priuata, alia Solemnis, & quid vtraque sit, num. 2.

Solemnitas prædicta Introductionis esse potest, vel Substantialis, vel Accidentalis eidem actui, num. 3.

In Ecclesia Polluta iuxta probabiliorem sententiam quomodo non prohibeatur per se Benedictio, seu Purificatio mulieris post partum; sed tantum per accidens, num. 4.

Cur hoc ipsum dici non possit de Epistola, vel Euangelio solemniter in Missa à Subdiacono, vel Diacono prolatis, num. 5.

1 Aduerto 1. DD. in hac quæstione valde inter se discordes videri: multi enim absolute affirmant, multi absolute negant, & multi etiam distinguunt inter Solemnem, & Priuatam Introductionem Puerperæ in Ecclesiam: vnde solemnem à Iure prohibitam esse docent; non autem Priuatam.

2 Aduerto 2. solemnem puerperæ introductionem hic eam dici, quæ fiat per Sacerdotem cum stola, & habitu Sacerdotali, ac solita psalmodia; priuatam vero introductionem, quæ fiat sine prædicta solemnitate, i. sine stola, & ornatu sacerdotali, vt expresse docuit *Rodriq. qq. Regular. tom. 2. q. 109. art. 2. versic. 4.* Hinc

3 Aduerto 3. prædictam solemnitatem esse posse, tali mulieris introductioni vel substantialem, ita vt talis actus cum tali solemnitate sit peculiariter Ordini sacerdotali ab Ecclesia deputatus, ac proinde sic Diuinum, & Ecclesiasticum Officium sit; secus autem sine illa: vel eidem Introductioni accidentalem tantum, ita vt talis actus ex se tam cum illa, quam sine illa solemnitate semper idem sit, & consequenter vel ex se semper actus Ordinis Sacerdotalis, & Diuinum Officium, vel certe ex se nunquam eiusmodi haberi debeat; licet per accidens ratione solemnitatis accidentalis alicuius ibi forte illicitæ illicite is quoque ibi fiat, prout de similibus alijs ratione *Dominus vobiscum, &c.* iam dictum est superius *Cap. 32. num. 6.*

4 Dico probabilius mihi videri, quod in Ecclesia Polluta nequaquam per se à Iure prohibeatur Benedictio, seu Purificatio, vel Introductio mulieris post partum; quamquā per accidens ob prædictam solemnitatem illi actui accidentalem, quæ ibi vel ratione fortasse scandali ex vsu sacerdotalis ornatus, vel certe ratione Orationis cum versiculo *Dominus vobiscum, &c.* illicita est, etiam actus ille ibi cum ea solemnitate illicite fiat. vnde sic conciliari posse videntur DD. qui alioqui in modo loquendi inter se oppositi censeri possunt, vt colligi potest ex *Nauar. in sum. c. 27. nu. 176. Vgolin. de Censur. tab. 1. c. 14. §. 1. num. 5. & tab. 5. c. 8. num. 4. Sylvest. V. Interdictum 5. num. 6. q. 4. Henriq. lib. 13. cap. 44. §. 2. Rodriq. l. c. Suar. de Censur. disp. 34. sect. 3. num. 8. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 5. num. 45. Filliuc. tr. 18. c. 3. num. 79. & Reginald. 32. c. 28. num. 32. licet Megal. Instit. Confess. par. 3. lib. 2. cap. 46. n. 6.* & alij absolute affirment prædictum actum esse Diuinum Officium; *Bassaus* autem *in Flor. Theol. V. Interdictum 2. num. 12.* & alij id absolute negent.

5 Colligo hinc idipsum, quod modo dicebamus de prædicta Puerperæ Introductione in Ecclesiam Pollutam, inferri non posse de Subdiaconis, & Diaconis ibidem cantantibus Epistolam, & Euangelium in Missa cum apparatu Subdiaconali, & Diaconali, eos scilicet actus esse ibi accidentaliter tantum, ratione scilicet talis ornatus, Ordini Sacro deputatos, & non substantialiter tales, vt diximus *Cap. 34. & 35.* constat enim ex ipsa prædictorum Ordinum collatione illud Officium ab Ecclesia ijs deputatum fuisse, licet consuetudo alicubi id alijs etiam Clericis, vel Laicis commune fecerit; sed prædictam Puerperæ Introductionem per se, & proprie Ordini alicui ab Ecclesia deputatam fuisse non constat.

CAPVT

CAPVT XXXXI.

An in Ecclesia Polluta per se à Iure prohibeantur Benedictiones Cereorum in die Purificationis, Ramorum in Dominic. Palmarum, & similes.

S V M M A R I V M.

Quænam Benedictiones communiter Ordini Sacerdotali deputatæ videantur, num. 1.

Regula hic ab aliquibus tradita non sufficit, vt inde certo cognoscamus hanc, vel illam Benedictionem per se Ordini Sacerdotali deputatam esse, num. 2.

Vndenam prædictu deputatio constare soleat, num. 3.

*In Ecclesia Polluta per se à Iure prohibitæ censentur Benedictiones Aquæ lustralis, Candelarum, Cinerum, & Ramorum, num.*4.

Etiamsi in prædictis Benedictionibus particula Dominus vobiscum, & c. *omitteretur, num.* 5.

1 ADuerto 1. à *Suar. de Censur. disp.* 34. *sect.* 3. *nu.* 9. generaliter asseri, quod omnis sacra Benedictio ab Ecclesia cum peculiaribus cæremonijs, & deprecationibus instituta communiter Ordini Sacerdotali deputari, & sub generali Diuinorum Officiorum per Ecclesiasticum Interdictum prohibitorum appellatione comprehendi soleat, licet Nauarrus exceptiones aliquas apponat. Sed

2 Aduerto 2. bene dictum fuisse *communiter*, non autem semper, neq. enim sufficere videtur generalis regula prædicta ad hoc, vt certo affirmare possimus hanc, vel illam Benedictionem sine dubio per se deputatam fuisse ab Ecclesia Ordini Sacerdotali, nisi id nobis aliunde constet, vnde

3 Aduerto 3. id nobis constare solere vel ex ipsa Ordinis collatione, & sacris Iuribus, vel ex consuetudine, & vsu Ecclesiæ, vel ex communi interpretatione Doctorum, prout innuit *Suar. l. c.* & nos etiam superius indicauimus. dixi autem *per se*, quia etiam Benedictiones ipsæ mere Laicales aliquando *per accidens* Ordini Sacerdotali deputatæ videri possunt, quando scilicet ratione particulæ *Dominus vobiscum*, vel ratione ornatus sacerdotalis ex non nisi ab Ordinatis licite cum his accidentalibus solemnitatibus fieri queunt. prædictis igitur inhærendo

4 Dico in Ecclesia Polluta per se à Iure prohibitas censeri infrascriptas Benedictiones; nimirum Aquæ Benedictæ, siue lustralis; Cereorum, seu Candelarum in Festo Purificationis: Palmarum, siue Oliuarum in Dominica, quæ Palmarum proinde appellatur: & Cinerum feria quarta inde etiam Cinerum dicta, vt patet ex *Can. Aquam, de consecrat. dist.* 3. *Vgolin. de Censur. tab.* 1. *c.* 14. *§.* 1. *n.* 9. *Nauar. in Man. c.* 27. *num.* 174. *&* 177. *Sayr. in Thesaur. l.* 5. *c.* 6. *Megal. Institut. Confess. p.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *num.* 8. *Suar. de Censur. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 2. *Bonacin. l. c. Rodriquez qq. Regul. tom.* 2. *q.* 109. *art.* 1. *&* 2. *nec non in Addit. ad Bull. Cruc. §.* 5. *num.* 22. *Fernand. in Exam. Theol. Moral. par.* 2. *cap.* 12. *§.* 1. *nu.* 10. *Bassæo in Flor. Theol. V. interdictum* 2. *num.* 12. & alijs passim ob eam potissimum rationem, quod hæ Benedictiones per se, & ex natura sua substantialiter Ordini Sacerdotali deputatæ censentur, & sunt idcirco non solum Diuina Officia, sed Solemnia prædictorum dierum. Quapropter hinc

5 Colligo, etiamsi in prædictis Benedictionibus non diceretur *Dominus vobiscum* adhuc eas per se, & ex natura sua proprium Sacerdotalis Ordinis actum, & inde Diuinum, atque Ecclesiasticum Officium fore, quod de omnibus alijs Benedictionibus vere asseri nequit, vt constat ex superius dictis.

CAPVT XXXXII.

An in Ecclesia Polluta per se à Iure interdicantur Benedictiones, seu Consecrationes ab Episcopis præcipue fieri solitæ.

S V M M A R I V M.

Episcopatus an sit Ordo, & Sacramentum, necne, num. 1. *&* 2.

Actus, qui Iure ordinario ad Episcopos, & huc spectant, præcipui referuntur, num. 3.

In Ecclesia Polluta per se à Iure interdicti sunt actus omnes, qui Iure ordinario ad Ordinem Episcopalem pertinent, num. 4.

Etiamsi prædictorum actuum aliqui ex Pontificio Priuilegio ab Abbate, vel etiam a simplici Sacerdote fierent, ibid.

Reconciliare Ecclesiam consecratam Pollutam, licet sit actus Ordinis Episcopalis, cur tamen in ea interdictum non sit, num. 5.

1 Aduer-

1 ADuerto 1. quia Episcopatum negant esse Ordinem, aut Sacramentum multi Theologi, teste *Suar. de Censur. disput.* 12. *sect.* 2. *num.* 20. inter quos est *Richard. in* 4. *dist.* 24. *art.* 5. *q.* 2. *Bonauent. d. dist.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 3. *Scot. Sot. Turrecremat.* aliique plures relati à *Vasquez in* 3. *p. disp.* 240. *c.* 2. *&* à *Castropal. p.* 4. *tr.* 27. *disp. vnic. punct.* 3. *nu.* 2. idcirco hic etiam ab aliquibus negari, vel saltem dubitari posse, num actus Episcoporum proprij ex officio vere, & proprie sint actus Ordinis, & Officia Diuina. verum

2 Aduerto 2. siue Episcopatus constituat diuersum Ordinem à Sacerdotio, siue potius Sacerdotium is perficiat, & compleat, certe Ordinem esse, vt manifeste colligi videtur ex *Trident. sess.* 23. *c.* 4. & consequenter esse verum Sacramentum, quod pluribus probat *Bellarminus de Ordin. c.* 5. *Laym. l.* 5. *tr.* 9. *c.* 4. *concl.* 2. *Coninch. de Sacram. disp.* 20. *dub.* 6. *n.* 43. qui hanc sententiam iam fere communem esse testatur, *Vasquez l. c.* 4. qui negantes graui dignos nota dicit, *Mich. de Medin. de sac. homin. contin. c.* 15. qui eosdem asserit periculosè discurrere, *Petr. Sot. de Sacram. Ordin. lect.* 4. qui eos audacter Hæreticos esse putat, & *Caramuel in Theolog. Fundamental. fundament.* 71. *conclus.* 9. *num.* 1357. qui mihi multorum, ne dicam omnium, instar est.

3 Aduerto 3. inter ea, quæ Iure Ordinario ad Episcoporum munus, & huc spectant, hæc à DD. numerari in primis solere: Episcopos, Aras, seu Altaria, Calices, Patenas, Campanas, Virgines, Reges, Corporalia, & vestimenta sacra Sacerdotis, vel Altaris, Abbates, Abbatissas, & c. Benedicere, vel respectiue consecrare: Primam Tonsuram conferre: Clericos re ipsa degradare, & similia, quæ videri possunt apud *Vgolin. de Censur. tab.* 1. *c.* 14. *§.* 1. *num.* 3. & fusius *de Officio, & Potest. Episcop. p.* 2. *à cap.* 25. *ad* 32. *inclusiue*, nec non apud *Suar. l. c. à num.* 20. *Fillinc. tr.* 12. *num.* 100. *Viuald. de Interdict. num.* 225. *Bonacin. de Interd. disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 3. *Iordan. Elucubrat. diuers. tom.* 1. *Prælud.* 3. *&* 4. *& Barbos. de Offic. & Potestat. Episcop. part.* 2. *in Compend. à numer.* 35. vnde

4 Dico in Ecclesia Polluta per se à Iure interdictos esse actus omnes, qui Iure ordinario ad Ordinem Episcopalem pertinent, etiamsi prædictorum actuum aliqui alias ab Abbate, vel etiam à simplici Sacerdote ex Pontificio Priuilegio fierent, quia semper, & substantialiter ij reuera sunt actus proprij Ordinis Sacri, ideoque non nisi à Sacerdote fieri possunt. Si enim Benedictio Aquæ lustralis, vt iam superius ostendimus, est actus Ordinis Sacerdotalis, quia actus ipse, & determinatio eius ad talem ministrum est ex institutione Ecclesiæ, multo magis de prædictis actibus idipsum dicendum est, cum omnes vel ex institutione Christi, vel ex institutione Ecclesiæ ad Episcopos positiue, vt loquitur *Suar. l. c.* ad Sacerdotes permissiue, media scilicet concessione Pontificis, ita pertineant, vt inferioribus ministris concedi non possint. vt clare videre est apud *Suar. l. c. Gibalin. de Irregularit. c.* 5. *q.* 2. *conclus.* 15. *versic. Quarto, & seq. nec non Barbos. et Iordan. ll. cc.*

5 Colligo, licet Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ, & Pollutæ sit actus Ordinis Episcopalis; tamen eam non esse in Ecclesia Prædicta interdictam, quia talis actus eam facit de Polluta non Pollutam, vnde non perficitur in Ecclesia Polluta, nec est contra prædictæ Pollutionis impedimenta, cum ea tollat, & id à Iure ipso præcipiatur, non prohibeatur, vt per se patet.

CAPVT XXXXIII.

An in Ecclesia Polluta per se à Iure interdictum sit Crucem, vel Reliquias, vel Eucharistiam publice adorandam exponere, & similia facere.

SVMMARIVM.

Crucis adoratio, quæ in die Parasceues fit, dupliciter fieri potest, num. 1.

Sacrarum Imaginum, vel Statuarum, vel Reliquiarum ostensio, & adoratio non venit nomine Diuini Officij, num. 2.

Campanæ licite pulsari possunt in quolibet Interdicto ad ea, quæ non sunt Diuinum Officium, ibid.

Eucharistiam licite Sacerdos, postquam ab ea ministranda Infirmo redit ad Ecclesiam tunc forte Pollutam, ostendit populo, illique cum ipsa benedicit, num. 3.

In Ecclesia Polluta à Iure per se non interdicitur Crucis, Reliquiarũ, aut Eucharistiæ ipsius manifestatio, si hac fine Officio Diuino fiat, n. 4.

Oratio Populi ad Eucharistiam, quæ solemniter exposita sit, publice orantis cur Publica non sit, sed Priuata, num. 5.

Oratio proprie Publica quænam sit. ibid.

ADuerto 1. quod ad Crucis adorationem attinet, præcipue in die Parasceues, dupliciter eam fieri posse ex *Calder. de Interd. membr. 6. num. 90. Nauar. in Man. c. 27. nu. 276. Enriq. Vgolin.* & alijs apud *Sayr. de Censur. l. 5. c. 5. num. 42.* Primo cum illis publicis precibus, seu laudibus Diuinis ab Ecclesia pro tali die, & actu institutis, quæ reuera sunt Diuinum Officium, cum sint pars Officij Ecclesiastici illius diei, ac proinde in Ecclesia Polluta à Iure interdicantur. Secundo sine prædictis precibus, & laudibus; licet tunc etiam talis adoratio Crucis publice fiat, & à Clericis ipsis, sed Laicorum more.

2 Aduerto 2. quo ad Reliquias, sacras Imagines, vel Statuas, & similia publice proponenda, & adoranda, cum neque illarum expositio, vel ostensio, neque illarum adoratio sint aliquid alicui Ordini deputatum, si in tali casu alia omnia omittantur, quæ Diuinum Officium sint, prædicta nullo modo Diuinorum Officiorum nomine venire, nec proinde per Ecclesiæ Pollutionem prohibita censeri, prout dixit *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 8. num. 2. Rodriq. qq. Regul. q. 109. art. 2. versic. Aduertendum tamen. Nauar. l. c. n. 277. Auil. de Censur. par. 4. disp. 4. sect. 2. dub. 19. & Bonacin. de Interd. disp. 5. punct. 4. num. 7.* qui etiam subdunt posse tunc populum ad prædictorum ostensionem, & adorationem campanarum sono conuocari: licite enim Campanæ pulsari possunt ad indicandum, & notificandum populo rem aliquam, quæ non sit Officium Diuinum, vt DD. prædicti asserunt, & expressissime omnium *Couarruuias in Cap. Alma mater, p. 2. c. 4. §. 3.* dicens: *Intelligenda est hæc prohibitio cymbalorum, & campanarum, quæ hic fit, quo ad Horas Canonicas dicendas, & quo ad Missarum solemnia celebranda; non tamen quo ad alia.* cum quo mirabiliter consonat *Quintanad. in Appendic. ad singular. tr. 1. dub. 17. num. 3. & seq.*

3 Aduerto 3. quo ad Eucharistiam publice, & solemniter manifestandam, & adorandam certum videri, quod, delato Viatico ad infirmum, liceat inde in Ecclesia Polluta Eucharistiam populo adorandam ostendere, illique cum ipsa benedicere, vt iam superius innuimus *cap. 20. num. 5.* & aperte docet *Enriq. l. 13. c. 45. num. 2.* & cum multis *Sayr. l. c. c. 7. num. 28. & Castropal. p. 6. disp. 5. punct. 4. §. 1. num. 10.* vnde, per se loquendo,

4 Dico in Ecclesia Polluta nec Crucis, nec Reliquiarũ, nec ipsius Eucharistiæ solemnem manifestationem, si sine vllo Officio Diuino fiat, à Iure prohibitam esse. de Crucis adoratione, etiam in Feria sexta Hebdomadæ Sanctæ, sed sine Diuino Officio, constat ex *Nauar.* & Recentioribus apud *Rodr. d. q. 109. art. 2.* de Eucharistia autem loquendo, *non est prohibitum*, inquit *Armilla V. Interdictum num. 45. inspicere Hostiam extra pyxidem, & adorare tempore Interdicti.* concinunt *Viuald. de Interd. n. 208. Enriq. l. c. lit. T. Hier. Rodriq. resolut. 80. num. 14.* & latissime *Quintanad. l. c. dub. 16. num. 6. & seq.*

5 Colligo, licet congruum videatur, vt Eucharistia in Ecclesia Polluta, si commode in alia non Polluta id præstari possit, non exponatur populo adoranda, ne forte Pollutionis prædictæ ratio inde nihili pendi videatur; tamen idipsum ibi quoque absque Pollutionis Ecclesiasticæ violatione fieri, cum proinde nulla ibi Diuina Officia celebrentur, quæ sola per prædictam Pollutionem ibi à Iure interdicuntur. Preces enim populi ibi ante Eucharistiam publice orantis, quamuis alicubi vulgo Oratio Publica dicantur; nihilominus proprie, & essentialiter Orationes priuatæ (quæ in Ecclesia Polluta à Iure non prohibentur) illæ sunt, & accidentaliter tantum publicæ, i. quatenus in publico fiunt, vt clare colligitur ex *Suar. de Relig. tom. 2. l. 3. c. 2. num. 2.* docente iuxta communem DD. sententiam Orationem essentialiter, seu substantialiter Publicam eam tantum esse, quæ fit à Persona per Ecclesiam deputata ad orandum nomine Ecclesiæ, & modo ab Ecclesia præscripto, ac proinde iuxta præscriptam aliquam verborum formam, quod in nostro casu abesse supponimus.

CAPVT XXXXIV.

An in Ecclesia Polluta à Iure interdicta sit Commendatio Animę, nec non Confessio, & Absolutio Generalis.

SVMMARIVM.

Confessionis, & Absolutionis generalis nomine quid hic intelligi debeat, num. 1.

Prædicta Confessio, & Absolutio cur à Iure Interdicta non sit in Ecclesia Polluta, ibidem.

Officium Commendationis animæ, quod cum moribundis præstatur, cur in Ecclesia Polluta à Iure non prohibitum aliqui dixerint, num. 2. & 3.

Prædictum Officium non est proprie Diuinum, & Ecclesiasticum, & ideo à Iure ibi non est interdi-

terdictum num.4.

Quid si illud ibi fieret à Sacerdote cum superpelliceo, & stola? num.5.

Quid si tunc ibi ab eodem diceretur etiam, Dominus vobiscum? ibid.

1 ADuerto 1. vt ab hoc vltimo initium sumamus, per Confessionem, vel Absolutionem generalem hic innui ritum illum præcipue apud Hispanos celebrem, qui quidem varius videtur, quo ad accidentalia; sed idem re ipsa, quo ad substantialia, censetur. illum describit *Caramuel. in Theol. Fundamental. Fundament.* 71. *nu.*352. his verbis: *Apud Hispanos Pastor post Euangelium die Dominica Sanctorum Festa, quæ in sequentem hebdomadam incidunt, exponit, subiungitque:* Qui mortali aliquo peccato irretitur, suo tempore confitebitur; omnes vero ob peccata venialia dicent mecū: Confiteor Deo, &c. *additq.* Indulgentiam, & absolutionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. & inde prædicta absolutio ab eodem *Caramuele ibidem Dominicalis* vocatur, prout *Solemnis* dicitur ea, quæ Hispanorum more diebus aliquibus festiuis in Ecclesia cantatur, teste etiam ipsomet *Caramuele l. c. Antonius Gomecius in Bull. Cruciat. ad clausul.* 5. & 6. *num.* 43. eandem nominat *Absolutionem à venialibus*, quā cum *Rodriq.qq.Regul.tom.*2.*q.*109.*art.*2. *vers. Quarto potest.* post Prædicationem fieri solere affirmat. Alij autem passim eam *Confessionis, & Absolutionis generalis* nomine appellant, vt videre est apud *Cardin. in Cap.Tanta, nu.*9. *de Excessib. Prælat. Calderin.de Interdict. par.*1. *num.*90. *Syluest.V.Interdictum* 5. *qu.* 6. *except.*3. *num.*9. *Nauar.c.*27.*num.*276. *Rodriq. l.c. Sayr.de Censur.l.*5.*c.*5.*num.*39.& *Bassaum in Flor.Theol. V. Interdictum* 2. *num.* 12. cum quibus etiam puto prædictam Cōfessionem, & Absolutionem in Ecclesia Polluta à Iure prohibitam nō esse, quia Diuinum Officium non est; licet aliqui crediderint eam vere esse Officium Diuinum, sed, concessa ibi Sacramentali Confessione, vt iam *Cap.*19.*nu.*4. dictum est, concessam etiam videri Confessionem, & Absolutionem generalem, quæ ad peccatorum pariter emundationem ordinatur, inter quos enumerantur *Syluest. & Rodriq. ll. cc. Vuald. de Interdict. num.* 224. *Angel.V. Interdictum* 6. *nu.*20. & *Enriq.l.*13. *c.* 44.*§.* 2. Hinc

2 Aduerto 2. quod prædicti DD. vltimo loco allati dixerunt de Confessione, & Absolutione generali, idipsum quoque à multis apud *Alter. de Interd. disp.*5. *c.*5. *vers. Quare primo,* & alios, asseri de Officio Commendationis Animarum morientibus exhiberi solito: nimirum hoc etiam in Ecclesia Polluta fieri posse, quem supra *Cap.*21. *num.*3. descripsimus, ibi contingat, permissum videri, quia ibi Pœnitentiæ quoque Sacramentum permittitur, cū quo illud annexum videtur. Sed hæc ratio ab alijs re vera, vt rem bene perpendenti planum fiet, ad intentum probandum non satis efficax apparet. Quare

3 Aduerto 3. à *Sayro, & Alterio ll. cc.* nec non ab alijs aliam afferri rationem, propter quam à Iure prædictum Officium Commendationis animarum in Ecclesia Polluta non prohibeatur: quia probabile, inquiunt, non est, quod Ecclesia velit infirmum in illo vltimo discrimine periclitantem, & moriturum priuare prædicto auxilio, quod tantopere spirituali ipsius Infirmi saluti confert. Verum, quicquid etiam sit de hac ipsa ratione,

4 Dico prædictum Officium Commendationis animarum à Iure in Ecclesia Polluta interdictum non esse, quia est tantum Oratio conferens animæ moribundi, non autem Officium Diuinum, & proprie Ecclesiasticum, vt expresse docuerunt *Vuald. Nauar. & Bassaeus ll. cc. Megal. Instit. Confess. p.*3 *l.*6. *cap.*2. *num.*8. *Rodriq. vbi supra, versic. Potest etiam Sacerdos. & in Addit.ad Bull.Cruc.§.*5. *num.*31. *Filliuc.tr.*18.*c.*3. *num.*79. *Escobar in Sum. Theol. Moral. tr.* 4. *exam.* 4. *c.* 2. *versic. De secundo*, & alij.

5 Colligo, etiamsi prædictum Officium ibi fiat à Sacerdote cum superpelliceo, & stola; inde tamen illud ibi non videri per se à Iure prohibitum per ipsam Pollutionis Ecclesiasticæ Interdictionem, talis enim solemnitas non videtur facere tale Officium ex priuato Publicum, & Ecclesiasticum, cum ea illi tunc accidentalis tantum habeatur, prout diximus de Concionante cum eodem habitu. Dixi *per se*, nam aliquando, vt sæpius repetitum est, ratione scandali, vel contemptus, vel similium extrinsecus aduenientium, id simul illicitum fit, quod alioqnin per se licitum esset. Vnde *Enriq. l. c.* in hoc nostro casu asserit Sacerdotem non debere dicere *Dominus vobiscum*, quia hoc, inquit, ad Diaconi Officium pertinet, quod in alijs alibi nos etiam monuimus.

CAPVT XXXXV.

An in Ecclesia Polluta à Iure prohibitum sit Excommunicare, Excommunicatum Absoluere, & similia præstare.

SVMMARIVM.

Excommunicare, Suspendere, Interdicere, ab his Absoluere, Ecclesias Visitare, Beneficia Conferre, & c. sunt actus Iurisdictionis, num. 1.

Absolutio ab Excommunicatione quandonam dicatur Solemnis, & quandonam sine Solemnitate, num. 2.

Solemnem prædictam Absolutionem in Ecclesia Interdicta nequaquam à Iure prohibitam asserit communis sententia, ibidem, & num. 3.

Syluester *cur contrariam teneat, eiusdemque argumento satis fit. ibid.*

Quæ à Iure non prohibentur in Ecclesia Interdicta, multo minus prohibentur in Polluta. ibidem.

In Ecclesia Polluta per se à Iure non prohibentur actus vlli Iurisdictionis, num. 4.

Actus Iurisdictionis per se non veniunt nomine Diuinorum Officiorum, nec sunt adeo sacri, vt actus Ordinis. ibid.

Professio Religiosa quanam, & cur à Iure prohibeatur, vel non prohibeatur in Ecclesia Interdicta, vel Polluta, num. 5.

1 ADuerto 1. rem indubiam esse, quod Excommunicare, prout etiam Absoluere ab Excommunicatione, sit actus Iurisdictionis, vt patet ex *Gloss. Can. Nemo, 2. q. 1.* & docet *Innocent. in Cap. Tanta, de Excess. Prælat num. 3. Maiol. de Irregularit. l. 3. c. 2. num. 5. Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 5. §. 2. nu. 3.* & cæteris passim, idemque dico de actu ipso Suspendendi, Interdicendi, & c. & ab his omnibus Absoluendi, item Indulgentias cōcedendi, Beneficia conferendi, Postulandi, Eligendi, Confirmandi, Præsentandi, Ecclesiam Visitandi, Castigandi, Iudicandi, & similibus aliis Iurisdictionalibus actibus, qui videri possunt apud *Vgolin. l. c. cap. 10. §. 2. Abbatem in Cap. 1. num. 33. de Postulat. Prælat. Fusc. de Visitat. l. 2. c. 32. num. 2. Sigism. à Bonon. de Elect. p. 1. c. 2. dub. 16. num. 5. & 6. Sayr. in Thesaur. l. 7. c. 10. num. 10.* & plures alios à prædictis adductos. Verum

2 Aduerto 2. actum ipsum absoluendi Excommunicatum ab Excommunicatione dupliciter, 1. vel Solemniter, vel absque solemnitate, fieri posse: Solemniter tunc fieri dicitur, vt constat ex *Innocent. Abbat. & Vgol. ll. cc.* quando cum ea habitus, & precum solemnitate fit, quæ vel Episcopatem, vel Sacerdotalem Ordinem requirat, & eius Ordinis actus, & proinde Diuinum Officium censeatur, prout habetur in *Can. Cum aliquis, 11. q. 3. & Cap. A nobis, 2. de sent. Excōmunicat.* Non solemniter autem tunc fit, quando simpliciter absolutio ab Excommunicatione datur sine prædicta solemnitate.

3 Aduerto 3. quamuis communis DD. sententia solemnem, prædictam Excommunicati Absolutionem, vt potè actum Iurisdictionis simul, & Ordinis, ideoq. Diuinum, & Ecclesiasticum Officium, in Ecclesia Interdicta prohibitum asserat; tamen pro contraria sententia videri *Syluestrum V. Interdictum 5. num. 9. q. 6. except. 3. in fin.* Si enim, inquit, possum in Ecclesia Interdicta (& consequenter, immo multo magis, in Polluta tantum, vt bene inferunt *Marchinus tr. de Ordine, & Iordanus tom. 1.* vbi de Ecclesiæ Pollutione agunt) aliquem absoluere à peccatis, quod est Ordinis, cur non possum etiam absoluere solemniter Excommunicatum, licet sit Ordinis, cum prius ille ab Excommunicatione, quam à peccatis absolui debeat? Sed, cum sufficiat Excommunicatum absoluere sine Solemnitate, vt postea etiam à peccatis absolui possit, prædicta *Syluestri* ratio corruere videtur. vnde

4 Dico in Ecclesia Polluta per se à Iure non prohiberi actus vllos Iurisdictionis. Dixi *per se*, quia *per accidens* aliquando prohiberi videntur, quando annexum habent Officium aliquod proprie Diuinum, & Ecclesiasticum, & tunc idcirco dicuntur actus nō Iurisdictionis tantum, sed simul etiam Ordinis ob prædictam connexionem cum aliquo Officio Diuino. Ratio conclusionis est, quia actus Ordinis, & Iurisdictionis diuersi omnino sunt, ita vt illi quidem; sed non illi Diuinorum Officiorum nomine veniant, nec proinde per Interdictum, aut Ecclesię Pollutionem prohibeantur: actus enim, qui sunt solius Iurisdictionis, & non Ordinis, per prædicta non prohibentur. ita expresse *Suar. de Censur. disp. 12. sect. 2. num. 21. Enriquez l. 13. c. 45. n. 2. Vgolin. l. c. c. 7. §. 5. Sayr. l. c. & l. 5. c. 7. n. 26. Bonacin. de Censur. disp. 5. punct. 3. §. 2. num. 1. Castrop. l. p. 6. disp. 5. punct. 4. §. 1. num. 10.*

Alter.

Alter. de Interd. disp.5. cap.5. in fin. Nauar. in Man. c. 27. num. 276. Megal. Instit. p. 3. l. 6. c.2. num.8. Vgald. de Interdict. num.224. Rodriq. qq. Regul. tom. 2. q.109. art.2. vers. Septimo, Coninch. de Censur. disp.17. dub.2. num.40. & Gibalin. de Irregularit. c.5. q.2. consectar.14. num.32. qui proinde docet Actus Iurisdictionis adeo sacros non esse, atque Actus Ordinis.

5 Colligo idipsum etiam per se dicendum esse de Emissione, vel Admissione Religiosæ Professionis: *Per se* enim nec Emissio mera Professionis prædictæ videtur Oratio Publica, aut vllum Diuinum Officium; nec Admissio mera illius, vt bene aduertit *Bassæus V. Religio 3. num.10. vers. An autem*, est actus Ordinis, sed Iurisdictionis, aut cuiusdam Superioritatis tantum, cum publico Ecclesiæ, & Religionis nomine id fiat. dixi *per se*, quia simul cum prædicta Emissione, & Admissione professionis, vt plurimum coniungi solent quædam Preces, Hymni, Cantica, Orationes, Benedictiones, & alia ad Diuinum, & Ecclesiasticum Officium spectantia, ratione quorum, quasi per accidens, Solemnis hæc Professio à Iure in Ecclesia Interdicta, vel Polluta prohiberi censetur, & sic intelligi debent *Enriquez l.13. c. 44. num. 1. Alter. de Interdict. disp.5. c.5. vers. Item tempore interdicti, & Bonacin. de Censur. disput. 5. punct. 4. num. 3.* cum de Solenni tantum Professione loquantur.

CAPVT XXXXVI.

An in Ecclesia Polluta Ecclesiæ Suffragia, & Indulgentias consequi possimus.

SVMMARIVM.

Suffragium quid sit, num. 1.

Indulgentia quomodo accipiatur tum à Profanis, tum à Sacris Scriptoribus, num. 2.

Pollutioni Ecclesiasticæ non plures effectus tribuendi sunt, quam Ius ipsum statuat, num. 3.

Ecclesia, si Polluta fiat, cur non amittat inde Indulgentias, quas ante ex habebat, num. 4.

Quomodo quis per accidens in Ecclesia Polluta impediri possit à consecutione prædictarum Indulgentiarum. ibid.

Nemo à participatione Suffragiorum, & bonorum Ecclesiæ excluditur ex Ecclesiæ Pollutione. ibid.

Ecclesiæ Pollutæ, si contingat, & nondum reconcilietur, an remaneat adhuc Polluta, & pristinas habeat Indulgentias, num. 5.

1 ADuerto 1. licet suffragium proprie apud Latinos sit quædam Authentica voluntatis significatio, quæ vel in creandis Magistratibus, vel in Reo iudicando, vel in lite decidenda, vel in similibus fieri solet, vt videre est apud *Tull. 3. de Legib.* nihilominus, quia prædicta voluntatis significatio plerumque vtilis esse solet ei, pro quo fit, vt bene aduertit *Castropal. p. 4. tr. 24. punct. 1.* hinc factum esse, vt Theologi cum *D. Th. in 4. dist. 45.* Suffragij nomine appellent Auxilium, & fauorem, quem vnus Fidelis alteri suis bonis operibus impendit.

2 Aduerto 2. à Latinis quidem tam varie acceptum fuisse Indulgentiæ nomen, vt nonnumquam in malam etiam partem, hoc est, pro nimia quadam licentia non satis rationi consentanea, illud vsurparint; sed à Sacris Concilijs, & Sanctis Patribus semper Indulgentiæ nomine intelligi iustam, & liberalem debiti remissionē iuxta textum in *Cap. Quod autem, de Pœnit. & Remiss. & Cap. Indulgentiæ, eod. tit. in 6.* nec non *Can. Si quem, §. Indulgentia, 2. quæst. 3. & Extrauag. Vnigenitus, de Pœnit. & Remiss.* & in hac acceptione communiter à DD. *Indulgentia* dicitur esse *Relaxatio pœnæ temporalis Deo debitæ pro peccatis actualibus remissis facta extra Sacramentum ab habente talem facultatem homini existenti in gratia per applicationem communis thesauri Ecclesiæ*, apud quos hæc omnia fuse explicata passim videri possunt.

3 Aduerto 3. cum nec Interdictum, nec Ecclesiæ Pollutio plus operentur, quam à Iure statutum sit, cumq. nullo Iure habeatur, quod Ecclesiasticum vllum Interdictum, aut Ecclesiastica ipsa Pollutio Personas, aut Loca prædictis bonis priuet; propterea nec Interdicti, nec Pollutionis impedimenta, cum pœnalia sint, extendenda esse, nec plures, quam Ius Ecclesiasticum statuat, effectus ijs tribuendos, vt optime docuit *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 9. num. 6. Bonacin. disput. 3 de 1. Eccl. præcep. quæst. 7. §. 2. Peregrin. de Immunit. c. 4. num. 14.* & cum multis *Th. del Bene de Immunit. & Iurisd. c. 16. dub. 9. sect. 3. & 4.* Hinc

4 Dico Ecclesiam Pollutam non amittere Indulgentias, quæ alias conceduntur eam visitantibus, vel in ea orantibus, &c. ita vt nemo ex prædictæ Pollutionis vi ab earum consecutione excludatur. Ratio autem iam allata est, quia scilicet nullibi hoc cauetur.

per

per accidens tamen aliquando impediri quis potest, ne eas lucretur, si v. g. ibi nequeat ob Pollutionis Ecclesiasticæ impedimentum ea præstare, quæ ad eas consequendas necessaria essent, & c. ita expresse *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 16. §. 4. Sayr. in Thesaur. l. 5. c. 9. num. 27. Bonacic. de Interdict. disput. 5. punct. 6. in fin. num. 4. Castropal. p. 6. disput. 5. punct. 4. §. 5. num. 2. & Quintanad. in Append. tr. 1. dub. 17. num. 4. in fin.* & idipsum multo magis dicendum est de priuatione Suffragiorum, & bonorum Ecclesiæ, ex nullo enim textu colligitur hanc priuationem vlli Interdicto, aut Ecclesiasticæ Pollutioni annexam esse, vt ex prædictis omnibus liquet. vnde nemo in Ecclesia Polluta, si ex culpa, & peccato non impediatur, à prædictorum bonorum participatione nequaquã exclusus censeri debet.

5 Colligo, sicut Ecclesia; licet sit Interdicta, vel Polluta; non ideo tamen desinit esse simpliciter Ecclesia, vnde non amittit inde suam Sanctitatem, Immunitatem, Indulgentias, & reliqua priuilegia, quæ antea habebat, & quæ per Interdicti, vel Pollutionis effectus à Iure statutos non tolluntur, ita, postquam Polluta est, si corruat, & ibidem reædificetur, eam adhuc mihi videri Pollutam; licet apud alios valde dubium sit, num ea inde priuetur pristinis Indulgentijs, aut Consecratione, nam adhuc moraliter eadem Ecclesia ab aliquibus, & ab alijs diuersa reputatur, vt videre est apud *Lugo de Pœnit. disp. 27. sect. 8. num. 150. & Dian. p. 5. tr. 12. resol. 20. & p. 6. tr. 7. resol. 32.* inhærendo tamen semper ijs, quæ superius diximus *disp. 2. c. 17. & 18.* vnde lux hic petenda est.

CAPVT XXXXVII.

An in Ecclesia Polluta aliquis aliquando sepeliri licite possit.

SVMMARIVM.

Sepeliri nemo debet in Ecclesia Polluta antequam illa Reconcilietur, num. 1.

Ratio dubitandi de Clericis ibidem sepeliendis, & variæ sententiæ afferuntur, num. 2. & 3.

In Ecclesia Polluta tunc tantum sepeliri possunt Clerici omnes, quando in eo Loco non est alia Ecclesia, vel Cæmeterium, vbi ij tumulari queant, num. 4.

Iniquum videtur excludere Clericos ab Ecclesiastica sepultura; sed non à tali Ecclesia, licet propria, ob iustam causam, num. 5.

1 ADuerto 1. licet ordinarie in Ecclesia Polluta ante Reconciliationem nemo sepeliri debeat, prout ex superius dictis *cap. 1.* satis liquet, & expresse docent *Vgolin. de Offic. & Potest. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. num. 4. Sylvest. V. Interdictum, 5. num. 10. versic. Quintum. Piasec. in Prax. p. 1. c. 5. num. 5. Alter. de Interd. disp. 6. c. 4. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. Alleg. 28. num. 54. Iordan. Elucub. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 137. Thesaur. in Prax. Eccles. p. 2. V. Sacrilegium, c. 5. vers. Aduerte,* & alij communiter, nihilominus, cum in *Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* ab Innocent. 3. concedatur ex gratia, vt tempore generalis Interdicti in loco sacro tumulari possint Clerici decedentes, qui tamen seruauerunt Interdictum, hinc ortum esse dubium, num prædicti Clerici, sepeliri etiam possint absque Pollutionis Ecclesiasticæ transgressione in loco Sacro Polluto.

2 Aduerto 2. quæstionis huius decisionem pendere ab illa, num exceptio, & priuilegium Clericis in prædicto *Cap. Quod in te,* concessum extendi debeat ad Interdictum quoque locale speciale, si enim ad hoc etiam extendatur, multo magis, vt sæpe superius argumentati sumus cum *Iordano, & Marchino ll. cc.* ad Ecclesiæ Pollutionem extendi poterit, cum hæc improprie tantum dicatur Interdictum.

3 Aduerto 3. tres, vel quatuor in hac re DD. sententias esse. Multi absolute, & vniuersaliter prædictam exceptionem, seu Concessionem extendunt ad quoscumque Clericos, & quodcumque Interdictum locale: vnde asserunt in Ecclesia etiam specialiter interdicta Clericos siue illius, siue alterius Ecclesiæ licite sepeliri posse, ita *Hostien. in Cap. Final. de excess. Prælat. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 2. princ. conclus. 10. Sayr. de Censur. l. 5. c. 8. num. 13. Auil. p. 5. de Censur. disput. 4. sect. 3. dub. 2. vers. Secundo notandum, Castropal. p. 6. disput. 5. pun. 4. §. 4. num. 7.* & alij plures: multi absolute, & vniuersaliter oppositam sententiam tuentur, ita *Innocent. in Cap. fin. de Excess. prælat. Io. Andr. in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. Summ. Astens. p. 2. l. 7. tit. 16. art. 3. & Megal. Instit. p. 3. l. 6. c. 2. quæsit. 2. num. 46.* putant enim in *d. Cap. Quod in te,* sermonem tantum esse de Interdicto locali generali, ac proinde nihil immutatum fuisse in Interdicto locali specia-

specia-

speciali, in quo non est eadem necessitas, aut ratio, tum in alijs Ecclesijs non interdictis ij sepeliri valeant: alij dicunt in Ecclesia specialiter interdicta sepeliri posse Clericos eiusdem Ecclesiæ; non vero alienos, aut alterius Ecclesiæ. ita *Abbas in d. Cap. Quod in te, num. 10. Syluest. V. Interdictum, 5. num. 10. Conar. in Cap. Alma, p. 2. §. 2. num. 7. & Enriq. l. 13. c. 44. num. 4.* alij deniq. docent prædictum Priuilegium Clericis concessum, tunc tantum habere locum in Interdicto locali speciali, quando Interdictum locale speciale æquiualet, quo ad hunc effectum, Interdicto locali generali, idest si contingat, vel omnes Ecclesias eius Loci esse specialiter Interdictas cum omnibus cœmeterijs ad Fidelium sepulturam destinatis: vel vnam tantum esse in eo Loco Ecclesiam, eamque Interdictam esse: in his enim casibus perinde se habent Clerici, quantum ad carentiam loci sacri, in quo sepeliantur, ac si Interdictum esset generale: vnde verisimile est, inquiunt, extensionem prædicto modo acceptam sub Pontificis intentione, si non verbis formalibus, comprehendi, vt omnino possint Clerici tempore Interdicti in loco Sacro sepeliri. ita egregie *Suar. de Censur. disp. 35. sect. 2. num. 4.* qui mihi quamplurium instar est, *Portel. in dub. regular. V. Interdictum, num. 43. in fin. & Laym. in Summ. l. 1. tr. 5. par. 4. c. 2. num. 3. vers. Porro.* Huic ergo vltimæ, & optimæ sententiæ inhærendo.

4 Dico, si in Loco, vbi est Ecclesia Polluta, adsit alius locus sacer, vbi Clerici prædicti sepeliri queant, eos in Ecclesia Polluta nequaquam sepeliendos esse; secus autem, si non adsit. vtraque conclusionis pars patet ex prædictis, licet enim in fauorabilibus huiusmodi ab Interdicto argumentari ad Pollutionem prædictam, & in nostro casu Interdictum locale speciale transit virtute, vel reductiue, & æquiualenter in generale, vnde sic tam prædicto Clericorum Priuilegio, quã Ecclesiasticę Pollutionis effectibus bene consuli videtur, vt consideranti patebit.

5 Colligo iniquum non esse; vt aliqui dixerunt, Clericos à suis Ecclesijs post mortem excludi, si eæ Pollutæ tunc sint, & adsint alia loca sacra nõ impedita, vbi ij sepeliri possint: adhuc enim Ecclesiastica sepultura tunc donantur; licet à tali loco sacro ob talem iustam causam interim excludantur. dixi *interim*, quia post Ecclesiæ Reconciliationẽ, seruatis seruandis, in eandem trasferri possent, vt per se patet. Cum ergo Pollutionis Ecclesiasticæ Interdictum æque per vnius, ac per alterius sepulturam in casu non Priuilegiato semper violetur, nemini omnino ea extra prædictum casum concedi debet.

CAPVT XXXXVIII.

An per prædictum Priuilegium sepeliendi aliquando in Ecclesia Polluta Clericos sepeliri ibi possint omnes Ecclesiasticæ Personæ, vel Deo Deuotæ, & Priuilegiatæ.

SVMMARIVM.

Clericorum nomine hic sine dubio veniunt Sacu- lares, & Regulares omnes omnibus Clericorum Priuilegijs iuxta dispositionem Tridenti- ni sess. 23. c. 6. gaudentes, num. 1.

Clerici coniugati an, & quando aliquibus tantum, vel omnibus Clericorum Priuilegijs gaudeant. ibid.

Clerici Depositi, seu Degradati num prædicto Priuilegio gaudere possint, num. 2.

De Regularibus non Clericis, & Monialibus variæ sunt DD. sententiæ, num. 3.

Regulares omnes Masculi, & Fœminæ, nec non Regularium omnium Nouitij, & Nouitiæ prædicto Ecclesiasticæ sepulturæ Priuilegio gaudere debent, num. 4.

Quid de Tertiarijs, Eremitis, Virginibus S. Vrsulæ, & similibus, num. 5. & 6.

An eodem Priuilegio gaudere debeant Clerici, qui Pollutionem Ecclesiasticam violarunt, vel culpabilem illius causam dederunt, numer. 5.

Prædicto Priuilegio gaudentes sepeliri possunt etiam in Ecclesia; licet textus d. Cap. Quod *in te dicat tantum* in cœmeterio Ecclesiæ. *ibidem.*

Quæ dicta sunt de Clericis, valent etiam in Laicis ad id à Papa Priuilegiatis, ibid.

1 ADuerto 1. nomine Clericorum hic absque dubio venire non solum Minoribus Ordinibus; sed etiam prima tantum Tonsura insignitos, siue sint Sæculares, siue Regulares, dummodo habeant conditiones necessarias ad gaudendum omnibus Priuilegijs Clericorum iuxta dispositionem Iuris communis in *Cap. Vnic. de Cleric. coniugat. in 6.* & secundum Ius *Concil. Trident. sess. 23. cap. 6.* omnes enim isti simpliciter Clerici sunt,

ſunt, vt optime dixit *Henric. l. 13. c. 44. num. 4. in princip. Suar. de Interd. disput. 35. ſect. 1. num. 4. in fin. Alter. eod. tit. disput. 6. c. 1. qu. 2.* & alij cum *Megal. Instit. Confeſſ. p. 3. l. 6. c. 2. num. 39.* Dixi: *dummodo habeant conditiones requiſitas ad gaudendum omnibus Priuilegijs Clericorum*, nam Clerici omnes coniugati, etiamſi cum vnica, & virgine matrimonium contraxerint, cum duobus tantum Clericorum Priuilegijs gaudeant, ſcilicet Priuilegio *Canonis, Si quis ſuadente, 17. q. 4.* & Priuilegio *Fori*, vt non poſſint conueniri coram Iudice Sæculari, vt communiter tradunt *DD. cum Alter. l. c.* in cæteris Laici cenſendi ſunt; vnde nō gaudent hoc Priuilegio, de quo hic diſputamus, vt bene cenſuit *Suar. & Megal. ll. cc.* & alij apud ipſos; niſi forte ij ſint alicui Eccleſiæ ab Epiſcopo deputati, & in ea miniſtrent, tanquam Clerici: tunc enim ratione talis Officij prędicto Priuilegio gaudere poterunt; vel niſi contraria vigeat conſuetudo, quam vigêre in Aragonia habemus ex *Nauar. in Man. c. 27. num. 174.* & valida cenſetur à *Suar. & Alter. ll. cc.*

2 Aduerto 2. quo ad Clericos degradatos, ſeu depoſitos, ſi verbaliter tantum depoſiti ſint, cum hæc depoſitio non tollat Clericorum Priuilegia, vt docet *Gloſſa* communiter recepta in *Cap. 2. verb. Priuilegio, de Pœnis, in 6. Syluest. V. Degradatio, num. 7. verſic. Sexto. Valent. tom. 4. disput. 7. quæſt. 19. punct. 4.* & omnes paſſim, gaudere hoc Eccleſiaſticæ ſepulturæ priuilegio; ſi vero ſint realiter, ſeu actualiter degradati, non gaudere, prout tradunt *Suar. de Cenſur. disput. 30. ſect. 1. & 2. Alter. & Megal. ll. cc. Vgolin. de Interdict. tab. 5. c. 9. §. 2. num. 1.* & habetur in *d. Cap. 2. de Pœn. in 6.*

3 Aduerto 3. difficultatem potiſſimum ſupereſſe de Religioſis non Clericis, de Monialibus, & de Nouitijs vtriuſque ſexus: videntur enim iſtæ etiam Perſonæ omnes venire Clericorum nomine in fauorabilibus. Immo *Sayr. de Cenſur. l. 5. c. 8. num. 15.* cenſet hoc ipſum Priuilegium, de quo hic agimus, prius conceſſum fuiſſe Religioſis, quam Sæcularibus Clericis, idque colligit ex *Cap. Vt Priuilegia, & Cap. In his, de Priuileg. & Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.* e contrario vero *Megalius l. c.* putat hoc Priuilegium non extendi ad Regulares, qui non ſunt Clerici, nec proinde ad Moniales: licet enim hæ Perſonę ſint Eccleſiaſticæ; non tamen ſunt Clerici, de quibus ſolis in hoc Priuilegio ſermo eſt.

4 Dico cum communiore ſententia nomine Clericorum in hoc ipſo Priuilegio venire etiam Regulares omnes Maſculos, & Fæminas, nec non Regularium omnium Nouitios, & Nouitias. ita expreſſe docent de vſu prædicti Priuilegij *Suar. l. c. diſp. 22. ſect. 1. num. 19. & disput. 35. ſect. 1. num. 6. Alter. vbi ſupra, disput. 6. cap. 1. quæſit. 2. verſ. Item nomine*, vbi afferuntur *Angel. Syluest.* & alij concordantes, *Bonacin. de Cenſur. diſp. 5. punct. 5. nu. 13. in fin.* & apud eum *Nauar. Auil. Sayr. Filliuc. & Enriquez*, quibus addo *Reginald. in Prax. l. 32. n. 37. & Baſſaeum in Flor. Theol. V. Interdictum 2. num. 25.* Ratio autem eſt, quia prædictæ Perſonæ omnes vere non ſolum Eccleſiaſticorum; ſed etiam (prout vſus, & conſuetudo obtinuit, teſte *Alterio l. c.*) Clericorum nomine comprehenduntur in fauorabilibus: vnde, cum hoc Priuilegium ſimpliciter concedatur Clericis, cumque indefinita locutio æquiualeat vniuerſali, omnes eo gaudere debent.

5 Dices, ſi Nouitij, & Nouitiæ venirent in hoc Priuilegio nomine Clericorum, inde multo magis idipſum dicendum eſſet de Perſonis Tertij Habitus S. Dominici, vel S. Franciſci, & de Eremitis ipſis, quod tamen abſurdum videtur.

6 Reſpondeo hos omnes, ſi ex toto ſint Deo dediti, & tranſlati, & viuant ſub Regula alicuius Religionis ab Eccleſia approbatæ, venire appellatione Clericorum; ſecus vero, ſi non ſint ex toto dedicati Deo, vel tranſlati, & non viuant ſub aliqua ex prædictis Regulis, & prædicto modo. idemque dico de Mulieribus Collegiatim viuentibus more Religioſarum, quæ vulgo dicuntur Tertiariæ, vel Virgines S. Vrſulæ, prout optime dixit *Bellet. Diſquiſit. Clerical. p. 1. §. 2. num. 19. & ſeq.* nec ab his diſcordat *Suar. d. disput. 22. ſect. 1. num. 20. & 21.* qui ad participandum de Priuilegijs Monachorum requirit in prædictis omnibus, vt participent etiam ſecundum aliquem modum de ſtatu talis Religionis ab Eccleſia approbatæ.

7 Colligo, ſicuti Clerici, qui non ſeruauerunt Interdictum, vel qui culpabilem illius cauſam dederunt, prædicto Eccleſiaſticæ Sepulturæ Priuilegio gaudere nequeunt, prout ex textu *d. Cap. Quod in te*, & ex DD. adductis conſtat, ita etiam probabile alicui videri poſſe, quod Clerici, qui non ſeruarunt Eccleſiaſticam Pollutionem, vel culpabilem illius cauſam dederunt, prædicto Priuilegio gaudere non poſſint, nec vnquam proinde in Eccleſia Polluta ſepeliri valeant; licet oppoſitum mihi probabilius videatur, cum prædicta Pollutio non veniat in odioſis nomine Interdicti, nec proinde eiſdem pœnis ſubijciatur, qui Pollutionem, ac qui Interdictum

dictum

dictum violarit, vt ex *Disput. sequent.* clarum fiet. Dixi *in Ecclesia*, quamuis enim in text. *d. Cap. Quod in te*, dicatur *in Cœmeterio Ecclesiæ*; nihilominus, quia consuetudo inualuit, vt non solum in cœmeterijs, sed etiam intra Ecclesiam defunctorum cadauera sepeliantur, hoc ipsum in proposito casu fieri poterit, siquidem prædictum *Cap. Quod in te* loquitur secundum Iuris antiqui determinationem, vt bene cum multis alijs docuere *Sayr. l. c. l. 5. c. 8. n. 6. & Megal. vbi supra l. 6. c. 2. num. 3. 8. in fin.* Quod autem de Clericis dictum est, idem etiam valere puto in Laicis ad id à Papa specialiter Priuilegiatis, de quibus fuse *Suar. l. c. disp. 35. sect. 1. nu. 17.* & alij cum *Castropal. p. 6. disp. 5. punct. 4. §. 3. n. 7.*

CAPVT XXXXIX.

Quomodo in Ecclesia Polluta Clerici Prædicti in prædictis casibus sepeliendi sint.

SVMMARIVM.

Conditiones à Iure præscriptæ in Priuilegio Clericos aliquando in Ecclesia Polluta sepeliendi quænam sint, num. 1.

Campanarum pulsatio, & Solemnitates aliæ hic prohibitæ quomodo accipi debeant, num. 2.

Conditio illa: cum silentio, *quid hic significet, num. 3.*

In Ecclesia Polluta, quando ibi Clerici sepeliri possunt; sepeliendi sunt cum conditionibus in Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. *præscriptis, num. 4.*

An prædictæ conditiones tunc seruari quoque debeant extra locum Pollutum, num. 5.

1 ADuerto 1. cum in *Cap. Quod in te, de Pænit. & Remiss.* concedatur Clericis defunctis Ecclesiastica sepultura *In cœmeterio Ecclesiæ, sine campanarũ pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus,* & *sub silẽtio*, propterea hic ambigi posse, num prędictus modus sepeliendi Clericos, qui ibi pro tempore Interdicti præscribitur, seruari etiam debeat, dum ij in Ecclesia Polluta in casibus prædictis sepeliuntur; licet Interdictum proprie, & Ecclesiæ Pollutio valde inter se differant, vt iam dictum est.

2 Aduerto 2. certe nihil hic difficultatis esse quo ad primam prędicti modi conditionem, idest *in Cœmeterio Ecclesiæ*, iam enim *Cap. praced. num. 7.* dictum à nobis est, quomodo ea intelligenda sit: neque etiam quo ad secundam, & tertiam, i. *sine campanarum pulsatione, & cessantibus solemnitatibus omnibus,* nam ibi sermo esse non potest, nisi de campanarum pulsatione, ijsque solemnitatibus, quæ ad Diuina Officia, ac proinde ad Interdicti, vel Pollutionis prohibitionem pertineant, vt bene aduertit *Suar. de Censur. disp. 35. sect. 1. num. 8.* de quibus satis hucusque actum fuisse putamus. circa quartam ergo tantum ex præscriptis conditionibus, i. *cum silentio*, dubium aliquod esse potest, cum varie accipi posse videatur. Vnde

3 Aduerto 3. cum *Vgolin. de Censur. tab. 5. c. 9. §. 2. num. 2. Alter. eod. tit. disp. 6. de Interd. c. 1. versic. His positis*, & alijs passim, inde vere prohibitum videri non solum cantum, sed etiam omnem publicam recitationem Ecclesiastici Officij submissa voce factam, quia id re ipsa significant verba *cum silentio*, vt per se patet. Dixi tamen *publicam*, nam preces priuatæ, vt alibi sæpius dictum est, quæ à Laicis dici possunt, tunc quoque recitari poterunt in Ecclesia Polluta, cum neq. in Ecclesia ipsa proprie Interdicta interdicantur.

4 Dico modum in prædicto *Cap. Quod in te* pro Clericis tempore Interdicti sepeliendis præscriptum pro ijsdem quoque in Ecclesia Polluta aliquando sepeliendis valere, & seruari debere, prout iam eum explicauimus. si enim inde Priuilegium hoc eruimus, inde etiam Priuilegij huius conditiones desumendæ sunt; maxime cum ibi ea ipsa præscribantur, quæ cum Ecclesiæ Pollutione bene conueniunt, ita vt inde Pollutionis ipsius impedimenta nihil augeantur, prout ex superius dictis apertum est: vnde prædictæ conditiones idcirco prędicto additæ Priuilegio videntur, ne, eo absolute concesso, cum eo concessæ censerentur etiam eæ solemnitates, & Diuina Officia, cum quibus alias rite Clerici; alijque Christifideles sepeliri solent.

5 Colligo, cum extra Ecclesiam Pollutam ex vi Pollutionis illius non prohibeantur Officia Diuina, vt per se notum est, propterea non improbabile videri, quod extra loca Polluta, si nihil aliud obstet, v. g. dum cadauer ad ea defertur, Officium Defunctorum, aliæque Ecclesiasticæ solemnitates tunc in Exequijs adhiberi solitæ nequaquam interdicantur, dummodo postea intra Ecclesiam nihil interdictum fiat, sed, omnibus Ecclesiasticis Officijs, ac Solemnitatibus ibi omissis, cadauer cum prædicto silentio sepeliatur; quamuis secus dicendum sit in Interdicto locali generali, vt bene infert *Suar. l. c. nu. 10.*

CAPVT XXXXX.

An Fidelium cadauera, si illicite in loco Sacro Polluto tumulentur, idcirco inde extumulanda sint.

SVMMARIVM.

Vndenam dubitandi causa ortum habeat, numer. 1.

Prohibere actum sepeliendi, & prohibere eius effectum valde diuersa sunt, num. 2.

Exhumare corpus Defuncti moraliter censetur non parua illius pœna, num. 3.

Cadauera, etiamsi illicite, & mala fide in loco sacro Polluto tumulata fuerint, non sunt ex vi prædicta Pollutionis inde extrahenda, vel extumulanda, num. 4.

Aliunde tamen cadauera prædicta aliquando talia sunt, vt exhumari, & inde extrahi debeant, num. 5.

1 ADuerto 1. dubium hoc esse posse pro eo tantum tempore, quo Pollutionis Ecclesiasticæ Interdictum, seu Impedimentum durauerit, eo quod ea ibi relinquendo videatur semper Pollutionis prædictæ legibus cōtrastari; postquam enim impedimentum illud sublatum per Reconciliationem fuerit, certum est ea ibi tum sepeliri, tum retineri fas esse, cum tunc res ad eum statum deuenerit, à quo licite incipere potuit, vt communiter DD. asserunt. Sed

2 Aduerto 2. aliud esse prohibere actum sepeliendi; aliud autem prohibere eius effectum, qui post actum ipsum consummatum permanet. vnde videndum hic est, an Iura prohibeant vnum tantum, vel vtrumque simul; multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent, maxime quando non est lex, quæ ad actus iam facti reuocationem, & ad irritandum quodammodo factum obliget, vt bene DD. mox afferendi aduerterunt.

3 Aduerto 3. exhumare corpus defuncti, teste *Suar. de Censur. disp.* 35. *sect.* 1. *n.* 22. *in fin.* habere nescio quid inhumanitatis, vel rigoris, & cedere in ignominiam, vel dedecus eius, immo moraliter censeri non paruam illius pœnam, ita vt, vbi à lege non exprimitur, à nobis adiungenda non sit. Hinc

4 Dico Cadauera, etiamsi in loco sacro, & Polluto illicite, & mala fide tumulata fuerint, non esse ex vi prædictæ Pollutionis inde extrahenda, vel extumulanda; sed ibidem relinquenda, quamuis nondum Pollutionis impedimentum ibi per Reconciliationem sublatum sit. Ratio autem ea est, quam innuimus, quia videlicet Iura præcipiunt quidem, ne Cadauera ibi sepeliantur; sed non præcipiunt, ne ibi humata inde exhumentur, ideoque ea ibi relinquenda sunt, ne gratis odia, quæ restringenda sunt, amplificentur. ita in genere de sepultis in loco sacro Interdicto *Angel. V. Interdictum*, 6. *nu.* 33. *Syluest. V. Interdictum*, 5. *q.* 8. *Suar. l. c. num.* 20. *Fillucius tr.* 18. *num.* 107. *Sà, V. Interdictum, num.* 27. *Enriq. l.* 13. *c.* 44. *num.* 5. *Bassaus, V. Interdictum*, 2. *num.* 11. *Castropal. p.* 6. *disp.* 5. *punct.* 6. *num.* 8. & alij; in specie autem de sepultis in loco sacro Polluto *Vgolin. de Offic. Episc. c.* 29. *§.* 7. *num.* 4. & *Thesaur. in Prax. Eccles. p.* 2. *V. Sacrilegium, c.* 5. *versic. Illud aduerte*.

5 Colligo idcirco à nobis *præcedenti numer.* dictum fuisse *ex vi prædictæ Pollutionis*, quia, cum aliunde quis aliquando esse possit tali sepultura indignus, ita, vt inde etiam exhumulari debeat, prout de Personis speciali Censura affectis passim videre est apud DD. de Censuris agentes, nullus hic de ijs sermo est, sed de prohibitione tantum ex Ecclesiasticæ Pollutionis impedimento orta.



DISPVTATIO DECIMA.

De Peccatis, & Pœnis violantium Ecclesiasticæ Pollutionis effectus, vel impedimenta.

Enumeratis omnibus Pollutionis Ecclesiasticæ effectibus, reliquum hoc vnum est, vt de eorum violatoribus hic agamus, tantæque temeritatis audaciam, ac turpitudinem breuiter inspiciamus. Dixi *breuiter*: cum enim pia Mater Ecclesia omnes sceleris huius pœnas Deo ipsi remisisse, nedum sibi reseruasse, videatur, nos quoque rem hanc, indeque Tractatum omnem tàm paucis expediemus, vt eam innuisse potius, quàm explicasse videamur.

CAPVT PRIMVM.

Quodnam peccatum sit tàm in Clericis, quàm in Laicis violatio effectuum Pollutionis Ecclesiasticæ.

SVMMARIVM.

Pollutionis Ecclesiasticæ violatio est ex genere suo peccatum mortale, num. 1.

Cur dubitari possit de Laicis Pollutionem hanc violantibus, num. 2.

Laici Interdictum locale violantes secundum aliquos cur nullum per se, vel veniale tantum peccatum committant, num. 3.

Violare Pollutionis huius effectus, seu impedimenta est ex genere suo, etiam in Laicis, mortale peccatum, num. 4.

Nihil ad hoc refert, quod directe, vel indirecte tantum Pollutionis prædictæ obseruatio Laicis præcepta videatur, num. 5.

1 ADuerto 1. cùm Prohibitio Ecclesiastico Iure introducta, ne Diuina Officia, vel Ecclesiastica sepultura in locis sacris Pollutis fiant, sit Præceptum iustum, & graue ad Ecclesiarum reuerentiam pertinens, vt colligitur ex *Cap. Is, qui, de sent. Excommun. in 6.* in quo verba *temerarie agere* videntur importare contemptum in re graui, ideo apud omnes indubitatum videri, quod prædictæ Prohibitionis violatio sit ex genere suo peccatum mortale, prout communiter tradunt *Abbas in Cap. Si Ecclesia, num. 4. de consecrat. Eccles. vel alt. Syluest. V. consecratio, 2. num. 7. & V. Interdictum, 6. q. 2. dict. 2. §. secundo limitatur. Angel. V. Consecratio Ecclesiæ num. 8. Tabien. V. Consecratio 2. §. 9. num. 10. Armill. eod. V. num. 10. Sà, Nauar. & Viuald.* apud *Persic. de 1. Sacerd. Officio l. 1. c. 7. dub. 12. num. 105. Rodriq. in Sum. part. 1. c. 154. conclus. 14. Sayr. de Censur. lib. 5. c. 16. num. 29. Tolet. in Sum. l. 5. c. 8. vers. Quinta causa. Enriq. l. 9. de Missa, c. 27. num. 7. & l. 13. de Interd. c. 51. num. 5. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. vers. His positis. Auil. p. 5. de Censur. disp. 7. dubit. 3. conclus. 1. Reginald. in Prax. l. 29. c. 9. sect. 5. num. 179. Fagund. de 1. Eccles. praecpt. l. 3. c. 14. num. 1. Squillant. de oblig. Cleric. p. 5. num. 97. Paludan. Richard.* & alij apud *Alter. disp. 3. cap. 3. in principio. Th. del bene, de Immunit. tom. 1. c. 2. dub. 2. sect. 2. num. 7. & Iordan. Elucubr. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. num. 137.* nihilominus

2 Aduerto 2. cum textus d. *Cap. Is, qui, de sent. Excommun. in 6.* vtatur verbo *celebrare*, quod non Laicis, sed Clericis tantum conuenire videtur, hinc proprerea factum esse, vt ab aliquibus hic dubitetur, num ibi de Clericis tantum, an de Laicis quoque sermo sit, ac proinde num Clerici soli, an vero Laici simul grauiter, & mortaliter peccent; si præ-

ſi prædictæ Pollutionis effectus ſcienter violent. Immo

3 Aduerto 3. difficultatem hanc ex eo etiam creſcere, quod Interdicti quoque localis violationem negant, vel certe negare videntur, eſſe per ſe peccatum vllum in Laicis *Caietanus in Sum. V. Interdicti violatio, & Nauar. in Man. c. 27. num. 187. verſic. Decimo octauo*. & ſaltem non eſſe mortale, ſed tantummodo veniale in Laicis, ſecluſo contemptu, violentia, ſcandalo, aut aliqua circunſtantia extrinſeca mortali, docent *Armill. l. c. Enriq. vbi ſupra, cap. 46. num. 3. Sot. in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1. Valent. tom. 4. diſp. 7. qu. 8. punct. 2. notabil. 4. Auil. l. c. diſp. 5. dub. 2. Reginald. in Prax. l. 32. tr. 3. num. 42. & Eſcobar. in ſum. tr. 4. Examin. 4. c. 4. in fin.* quod non improbatur à *Sà V. Interdictum, num. 25.* & probabile aſſeritur à *Sayr. de Cenſur. l. 5. c. 14. num. 1. Laym. in Summ. l. 1. tr. 5. par. 4. c. 3. nu. 3. concluſ. 3.* idque ob eam rationem, quia non inuenitur, inquiunt, in Iure Præceptum vllum, quod circa Pollutionis, vel Interdicti obſeruationem ad Laicos dirigatur, ſed tantum ad Clericos, ne ibi Diuina celebrent, vnde Laici prædicta violando contra nullum præceptum facere, nec conſequenter peccatum vllum, vel ſaltem graue, committere videntur.

4 Dico Pollutionis Eccleſiaſticæ violationem eſſe per ſe, & ex genere ſuo, etiam in Laicis, peccatum mortale, & proinde violatores prædictos, niſi materiæ leuitas, vel ſimilia eos à mortali excuſent, mortaliter peccare. Ratio potiſſima videtur, quia eo ipſo, quo Clericis à Iure prohibetur ibi talium Sacramentorum v. g. adminiſtratio, prohibetur etiam conſequenter Laicis prædictorum Sacramentorum receptio: vnde Laicus ea ibi recipiens, illorum miniſtrationem virtualiter petit, & ad ipſam cooperatur, nec videtur ex hac parte à mortali excuſari poſſe. prout idipſum ob eandem rationem de Laicis ſic Interdictum violantibus dixerunt *Suar. de Cenſur. diſp. 33. ſect. 2. num. 6. & diſp. 34. ſect. 5. num. 9. Coninch. de Cenſur. diſp. 17. dub. 3. in fin. n. 69. Laym. l. c. nu. 2. concluſ. 2. Hurtad. de Interd. diffic. 10. ſuit. nu 3. Caſtropal. p. 6. diſp. 5. pun. 5. num. 4. & Megal. inſtit. Confeſſ. p. 3. lib. 6. c. 3. num. 7.* qui bene *num 9.* idipſum indubitabile, & omnino certum eſſe in Laicis violantibus Interdictum circa Eccleſiaſticã ſepulturam ex eo arguit, quod in *Clemens. 1. de ſepultur.* excommunicationis ſententia innodantur illi, qui generalis Interdicti tempore in Eccleſijs, aut Cœmeterijs mortuos ſepeliunt, cum hæc pœna ſupponat peccatũ mortale, & nunquam imponatur, niſi pro peccato mortali: pœna autem, quæ impoſita ibi eſt contra ſepelientes cadauera in loco generaliter Interdicto, poſſet etiam imponi contra ſepelientes ea in locis ſpecialiter Interdictis, vel etiam Pollutis, quia Interdictum, & Pollutio prædicta, vt iam *Diſp. 9. Cap. 3.* diximus, non differunt quo ad eorum effectus, vel ſubſtantialem, & eodem modo grauiter vtrobique factam prohibitionem Diuinorum; ſed quo ad pœnas diuerſas eorum violatoribus impoſitas, de quibus inferius agemus; ideoque etiam Laici tunc grauiter peccare cenſendi ſunt, ſi in loco ſacro Polluto contra Pollutionis ipſius leges aliquem ſepeliant, prout etiam aduertit *Alter. l. c.*

5 Colligo ſatis eſſe ad grauem culpam in prædicto tranſgreſſore arguendam, quod is vere fecerit contra Præceptum Superioris in re graui, ſiue hæc directe, ſiue indirecte, & per quandam redundantiam, vel, vt alij dicunt, ex primaria, vel ex ſecundaria intentione præcepta fuerit, quia hoc non tollit abſolutam efficaciam, & obligationem Præcepti, vt videre etiam eſt in Excommunicatione, quæ non niſi indirecte, & per quandam redundantiam alios obligare videtur, ne cum Excommunicato communicent, & nihilominus hoc non tollit; quin hæc obligatio non communicandi cum Excommunicato grauis ſit, ſi materia grauis ſit, qualis eſt communicatio in Diuinis. ita *Suar. l. c. diſput. 34. ſect. 5. num. 6. & Alter. de Interd. diſput. 8. c. 1.* an autem, & quomodo venialiter hic etiam ex leuitate materiæ in Pollutionis huius violatione peccari poſſit, patebit ex ſequentibus.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo dari poſſit ex materiæ leuitate veniale peccatum in violatione Pollutionis Eccleſiaſticæ, quo ad vſum Sacramentorũ.

S V M M A R I V M.

Tractationis continuatio aperitur, num. 1.

Sacramentorum vſus alius Actiuus, alius Paſſiuus, & de quonam hic ſermo ſit, num. 2.

Leuitas materiæ hic vndenam deſumenda, num. 3.

Circunſtantia loci hic non eſt leuis materia. ibid.

Null us

Nullius Sacramenti miniſtratio, vel receptio dici poteſt leuis materia. ibid.

Quomodo nullum Sacramentum partialiter; ſed tantum totaliter, miniſtrari queat. ibid.

In vſu Sacramentorum in Eccleſia Polluta interdictorum quomodo dari poſſit leuis violatio Eccleſiaſtica Pollutionis, num. 4.

Prædictæ violationis exemplum affertur, nu. 5.

1 ADuerto 1. quia iam diximus peccatum violandi Pollutionem Eccleſiaſticam, quod ex genere ſuo mortale eſt, aliquando poſſe veniale eſſe ex leuitate materiæ proinde videndum hic eſſe, quomodo id in vnoquoque ex tribus generibus effectuum, ſeu impedimentorum Pollutionis Eccleſiaſticæ verificari poſſit: videlicet, primo quo ad vſum Sacramentorum, ſecundo quo ad Diuina Officia, & tertio quo ad Sepulturam Eccleſiaſticam. ſicuti de ijs hoc eodem ordine ſuperius à nobis actum eſt.

2 Aduerto 2. cum Sacramentorum vſus diuidatur in Actiuum, & Paſſiuum, hoc eſt, in Adminiſtrationem, & Suſceptionem illorum, ſermonem hic eſſe de vtroque ex illis; ſed ſemper tamen illicito. Dixi *illicito*, quia, quando Sacramentum aliquod ex non prohibitis in Eccleſia Polluta miniſtratur, vel ſuſcipitur, nulla tunc Pollutionis huius violatio fit, & conſequenter tunc nullus propoſitæ quæſtioni locus eſt.

3 Aduerto 3. materiæ leuitatem in vſu Sacramentorum, quam hic inquirimus, aſſignari non poſſe ex eo, quod ſola circunſtantia talis loci in tali caſu videatur materia leuis: prohibitio enim talis circunſtantiæ redundat in totum actum; ſicuti etiam ex circunſtantia talis diei, poſita tali prohibitione, illicitus fit eſus talis cibi, non ſecus ac ſi cibus ille abſolute, & ſemper prohibitus eſſet. vt clare docuit *Suar. de Cenſur. diſp.* 34. *ſect.* 5. *num.* 7. nec ex eo, quod vnius Sacramenti, quam alterius vſus ſit maioris vtilitatis, vel neceſſitatis, vel excellentiæ, & c. vnumquodque enim Sacramentum, & vſus vniuſcuiuſque ex illis Summi momenti res eſt, nec vnquam materia leuis dici poteſt, vt expreſſe dixit *Megal. p.* 3. *l.* 6. *c.* 3. *num.* 1. neque etiam ex eo, quod Sacramentum aliquod quo ad aliquam leuem tantum quodammodo partem miniſtrari, vel recipi poſſit, & non totaliter; hoc enim fieri nequit, quia vere Sacramentum non eſt, niſi eſſentialiter completum ſit; ſi autem completum ſit, iam leuis materia non eſt, vt paulo antea dicebamus, & bene tradit *Sfort. Pallauicin. aſſert. l.* 6. *c.* 18. *num.* 235. ideoq; *Suar. l. c. diſput.* 33. *ſect.* 2. *num.* 1. inter cauſas à mortali excuſantes in vſu Sacramentorum non poſuit leuitatem materiæ. ſed tantum ignorantiam, ſeu inaduertentiam. & iuſtam neceſſitatem. Quare

2 Dico in vſu Sacramentorum in Eccleſia Polluta interdictorum dari poſſe violationem Eccleſiaſticæ Pollutionis prædictæ leuē ex leuitate materiæ non quidem in eorum ſubſtantialibus, vt videre eſt apud *Dian. p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 39. ſed in accidentalibus, quæ Sacramentorum eſſentiam vel antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, & in ſolemnibus quibuſdam ritibus, ac cæremonijs, quæ in Sacramentorum miniſtratione, vel receptione adhibentur. Ratio eſt, quia in his omnibus dari poteſt materiæ leuitas, & hæc etiam ſub Sacramentorum adminiſtratione comprehenduntur, vt videre eſt apud *Suar. l. c. num.* 18.

5 Colligo, licet vere prædicta Pollutionis Eccleſiaſticæ violatio in rigore potius ad Diuinorum Officiorum celebrationem in loco ſacro Polluto interdictam, quam ad Sacramentorum vſum pertinere videatur; tamen ob connexionem, quam cum Sacramentorum vſu accidentalia prædicta habent, ad eundem etiam non inepte referri poſſe, & vulgo ſolere. Exemplum autem venialis violationis prędictę ex leuitate materiæ hoc eſſe poteſt; *ſi*, poſtquam vnus Sacerdos in Eccleſia Polluta celeriter miniſtrauit Extremam Vnctionem, quo ad Subſtantiam tantum Sacramenti, alius omiſſas eius Sacramenti cæremonias, quo ad aliquam tamen leuem tantum illarum partem, ſtatim ibi ſuppleat.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo dari poſſit peccatum veniale ex leuitate materiæ in violatione Pollutionis Eccleſiaſticæ, quo ad Diuina Officia.

SVMMARIVM.

Quotupliciter hæc in re leuitas, ſeu paruitas materiæ conſiderari poſſit, num. 1.

Quomodo tum Clerici, tum Laici Eccleſiaſticam Pollutionem in prædicta materia violare queant, num. 2.

Aſſiſtentia moralis ad Diuina Officia eſt quædam illorum participatio, num. 3.

In

In Clericis, quo ad Diuina Officia, Pollutionem hanc violantibus quandonam detur veniale peccatum ex leuitate materiæ, num. 4.

In Laicis quandonam hæc violatio sit leue peccatum ex leuitate materiæ, & quandonam e contrario graue, num. 6.

Assistentia moralis ad Missam, quæ in loco sacro Polluto cum Pollutionis ipsius violatione celebretur, quomodo tum materia grauis, tum leuis aliquando censeatur. ibidem, & num. 6.

1 ADuerto 1. materiæ leuitatem, seu paruitatem in violatione effectuum Pollutionis Ecclesiasticę, quo ad Officia Diuina, dupliciter cõsiderari posse: Primo eo quod aliqua Diuina Officia, etiam totaliter sumpta, videantur materia leuis; Secundo eo quod Diuini alicuis Officij, quod per se, & totaliter acceptum grauis materia censeatur, leuis aliqua pars tantum celebretur in Ecclesia Polluta contra Pollutionis ipsius impedimentum, seu prohibitionem, & de vtroque modo hic agendum.

2 Aduerto 2. prædictam Ecclesiasticæ Pollutionis violationem dupliciter iterum considerari posse: vel in Clericis, qui directe Ecclesiasticam Prohibitionem prædictam violant, dum Diuina Officia ibi suspensa celebrant: vel in Laicis, qui indirecte eam violant, dum assistunt, vel aliter ad prædicta Officia ibi celebranda cooperantur, quod ex genere suo mortale peccatum esse iam diximus.

3 Aduerto 3. hic supponi cum *Suar. de Censur. disp. 34. sect. 5. num. 9.* quod audire Diuina Officia, & sola assistentia moralis ad illa, illorum participatio quædam sit, & precipue, quod audire Missam sit aliqualis concursus ad sacrificium ipsum. His autem præmissis,

4 Dico 1. in Clericis ob prædictam Pollutionis Ecclesiasticæ directam violationem tunc dari posse veniale tantum peccatum ex leuitate materiæ, quando vel ibi ea tantum celebrant Officia Diuina, quæ, etiamsi integra sint, ex prudenti tamen hominum æstimatione materia leuis reputantur, qualia censentur à *Turriano de Censur. l. 6. disput. 49. dub. 5. & à Dian. par. 5. tract. 5. resolut. 59.* Benedictio aquæ lustralis, Benedictio Episcopalis solemniter data, & similia, vel ibi paruam tantum magnorum Officiorum partem aliquam celebrant, v. g. Horarum Canonicarum aliquid non notabile, vel aliud huiusmodi, prout docuit *Gordon. in Theol. Moral. tom. 2. l. 7. q. 16. c. 10. num. 65.* & omnes communiter.

5 Dico 2. in Laicis ob prædictam Pollutionis huius indirectam violationem dari posse tum graue, tum leue peccatum pro materiæ tum grauitate, tum leuitate, i. prout Laici ad directam Diuinorum Officiorum celebrationem, quæ à Clericis fit, grauiter, vel leuiter tantum cooperati fuerint; secluso tamen semper Ecclesiasticę prohibitionis contemptu, violentia, fraude, scandalo, & similibus extrinsecis circunstantijs, quæ grauem aliunde malitiam inuehere possunt, vt alibi dictum est. Sic omnis Laicorum assistentia ad omnia Diuina Officia ab aliquibus censetur regulariter ex leuitate materiæ veniale tantum peccatum, eo quod talis assistentia habeatur pro minima quadam illorum participatione; assistentia autem, seu actus audiendi Missam cum prædicta Pollutionis violatione celebratam aliquibus visa est mortale peccatum, eo quod talis assistentia videatur aliqualis concursus ad tale sacrificium, quod suo modo ij etiam offerunt, & quodammodo sacrificant, qui eidem assistunt, prout sensit *Suar. l. c. disp. 34. sect. 5. nu. 9. & Castropal. p. 6. disp. 5. punct. 5. nu. 6.* quicquid in contrarium dixerit *Megal. instit. Confes. p. 3. l. 6. c. 3. num. 8.* licet enim prædicti DD. de Interdicto loquantur, tamen multo magis idipsum valere potest in prædicta Pollutionis violatione, vbi eadem militat ratio, & minor est in transgressores pœna, vt mox videbimus.

6 Colligo tamen etiam in ipsa assistentia ad prædictam Missam dari posse materiæ leuitatem, si v. g. ad minimam tantum Missæ partem quis assisteret; sed superius sermo fuit de assistentia ad Missam substantialiter integram, quam diximus ab aliquibus censeri materiam grauem; non autem assistentiam ad alia Diuina Officia, etiamsi substantialiter, & integraliter omnino completa.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo in violatione Pollutionis Ecclesiasticæ, quo ad sepulturam, dari possit veniale peccatum ex leuitate materiæ.

SVMMARIVM.

Aliud est proprie Sepelire; aliud autem est ad sepeliendi actum cooperari, num. 1.

De sepultura cur aliter loquamur in ordine ad incurrendam pœnam, vel quasi pœnam aliquam à Iure latam, quam in ordine ad incurrendum peccatum, num. 2.

Cooperatores quandonam dicantur sepelire, & quando non, num. 3.

Exemplum peccati venialis ex leuitate materiæ in proposito casu exponitur, num. 4.

Quomodo peccatum extrinsece veniale; interius autem mortale esse possit, num. 5.

1 ADuerto 1. suppositis hic ijs, quæ superius dicta sunt *Disp.* 8. *c.* 1. & 2. aliud esse propriè Sepelire; aliud autem ad sepeliendi actum tantummodo cooperari, quod secundum vel grauiter, vel leuiter fieri potest, indeque prædictæ cooperationis grauitas, vel leuitas emanat: sicuti proportionaliter idipsum dicitur de vulnerante, & de cooperantibus grauiter, vel leuiter ad prædictam vulnerationem. Hinc

2 Aduerto 2. aliud esse loqui de actu sepeliendi in ordine ad pœnam, vel quasi pœnam aliquam à Iure latam, & ipso iure incurrendam, prout *l. c.* dicebamus Ecclesiam ipso Iure Pollui, si in ea propriè sepeliatur Excommunicatus, &c. aliud autem esse loqui de sepultura, seu actu sepeliendi in ordine ad grauiter, vel leuiter peccandum ob grauem, vel leuem cooperationem externam ad prædictum actum sepeliendi, de qua hic loquimur. vnde, licet prædictæ pœnæ, vel quasi pœnæ regulariter non incurrantur, nisi totaliter fiat, & consummetur illud ipsum, pro quo illæ à Iure statutæ, vel impositæ sunt; nihilominus peccatum vel graue, vel leue committi potest, quotiescumque vel grauiter, vel leuiter ad rem prohibitam libera fit cooperatio, vt per se clarum est. Vnde

3 Aduerto 3. quamuis idcirco *d. disp.* 8. *c.* 1. & 2. de actu sepeliendi in Ecclesia Excommunicatum in ordine ad incurrendum casum reseruatum *Polluentium Ecclesiam*, prout est in Mediolanensi Diœcesi, & alijs iuxta ibi dicta, strictè locuti simus; tamen hic in ordine ad incurrendum peccatum aliquod ob prædictam sepulturam, vel cooperationem ad illam eos omnes aliquo modo dici posse sepelire, & aliquo modo peccare, qui proximè ad prædictum sepeliendi actum quouis modo cooperantur; sicuti etiam omnes peccant, qui prædicto modo ad illicitam, v. g. Petri vulnerationem cooperantur; licet pœnas à Iure latas in talis personæ vulneratores is solum incurrat, qui Petrum propriè suis manibus vulnerauit; nisi tamen aliud à Iure peculiariter statutum fuerit, adeo vt eas quoque cooperatores incurrant, tunc enim se res aliter haberet, sed extra casum nostrum essemus.

4 Dico in violatione Pollutionis Ecclesiasticæ, quo ad illicitam sepulturam, tunc dari veniale peccatum ex leuitate materiæ, quando quis leuiter tantum ad eiusmodi sepulturam extrinsece, sed proximè cooperatur, v. g. aliquantillum terræ cadaueri, dum illud ibi sepelitur, superimponit, vel similia facit, prout ex præcedentibus quoque inferri facile potest.

5 Colligo, si cum leui prædicta cooperatione ad prædictam sepulturam coniungeretur prauus animus, & voluntas prædictum Excommunicatum ibi perfectè sepeliendi, actum quidem internum futurum tunc grauem, & mortale peccatum; sed externum adhuc futurum leuem ex prædicta materiæ leuitate, ac proinde extrinsece, de quo sermo fuit, non nisi veniale peccatum fore, prout in simili dixit *Portel. in dub. Regular. V. Excommunicatio, num.* 11. & *Dian. p.* 5. *tr.* 5. *resolut.* 65.

CAPVT QVINTVM, & Vltimum.

Quænam sint Pœnæ Violantium Ecclesiasticam Pollutionem.

SVMMARIVM.

De quibuscumque, & quomodocumque Pollutionem Ecclesiasticam violantibus sermo hic est, num. 1.

De pœnis item tàm à Iure latis, quàm ab homine ferendis, num. 2.

Violatores prædictæ Pollutionis fiunt inde secundum aliquos ipso Iure Irregulares, secundum alios autem Suspensi, vel Interdicti ab Ecclesiæ ingressu, num. 3.

Nulla est pœna à Iure lata in Ecclesiasticæ Pollutionis violatores, num. 4.

Prædicti tamen violatores ob tale delictum possunt, & debent à Iudice Ecclesiastico grauiter puniri ad eiusdem arbitrium, num. 5.

Quæ de Ecclesia dicta sunt, de Cœmeterio similiter dicenda sunt, ibid.

1 ADuerto 1. quemadmodum hic loquimur de pœnis omnium siue Clericorum, siue Laicorum violantium Ecclesiasticæ Pollu-

Pollutionis prohibitiones, seu impedimenta, ita etiam sermonem hic esse de prædicta violatione tàm quo ad vsum Sacramentorũ tum actiuum, tum passiuum, quam quo ad celebrationem tum directam, tum indirectã Diuinorum, & Ecclesiasticorum Officiorum, nec non ipsam Defunctorum sepelitionem.

2 Aduerto 2. Pœnas violantium Ecclesiasticæ Pollutionis effectus, vel impedimenta prædicta duplices esse posse, videlicet vel à Iure latas, vel ab homine ferendas, & de vtrisque hic agendum esse.

3 Aduerto 3. licet *Disput. 1. c. 2. num. 4. & 12. & disput. 9. c. 3. num. 3.* dixerimus nullam à Iure pœnam prædictę Pollutionis violatoribus impositam esse, in quo maxime Pollutio hæc ab Interdicti censura differt; tamen idipsum hic, vt potè suo in loco, fusius examinandum esse, huc enim illa omnia referuntur, & hinc petenda erunt, quę ibi supponuntur, vel obiter tantum indicantur. Difficultas autem omnis in eo est, quod aliqui prędictos Ecclesiasticæ Pollutionis violatores inde Iure ipso Irregulares, alij Iure ipso Suspensos, alij Iure ipso ab Ecclesiæ ingressu Interdictos, alij autem nec Irregulares, nec Suspensos, nec Interdictos fieri dixerunt. Irregulares dixit *Hostien. in Cap. fin. de consecrat. Eccles.* eandem sententiam sequi videtur *Graff. decis. Aur. p. 1. l. 2. c. 42. num. 10. §. nec etiam*; & pro eadem etiam (sed quam bene ipse viderit) ab *Antonell. de Regim. Eccles. Episcopal. p. 1. l. 1. c. 16. §. 4. num. 19.* citatur *Rittius in prax. for. Eccles. p. 3. resolut. 262.* Suspensos dixit *Azorius par. 2. l. 10. c. 26. & Piasec in Prax. p. 1. c. 5. num. 5. versic. Ante reconciliationem.* Interdictos autem ab Ecclesiæ ingressu *Lapus in Cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. Angel. V. Consecratio, num. 8. Syluest. V. eod. 2. in fin. Armill. V. Consecratio, num. 7. Viuald. de Suspension. num. 86. Gloss. in Cap. Is, qui, de sent. Excommun. in 6. verb. Nodatis. Tabien. V. Consecratio §. 9 Graff. tom. 1. Consil. l. 3. consil. 2. num. 21. de consecratione Ecclesiæ. Naldus in Sum. V. Ecclesia, num. 25. Nauar. in Manual. c. 25. num. 94.* & alij non pauci. quibus tamen non obstantibus,

4 Dico nullam esse pœnam à Iure latam in transgressores, seu violatores prędictę Pollutionis, ac proinde eos, siue Clerici, siue Laici sint, nec Irregulares, nec Suspensos, nec vllo modo Interdictos inde ipso facto fieri, Iura enim prędictas pœnas imponentia, quę ab Aduersarijs afferuntur, loquuntur de violatione Interdictu proprie sumpti; non vero de violatione Pollutionis Ecclesiasticę, quę non est proprie Interdictum, nec fertur à Iure per modum pœnæ; sed per modum execrationis tantum, prout alibi explicauimus. ita, quo ad Irregularitatem, expresse *Bonifac. VIII. in Cap. Is, qui de sent. Excõmun. in 6.* & ita communiter DD. cum *Glossa ibi*, quos videre potes longo agmine relatos à *Persic. de 1. Sacerd. Offic. l. 1. c. 7. dub. 12. num. 109.* & alios passim. quo ad Suspensionem autem, & Interdictum, ita *Abb. in Cap. Si Eccles. de consecrat. Eccles. Azor. par. 2. lib. 9. c. 5. q. 6. in fin. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 4. §. penultimo. Auil. de Censur. p. 5. disp. 7. dubit. 3. conclus. 3. Fagund. de 3. Eccles. præcept. l. 3. c. 14. n. 5. Laym. in Sum. l. 5. tr. 5. c. 5. a. 6. Cardinal. de Lugo de Sacram. disp. 20. num. 52. Fraterc ias de Sacram. p. 1. l. 5. c. 6. q. 6. a. 41. Cõrad. p. 2. q. 424. Coninch. de Sacram. q. 83. art. 3. dub. 1. Th. del Bene de Immanit. c. 2. dub. 2. sect. 11. num. 12. Antonel. l. c. num. 20. Megal. var. resol. tom. 2. resol. 168. num. 17. Bonacin. de Matrimon. q. 4. punct. vltim. num. 26. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 28. nu. 54. Dian. p. 6. tr. 6. resol. 28. Bassæus V. Sacrilegium 1. nu. 8. vers. Notandum. Iordan. Elucubrat. diuers. tom. 1. l. 5. tit. 12. nu. 143. Thesaur. in Prax. Ecclesiast. p. 2. V. Sacrilegium, c. 5. Bordon. Var. tom. 2. resol. 89. nu. 39.* & aliorum numerus innumerus.

5 Colligo prędictos siue Clericos, siue Laicos Pollutionis prędictę violatores posse, & debere à Iudice Ecclesiastico ad eiusdem arbitrium grauiter puniri ob tale delictum, cum ij faciant contra dispositionem SS. Canonum in re graui spectante ad religionem. ita in terminis ipsis *Alterius de Interd. disp. 3. c. 3. §. Nonnulli. Comitolus Respons. Moral. l. 6. qu. 50. nu. 4. Megal. d. tom. 2. var. resol.* vbi alios refert, *resolutione 168. n. 17. Antonell. in Prax. Ecclesiast. p. 1. l. 1. c. 16. §. 4. n. 20. in fin.* fauent *Syluest. V. Interdictum, 6. nu. 7. Calderin. de Interdicto p. 1. n. 82.* expresse autem idipsum cõfirmant *Bellochius in Prax. Moral. Theolog. p. 2. q. 4. nu. 211. & Cassin. in Mystagog. tit. 7. num. 21.* & hęc de Pollutione Ecclesiarum (quę tamen de Cœmeteriorum quoque Pollutione dicenda sunt) sufficiant in pręsentia: multa enim alia, quę huc etiã spectare alicui fortasse videbuntur, in Tractatum de Reconciliatione Ecclesiarum, quem apparamus, commodius, vt potè suum in locum, à nobis reseruantur. Quæ omnia vtinam ita cedant, vt vere voueo, in verum cultum, & gloriam DEI, Deiparæque Virginis MARIÆ, quam hodie in Cælum Assumptam Sancta Mater Ecclesia (cuius nutibus me, meaque omnia æternum subiecta esse volo) gloriosissime congaudet.

INDEX

INDEX
RERVM, ET SENTENTIARVM TOTIVS OPERIS.

Litera d. Diſputationem, c. Caput, n. Numerum, & p. Paginam indicat.

A.

Itemq.

Basilica.

Benedictio, & Benedicere.

De

Cœmeterium.

Collecta. V. Oratio.

Collegium.

Commendatio Animæ.

Commissio.
V. Causa. Omissio.

Complacentia. V. Delectatio.

Concedere, & Concessum.

Concio, & Concionari.
V. Prædicare.

Concupiscentia.
V. Desiderium. Passiones.

Conditionis appositio.
V. Delectatio.

Corporalia.
V. Benedictio. Calix.

Corpus. V. Cadaner.

Crux.

Culpa, & Culpabile.

Cultus.

D.

Damnum.

Denunciare, & Denunciatio.
V. Excommunicatio.

Defensio.

Degradare.

Delectatio.

An

Quid

Duellum.

E.

Ecclesia.

Effectus.

Energumenus.

Episcopus.

Episco-

Epistola. V. Euangelium.

Eremitæ, & Eremitoria.

Euangelium.

Eucharistia.

Eunuchi.

Excommunicatio, & Excommunicatus.

nis

Execratio.

Exhumare. V. Cadauer.

Exorcismus, & Exorcista.

Extrema Vnctio.



Face-

F.

Homi-

Instru-

Honor.

Horae Canonicae.

Ecclesia

Infideles.

Infirmi.

Iniuria, Iniuriare, & Iniuriosum.

Innocens.

Instrumentum.

Intentio.

Interdictum.

Quod

Execratio.

Exhumare. V. Cadauer.

Exorcismus, & Exorcista.

Extrema Vnctio.



Face-

F.

Facere.

Fæmina.

Fama, & Famosum.

Fames.

Fenestræ.

Fideles, & Fides.

Filij. V. Paruuli.

Fœtus.

Fontes.

Frigidi.

Fuga, & Fugere.

Homi-

Instru-

Quod

Nouitius, & Nouitia.

O.

Occasio. V. Causa.

Occidere, & Occisio.

Occultum.

Officia Diuina.

Omissio.

Opinio.

Oratio.

Oratorium.

Orato-

Ecclesia

Pollu-

Prima

Inter-

Admi-

Sepelire, & Sepultura.

Quid

Viola

Finis totius Operis.



Voluntas.

Vsus.

Vulnus, & Vulnerare.

Finis totius Operis.



